BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
31 — B
25

Digitized by Google

8. 31. B. 29

Digitized by Google

Digitized by Google

# LOGICA PERIPATETICA

## AD MENTEM SCOTI

QVA SVBTILISSIMI DOCTRINA adhuc magis declaratur, defenditur, roboratur.

OPERA, ET INDVSTRIA

## R. P. ILLVMINATI

DE ODDIS A COLLISANO CAPVCCINI

SACRÆ THEOLOGIÆ PRÆLECTORIS,

*In hac ſecunda editione ab eodem ſedulò, & attentiùs reuiſa, & correcta.*

Libraria di Riano



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PANORMI, & iterum NEAPOLI,
ex Typog. Reu. Cam. Archiep. apud Nouellum de Bonis, 1670.
*Superiorum permiſſu.*

Della Libreria de' Cappuccini di Riano

ILLVSTRISSIMO DOMINO

# D. FORTVNATO CARAFA

## EX ROCCELLÆ, ET S. R. I. PRINCIPIBVS,

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINI

## D. SIMEONIS CARAFA

ARCHIEPISCOPI MESSANENSIS

PARTES AGENTI.

*FR. ILLVMINATVS A COLLISANO CAPVCCINVS*

*S. P. D.*

*SATIS equidem fortunatè, hic qualiſcumque ſit ingenioli mei fœtus, ſub meritiſſimi Præſulis vmbra, iam pridèm lucis vidit vſuram, FORTVNATE Illuſtriſſime; cùm propemodū Italiā permeāte, Scoticæ veritatis candidati illius quæſtū nō pauci fecerūt; Sed ob quā fortunatiſsimus erit, dum typis recuſus ſub Illuſtriſsimæ Domi-*

*nationis tuæ tutamine, omni digniſsimæ laudis præconio digno, iteratò Vrbem, Orbemq; peragrare iam aggreditur! Fortunatã credã futuram Opellam clariſsimæ tuæ gentis tutela decoratam, in cuius enumerandis encomijs præſtantiſſima quoq; ingenia deſudant. Sed dicam ne potiùs Fortunatum Vniuerſum tuæ Carafeæ familiæ Genus de Republica benemerentiſſimum, ac omni faſtigio dignum? Quot enim monumenta immortalibus memorant notis Fortunatum fuiſſe Cæſarem illum, qui ſtrenuum habuit Ducẽ ob cuius belligerandi fortitudinem è mortis faucibus ſeruatum ſe cognouit, quem poſtea laudib. idem Cæſar eius cararam fidem afficiens, Carafeæ familiæ, agnomen, & decora ſimul ore, manuque extulit, ac æternauit? Fortunata iã gloriatur Panonia inuicto illo Heroe Regnum obtinẽte, qui ſuorum Carafeorum genti tùm inſignia Regni, tùm Regiæ maieſtatis monumenta reliquit. Referent Fortunati Germani, quorũ gloriam Princeps ille Sigiſmundus adauxit, eorumq; nomini nomen decuſq; conciliauit. Sed Fortunatior gloriatur Italia, in quã Idẽ, è Germania Cæſaris Vitẽ habẽs veniens, tot Fortunatos Heroas inſtituit, quot hæredes in ea interſeruit; qui inter alios Stephanũ Filiũ habuit nouum Martem Italum, qui ob Sardiniam è Saracenorum immanitate liberatam, meruit in comitijs omnium votis Rex acclamari; quem poſteà Neapolim redeuntem Henricus Cæſar magnis honorum gradibus eſt proſecutus, ibique fundatam Familiam Regum affinem, & Reginarũ conſanguineã fecit, quorum nomina ſi indicare ſolummodò velim, nullũ ſuppetere tempus puto; quis .n. aſtra Cæli nu-*

li nu-

*li numerare poterit? Si enim pervetuſtas luſtro antiquitatum hiſtorias, in tam Fortunata Familia, exercituum, & Claſſium Ductores, equitum Magiſtros, Vrbium Senatores, & ſupremos Præſides agminatim reperio. Aurea itidē Buccina patefecit fama, Carafeos Torquemium aſſecutos Regnum, maximaque Tiara conſpicuos, vt ſilentio præteream Inſulas, & Purpuras, quas ſingulos in annos, veluti tantæ familiæ vectigal penſitare conſueuerunt. Nonne quempiam fugit quot pro Eccleſia exantlauerint labores. Fortunatos Tricanienſis Diœceſis ſe prædicent incolæ, apud quos Petrus ille Aloyſius Carafa nobilitatis veſtigia, ac pietatis exēpla tēpore non inficienda reliquit, ſed hunc potius ad tractū Rheni, et inferioris Germaniæ extollāt Prouinciæ Nūcij, & à latere Legati munere ità præclarè fungentē, vt eum eximijs dotis, meritiſq; præditū Purpura ſūmus Pontifex cōdecorauerit; ipſoque annuente Bononiam Fortunatam, ac iucūdiſſimā legationis munere effecit. Fortunatos ſe profitētur Iberi cū Decius ſummi Pōtificis Nūcius ſuæ virtutis ſplendore illas illuminauerit plagas, qui poſtea Damaſcenæ, & Neapolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis eminēter præfulſit. Mitto cæteros Heroas Orbi notiſſimos, Archiepiſcopos, Patriarchas, Apoſtolicos legatos, & Epiſcopos tot Eccleſias Fortunatas reddentes, quot ipſæ Carafeos meruere Paſtores. Reticeo viros quāplurimas Religiones morum ſanctimonia, Vitæ innocentia, Diuinaq; ſapiētia Fortunatas efficientes; quo .n. pectore regularem tutati ſunt Diſciplinam, quantumq; illis profuere, enarrant, & enar-*

*rabunt*

Digitized by Google

*rabunt Sacrorũ Ordinũ monumenta. Vnum præ cunctis in medijs prefero, Vincentiũ Andriæ Ducis filium, qui ſe cum Societati Ieſu vouiſſet, doctrina, vitæ innocentia, morũq; ſanctimonia celebris, omnium plauſu Generalis electus, admirabili zelo, illam adauxit, ipſiq; Chriſti Vicario maximopere charus. Nec dicam, (nequeo .n. ipſe in arcta veluti epiſtolæ nace complecti) quot Martes, & Achilles in Cãpo, Tullios in Exedris, Viuos Areopagos in Lyceis, nouos Apollines in Academijs Carafeorum gloriam autumantes emanarũt. Quot Comites, Marchiones, Duces, et Principes multorũq; Oppidorũ ampliſſimos Dominos, qui integrũ iure ſuo ſibi flagitant Volumen, breuitatis gratia non cõnumero.*

*Tuorum dumtaxat progenitorum, quos aureas veluti roſas, aurea progerminauit ſpina memoriã refrico; & primum Carolum Carafa Andreæ Magni primogenitum, & Bartholomei nepotem, quem tu non interrupta linea maiorem agnoſcis; quiq; omniũ primus Foroliuij Dominus, Fortunatã præ cæteris Partenopẽ fecit, propterea quod Patriã ad mortem vſque inuicta animi fortitudine tutauit; & Spinarum prępotenti Satellitio, (quas ipſe gentilitio adiunxit ſtemmati) mirifice communiuit. Nec Spina ſua deinceps deturpatos, ſed aureatos produxit flores; Adrianos, ſcilicet, Ioannes, Antonios Foroliuij Duces, qui virtutum fragantiam fortunatiorem Arabia fecere Neapolim. Bartholomeum Hieroſolymitanum Equitem, & Priorem, Romæ Senatorẽ; Iacobum primum Roccellæ Dominatorẽ, & alterũ Ferdinandi II. Regis generalẽ præfectum; Vincentiũ Grottoriæ Comitẽ, Ioannem Baptiſtã Caſtelli Veteris*

*Dyna-*

*Dynaſtā, è quibus minimè fuere degeneres Hieronymus, & Fabritius, primus Roccellæ, et S.R.I. Princeps, aureoq; vellere à Carolo V. inſignitus, ex quo inclitus Filius Hieronymus, tuus ſanè genitor prodijt, Fortunatæ prolis cumulator.*

*Quid multis dicam? Simeon en tuus Patruus, qui & præſulum gemma, & Tiaræ ornamentum Fortunatam fecit Zanclam: norunt omnes quo zelo, quā pia benignitate, benignaq; manſuetudine, incorrupta iuſtitia, ſuas tribus ſuprauiginti annis moderetur oues, poſtquam Matheranas, & Atheruntinas condecorauerit Infulas. Fortunatam ſe cognoſcit Auerſa, dum Paulus Frater tuus Eccleſiam illam præſulis munere regit, cùm priùs Clericorum Regularium numquam ſatis commendatum Cætum, meritis, & doctrinis illuſtrauerit. Gloriatur itidem iure optimo Roſſanum, propterea quòd vno in Iacobo altero fratre tuo illius Vrbis Archiepiſcopo viuam moderatorum Ideam ſortitum fuerit. Dicant Veneti, dicant Eluetij Fortunati, vbi Carolus Tertius frater tuus Nuncij munere fungens, Carafeum ſe ſe probauit, adeò, vt ſeptimus inter Alexandros in ſacrum purpuratorū Collegium tantū virū adſcribere non ſit veritus. Subſcribantur Bononienſes, quos ibidē legatus præfulgētiſſimis virtutū cōdecoramētis illuſtrauit.*

*Quid de Gregorio Roccellæ Priore, & Frāciſco fratibus etiā tuis loquar? qui nō minus generis præſtantia, quā meritorum claritate Fortunati, nouo nitore Hieroſolomitanos proceres cōdecorauere. Magna cruce inſigniti, ambo Melitēſium Triremiū Præfecti, armorū ſplendorem nouo iubare auxerūt; quorum primus bellico ardore præferuidus, Bi-*

Zan-

*zantinas propè fauces, vbi Turcarum nauium Principem fugauerat, de ipſorum phalange triumphum reportauit: catenatasq; vndecim Naues cum militum turba ad Melitæ portũ tamquam ad Romanum Capitolium adduxit. Quinimmò quatuor hoſtibus Labara, quibus ipſorũ Epicedia, propriaq; Epicinia viuis inſcriberet caracteribus, eripuit, totidẽq; Eccleſijs ſuo immortali nomini ſuſpenſa trophæa, atq; anathemata Carafeæ familiæ, Belli, domiq; præpotenti deuouit; Vndè nõ immeritò ad ſũmã illius ſacræ Militiæ dignitatẽ bono ſatis alite ſua præpeti curſu euocãt merita. At quid rudi penicillo ineruditus ſcriptor Solẽ ipſum depingere cõtendo? quãdo gẽmeis elenchis obſignata encomia tũ in Melita, tũ in Italia muta ipſa cõclamãt marmora. Quidquid de Dianæ Victore, & Burgheſi Pauli V. neptis, ac genitricis tuæ eximijs dotibus profundiſſimo eloquar ſermone? cùm pro merito id exequi non poſſim meum ſilentium putẽ.*

*Quid ad extremum de te loquar Fortunate Heros? tui humaniſsimi genij liberalis verecũdia vetat, ne cõſpicuas animi tui virtutes pleno ore deprædicem; At vbi ego taceo, aureis famæ buccinis Mamertina Diæceſis magnificis te laudibus afficit. Eſt luce ipſa clarius, quãtũ Archiepiſcopi perſonã ſuſtinẽdo in huius diæceſis regimine optimũ te geris. Ea eſt .n. tuæ naturæ bonitas, ea mentis integritas, ea ingenij claritas, ac paterna pietas, vt ſpes certiſſima ſit omnibus Meſſanẽſem Eccleſiam Fœlicẽ, & tranquillã fore. Omnes mores tuos admirantur; omnes virtutes tuas vbiq; locorum circumferunt; omnes tuæ ſententiæ ſuffragantur; cum quo nemo eſt hac tempeſtate conferendus, vel vita in-*

*tegri-*

*tegritate, vel pectoris fortitudine, vel animi magnificētia; In aſſidua laborum tolerantia adamante conſtantior; ad blandiloquas Syrenum voluptates ſcopulo ſurdior; ac propè Scyllā, & Charybdim portu tranquillior. Vnde eſt, vt quantò alios fælicitate ſuperas, tantò omnes ardentiſsimo te proſequantur amore; Indè meritò aliqui apertè fatentur, dotes à Platone ad conſtituendum orbis Monarcham optatas, nempè Scientiam, Prudentiam, Pietatem in te vno conſediſſe, vndè & illud Claudiani canunt:*

Sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt; & quæ diuiſa beatos
Efficiunt; collecta tenes.

*Sapientiam tuam omnigenæ literaturæ admirati ſunt profeſſores, cùm vtriuſque Iuris laurea fuiſſes ſtatim redimitus, eaq; Sapientia, & conſilio polles, vt in te vno collectas virtutes habere videaris. Prudentia nulli es ſecundus, in te .n. prouidentiæ æqualitas cum prudentia certat, quicquid namq; agis, quid dicis, quid perficis, nec ſapiētius fieri, nec prudentius perfici, nec accuratiori ſtudio exequi poteſt; ſic .n. te geris, vt futuri ſemper præſcius fuiſſe videaris. Tuo peruigili zelo Monialium Cœnobia ad priſtinum nitorem reſtituta gloriatur, nec immeritò, dum .n. inculpatæ vitæ cùm ſis, vitia prudenti ſeueritate compeſcis, nocentes profugas, ac bonis legibus ſuum Vigorem reuocas. Probus Præſul, probos reddit ciues. Præclara, & ſingularis Pietatis tuæ virtus omnibus aperta eſt, videris .n. in egenorum rebus ſubleuandis à Superis datus, adeoque de ouibus tuis benemereri cupis, vt ſi neceſsè ſit, non dubites tuo*

*periculo illarum incolumitati conſulere. Quàm benigna largitate, (ne dicam prodigalitate) erga humiles, & pauperes Religioſos te geris, & præſertim erga meum Seraphicum Cætum, in omnium oculis exploratū eſt. Sed quid? immò tuæ mirificæ pietatis monumēta tot aperto buccinant ore lapides, quot in Monte Pietatis huius Vrbis tua ſolertia erecti cernuntur; Optimè tuæ opus induſtriæ cōſonum, quòd à Pietate non vulgari vulgo accepit nomenclaturā, vbi faſtigiatum gloriæ culmen attingens, nouo veluti in Capitolio de immani egeſtatis monſtro triumphares. En relatæ dotes in te vno ſplendidè cumulatæ, quibus Chriſtiani Principis viuum te exhibes Simulacrum. Meritò igitur tuus infulatus Patruus Mamertinæ veluti Eccleſiæ Atlas te ſecum Alcidem aſciuit in ſuffragium, qui ſine ſocio Orbem moderareris vniuerſum. Hæc, multaque alia plura cùm notiſſima ſint, ſuperuacaneum cenſeo longiuſculis proſequi verbis, cùm nec deſint, qui illibatam tuam vitam, præclaroſque mores immortali cantu ſacris implant præconijs. Hæc eſt igitur illa nobiliſſima Proſapia, & Fortunata Arbor Caraſea, per totum Orbem famigerata, & conſpicua; Arbor Fortunata in Radicibus, Fortunior in Stipite, Fortunatiſſima in Ramulis, ſub cuius vmbra ſecurus decubans, Zoilorum puntiuſculas non ſentiam. Et tu FORTVNATE valeas, cùm .n. in gremio Iouis natus ſis, omnia, vt opto, tibi ex voto ſuccedent, dum ego rem tacitè conſidero &c.*

AD

# AD LECTOREM.

*BENIGNISSIME LECTOR, mea intentio in his Dialecticis, ac Philoſophicis conſiderationibus eſt, ea tantum tradere, quæ magis ad rem ſpectant, & quæ maiorem orationem deſiderant ab his me breuibus expediam, & maiori qua potero facilitate, ne Adoloſcentes rerum ſuperuacanearum prolixa multitudine, & inuoluta difficultate deterriti, relictis vtilioribus ſtudijs, ad inania defluant, quod hactenus non paucis eueniſſe comprobatur; in illa enim ſemper fui ſententia, quam Socrati apud Platonem probatam inuenio ſcilicet,* melius eſſe pauca quædam ordinatè, & lucidè proponere, quàm multa ſine ordine inuoluta obſcurè profundere.

*Et parum mihi officit illa vulgaris obtrectatio, quæ ſæpè ſolent Scriptores à Zoilis impeti, quod .ſ. eumdem actum agant, quòd eadem tranſcribant, & quòd millies decantata repetant, non inquam mihi officit, quia omnes decantamus, cùm reuera nihil ſit ſub ſole nouum; & licet quamplures Neotherici non decantare ſe iactent, & inuentores nouæ Doctrinæ ſe faciant, inaniter tamen, vt benè viri miræ eruditionis aduertunt; omnes .n. illæ opiniones ex Nominalium, & Antiquorum Doctorum promptuarijs auulſæ ſunt, licèt ſuppreſſo nomine, vt furtum lateat; Vndè præſenti in Facultate, hoc tibi ſaltem noui occurret, breuis .ſ. rectè ordinata, & ita ad facilem methodum redacta doctrina, vt potius Tyronibus, quàm Lectoribus accomodata videatur.*

*Et quia non ſumus hic in Moralibus, vbi plurimorũ Authorum numerus præualet, ſed in Philoſophicis, vbi rationum pondus deſideratur, hinc iure merito Scotum, qui in certamine literarum, & acię rationum numquam haſtam abiecit, vt exemplar, Ducem, ac Præceptorem ſeligo; virum vtiq; tam magna, & excellentię ſcientiarum peritia inſignitus, vt ſubtiliſſimi Doctoris, ac Principis totius Theologię nomen in Scholis ſibi meritò vſurpauerit. Et quidem quantum Tyronibus prodeſt, ſi in quaque diſciplina certus Author magni nominis, & Claſſicus exibeatur, & doctiſſimorum hominum Authoritas, & longo temporis vſu experientia comprobauit, Vndè irridemus quamplures Recentiores in minus vtilibus diſputationibus tempus contere, & in grauioribus deficere; & quia nihil firmum, aut conſtitutum habent, ad inſtar incoſtantis Cæli, ac veluti ſibi ipſis diſſimiles, modo hoc, modo totum oppoſitum docent; & quia Doctrinæ Philoſophicæ magnam cum Theologicis inter ſe connexionem habent; qui oppoſitum in Philoſophia docent, nõ ita tutum, & ratum habent, quod in Theologia tuentur, & ita rem ambiguam ſemper relinquentes, illud Plinij lib. 14. c. 2. ſibi vſurpant:* Vix vlla magis tam denſo ſuarum partu impatiens variantis Cæli.

*Sufficit ergo nobis pro Præceptore Subtiliſſimus Doctor; cuius ingenij ſublimitas, Doctrinarumq; vniuocatio præſtat, vt viris doctiſſimis ſemper chariſſimus*



Digitized by Google

*fuerit, de quo loquens Admodum R. P. Antonius Poſſeuinus ex Illuſtriſsima Societ. Ieſus Familia in ſuo apparatu, vir vtique exquiſitiſsimæ Doctrinæ, ait:* Scotus in Scripturis Diuinis, ac Philoſophia Ariſt. adeò præſtitit, vt in diſputationibus palmam cæteris præriperet; atq; ob id Doctor ſubtilis fuerit appellatus. *Et infra:* cuius doctrinæ graue illud teſtimoniũ extat, quod eius libri abſq; vllo erroris næuo vſque in hanc diem 300. circiter annos in Oecumenicis Concilijs inuiolati permanſerint. *Et rurſus:* haud mirum fuerit ſi ingenium Doctoris ſubtilis modeſtia, & claritate præditum altiſſimos ſenſus eruere potetit ad veritatem indagandam, nunquam .n. ſuam ſententiam profert in aliorum iniuriam, vel depreſſionem, quin quorum errores conuellit, aut opiniones diſcutit, adeò id modeſtè, & plerumq; ſuppreſſo nomine facit, vt Chriſtiano pectore hauſiſſe à Domino ſapientiam coijci poſſit. *hæc Præfatus Doctor.*

*Et quidem ſi tantùm inclitæ memoriæ Philippi Fabri ſchola ſubtilium debet, qui ſolus, & omnium primus Recentiores aduerſarios nouiter aggreſſus eſt, quamuis in philoſophia non integrum curſum perfecerit, quantũ plus Magiſtris Bartolomeo Maſtrio Meldulenſi, & Bonauenturæ Belluto Catanenſi ſchola noſtra debebit, qui Philoſophicum curſum vndequaque perfectum in via Scoti tradiderunt, ea methodo, & ordine quomodo à Recentioribus in cæteris ſcholis tradi ſolet, ac pro viribus ab eorum iaculis ſcoticam doctrinam patrocinantur, vberes, ac profuſas diſputationes aſſumentes, non ſolùm cùm antiquis, ſed cum Recentioribus ferè omnibus ſingulas quaſi eorum rationes deferentes, & ſolutiones, ne iaculum quidẽ omnino declinare videantur? Equidem maiores ſunt omni laude, nec eos laudare ſufficimus; eorum .n. laudes latius diffuſæ ſunt in literarum monumentis, quàm vt ab alijs repetantur; digni quibus perpetui decernantur honores, & annos Neſtorios viuant. Quid igitur agam in his Logicalium argutijs, quod ab eis non fuerit luculenter præuiſum, & elucubratum? quid addam, cui nihil videtur addi poſſe? imò demam; imò imminuam, imò perſtringam, nè in tam rapidi torrentis fluxum immergar, & tantùm paucas guttulas iuxta capacitatem, & vtilitatem ſtudentium pro meo inſtituto mutuabor.*

*In Ariſt. textum, & mentem eius indagandam minimè inſudabo, tot .n. ac tantos hucuſq; expoſitores habuit, vt nulla alia excogitari poſſit, quam ipſi non attingerint, ſed præſentem Facultatem tibi offero eo modo quo à Recentioribus nunc tradi ſolet; non tamen ità conciſè, & contractè, vt potius obſcuritatem, quàm claritatem pariant, vt plurimi effecerunt; nec tam latè, & diffuſè, vt tota vita hominis in vna addiſcenda diſciplina conſumi videatur, vt alij ex oppoſito placuit, ſed media via incedendo, & neceſſaria adducendo, & ſuperflua reſecando, ſpero tibi gratum, & vtilem fore. A principijs priſcorum Theologorum, & præcipuẽ Scoti Doctiſſimorum omnium Anteſignani, non diſcedam, cùm enim illa, vt plurimum iacerint ad Hæreticorum calumnias euertendas, ea reſpuere, & periculum*

ricu-

*riculoſum, & temerarium iudico. Recentiorum agmini, qui caſtra noſtra inuadere ſatagunt occurram, & in eorum argumentorum ſolutione, quàm accuratiſsimè inulgilabbricam .n. nouas, & ingenioſas difficultates ingerant, noviſ etiam armis eis occurrere oportet; Interim vale, & à liberaliſsimo omnium bonorum largitore impetra, vt qui dignatus eſt hoc indigniſsimo inſtrumento morali vti ad hanc primam Facultatem edendam, ad alias ſequentes, ſuum Diuinum præſtare dignetur auxilium, vt qui cæpit opus bonum, illud, & perſiciat, quod totum ad Dei immarceſcibilem gloriam referatur, Immaculatiſsimæ eius parenti abſque originali labe conceptæ, Beati Patris noſtri Franciſci, ſanctæque obedientiæ merito aſcribatur.*

# APPROBATIO

## REV. P. FR. EVSEBII A LEOCATA CAPVCCINI
in Prouincia Panormi Olim Lectoris, ac Diffinitoris, & modo in Prouincia Sardiniæ Viſitatoris Generalis.

ADmod. Reu. Patris MARCANTONII A CARPENEDVLO totius Ordinis noſtri Minorum Cappuccinorum Generalis meritiſſimi iuſſu, vidi, & maiori qua potui diligentia legi, perlegi, & accuratè ponderaui Logicam Peripateticam ad mentem Scotiſti Reu. P. Illuminato à Colliſano eiuſdem inſtituti Theologo, & in Prouincia Meſſanæ Prælectore, & Diffinitore elucubratam. Quod opus, non ſolùm moribus diſſonum, aut veræ fidei, & Catholicæ Religioni diſſentaneum non reperi: imò tantæ doctrinæ profunditate ſolidatum, tanta Scotica ſubtilitate refertum, tantaq; diſputationum vbertate onuſtum, vt in eo reperiri videantur poma omnia noua, & vetera, ſic enim dilucidè, & ingenioſè contextum eſt, vt totum nouum, totum vetus dixerim; totum vetus, quia Subtilis Doctoris Theologiæ Principis ſententijs, totum inſperſum admiror; totum nouum, quia nouum robur, nouam vitam, nouam formam, ac venuſtatem Scoticæ doctrinæ tribuere videtur: Quare prælo, luce, & Theatro digniſſimum cenſeo, vt talia poma cum ipſa arbore, ac eius fructibus, frondibus, ac floribus Æternitati dentur, Seraphicæ Religioni, ac communi vtilitati dicantur, Æternoq; Deo famulentur. Datum in loco noſtro Panormi die 18. Decembris 1662.

Ego Fr. Euſebius à Leocata Cappuccinus
Sacræ Theologiæ Profeſſor, &c.

APPRO-

# APPROBATIO

## R. P. FR. BASILII A MONTEREALI ORDINIS MINORVM Capuccinorum in Prouincia Panormitana Miniſtri Prouincialis.

OPVS inſcriptum Logica Peripatetica ad mentem Scoti à R. P. Illuminato à Colliſano eiuſdem Ordinis Sacræ Theolog. Prælectore lucubratum, ex mandato Admodum Reu. Patris Marci Antonij à Carpenedulo totius Ordinis noſtri Generalis vigilantiſſimi percurri, & perluſtraui; quod opus non ſolum Ortodoxæ fidei, ac bonis moribus ſolidatum, & conſentaneum cerno; imò cum tanta facilitate, breuitate, methodo, ac claritate, Scoticam ſubtilitatem, & argutiam coniunctam admiror, vt tenebræ cum luce, & dies cum nocte ſimul morari videātur; Hic enim auctor, & Scotum exponit clariſſimè, & defendit ſubtiliter, vndè rebus obſcuris dans nitorem, Luminis nomen meritò ſibi vendicat. Quare digniſſimum cenſeo, vt illicò in lucem prodeat, vt ad tanti Luminis radios, illuminati Scholaſtici, & præſertim Doctoris ſubtilis alumni, noua lux, nouus Dux in Orbe clareſcere appareat, incepta fæcūdet Deus, quia illud ſpero futurum, quod ſemper in Schola ſubtiliū maximè optaui. Datum in loco noſtro Panormi die 29. Maij 1663.

Ita ego Fr. Baſilius à Montereali Cappuccinus, Concionator Prouinciæ Panormi Miniſter Prouincialis teſtor, & fateor.

---

*Facultas imprimendi Logicam Peripateticam ad mentem Scoti, &c. Ab Admod. R. P. Generali Ordinis Cappuccinorum.*

## NOS FR. MARCVS ANTONIVS A CARPENEDVLO totius Ordinis Minorum S. Franciſci Cappucinorum Miniſter Generalis (licèt immeritò)

VIGORE præſentium facultatem elargimur, vt Typis mandetur opus à R. P. Illuminato à Colliſano Concionatore noſtro compoſitum, & ex ordine noſtro à duobus Theologis requiſitum, cuius titulus eſt Logica Peripatetica ad mentem Scoti, &c. ſeruatis tamen ſeruandis. In quorum fidem hæc fieri iuſſimus, Sigillo, manuque noſtra muniuimus. Ferrariæ Die prima Februarij Anno Chriſti 1663.

† Loco Sigilli.

Fr. Marcus Antonius Miniſter Generalis.

Re-

Rđus Frater Illuminatus Oddus à Colliſano.

# ANAGRAMMA.

## LAC, ROS, SIDVS, SOL ORITVR, DAT LVNA FIDA LVMEN.

SOL terris ORITVR ſolus, DAT LVMEN opacis;
LVNA mouet creſcens, inferiora regit.
SIDVS adeſt cunctis fulgens, errantibus orbem,
Cuncta quieta tenens, lux ſua FIDA Fides.
ROS cadit è Cælo, conſurgunt gramina flores,
LAC alit infantes, Lac aliquando ſenes.

D. Ioſeph Brocatus Archipræsbyter Colliſani.

---

*ADESTO LECTOR.*
*Honoris gratia tantiſper retrahe*
*Nouumque Eoi Solem Perſarum more*
*Veneranter Venerator*
*ILLVMINATVS ADEST:*
*Verè quidem Fulgidus;*
*Qui,*
*Præfulgidis eloquentiæ effluentijs*
*Vitiorum tenebras propulſando,*
*Effluenter è ſuggeſtis effulſit.*
*Verè quidem Clarus;*
*Qui*
*Præclaris virtutum condecoramentis,*
*Neſcirem, an omnium Seruum factum, crederem, an Patrem,*
*Condecoratior claruit Dynaſta.*
*Verè quidem Illuminatus;*

*Qui*

*Qui*

*Scientiarum Principis nominis, & ominis Illuſtriſſimus hæres,*
*Flagrantibus vndique circumductus radijs,*
*Lucidis ingenij ſui fætibus,*
*Errorum caliginem diſcutiendo,*
*Orbem colluſtrat Vniuerſum, perpetuúmque diem efficit;*
*E SANO COLLE EGREDIENS:*
*Aegras Sophiſticorum mentes*
*Perfectæ reſtituit valetudini.*
*Philoſophorum Principis æmulus;*
*Rebellium Philoſophicæ veritatis improba mendacia,*
*Proprijs ſubluſtribus vmbris inuoluta;*
*Eijcit, confutat.*
*Non Enſibus, ſed Calamis; non Scuto, ſed Atramento;*
*Non Iaculis, ſed Syllogiſmis; non Vocibus, ſed Doctrinis*
*De Aduerſariorum turmis triumphat,*
*Propriam ſibi colorat purpuram,*
*Serta connectit, eiſque Palmam præripit:*
*Subtiliſſimus Subtiliſſimi Sectator;*
*Ingenij acrimonia, rationis acumine, gordianas difficultates*
*ſoluit, peneſtrat.*
*Hæſitat ne quis hac de re?*
*Nomen hoc translegat, ſenſum tranſeat:*
*AD: REV. PATER ILLVMINATVS ODDVS A COLLISANO*
*Educetque Arithmeticum Anagramma:*
*EST EQVIDEM FIDELISSIMVS SCOTI SECTATOR.*
*Hiſce, quales ſint, Characteribus;*
*Poſtulatæ gratitudinis monumentum;*
*Extimulantibus gratijs, gratoque dictante genio,*
*Plaudebat*
*FR. IEREMIAS A PANHORMO SACERDOS CAPVCCINVS*
*S. P. S.*

INDEX

Digitized by Google

# INDEX

## Tractatuum, Capituum, Diſputationum, & Articulorum, quæ in hoc Volumine continentur.

### TRACTATVS PRIMVS.

*De Terminis, & eorum affectibus.*


CApur Primum, quid, & quotuplex ſit terminus. fol. 1. & ſeq.
Caput Secundum, de Vniuerſalibus, ſeu prædicabilibus. 9.
De Genere. 10.
De Specie. 10.
De Differentia. 11.
De Proprio. 12.
De Accidente. 14.
Caput Tertium, De Antepradicamentis. 15.
Caput Quartum, De Prædicamentis. 17.
De Subſtantia. 18.
De Affectionibus Subſtantiæ. 18.
De Quantitate. 20.
De Affectionibus Quantitatis. 20.
De Qualitate. 21.
De Affectionibus Qualitatis. 23.
De Relatione. 24.
De Affectionibus Relationum. 25.
De Actione. 26.
De Paſſione. 27.
De Quando. 28.
De Vbi. 29.
De Situ. 29.
De Habitu. 30.
Caput Quintum, De Collatione Terminorum inter ſe. 31.
Caput Sextum, De Vnica Terminorum ſuppoſitione. 32.
Caput Septimum, De terminis Exponibilibus. 34.
Caput Octauum, De Vſu in ſcholis aliquorum terminorum. 36.


### TRACTATVS SECVNDVS.


*De Propoſitione, eius partibus, & Affectionibus* 38.
CAput Primum, De Nomine, & Verbo. 38.
Caput Secundum, De Oratione quid ſit, & quotuplex ſit. 39.
Caput Tertiū, De Propoſitione, ſeu Enũciatione, & quotuplex ſit. 41.


†††　　Caput

Caput Quartum, De Propoſitione Cathegorica, & quotuplex ſit. 42.
Caput Quintum, De Oppoſitione Cathegoricarum ſimplicium. 44.
Caput Sextum, De Regulis Oppoſitionum. 46.
Caput Septimum, De Conuerſione Cathegoricarum Simplicium. 48.
Caput Octauum de Æquipollentia Cathegoricarum. 50.
Caput Nonum, De Propoſitione Hyppotetica, & quotuplex ſit. 51.
De Conuerſione Modalium. 55.
Caput Decimum, De Propoſitione Hypotetica, & quotuplex ſit. 55.

TRACTATVS TERTIVS.

*De Argumentatione* Caput Primum. 57.
Caput Secundum, De Speciebus Argumentationis. 59.
Caput Tertium, De Regulis cõibus bonæ Argumentationis. 61.
Caput Quartum, De Syllogiſmo. 63.
Caput Quintum, De Principijs Regulatiuis Syllogiſmi. 66.
Caput Sextum, De Regulis generalibus cuiuſcumque figuræ. 68.
Caput Septimum, De Regulis Specialibus cuiuſcumque figuræ. 71.
Caput Octauum, De Reductione Modorum imperfectorum. 73.
Caput Nonum, De Varijs Speciebus Syllogiſmi Cathegorici. 78.
Caput Decimum, De Syllogiſmo Hypotetico. 80.
Caput Vndecimum, De Arte inueniendi Medium. 81.
Caput Duodecimum, de munere arguentis, & defendentis. 84.

TRACTATVS QVARTVS.

*De Præcognitionibus, & Præcognitis.*
Caput Primum, De Syllogiſmo Demonſtratiuo. 86.
Caput Secundũ, De Scientia, quæ eſt demõſtrationis effectus. 88.
Caput Tertium, De Modis Perſeitatis. 92.
Caput Quartum, De Demonſtratione propter quid. 98.
Caput Quintum, De Demonſtratione Quia. 102.
Caput Sextum, De Medio Demonſtrationis. 104.

TRACTATVS QVINTVS.

*De Syllogiſmo Topico.*
Caput Primum, De Materia remota, & proxima Syllogiſmi Topici. 105.
Caput Secundum, De Locis Topicis intrinſecis. 107.
Caput Tertium De Locis extrinſecis. 114.
Caput Quartum, De Locis medijs. 117.

TRACTATVS SEXTVS.

*De Syllogiſmo Sophiſtico.*
Caput Primum, De Fallacijs in dictione. 118.
Caput Secundum, De Fallacijs extra dictionem. 123.

## Diſputatio Prima in Vniuerſam Ariſt. Logicam.

*De Naturâ Logicæ.* 127.

Articulus Primus. An Logica ſit neceſſaria ad alias ſcientias capeſcendas. 129.
Art. 2. de Logica docente, & Vtente. 133.
Art. 3. An hæc diſtinctio docentis, & vtentis conueniat omnibus partibus Logicæ. 141.
Art. 4. de fine Logicæ. 143.
Art. 5. de Obiecto Logicæ ab Ariſt. traditæ. 148.
Art. 6. de Obiecto Logicæ in ſe, & in tota ſua latitudine. 158.
Art. 7. An Logica ſit Scientia, vel Ars. 163.
Dubium, An Logica ſit ſcientia realis, vel rationalis. 170.
Art. 8. An Logica ſit ſcientia Practica, vel ſpeculatiua. 171.

## DISPVTATIO SECVNDA

*De ente Rationis, & ſecundis Intentionibus.*

Art. 1. An detur Ens rationis. 178.
Art. 2. de eſſentia, & formalitate entis rationis. 186.
Art. 3. An ens rationis habeat cauſas ſui eſſe. 202.
Art. 4. de Potentia effectrice entis rationis. 205.
Art. 5. de actibus, quibus ens rationis efficitur. 213.
Art. 6. An quilibet intellectus poſſit ens rationis efficere. 218.
Art. 7. de Proprietatibus & affectionibus entis rationis. 223.
Art. 8. de diuiſione entis rationis. 227.
Art. 9. de ſecundis intentionibus. 232.
Art. 10. de collatione ſecundarum intentionum cum primis, & ad ſe inuicem. 239.

## DISPVTATIO TERTIA.

*In librum Porphyrij de quinque vniuerſalibus.* 243.

Art. 1. An detur Vniuerſale à parte rei, ſeu natura communis in eſſendo. 245.
Art. 2. An Vniuerſale in Prædicando detur independenter ab intellectu. 263.
Art. 3. de eſſentia, & quidditate Vniuerſalis logici 266.
Art. 4. An Vniuerſale conſtituatur per relationem eſſendi in multis, vel per dici de multis. 272.
Art. 5. An Vniuerſale conſtituatur per aptitudinem eſſendi in multis, An verò per actum. 276.
Art. 6. An Vniuerſale per intellectum agentē, vel paſſibilem fiat. 281.

Art. 7. de modo quo Vniuerſale fiat, & quomodo rectè definiatur. 288.
Art. 8. de Naturis, quib. intentio Vniuerſalitatis applicari poſſit. 290.
Art. 9. An Vniuerſalia rectè, & ſufficienter in quinque Vniuerſalia, ſeù prædicabilia diuidantur. 298.
Art. 10. An Vniuerſale ſit genus ad hæc quinque Vniuerſalia. 307.
Art. Vndecimus, An Prædicabile, ſeu Vniuerſale ſit huius libri ſubiectum. 311.

## DISPVTATIO QVARTA.

*De Vniuerſalibus in particulari, & primò de Genere.* 313.
Art. 1. An Genus ſufficienter definitum fuerit. 315.
Art. 2. Quid per hanc definitionem definiatur. 322.
Art. 3. Quomodo Genus de indiuiduis prædicetur. 329.
Art. 4. An genus de ſuis inferioribus exercitè per modum totius prædicetur. 336.
Art. 5. Quomodo Genus contineat ſpecies, & differentias. 340.

## DISPVTATIO QVINTA.

*De Specie.* 344.
Art. 1. An Species rectè fuerit à Porphyrio definita. 345.
Art. 2. An Species conſtituatur in eſſe Vniuerſali per eſſe ſubijcibile, an potius per eſſe Prædicabile. 350.
Art. 3. An Genus in vnica ſpecie, & ſpecies in vnico indiuiduo, conſeruari poſſint. 353.
Art. 4. de definitione indiuidui. 360.

## DISPVTATIO SEXTA.

*De Differentia.* 367.
Art. 1. Quomodo differentia cum Genere ſpeciem conſtituat, vbi de compoſitione Methaphyſica 372.
Art. 2. An Differentia in ſuo conceptu obiectiuo genus formaliter includat, & è contra. 380.
Art. 3. Quomodo Differentia prædicetur de pluribus. 386.

## DISPVTATIO SEPTIMA.

*De Proprio.* 390.
Art. 1. An Proprium poſſit à ſubiecto ſeparari, etiam in ordine ad potentiam Dei Abſolutam. 393.
Art. 2. Quomodo Paſſio à ſuo ſubiecto diſtinguatur. 397.
Art. 3. An Proprium ſit Vniuerſale. 400.

## DISPVTATIO OCTAVA.

*De Accidente.* 403.
Art. 1. Vtrum Accidens quinta vox induat rationem Vniuerſalis. 403.

Art. 2.

Art. 2. Vtrum definitum in hac Definitione ſit ſecunda intentio, vel prima. 406.
Art. 3. de naturis quibus Vniuerſalitas Accidentis competit. 410.

## DISPVTATIO NONA.

*De Definitione.*

ART. 1. Quid & quotuplex ſit definitio. 413.
Art. 2. de modo conſtituendi, & inueſtigandi definitionem, & quomodo definitio à definito diſtinguatur. 419.
Art. 3. Quænam propriè definiri poſſunt. 424.

## DISPVTATIO DECIMA.

*De Diuiſione, & Diſtinctione.*

ART. 1. Quid, & quotuplex ſit diuiſio, eiuſque leges. 429.
Art. 2. Quid, & quotuplex ſit diſtinctio. 434.
Art. 3. de diſtinctione rationis. 437.
Art. 4. de diſtinctione reali. 443.
Art. 5. de diſtinctione Formali. 446.

## DISPVTATIO VNDECIMA.

*In librum Cathegoriarum Ariſt.* 469.

ART. 1. De Nominibus Æquiuocis & Vniuocis. 470.
Art. 2. De Natura Vniuocorum. 475.
Art. 3. De Analogis, ac de Analogia attributiõnis. 480.
Art. 4. De Analogia proportionalitatis, inæqualitatis, & traſcendentiæ. 485.
Art. 5. An Analogum dicere poſſis conceptum vnum præciſum ab Analogatis. 490.
Art. 6. An Analogum mediet inter vniuocum, & æquiuocum. 494.
Art. 7. De Natura Dominatiuorum. 500.
Art. 8. De Significato principali concreti accidentalis, & vnde eius Vnitas, & pluralitas oriatur. 504.
Art. 9. De Numero Prædicamentorum. 512.
Art. 10. Quomodo Prædicamenta inter ſe diſtinguuntur. 515.
Art. 11. De conditionibus eorum, quæ in prædicamento reponi debent. 518.
Art. 12. De diuiſionibus, & regulis ante prædicamentalibus. 527.

## DISPVTATIO DVODECIMA.

*De Prædicamentis in Particulari, & primò de Abſolutis.* 533.

ART. 1. De Subſtantia Generaliſſima huius Prædicamentis ac eius ſpecibus. 533.
Art. 2. Quo ſenſu diuiditur ſubſtantia in primam, & ſecundam. 542.

Art. 3.

Art. 3. De Attributis, & proprietatibus ſubſtantiæ. 547.

## DE QVANTITATE.

ART. 1. An Quantitas continua, & diſcreta ſint veræ ſpecies huius prædicamenti. 553.
Art. 2. De eſſentia quantitatis continuæ, & eius ſpeciebus. 561.
Art. 3. De ſpeciebus quantitatis diſcretæ. 568.
Art. 4. De Proprietatibus, & attributis quantitatis. 571.

## DE QVALITATE, ET QVALI.

ARt. 1. De eſſentia qualitatis, ac de eius comminationibus in quas diuiditur. 577.
Art. 2. In quo aliqua dubia circa relata elucidantur. 585.
Art. 3. De Affectionibus, & attributis qualitatis. 588.

## DISPVTATIO TERTIADECIMA.

*De Prædicamentis Reſpectiuis.*

ARt. 1. Quid ſit Relatio realis, & quotuplex, vbi etiam de relatione traſcendentali. 591.
Art. 2. De identitate, & diſtinctione relatiuorum traſcendentium cum rebus. 597.
Art. 3. De Supremo Genere quarti Prædicamenti, & an fuerit rectè definitum. 602.
Art. 4. An Relatio Prædicamentalis ſit accidens ab extremis realiter ſuperadditum, & diſtinctum. 606.
Art. 5. An Relatio Prædicamentalis, conſtituatur per eſſe in, vel per eſſe ad, vel per vtrumque. 621.
Art. 6. An Subiectum relationis debeat eſſe ens reale, & finitum. 625.
Art. 7. An Subiectum relationis debeat eſſe abſolutum, vel reſpectiuum. 631.
Art. 8. An Relatio Prædicamentalis neceſſatiò petat terminum realem, & actum exiſtentem. 635.
Art. 9. An Vna & eadem Relatio numero poſſit plures terminos reſpicere. 638.
Art. 10. An terminus relationum terminet ſub ratione abſoluta, vel Relatiua. 643.
Art. 11. An inter fundamentum, & terminum requiratur diſtinctio ex natura rei. 651.
Art. 12. Quotuplex ſit relatio Prædicamentalis, & quæ quartum Prædicamentum conſtituat. 657.
Art. 13. De Principio vnde ſumenda ſit vnitas, vel diſtinctio ſpecifica relationum. 660.
Art. 14. De tribus modis relationum ab Ariſt. aſſignatis. 666.

Art. 15.

Art 15. De Proprietatibus Relatiuorum. 676.

DISPVTATIO QVARTADECIMA.

*De Vltimis ſex Prædicamentis.*

ARt. 1. Quid dicant formaliter vltima ſex Prædicamenta. 683.
Art. 2. De Actione, & Paſſione. 687.
Art. 3. De Vbi, & Situ. 690.
Art. 4. De Quando, & habitu. 693.

DISPVTATIO QVINTADECIMA.

*De Poſt Prædicamentis.*

ARt. 1. De Relatiua, contraria, priuatina, & contradictoria oppoſitione. 699.
Art. 2. De modis prioris, & de prioritate naturæ. 705.
Art. 3. De Prioritate originis. 710.
Art. 4. De Modis ſimul, de motu, & habitu. 712.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

*In Perihermenias Ariſt.* 714.

ARt. 1. An Voces ſignificent res, vel conceptus, & num naturaliter, vel ad placitum. 715.
Art. 2. An Veritas ſit in conceptu formali; vel obiectiuo. 720.
Art. 3. Quid ſit formaliter Veritas cognitionis 723.
Art. 4. De Falſitate cognitionis. 729.
Art. 5. An Propoſitio de futuro contingenti abſolutò ſit determinatè vera, vel falſa. 733.
Art. 6. An concreta poſſint de alijs concretis, & de abſtractis prædicari. 738.
Art. 7. An Abſtracta poſſint de concretis, & de alijs abſtractis prædicari. 745.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

*In Libros Priorum.* 749.

ARt. 1. An aſſenſus concluſionis debeat eſſe diſtinctus ab aſſenſu præmiſſarum. 750.
Art. 2. An præmiſſæ ſint cauſa concluſionis, & in quo genere cauſæ. 753.
Art. 3. An Præmiſſæ debeant prius cognoſci, quàm concluſio. 755.
Art. 4. An Aſſenſus Præmiſſarũ neceſſitet intellectum ad aſſenſum Concluſionis. 759.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

*Analyticorum Poſteriorum.* 762.

ARt. 1. De Scientia, quoad ſuam eſſentiam, & quidditatem. 763.
Art. 2. De Subiecto ſcientiæ. 767.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Art. 3.

Art. 3. An De Subiectiecto præcognoſci debeat, quia eſt, ſeu exiſtentia. 771.
Art. 4. An Subiectum habere debeat quid rei, & de quibus datur propriè ſcientia. 775.
Art. 5. An Subiectum primò virtualiter continere debeat omnes veritates ſcientiæ. 779.
Art. 6. Vnde ſumenda ſit vnitas, & ſpecificatio ſcientiæ. 782.
Art. 7. De Eſſentia, & quidditate praxis. 790.
Art. 8. An ratio practici, & ſpeculatiui ſumenda ſit ex obiecto vel ex fine. 798.
Art. 9. An practicum, & ſpeculatiuum ſcientiæ conueniant, & quomodo. 802.
Art. 10. De Subalternatione ſcientiarum. 807.

## DISPVTATIO DECIMANONA.

*De Demonſtratione.* 813.

Art. 1. De Demonſtratione propter quid, & quia. 814.
Art. 2. De Medio Demonſtrationis propter quid. 817.
Art. 3. De Medio Demouſtrationis potiſſimæ. 820.
Art. 4. De Propoſitione per ſe nota. 824.
Art. 5. De Circulo, & regreſſu Demonſtrationis. 831.
Art. 6. Quid ſit opinio, & an poſſit eſſe ſimul cum ſciientia de eodem obiecto. 834.
Dubiũm de Syllogiſmo Elencho. 843.

DIA-

# DIALECTICARVM INSTITVTIONVM

## TRACTATVS PRIMVS.

## DE TERMINIS, ET EORVM AFFECTIONIBVS.

### CAPVT PRIMVM.

### Quid, & quotuplex ſit Terminus.

TERMINVS alitèr à Mathematicis, aliter à Logicis definitur, à Mathematicis ita deſcribitur: Terminus eſt extremum alicuius corporis, intra quod totum Corpus continetur, & extra quod nihil illius corporis, vt termini alicuius agri ſunt illi, intra quos totus ager continetur; & termini lineæ ſunt puncti, intra quos tota linea continetur, &c. à Logicis verò: *Terminus eſt extremum illud, in quod reſoluitur propoſitio, vt in ſubiectum, & prædicatum*, ideſt, dictiones illæ, quibus terminatur propoſitio, quæ ſunt ſubiectum, & prædicatum. Dicitur in hac definitione, extremum, quia cùm propoſitio ſit quoddam totũ compoſitũ ex vocibus tamquã partibus; Et hæ quædam extremæ, quædam verò intermediæ ſint, vt Petrus eſt homo; Petrus, & homo ſunt termini, quia extremæ partes ſunt, ly, eſt, cùm non ſit extremum, non dicitur terminus, ſed copula. Quæ definitio eſt Ariſt. 1. Prior. c. 1.

Additur in definitione, in quod reſoluitur propoſitio, ideſt diuiditur propoſitio, ſi enim diuidatur in ſuas partes integrales, videlic. Petrus eſt homo, diuiditur in primũ terminum, qui eſt ſubiectum, ſcil. Petrus, & vltimum, qui eſt prædicatum, ſcil. homo; Medium verò cùm non ſit extremum, non diuiditur; & ità vniuerſaliter verba nõ dicuntur termini apud Logicum.

Obijcies, currere eſt moueri; ly, currere eſt ſubiectũ, ſicut moueri eſt prædicatum, ergo verba ſunt termini. Reſpondetur currere, & moueri eſſe verba tantũ grammaticaliter; ſed nõ logicè, apud quam æquiualent nominibus curſus, & motus, & idem eſt dicere, currere eſt moueri, ac curſus eſt motus.

Quæres, an Aduerbia, ſigna quantitatiua, vt omnis, nullus, &c. Caſus obliqui, & ſimilia ſint termini, ℞. ex Tatar. duplicer terminũ accipi

accipi poſſe, vno modo latè, & indifferenter pro ſubiecto, Prædicato, & Copula, aut quælibet alia dictione apud Grammaticos; & hoc ſenſu eſt genus ad nomen, verbum, aduerbium, & ad alias orationis partes, quomodo etiam ſigna vniuerſalia, & particularia, adiectiua, caſus obliqui; & omnia illa ex quibus propoſitio componitur, termini dici poſſunt: alio modo terminus accipitur ſtrictè, ac magis propriè ſcil. pro extremo terminante propoſitionem, vt ſubiectum, & prædicatum, vt Ariſt. ſumpſit, & Summuliſtæ, & hoc modo aduerbia, ſigna quantitatiua, caſus obliqui &c. termini dicendi non ſunt.

Dices, Propoſitio hæc: *Petrus eſt aliquis, eſt bona propoſitio, ſicuti iſta, omnis eſt terminus Syncathegorematicus, nempè eſt aduerbium, Biltri non eſt terminus ſignificatiuus*, ergo aduerbia, ſigna quantitatiua &c. ſunt veri termini. R. negando conſequentiam, quicquid alij dicant; Et ratio eſt, quia fungi non poſſunt ratione ſui, & formaliter munere ſubiecti, & prædicati; & in allatis propoſitionibus ſemper intelligitur aliquid ſubſtantiuum, in cuius virtute induunt rationē ſubiecti, & prædicati, vt in illa propoſitione, Petrus eſt aliquis, intelligitur Petrus eſt aliquis homo, ſicut in iſta propoſitione, omnis eſt terminus ſyncathegorematicus, intelligitur hæc vox omnis, eſt terminus ſyncathegorematicus, ſicut etiam de vocibus non ſignificatiuis, vt ſcilicet, hæc vox Biltri, nō eſt ſignificatiua.

Et quia agimus de ſubiecto, & prædicato, non iudico differendam eſſe eorum definitionem. *Subiectum igitur eſt id, de quo aliquid dicitur, ſiuè affirmatur, vel ab eodem negatur*. Prædicatum verò *eſt id, quod dicitur de alio, ſeu de alio negatur*, vt Petrus eſt homo. Petrus eſt ſubiectum, quia de ipſo dicitur, & affirmatur homo; Homo verò dicitur prædicatum, quia affirmat de ipſo Petro; (ly eſt) cùm ſit copula connectens vtrumq; extremum, nec ſubiectū, nec prædicatum dicitur.

Cùm igitur propoſitio non ſolū vocibus, ſed etiam ſcriptis, & intellectu fiat, nam hanc propoſitionem, quam voce profero, homo eſt animal, & intellectu concipio, & ſcriptis mando, fit, vt triplex ſit terminus, ſcil. Vocalis, Mentalis, & Scriptus. Scriptus pertinet ad grammaticos, Mentalis ad Metaphyſicum, Vocalis ad Logicum. Terminus mentalis eſt, qui mente concipitur, vel extremum illud, in quod reſoluitur propoſitio Mentalis, qui terminus duplex eſt, vltimatus, & non vltimatus. Non vltimatus eſt conceptus de ſignificato vocis, quod ſignificatum non percipitur ab intellectu v. g. ſi Indus intelligeret hanc vocem, homo, & non perciperet ſuum ſignificatum, tunc conceptus ille diceretur non vltimatus. Terminus vltimatus eſt conceptus, quem efficit intellectus reſpondens vltimatę ſignificationi ipſius termini, ſcil. con-

conceptus ille, quem efficit intellectus ad hanc vocem homo. Terminus vocalis eſt extremum illud, in quod reſoluitur propoſitio, quę voce profertur. Terminus ſcriptus eſt illud extremum, in q reſoluitur propoſitio, quę ſcriptis mandatur.

Terminus vocalis diuiditur in ſignificatiuum, & non ſignificatiuum. Significatiuus eſt ille, *qui ad aliquam rem manifeſtandam eſt impoſitus*, vt animal, Homo, Leo, &c. Nō ſignificatiuus eſt ille, qui per ſe nihil ſignificat in propoſitione, vt Biltri. Buf, Baf, quæ licèt ſint voces, quia tamen ſignificatiuæ non ſunt, eatum conſideratio ad logicū non ſpectat. Agendum eſt igitur de termino vocali ſignificatiuo.

Terminus vocalis ſignificatiuus eſt vox ſignificatiua ad placitum, vt homo, leo, &c. pro declaratione huius definitionis, notanda eſt definitio ſigni D. Auguſt. de Doctr. Chriſt. cap. 1. quæ talis eſt: *ſignum eſt id, quod præter ſui cognitionem, ad alterius etiam cognitionem inducit*, Duo enim ſignum ſignificat, & ſeipſum, & aliquid aliud, vt fumus, & ſeipſum videndū oculo ſe offert, & intellectū inducit ad cognitionem ignis. Eſt autem ſignum duplex, aliud naturale, & eſt illud, quod natura ſua, ſecluſa hominum voluntate, aliud facit cognoſcere, vt fumus eſt ſignū naturale ignis: aliud vero ad placitū, & eſt, quod non ex ſe, ſed ex hominum voluntate ad aliquid ſignificandum inſtitutū eſt, vt ſonitus Campanæ, eſt ſignū lectionis, vel hædera appoſita tabernę, eſt ſignum ad placitum vini vendibilis.

Vtrumque ſignum, tàm naturale, quàm ad placitum, reperitur in rebus, & in vocibus. Signum naturale in rebus eſt res, quæ natura ſua ad cognitionem alterius nos inducit, vt veſtigium, eſt ſignum naturale animalis, & fumus ignis, &c. in vocibus verò ſignum naturale eſt vox, quæ ex ſe inducit ad cognitionem alterius, vt gemitus eſt ſignum naturale triſtitiæ, & doloris. Signum ad placitum in rebus eſt res, quæ non ex natura ſua, ſed ex voluntate hominum facit nos deuenire in cognitionem alterius, vt phiala plena vino, appoſita tabernæ eſt ſignum ibi vendi vinum. Signum ad placitum in vocibus ſunt verba, quibus loquimur, & conceptus explicamus, quæ non ex natura ſua ſignificant, ſed quia ita fuit volūtas Auctorū linguarū.

Ex quibus manifeſta fit termini vocalis ſignificatiui definitio; dicitur .n. vox ad differentiam ſignorum, tam rerum naturalium, quam ad placitum, quæ termini nō ſunt, non .n. fumus ſignificans ignem, & hædera ſignificans vinum vendibilem, dicendi ſunt termini; dicitur ſignificatiua, ad excludendas voces non ſignificatiuas, vt Biltri, &c. ad placitū, ad excludendas voces ſignificantes naturaliter, vt gemitus, & ſuſpiria tā hominū, quàm brutorum, quæ non ſunt termini.

Diuiditur etiam ſignum, in formale

male, & inſtrumentale. Formale, eſt, eſt illud, quod abſque ſui præuia cognitione aliud nobis repræſentat, & in eius cognitionem nos inducit, quales ſunt ſpecies impreſſa, & expreſſa reſpectu ſuorum obiectorum. Inſtrumentale eſt illud, quod præſuppoſita eius cognitione, facit nos in alterius cognitionem deuenire, vt imago reſpectu Cæſaris, quod ſignum Scotus appellat medium cognitum, quia vt ducat in cognitionem ſignati, prius ipſum eſt cognoſcendum; Signum verò formale, quod eſt ſpecies, vocatur à Scoto ratio cognoſcendi, quatenus preciſè eſt quo aliquid cognoſcitur. in præſenti definitur à D. Auguſtino ſignum inſtrumentale, tàm naturale, quàm ad placitum.

Quęres, an omnis effectus ſuam cauſam repręſentans, poſſit dici ſignum cauſæ, ad ſenſum allatę diffinitionis. ℞. affirmatiuè, ſi præſertim effectus ſenſibilis erit. Sed an hoc etiam dici poſſet de cauſa reſpectu ſui effectus, aliqui negāt, dicūt enim quòd licèt cognitio cauſę ducat in ſui effectus cognitionē, non tamen ad ipſum effectum repræſentandum: Sed reuerà, quamuis cognitio habita per effectum, tamquam per ſenſibiliorem rem, poſſit dici per ſignum habita, non tamen impedit, quin cognitio cauſæ poſſit dici ſignum ſui effectus, quando præſertim cauſa ſenſibilis eſt; Hinc communiter Theologi, Sacramēta, quæ ſunt cauſa gratię, vocāt ſigna, quatenus faciunt nos deuenire in cognitionem gratiæ Sacramentalis.

Item terminus ſignificatiuus ad placitum ſubdiuiditur in Cathegorematicū, & Syncathegorematicum. Cathegorematicus eſt terminus per ſe ſignificatiuus, & abſque vllo alio poteſt eſſe ſubiectū, vel prædicatum in propoſitione, vt homo, animal, leo, &c. Syncathegorematicus, ideſt cōſignificatiuus eſt, qui per ſe non ſignificat aliquid, nec poteſt eſſe ſubiectum, nec prædicatum in propoſitione, ſed cum altero adiunctus benè ſignificat, vt omnis, nullus, aliquis, non ſignificāt, ſed cum addito ſcil. omnis homo eſt animal, ſignificat propoſitionem vniuerſalem; Hinc dignè Tatar, ait, terminum Syncathegorematicum non ſignificare aliquid, ſed qualiter, in quantum ſignificationem Cathegorematici, modificat, reddens eius ſignificationem, vel vniuerſalem, vel particularem, vel affirmatiuam, vel negatiuam.

Addit Tatar. terminum mixtū, ideſt, partim Cathegorematicum, & partim Syncathegorematicum, ſcilicet illum, qui impoſitus eſt ad ſignificandum aliquid, & aliqualiter, vt hæc vox nihil, quæ impoſita eſt ad ſignificandā negationē omnis entis, quæ negatio eſt aliquid, quod ſignificat, quatenus verò illā negationem ſignificat vniuerſaliter cuiuſcumque entis, dicitur ſignificare aliqualiter. Hoc etiam dici-

dicitur de ſubiecto propoſitionis indefinitæ, nam in materia neceſſaria æquiualet vniuerſali, vt homo eſt animal, æquiualet huic, ſcilicet: omnis homo eſt animal, Et in materia contingenti æquiualet particulari, vt homo currit, ęquiualet huic, aliquis homo currit. Tolet. Arriag. & alij ad terminũ mixtũ reducũt omnia aduerbia, ſcilicet, doctè, benè, ſapiẽtèr, prudentèr, &c. quod eſtò aliquibus non placeat, non caret tamẽ ſua probabilitate.

Ad terminum Cathegorematicum reduci poſſunt nomina adiectiua, & ratio eſt, quia licèt indeterminatè aliquo modo ſignificẽt, vt bonus, doctus, &c. ratione tamen formæ ſignificatæ, aliquam determinationẽ ſecum afferunt ſcilic. bonitatem, vel doctrinã, quod non euenit in ſignis quantitatiuis, omnis, nullus &c. quæ nullam rem determinatã ſignificant. Tum quia nomina adiectiua poſſunt ſaltẽ eſſe prædicatũ in propoſitione. V.g. Franciſcus eſt doctus, quod non euenit in ſignis quãtitatiuis. huius ſententiæ eſt Arriaga ſec. 4. & multi Recentiorũ, quamuis ſola nomina ſubſtãtiua dicantur propriè, & rigoroſè termini Cathegorematici.

Terminus Cathegorematicus adhuc ſubdiuiditur in ſimplicem, ſeu incõplexum; & compoſitũ, ſeu cõplexum, quã diuiſionem quidã ſic explicant ꝙ ſcil. terminus complexus ſit ille, qui conſtat ex pluribus dictionibus, vt homo albus. Incõplexus verò, quæ vnica gaudet dictione, vt homo, vel albus, ſed vt benè aduertit Tatar. hæc expoſitio potius grãmaticalis eſt, quàm logicalis; grammaticus enim illam vocẽ complexã vocat, quæ conſtat ex pluribus vocibus, & illã incomplexam appellat, quæ vnica tantùm voce conſtat. Non ſic logicus, qui non vnitatem, vel pluralitatem vocũ, ſed conceptum in intellectu cõſiderat, cui tales voces ſubordinãtur, hinc eſtò eſsẽt plures voces, & dictiones inter ſe connexæ, ſi tamen in intellectu vnũ tantũ generaret cõceptum, vnus terminus incõplexus eſſet, vt Marcus Tullius Cicero; & è cõtra, ſi tãtùm vna eſſet dictio, & conceptum generaret complexum, terminus complexus erit, v.g. nemo, ſẽper &c. quę equiualent his, ſcil. nullus homo, omni tempore, &c.

Alij verò ſic explicãt; Terminus incõplexus eſt ille, cuius partes ab inuicem ſeparatæ nihil ſignificant, vel non ſignificant illud, quod cõiunctę ſignificabãt. V.g. Dominus, eſt terminus incõplexus, quia licèt partes, in quas poſſet diuidi ſignificent, ſcil. do, & minus; attamen quia non eamdem ſignificationem retinẽt, quam in integra dictione, ideò Dominus, terminus incõplexus eſt. Terminus verò complexus eſt ille, cuius partes ſeparatæ eamdẽ retinẽt ſignificationem, quã, in cõpoſito habebant, vt homo albus.

Hæc eſt opinio Soti, Ruuij, & multorum Recentiorum; Sed pace tantorum virorum, neq; hæc expoſitio

ſtio placet; ſi enim illæ partes termini complexi ſingillatim accipiãtur, non eamdem ſignificationem habebunt, quam in toto compoſito, homo enim ſeparatus potius ſignificat animal rationale, quã ſuppoſitum habens albedinem, vt intuenti patet. Melius eſt ergo dicẽdum cũ Tatar. quod terminus incõplexus eſt ille, qui conceptui incomplexo ſubordinatur, & è cõtra cõplexus eſt ille, q cõceptui cõplexo ſubordinatur, etiã ſi complexus vnica tantum vox eſſet, dummodo ad aliquid cõplexũ ſignificãdũ impoſita eſſet. Sit. v.g. vnica litera, A, iã omninò indiuiſibilis, ſi hæc impoſita eſſet ad ſignificãdum hominẽ currere, tunc A, eſſet terminus complexus, non incomplexus.

Et tandẽ terminus incomplexus ſubdiuiditur in infinitum, & finitũ: finitus eſt ille, qui aliquã rem certam, & determinatam ſignificat; vt Animal, Leo, homo, &c. infinitus eſt, qui nihil determinatè ſignificat, ſed tãtùm determinatè negat, vt nõ homo, non leo, & cita termînis finitus, infinitus euadit, ſi ei immediatè negatio præponatur.

Item terminus diuiditur in concretum; & abſtractum, concretus eſt ille, qui ſignificat aliquid, vt exiſtens in alio, quod concernit, vel vt ſuppoſitum propriæ naturæ, vel vt ſubiectum. V. g. homo, & albũ; Homo ſignificat humanitatem in aliquo ſuppoſito naturæ humanæ, indeterminatè tamen. Album ſignificat albedinẽ alicui ſubiecto adiacentẽ; Vnde concretum ſignificat aliquid ad modum compoſiti, ſiuè ſubſtantialis, ſiuè accidentalis; homo enim ſignificat habens humanitatem; ſicut album, habens albedinẽ. Terminus abſtractus eſt, qui ſignificat rem per modum per ſe ſtantis, & non alteri inexiſtentis, vt humanitas, quæ eſt abſtractum hominis, & ſignificat naturam humanã, veluti à proprio ſuppoſito ſeparatam. Albedo eſt abſtractũ albi, & ſignificat formam albedinis, veluti à ſubiecto ſeparatã, cui inhærebat; Hinc terminus abſtractus habet modum ſignificandi ſimplicem, non compoſitum; abſtrahere enim idem eſt ac ſeparare, & diuidere, & ab alio trahere.

Alia diuiſio termini eſt in abſolutum, & cõnotatiuum. Terminus abſolutus eſt (ſecũdũ aliquos) ille, qui ſignificat rem per modum per ſe ſtãtis; Connotatiuus eſt ille, qui ſignificat rẽ per modũ alteri adiacentis. Ità exponunt Complut. cap. 4. Auerſa cap. 6. Tolet. & alij; quæ explicatio nõ placet, confundit n. terminum abſolutum, & connotatiuum, cum declaratione termini abſtracti, & concreti; Hinc alij ſic explicant: terminus abſolutus eſt ille, qui ſe ſolo eſt perfectè ſignificatiuus, homo, v.g. Leo, equus, &c. Ille verò eſt connotatiuus, qui in ſua ſignificatione notat alium terminum, ſine quo non perfectè ſignificat, vt ſunt omnia adiectiua, albus .n. v.g. requirit alium terminũ, vt habeat completam ſignificationem:

nē; ſed neq; hæc expoſitio placet, nam etiā hæc explicatio vt intuenti patet, confundit hos terminos cū terminis Cathegorematico, & Syncathegorematico. Cathegorematicus eſt ille, qui ſe ſolo eſt per ſe ſignificatiuus, Syncathegorematicus verò, qui non ſe ſolo perfectè ſignificat, ſed vt alteri adiunctus, & quia ſunt diuerſę diuiſiones, cōfundi non debent, vt alij confundendos putant.

Melius eſt ergo dicendum cum ſubtiliſſimo Doctore, quol. 12. ar. 2. quem ſequuntur Tatar. Maſt. & Bellut. quòd terminus abſolutus ſit ille, qui nihil cōnotat, ideſt, pręter genus, & differentiam, quę ſunt per ſe conceptus eius, nullū extraneum ſecūdariò requirit, quo eius conceptus quietatiuus euadat, vt V.g. homo, leo, &c. & ſimilia concreta ſubſtantialia; & ſi concernāt ſuppoſitum propriæ naturæ, quia tamen natura cum ſuppoſito non facit vnum per accidens, ſicut forma accidentalis cum ſubiecto, ſequitur, quòd illud totum compoſitū ſubſtantiale ex æquo importat, & nō vnum principaliter, & in recto, aliud verò ſecundariò, & in obliquo. Terminus verò connotatiuus è cōtra eſt, qui vltra principale ſignificatum, & in recto, aliquid aliud ſignificat ſecūdariò, & indirectè, veluti neceſſariū ad habendum perfectum rei conceptum, & quietatiuum: ſic Cœna eſt nomen connotatiuū, quia licèt ex vi nominis, & directè ſolam importet cōmeſtionem, ex modo tamen ſignificādi, dat intelligere tempus veſpertinum, quod neceſſarium eſt, vt habeatur conceptus Cœnæ quietatiuus. Ex quibus ſequitur, quòd omnia nomina abſtracta tā ſubſtantialia, quàm accidentalia ſunt abſoluta, non tamen è contra, nam homo eſt terminus abſolutus, non tamen abſtractus; Cū hac tamen differentia, quòd nomina abſtracta ſubſtantialia, tàm ſecundum rem, quàm ſecūdum modum ſignificādi ſunt abſoluta, accidentalia verò ſecundum modū tātum ſignificandi; quia ſecundum rem ſignificāt aliquod in eſſe alteri. Sequitur etiam non omnia connotatiua eſſe concreta, vt multi falluntur, nam nomen creationis, & conſeruationis non ſunt concreta, & tamen ſunt cōnotatiua ex Scoto loco citato. Nec omnia concreta ſunt connotatiua, ſed tantū cōcreta accidatalia, nō verò cōcreta ſubſtātialia, niſi quādo nomine adiectiuo ſignificātur, vt corporeū, rationale, humanum, &c. ſic .n. ſignificātur ꝑ modū alteri adiacentis, & ratione talis modi ſignificādi, termini cōnotatiui cēſentur.

Et tandem diuiditur terminus in denominantem, & denominatiuum, ſeu denominatum; quod ſic grāmaticaliter explicatur: Terminus denominās eſt, à quo denominatus deriuatur, vt à iuſtitia iuſtus, ab albedine albus: Denominatus eſt ille, qui à denominante deriuatur; vt iuſtus a iuſtitia, &c. Apud logicum verò denominatiua

dicun-

dicuntur, quę ſignificāt per modū adiacētis, ſiue informantis, & qualificantis, & talia ſunt omnia concreta accidentalia, ſubſtātialia verò tunc ſolū quando nomine ſignificantur adiectiuo, vt corporeus, animatus, &c.

Alia diuiſio eſt in Communem, & Singularem; & cōmunis eſt, qui aliquid ſignificat commune pluribus, etiā ſingulis ſeorſim ſumptis, vt homo, qui cōuenit omnibus hominibus, & ſingulis. Terminus ſingularis eſt, qui vnam rē ſingularem tantùm ſignificat, vt Petrus &c.

Vterquè ſubdiuiditur, cōmunis quidem in Trāſcendentē, & Limitatū. tranſcendens eſt, qui cōuenit omnibus rebus vagando per omnia, vt ens, bonum, vnum, res, &c. limitatus eſt, qui pluribus cōmunis eſt, non tamē omnibus. Vt animal cōuenit homini, leoni, non tamen plantæ, & lapidi. Singularis ſubdiuiditur in determinatū, collectiuum, & vagum; determinatus eſt, qui per propriū nomen, vel per commune cum pro nomine demōſtratiuo, determinatè rem ipsā ſingularē ſignificat, vt Franciſcus, hic homo, ille equus &c. Vagus, qui rē ſingularem indeterminatè ſignificat, mediātè ſcil. termino communi, & ſigno particulari, vt quidam homo, &c. Collectiuus eſt, qui plura, ſed in in vnum collecta, & vnita ſignificat, vt populus, Senatus, Ciuitas &c. Solet etiam addi ſingularis ex ſuppoſitione, vt filius Virginis, qui intelligitur pro Chriſto &c.

Sed dices, Petrus eſt nomen cōmune, quia poteſt oīibus hominibus conuenire, & Ciuitas plura ſignificat, ergo non ſunt ſingularia. ℞. quòd licèt Petri nomen ſit pluribus commune, non tamen res ſignificata per Petrū; Pater enim tale nomē ſuo filio impoſuit, vt eum ab omni alio diſtingueret; hinc dicitur communis, vt modus, non vt quid; Et Ciuitas plura ſignificat, ſed in vnum collecta, & hoc impedit, ne terminus cōmunis dicatur, qui pluribus ſeorſim ſumptis conuenire debet. Si tamē Ciuitas comparetur ad hanc, vel illam Ciuitatem, erit terminus communis, non autem ſi ad homines in ea habitātes comparetur.

Terminus communis ſubdiuiditur in Vniuocū, Analogū, & Æquiuocum. Vniuocus eſt, qui conuenit pluribus ſecundum idem nomen, & rationem, per illud nomen importatam, vt homo, qu. conuenit Franciſco, & Petro, non ſolū ſecundum idem nomen, quatenus vterq; homo eſt, ſed ſecundū eamdem rationem, per illud nomen importatā, cùm vterq; ſit animal rationale.

Analogus eſt, qui pluribus conueniens eſt, vel ſecundum nomen, vel etiam ſecūdum eamdem rationem tali nomini correſpondētem, ità tamen, quòd tale nomen participetur ab illis, non æqualiter, & vniformiter, ſed ſecundum prius, & poſterius, qui ordo prioris, & poſterioris, & dependentiæ Analogatorum ad primū, eſt ità Analogiæ intrin-

intrinſecus, vt quaſi ſi nomina ſint analogicè dici, & per prius, & poſterius dici; vt benè aduertit Caietanus de nominũ Analogia cap. 1. ſic riſus analogicè dicitur de homine ridẽte, & de prato florente ſecũdum nomẽ tantũ, ſed prius de homine; poſtea de prato metaphoricè &c. Ens conuenit analogicè ſubſtantiæ, & accidẽti etiã ſecundum eamdẽ rationẽ, intrinſecè ab vtroque participatum, ſed accidẽti per attributionem ad ſubſtantiam, &c.

Æquiuocus eſt, qui cõuenit pluribus ſecundum idẽ nomen, at non ſecundum eamdem rationem tali nomini correſpondentem, ſed ſecundum diuerſas; Vt canis dicitur de cane cæleſti, terreſtri, & marino tantùm ſecundum nomen, non ſecũdum eamdem definitionẽ canis; ſed quia de iſtis terminis fusè infra agemus, iſta pro modo ſufficiant.

Et tandem terminus diuiditur in terminũ primę, & ſecundę intẽtionis. Terminus primæ intẽtionis eſt ille, qui impoſitus eſt ad ſignificãdũ res, vt in ſe ipſis ſunt ab operatione intellectus totaliter independẽtes, vt animal, homo, &c. Terminus ſecũdæ intentionis eſt, qui impoſitus eſt ad ſignificandas res ſub aliquo attributo rationis, ꝙ habet beneficio intellectus operantis, vt genus, ſpecies &c. ꝙ .n. animal dicatur genus homo ſpecies, &c. tãtũ ab opere intellectus prouenit.

## Caput Secundum.

### *De Vniuerſalibus, ſeu Predicabilibus.*

*R. P. Illuminati à Colliſano Capuc.*

Qvia terminus communis pluribus conueniens, ſi concipiatur ſub termino ſecũdæ intentionis, & vt habet rationẽ ſuperioritatis reſpectu ſuorum inferiorũ, dicitur terminus vniuerſalis, & etiam prædicabile, quatenus de illis prædicari poteſt, de quibus egit Porphyrius in ſua Iſagoge ſcribens ad ſuũ diſcipulum Chryſaorium, ad facilius prędicamentorũ cognitionem percipiendam; hinc operę pretiũ duximus, prius agere de prędicabilibus, & prædicamentis, vt in ſerie terminorũ continentur, & poſtea de nomine, verbo & propoſitionibus, quæ ex ipſis terminis, tãquam ex materia ex qua conſtant, agemus.

Quinque ſunt Termini Vniuerſales, ſeu prædicabiles, .ſ. Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens; Quorum ſufficientia eſt, quia omne, quod predicatur, aut prædicatur in quid, ideſt per modũ nominis ſubſtantiui, aut in quale, ideſt per modum nominis adiectiui; Si in quid, aut dicit partem eſsẽtiæ, vel totam Eſſentiam; ſi partem Eſſentiæ, ſic eſt genus, vt Animal; ſi totam Eſſentiam, ſic eſt ſpecies, vt homo; ſi prædicatur in quale, vel prædicatur eſſentialiter, vel accidẽtaliter; ſi eſſentialiter, ſic eſt differentia, vt Rationale; ſi accidẽtaliter, vel intraſmutabiliter, & cum neceſſaria cõnexione, & ſic eſt proprium, vt riſibile, quod licet ſit extraneũ ab hominis natura, eſt tamen cum illa neceſſariò cõnexum;

vel traſmutabiliter, & ſine neceſſaria connexione; & ſic eſt Accidens, vt calidus, albus &c. quæ differentia per traſmutabilitatem benè tãgitur à Tatar. in Summulis Petri Hiſpa. art. 3. fol. mihi 39.

Nota quòd aliqui aſſignant diſtinctionem inter Proprium, & Accidens, per prædicari conuertibiliter, & non conuertibiliter; quod non placet, quia repugnat Vniuerſali, vt Vniuerſale eſt de ſuis inferioribus conuertibiliter prædicari ſi. n. genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie &c. non poteſt ſpecies, ſeu inferior ſic de ſuis ſuperioribus Prædicari de genere. ſ. vel ſpecie, vt cõſideranti patet; de ratione. n. Vniuerſalis eſt, ꝙ prædicari poſſit de ſuis inferioribus etiam ſingillatim ſumptis, implicat autem inferioribus ſic conuertibiliter prædicari, non enim valet iſta cõſequẽtia, homo eſt animal, ergo Animal eſt homo; Petrus eſt homo, ergo homo eſt Petrus &c. loquẽdo deinde de proprio in ratione proprij, bene poteſt cõpetere prædicari conuertibiliter, vt ſuo loco patebit.

*De Genere.*

GEnus ſic definitur: *Eſt vniuerſale, quod de pluribus prædicatur ſpecie differentibus in quid.* ideſt eſſentialiter, & per modum ſubſtantiui, quærenti. n. quid eſt homo? rectè ℞. per nomen ſubſtantiuum, eſt animal, quid eſt Aquila? eſt animal; & licèt homo, & Aquila ſpecie differant, conueniunt tamen in ratione generica animalis. Quia igitur genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, clarè patet, non prędicari totam ſpeciem, alioquin ſpecies non differrent inter ſe, dicit ergo partem eſſentię, & hãc potentialem, & materialem cõtrahibilem per differentiam.

Tripliciter Genus diſtingui ſolet. ſ. Generaliſſimum, ſeu ſummũ, & ſupræmũ, & eſt illud ſupra quod non datur aliud genus, & tale eſt, ſubſtantia, quæ ſupra ſe non habet niſi ens, quod nõ eſt genus, ſed traſcendens commune Deo, & creaturis: Genus medium, ſeù ſubalternũ, & eſt illud, quod tam ſupra ſe, quã infra ſe habet aliquod Genus, vt corpus, quod ſupra ſe habet ſubſtãtiam, & ſub ſe viuens, & animal; Genus tandem infimum eſt, quod, ſub ſe non habet aliud genus, vt animal, ſub quo ponũtur immediatè ſpecies, vt homo, leo, &c.

*De Specie.*

NOn loquimur hic de Specie ſub ratione ſubijcibilis, ſ. in ordine ad Genus, cui ſubijcitur, ſic. n. deſcribi poſſet, quòd ſit *illa, quæ ſub genere ponitur*, quod intelligi debet proximè, & immediatè, quia etiam indiuidua ſub genere ponũtur, ſed mediatè. ſ. mediãte ſpecie in ordine ad ſua inferiora, de quibus prædicatur, & ideò prædicabilis dicitur, quæ ſic à Porphyrio definitur. ſ. *Species eſt, quæ prædicatur de pluribus differẽtibus numero in quid*, ideſt eſſentialiter, & per modum nominis ſubſtantiui, quęrenti. n. quid eſt Sortes? optimè ℞. quod eſt homo

homo &c. quid eſt Petrus? eſt homo; licèt .n. Sortes; & Petrus differant numero per proprias differẽtias indiuiduales, conueniunt tamen in ratione ſpecifica hominis.

Hinc deducitur, Speciem infimã prædicari totam eſſentiam ſuorum inferiorum, & ratio eſt; quia differentia numeralis, non eſt differentia eſſentialis, vt ad Eſſentiam, & quidditatem indiuidui pertineat, ſed potiùs ad quis eſt, ſi .n. quæratur quis eſt iſte homo? ℞. eſt Petrus; ſola ergo ſpecies infima, & athoma dicitur propriè ſpecies, & hoc ſecundum Vniuerſale conſtituit, quia ſiuè comparetur ad ſuperiora; ſiue ad inferiora, ſemper dicitur ſpecies, & nunquam dici poteſt genus.

### *De Differentia.*

Differentia triplex eſt, .ſ. communis, propria, & propriiſſima: communis eſt, quæ deſumitur ab accidente communi, ſic albedo in homine albo eſt differẽtia, quia per eam albedinem veluti per accidẽs commune diſtinguitur ab omni alio talem albedinem non habẽte: Differentia propria eſt, quæ de accidente proprio accipitur, & ſic homo per riſibile differt à leone, equo, &c. Propriiſſima eſt differẽtia eſſentialis, per quam vna res eſsẽtialiter ab alia differt, cum qua eſsẽtialiter ex alio capite cum alia cõuenit in ratione ſuperiori ſic rationalitas ponitur hominis differẽtia, quia per ipſam eſsẽtialiter differt ab Aquila, equo &c. cũ quibus conuenit in ratione animalis generica: Sed quia ſpecies ſub ratione ſubijcibilitatis triplex eſt .ſ. ſũma, ſeu ſuprema, media, ſeu ſubalterna, & infima, & ſpecialiſſima; & ſpecies ſubijcibilis ſumma eſt, quæ ponitur ſub genere ſupremo, vt Corpus in prædicamẽto ſubſtãtiæ, ſub ſubſtantia; media eſt, quæ non immediatè ponitur ſub genere ſupremo, nec immediatè ſub ſe continet indiuidua; infima eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, quam hic Porphyr. definiuit, ideò duæ primæ ſpecies dicuntur tantùm ſubijcibiles, nõ prædicabiles; Vltima verò dicitur ſubijcibilis, & prædicabilis; Hinc etiam ſequitur quod triplex erit differẽtia ſcil. differentia ſpeciei ſummæ, differentia mediæ, & differentia ſpeciei infimæ.

Differẽtia ſpeciei ſũmę, & medię, dicuntur differentiæ genericæ, vltima dicitur differentia ſpecifica, quæ nequit dici genus; & quia hæc differentia vltima, & ſpecifica, eſt multum incognita, non fuit à Porphyrio definita, ſed tantùm definit differentias genericas, dicens, differẽtia eſt, *quæ prædicatur in quale quid de pluribus differentibus ſpecie.* differentia autẽ ſpeciei infimæ nõ poteſt prædicari, niſi de pluribus differentibus numero. Quia igitur differẽtia eſt tertium prædicabile, debet omnes eſſentiales differentias includere .ſ. tam genericã, quã ſpecificam; & ideò ab alijs Doct. & præcipuè à ſubtiliſſ. Doct. qu. 27.

Vniuerſalium, vt talis definitio ſit cõmunis omnibus differentijs, ità definitur; *Differantia eſt illud Vniuerſale, quod prædicatur de pluribus in quale quid*. dicitur in quale quid, nã de ſuis inferioribus eſſentialiter prædicatur, cũ dicat partem eſſentiæ ſed quia dicit partẽ formalem, & quaſi qualificantem, prædicatur per modum adiacentis, & qualis, nomine adiectiuo; nam quærenti, quid eſt homo? bene ℞. quòd eſt animal; quærenti verò quale Animal? ℞. Rationale; ſi autem rationalitas comparetur ad hanc, & illã rationalitatẽ ſingularẽ, ſic potius eſſet ſpecies, quàm differẽtia, quia tunc prædicaretur de pluribus differentibus numero in quid; Subijcibilia igitur de quibus rationalitas in quale quid prædicatur ſunt inferiora ſui ſubiecti, ſcil. ſpeciei humanæ, vt Petrus, & Paulus, &c.

5 Munus differẽtię triplex eſt, primò diuidere genus, ſecundò cõſtituere ſpeciem, tertiò ipſam ſpeciẽ à quocumque non ipſa diuidere, vt Rationale adinueniẽs animali, ipſum diuidit, nã ante talem differẽtiã cõmune erat animal ad hominem, & leonẽ, &c. quæ rationalitas ipſi ſuperueniẽs facit tales ſpecies inter ſe differre; Secundò cõſtituit ſpeciẽ, rationale .n. cõſtituit hominẽ, ſicut equinũ equũ, & tertiò ipsã ſpeciem à quacunq; alia re diſtinguit, homo .n. per rationalitatẽ, diſtinguitur à quocũq; non homine, &c. quomodo autẽ ſe habeãt genera intermedia, Species infima, Genus ſupræmum, & Differentiæ, poſſunt in præſenti arbore videri.

| | | |
|---|---|---|
| | Traſcendens | |
| | Ens | |
| | Generaliſſimum | |
| Corporea | Subſtantia | Incorporea |
| Animatum | Corpus | Inanimatum |
| | Corpus | |
| Senſibile | animatum | Inſenſibile |
| Rationale | Animal | Irrationale |
| Petrus | Homo | Paulus. |

*De Proprio.*

PORphyrius c. 5. poſtquam egit de genere, ſpecie, & differẽtia, egit de proprio, & accidẽte, & meritò quidem, prima enim vniuerſalia cũ ſint eſſentialia, eſſentialiter ſuis inferioribus conueniunt; proprium verò, & accidens nõ eſſentialiter ſuis inferioribus conueniunt, & ideò vt minus intrinſeca poſtponenda erant. Et quia proprium eſt magis eſſentiæ rei intrinſecũ, cũ ab eius natura immediatè fluat, hinc rectè prius de proprio, quàm de

acci-

accidẽte communi erat agendum.

Quatuor modis proprij Porphyrius aſſignat. Proprium primo modo eſt illud, quod conuenit ſoli, ſed non omni. Secundo modo, quòd conuenit omni, ſed nõ ſoli. Tertio modo, quòd cõuenit omni ſoli, ſed non ſemper. Quarto modo, quòd conuenit omni, ſoli, & ſemper. Primo modo eſt quando proprietas cõuenit ſoli ſpeciei, ſed nõ omni indiuiduo, vt eſſe Philoſophũ, cõpetit ſoli homini, non equo, &c. nõ tamẽ competit omnibus hominibus, nõ enim omnis homo eſt Phyloſophus. Secundo modo propriũ eſt, quòd cõuenit omni indiuiduo vnius ſpeciei, tamen competit etiã alijs ſpeciebus, vt eſſe bipedem habere oculos, &c. cõpetunt hæc homini, ſed non ipſi ſoli, quia etiam Aues habent duos pedes, & duos oculos in capite. Tertio modo eſt, quòd conuenit ſoli ſpeciei, & omni indiuiduo talis ſpeciei, ſed non ſemper, vt caneſcere, quod propriè omni, & ſoli homini conuenit, ſed nõ ſẽper, caneſcit enim in ſenectute, caloris defectu ſecundũ magis, & minùs ex varietate cõplexionis, &c. Quartò modò dicitur verè proprium, & conſtituit quartum prædicabile, & eſt quòd conuenit omni, ſoli, & ſemper, vt homini eſſe riſibile; & ſi homo non ſemper actu rideat, ſemper tamẽ habet aptitudinem ad ridendum; & hoc cõuertibiliter prædicatur de re, ideſt ſpecie, cuius eſt propriũ, vt homo eſt riſibilis, riſibile eſt homo, non tamẽ in ratione prædicabilis, quia ſic repugnat in ratione vniuerſalis conuertibiliter prædicari, vt ſupra diximus.

Hęc definitio proprij quarti modi à Porphyrio coincidit cum illa Ariſt. 1. Topic. c. 4. ex Scoto queſt. 31. Prædicab. & facit hunc ſenſum .ſ. Proprium eſt, quòd *accidit, omni ſoli, & ſemper*, quod idem eſt, ac prædicari de pluribus in quale accidentale, neceſſariò, & intraſmutabilitèr. Per ly, accidit (ait Scot. loc. cit.) intelligitur ratio prædicabilis, & modus prędicandi .ſ. accidentale. Per ly, omni, & ſoli habentur ſubijcibilia proprij, quæ sũt inferiora quidditatiuè illius generis, vel ſpeciei cuius eſt proprium; & per ly, ſemper, habetur neceſſitas prædicandi, per quã diſtinguitur ab accidente; Proprium enim de ſuis inferioribus ità immutabiliter prædicatur, vt de illis negari nequeat; & ſi poſſumus hominem intelligere, non intellecta riſibilitate, nũquã tamen intelligere poſſumus hominem adæquatè ſine riſibilitate, vel ſub oppoſito riſibilitatis, abſque præiudicio quidditatis, & eſſentiæ hominis. cùm ab ipſa eſſentia immediatè emanet, & cùm ipſa realitèr (in ſentẽtia Scotiſtarũ) identificetur. Non ſic euenit de accidente communi, etiam de illo, quod eſt à ſuo ſubiecto inſeparabile, nam ſine eo, immò, & ſub eius oppoſito, intelligi poteſt ſubiectum ſine repugnantia eſſentiæ eius, cui inhæret; poſſumus e-

nim

nim intelligere Coruũ ſine nigredine, & etiam ſub oppoſito .ſ. ſub albedine.

Et pro ampliori notitia eſt etiã aduertendum, quòd licèt Porphyrius definierit proprium ſpecificum, quia fortè eſt nobis notius, poteſt tamen eadem defininitio adaptari etiã proprio generico, & intelligere per ly, omni, & ſoli omnes, & ſolas ſpecies illius generis, ſic definitionem applicando, vt alij faciunt .ſ. *Proprium eſt quod prædicatur de pluribus in quale accidentale neceſſariò, & intraſmutabiliter*: ſiuè iſta plura numero, ſiuè ſpecie differãt. Plura remanent hic dicenda, quæ in quæſtionibus exactiuus examinabuntur.

*De Accidente.*

ACcidens, quod eſt vltimum Prædicabile, ſic à Porphyrio definitur: *Accidens eſt, quod adeſt, & abeſt à ſubiecto præter ſubiecti corruptionem.* Quæ definitio poteſt accipi realiter, & logicaliter; primo modo accepta, eſt quædã forma ſimplex, & realis, quæ poteſt ſimul ſtare cũ ſubiecto, & ab eo remoueri abſque præiudicio ſubiecti, cui inhęret, vt Petrus albus, & ſine albedine, & Petrus ſedens, & non ſedẽs, albedo & ſeſſio ità inhęrent Petro, quòd ſiuè inſint, ſiuè non, ſemper remanet idẽ Petrus immutatus quo ad ſuam eſſentiam.

Secũdo modo accipitur logicaliter, & ſenſus eſt, quòd accidẽs eſt Vniuerſale, quòd poteſt affirmatiuè, & negatiuè enunciari de ſubiecto, p̃ter hoc, quòd propoſitio fiat impoſſibilis, id eſt, sũt duo termini, qui non includunt repugnantiam ad prædicari, vel negari, vt Petrus, & albedo, ſicut iſti duo termini, homo, .ſ. & lapis, inter ſe repugnãt; & per hoc diſtinguitur Accidens commune à Proprio; nam hoc non poteſt negari de ſubiecto abſque repugnãtia, & præiudicio eſſentiæ illius, ſicut enim ex riſibilitate rectè infertur humanitas à poſteriori, ità ex negatione riſibilitatis, rectè infertur negatio humanitatis. Eſt ergò definitio hęc accidẽtis accipienda ſecundò intentionaliter, & quantum ad modum prædicãdi, & definitur, quòd ſit illud Vniuerſale, q̃ prædicatur de pluribus in quale accidẽtale, trãſmutabiliter: per prædicari in quale differt à genere, & ſpecie, quæ prædicantur in quid; per ly, accidentale, differt à differentia, quæ prædicatur eſſentialiter; per ly, traſmutabiliter, differt à proprio, quod prędicatur intraſmutabiliter de ſuo ſubiecto.

Et quòd talis definitio ſit logicaliter intelligẽda, inſinuauit Porphyrius, qui videns difficultatem, quæ ex accidenti inſeparabili oriri poterat contra Accidentis definitionem, occurrit, dicens, dictam definitionem etiam accidenti inſeparabili conuenire, rectè enim intelligi poteſt ſubiectum ſine tali accidẽte, vt Etiops non niger, imò cum oppoſito, vt Etiops albus, abſq; ipſius deſtructione; ex quo clarè patet porphyrium intellexiſſe præ-

præfatam definitionem intelligendam eſſe de coniunctione accidentis cū ſubiecto, vel ſeparatione per intellectum, quæ non fiunt niſi per ſecūdam intellectus operationem, .ſ. affirmationem, vel negationem.

Hinc rectè colligitur accidens commune non eſſe quintū Vniuerſale reſpectu ſuorum inferiorum quidditatiuè; vt Color, nō eſt accidens reſpectu albedinis, & nigredinis, ſed potiùs ſic eſt genus, de illis coloribus ſpecie differentibus in quid prędicans: ſed eſt accidēs reſpectu ſubiectorum, cū quibus contingentem habet connexionem. Et ſciendum eſt, quòd accidens quintum prædicabile comprehēdit accidens tàm genericum, quàm ſpecificum .ſ. tam illud, quòd conuenit pluribus ſpeciebus, quā illud, quòd indiuiduis vnius ſpeciei cōuenit. Alia in quæſtionibus examinanda differimus.

## Caput Tertium.

*De Antepradicamentis.*

ARiſt. hic aſſignat definitiones Vniuocorum, æquiuocorū, & Denominatiuorum, de quibus fusè agemus infra. Deinde ſubdit diuiſiones, & duas regulas. Prima diuiſio eſt, eorum quæ dicūtur, alia dicuntur cum complexione, vt homo albus, alia ſine cōplexione, vt homo equus & c. Quæ regula valet ad cognoſcēdam conditionem eorum, quę in prædicamento reponi debent, quæ ſunt incomplexa, incomplexa .n, Philoſophus in decē prædicamenta diuiſit; vnde deducitur, hanc diuiſionem principaliter eſſe rerum, ſeu cōceptuū obiectiuorum, & ſolùm minùs principalitèr vocum, quatenus per eas ſignificantur res, & conceptus; hinc ſenſus diuiſionis erit, quòd rerum, aliæ ſignificantur conceptibus cōplexis, aliæ incomplexis; & quamuis complexio, & incomplexio ſint paſſiones vocū, conueniunt tamèn primò conceptibus, ità vt illa vox incomplexa cenſeri debet, cui vnus tantū correſpondet conceptus; cōplexa verò cui plures, vt diximus ſupra in explicatione terminorū.

Secunda diuiſio eſt: eorum, quæ ſunt, alia de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto, non ſunt, vt ſubſtantiæ vniuerſales, homo, animal &c. Alia in ſubiecto ſunt, ſed de ſubiecto nullo dicuntur, vt accidentia particularia, hæc albedo, &c. Alia dicuntur de ſubiecto, & ſunt in ſubiecto, vt accidētia vniuerſalia, color, albedo, calor &c. Alia tandèm nec in ſubiecto ſunt, nec de ſubiecto dicunrur, vt ſingularia ſubſtantiæ, Petrus, Paulus &c. In qua diuiſione aduertendum eſt, quòd eſſe in ſubiecto, & dici de ſubiecto differentèr accipitur ab Ariſt. nàm eſſe in ſubiecto accipit pro vera, & reali inhæſione in eo, quòd ſolùm accidentibus cōuenit, & licèt forma ſubſtātialis ſit in materia, vt in ſubiecto, non tamèn inhæſiuè, ſed per veram informationem ex Doct. quol. 9. l. A. inhærere enim dicit informationem, nō per ſe, ideſt, cū inhæ-

inhærens non ſit actus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, non facit vnum per ſe cum ſubiecto, ſed per accidens; Forma verò ſubſtantialis eſt actus ſimpliciter, faciens vnum per ſe cum materia, & ideò nō dicitur eſſe in ſubiecto per inhærentiam. Dici autem de ſubiecto ſumitur, vt ſignificat prædicari de aliquo, vt de inferiori quidditatiuè, quæ diuiſio valet tàm ad cognoſcendum differentiam eorum, quæ in prædicamento ſubſtantiæ inueniuntur, ab his, quæ ponuntur in prædicamento accidentis, quam etiam ad cognoſcendam conſtitutionem prædicamenti ſubſtantiæ, & accidentium, quia ſicut illud conſtituitur ex ſubſtantijs vniuerſalibus, & particularibus, ſimilitèr & iſtud ex accidentibus vniuerſalibus, & particularibus.

Deinde aſſignantur duæ regulæ. Prima regula antepręđicamentalis eſt, quòd cùm alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, ideſt, vt de quidditatiuè inferiori, quęcūque de prædicato dicuntur, etiam de ſubiecto dici debēt. v.g. ſi homo eſſentialitèr includitur in Petro, etiam eſſentia hominis in eo includitur, & conſequentèr, ſi homo eſſētialitèr eſt animal, etiam Petrus erit eſſentialitèr animal, quod eſt dicere: quicquid dicitur de ſuperiori, dicitur etiam de inferiori in recta linea. Quæ regula valet ad cognōſcendū ordinem eorum, quæ ponuntur in prædicamento, quæ enim in recta linea ponuntur, debent eſſe eſſentialitèr ordinata, ità quòd ſuperiora includantur in inferioribus, & de illis quidditatiuè prædicentur; atquè ideò ſolùm valet de prædicatis eſſentialibus, & de his vtiq; quæ prædicato competunt, vt ſupponit abſolutè, non autem vt ſupponit ſimplicitèr; & quòd ſi prædicationes in ſecundis intentionibus fiunt per actū ſignatum, non exerceri debent, niſi in primis ex Doct. q. 9. Prædicamentorum.

Secunda regula eſt hæc: diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ. Genera diuerſa ſunt illa decē inter ſe comparata, vt Subſtantia, Quantitas, Qualitas, &c. poſita ſubalternatim dicuntur genera diſpoſita in recta linea; vt Subſtātia, Corpus, Corpus animatū &c. Eſt igitur hæc regula, quòd diuerſa genera habent paritèr diuerſas differentias, & diuerſas ſpecies, vt animal, & linea; primum ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, ſecundùm in Prædicamento Quantitatis. Iſta non ponūtur ſubalternatim, quia animal non ponitur ſub linea; neque è cōtra, ſolùm enim in genere ſubſtantiæ ponuntur ſubſtantiæ, & in genere quantitatis, ponuntur quantitates, ergò duo genera, vt ſic habebunt diuerſas ſpecies, & diuerſas differentias, nam ſub animali continentur homo, leo, equus &c. Sic etiam continentur diuerſæ differentiæ. .ſ. rationalis, rugibilis, rudibilis, &c.

Sub linea verò continentur linea recta, linea curua &c. cum ſuis differentijs; Ratio eſt, quia genera ſunt quaſi principia ſpecierum, ergo diuerſa principia, & diuerſæ cauſæ, diuerſos etiam effectus producunt. Hæc autem regula eſt, vt ſciamus, quòd prædicamenta ſunt impermixta, & quòd ponitur in vno prædicamento, non ponitur in alio, ſub eadem ratione; dixi ſub eadem ratione, quia ſub diuerſa benè poni poteſt, vt Pater, in quantùm homo, ponitur in prædicamẽto ſubſtantiæ, vt patet in prædicamento relationis &c.

## Caput Quartum.

### *De Prædicamentis.*

IN tres partes principales tractatus iſte diuiditur. Prima pars, eſt de Antepredicamentis, in qua de quibuſdam neceſſarijs ad collocationem rerum in prædicamentis pertinentibus agitur, & talia ſunt tres definitiones .ſ. vniuocorum, æquiuocorum, & denominatiuorum; duæ diuiſiones, & duæ regulæ, vt diximus. Secũda pars eſt de Prædicamentis. Tertia de poſt prædicamentis, quæ ſunt quidam modi, qui vel ad omnia, vel ad aliqua prædicamenta conſequuntur. hoc caput erit tantùm de prædicamentis, quod inſeruit pro declaratione terminorũ, vt Tyrones legitimas prædicationes cõficere poſſint. alia difficiliora ſuis locis profectiorib⁹ examinãda relinquim⁹.

Poſt quinque Prædicabilia, quæ



ſunt modi prædicãdi eſſentialitèr, vel accidentaliter in quid, vel in quale; de Prædicamentis agere debemus; quæ ſunt quædam coordinationes generum, & ſpecierum, ſeu debita diſpoſitio prædicatorũ eſsẽtialium ſuperiorum, & inferiorum à genere ſupremo vſquè ad indiuidua. Quæ prædicamenta decem ſunt, ad quæ tamquam ad decem Claſſes, & ſumma generum omnes naturæ rerum reducuntur, tam quo ad prædicata eſſentialia, quàm accidẽtalia. Tria prima prædicamenta ſunt abſoluta, & ſunt ſubſtantia, quantitas, & qualitas: Alia ſeptem ſunt reſpectiua, & ad aliud, in ſententia Scotiſtarum, & ſunt Relatio, Actio, Paſſio, Vbi, Quando, Situs, Habitus. Cuius numeri non poteſt efficax ſufficientia aſſignari, ait Scot. in 4. diſt. 13. q. 1. cogimur tamen illam famoſam diuiſionem decem generũ admittere, propter Philoſophorum antiquam auctoritatem; quibus non facilè contradicere debemus.

Si hæc decem genera conſiderentur, vt quædam naturæ ſunt, ſic ad Met. ſpectant, ad quem pertinet de Ente, & eius ſpeciebus agere; ſi verò vt prædicantur, & ſubijciuntur, ſiuè vt ſubſtant ſecundis intentionibus prædicabilitatis, & ſubijcibilitatis, ſic ad logicũ ſpectant. Accipiunt omnia hæc genera à ſuo generaliſſimo nuncupationem, ita vt ſeries omnium ſubſtantiarum vocetur ſubſtantia, & ſeries omnium quantitatũ quãtitas, & ſic de alijs.

Quodlibet prædicamentum tribus contexitur coordinationibus, vna media, & duabus collateralibus. Media eſt generum, ſpecierum & indiuiduorũ, ſic diſpoſita, vt genera de ſpeciebus, & ſpecies de indiuiduis prædicentur; in lateralibus verò differẽtię collocãtur, & quodlibet genus diuiditur per duas differentias ad duas ſpecies inferiores conſtituendas; Vt ſubſtantia diuiditur per corpoream, & incorpoream, & cum hac differentia cõſtituit ſpiritum, cum illa conſtituit corpus, & ſimilitèr de alijs prædicamentis. Eſt aduertendum, quòd differentiæ ſuperiores in linea laterali non poſſunt per ſe de differentijs inferioribus prædicari, ſed tantùm de ſpeciebus inferioribus, & indiuiduis, quæ in media linea ſunt, vt ſenſibile v. g. non poteſt prædicari de rationali, ſed de homine. Et quia ens quod in decem prædicamenta diuiditur eſt finitũ, quæcumque in prædicamentis reponuntur, finita, & limitata ſunt, pro cuius notitia recurrẽdũ eſt ad arborẽ Porphyrianã ſupra poſitã.

*De Subſtantia.*

SVbſtantia, *eſt ens reale per ſe ſubſiſtens*, ideſt non alteri inhærens ad modum accidẽtium, ſed potius ipſis accidentibus, ſubſtans; hinc tã denominatione abſoluta .ſ. à per ſe ſtando, quàm relatiuè .ſ. à ſubſtãdo accidentibus, ſubſtantia optimè dicitur, & duplex eſt, prima, & ſecunda. *Prima ſubſtantia eſt, quæ nec in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto dicitur*, vt Petrus, vel hic homo, non eſt in ſubiecto, quia ſubſtantia eſt, non dicitur de ſubiecto tamquam de per ſe inferiori, quia indiuidua eſt, & ſingularis. *Secunda ſubſtantia eſt, quæ non eſt in ſubiecto, ſed de ſubiecto dicitur*, ideſt caret ſubiecto inhæſionis, non tamẽ prædicationis, & tales ſubſtantiæ ſunt genera & ſpecies, nam licèt animal in ſubiecto non ſit, eſſentialitèr tamẽ de ſubiecto prædicatur, ideſt tamquàm de per ſe inferiori, vt homo eſt animal; ſic etiam homo prædicatur de Sorte, & Platone; nec in illis tamquàm in ſubiecto inhæſionis reperitur, ſed tamquàm natura communis in ſuis inferioribus incluſa; Cùm igitur prima ſubſtantia ſit illa, quæ omnibus ſubſtet, tàm ſecũdis ſubſtantijs, quàm accidentibus; ideò ipſa primò, & principalitèr, & maximè ſubſtare dicitur; intèr ſecundas verò ſubſtantias, magis dicetur ſubſtantia, ſpecies, quã genus, cum etiam ipſi generi ſubſtet.

*De Affectionibus ſubſtantiæ.*

SEX ſubſtantiæ affectiones ab Ariſt. cap. de ſubſtantia enumerantur. Prima, quæ communis eſt omnibus ſubſtantijs, & primis & ſecundis, ac earum differentijs, eſt in ſubiecto non eſſe, ſubiecto .ſ. inhæſionis, neque de vllo accidentaliter prædicari. Secunda, quę cõuenit determinatè ſecundis ſubſtantijs, ac earum differẽtijs, eſt vniuocè prædicari de primis .ſ. ſecundum idem nomen, & eamdem rationem, in illis eſſentialitèr incluſam,

cluſam, quæ competit etiam accidentibus vniuerſalibus, & eorum differentijs, nō quidē cōparatione ſubiectorum, quibus inhærent, ſed inferiorum ſub ſe contentorum in ſua linea, vt color de illa, & illa ſpecie coloris, &c.

Tertia, quæ determinatè primis ſubſtantijs conuenit, eſt ſignificare hoc aliquid, ad differentiam ſecūdarum ſubſtantiarum, quæ ſignificant quale quid. Eſt hic aduertendū, quòd hi termini .ſ. hoc aliquid, & quale quid, nō ſumuntur hic in illo ſenſu, quo ſupra dicebamus .ſ. quòd quædam alia prædicantur in quid, quædam verò in quale, ſed ſignificare hoc aliquid, eſt ſignificare naturam incommunicabilem, ſignificare verò quale quid, naturā multis multiplicabilem, ſiuè numero, ſiuè ſpecie differentibus, quod etiam de vniuerſalibus accidentibus dicendum eſt reſpectu ſuorum inferiorum, nam ſuperiora accidētia ad ſua inferiora per ſuas differentias contrahuntur, ſicut ſubſtātiæ ſuperiores ad inferiores &c. quantùm verò ad indiuidua accidentium, differūt in hoc ab indiuiduo ſubſtantiæ, quia hoc indiuiduum eſt incōmunicalile, vt quod, & vt quo, nō ſic indiuiduum accidentis, vt hæc albedo, quæ licèt ſit incommunicabilis, vt quod, quia non habet ſub ſe inferiora, quibus communicari poteſt; eſt tamen cōmunicabilis, vt quo, reſpectu ſubiecti, cui inhæret, quòd eſt album V. g. nigrum, frigidum &c. quod denominat.

Quarta ſubſtātiæ proprietas eſt, quòd ipſi nihil eſt contrarium, quę communis eſt tàm primis, quàm ſecundis, quamuis accidentia vnius contraria ſint accidētibus alterius, vt accidentia aquę, accidentibus ignis, quod etiam competit quātitatib', vt bicubitū, & tricubitū, &c. Cōtrarietas enim accidentium non officit naturę ſubſtantiæ.

Quinta. Subſtantia non ſuſcipit magis, & minùs, non enim patitur intenſionem, & remiſſionem, ſicut patitur calor in aqua &c.

Sexta, quæ proprietas in quarto modo cenſetur, & competit determinatè primæ ſubſtantiæ, eſt quòd vna, & eadem numero ſubſtantia ſit ſucceſſiuè quorumdam contrariorum ſuſceptiua, cum ſui mutatione, tamquàm eorum vltimū ſubiectum; & dicitur ſucceſſiuè, quia contraria ſimul ſuſcipere non poteſt. Dicitur contrariorum quorūdā &c. quia non oportet vt vna, eademque ſubſtantia omnium contrariorū ſit ſuſceptiua, lapis enim V.g. non eſt capax gaudij, & triſtitiæ &c. dicitur cum ſui mutatione, nam modò aqua eſt calida, modò eſt frigida; & homo modò eſt hilaris, modò triſtis &c. dicitur tandē tāquam ſubiectum vltimum, quia poteſt etiam quantitas contraria cum ſui mutatione ſuſcipere ſucceſſiuè, vt ſuperficies modò albedinem, modò nigredinem; ſed quia non eſt ſubiectum vltimum, remanet, quòd hæc ſit ſola proprietas

ſubſtantiæ primæ. Sic Tatar. in Summul. cap. de ſubſtantia, &c.

*De Quantitate.*

QVantitas materialis, quæ dicitur quantitas molis, vt diſtinguitur à quantitate virtutis, & eſt prædicamentum abſolutum, ſic deſcribitur: *Quantitas eſt accidens, abſolutum; quod adueniens rei, facit illam extenſam in ordine ad locum, vel in ordine ad tempus*; illam denominando magnam, vel paruã, diuturnam, vel breuem, &c. diuiditur in continuam, & diſcretã; continua eſt, *cuius partes copulantur termino communi*; vel cuius partes proprios non habēt terminos, nec vna eſt ab alia diuiſa, vt linea bipalmaris; cuius partes palmares ſunt inuicem coniunctæ: Diſcreta eſt, *cuius partes non copulantur termino communi*; vel cuius partes habent proprios terminos, & ſunt ab inuicem liberæ, & ſolutę, vt numerus centenarius hominum, dicitur quãtitas diſcreta, quia partes eius ſunt homines, quorum vnus eſt ab alio diuiſus, ſic etiam Oratio, cuius ſyllabæ ſunt ab inuicem ſolutæ.

Cõtinua ſubdiuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam; & illa eſt, cuius partes ſunt ſimul, vt linea, cuius partes ſunt ſimul exiſtentes .ſ. in eodem tempore; iſta eſt, cuius partes non ſunt ſimul, ſed vna poſt aliã, vt tempus, & motus, quorum partes non ſunt ſimul, ſed vna poſt aliam, nõ enim vnus dies eſt ſimul cum alio.

Quantitatis permanẽtis tres aſſignantur ſpecies .ſ. Linea, quæ eſt lõgitudo ſine latitudine, & profunditate; Superficies, quæ eſt lõgitudo cũ latitudine, ſed ſine profunditate; & Corpus, quod habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem; Vnde Corpus tres habet dimenſiones, ſuperficies duas, & linea vnam. Ariſt. addit quartã ſpeciem .ſ. locum, ſed loquendo famosè. Quæ diuiſio quantitatis in permanentem, & ſucceſſiuam reperitur quoque in quantitate diſcreta; & permanens eſt numerus, cuius partes permanent; diſcreta eſt oratio, cuius partes dum proferuntur fluunt; hinc Quantitas formalitèr aliquid denominat quantum .ſ. lõgum, latum, profundum, paucum, magnum, multum, paruum, breue, & diuturnum.

*De Affectionibus Quantitatis.*

QVantitatis tres aſſignãtur affectiones, ſeu proprietates: Prima, quę communis eſt illi cum ſubſtantia eſt, quòd nõ habeat contrarium, nulla .n. inter lineam, ſuperficiem, & Corpus contrarietas inuenitur, cũ in vno, eodemq; ſubiecto permaneant. Nec tempori eſt aliquid contrarium, nec hiems æſtati opponitur, ſed eorum qualitates; nec dies cõtrariatur nocti, quatenus tẽpus ſignificant, ſed reſpectu aeris illuminationis, &c. nec quãtitatibus diſcretis reperitur contrarietas, vt patet. Dubitatur tamẽ de magno, & paruo, multo, & pauco, breui, & diuturno, quæ contraria videntur, ſed

facilis eſt ſolutio ex eodem Ariſt. vbi aſſerit hæc non contrariari, vt quantitates ſunt, ſed vt fundamenta ſunt relationum; dicimus. n. magnum, & paruum, multum, & paucum &c. non per ſe, & abſolutè, ſed per comparationem ad aliud; Tū quia ſi hæc eſſent contraria, idem ſibi ipſi contrariaretur, idē. n. tempus eſt longū. ſ. diuturnum. & breue; idem mons magnus, & paruus; iidem homines multi, & pauci reſpectu diuerſorum &c. potiùs igitur dicuntur relatiuè oppoſita, quā contraria.

Secunda quātitatis affectio, quę eſt etiam ei communis cum ſubſtātia eſt, quòd non ſuſcipit magis, & minus. ſ. quòd non poſſit intendi, & remitti, quamuis benè ſuſcipere poſſit maius, & minus, quōd eſt magis, & minus extendi.

Tertia deniq; affectio, quæ propria in quarto modo cenſetur, eſt quòd ſecundùm ipſam dicātur res materiales æquales, vel inæquales in magnitudine, vel multitudine, vel duratione, cum hac tamen diſtinctione, quòd ly, ſecundùm quā, dicat tantùm rationem fundamentalem, ſecundùm Scot. quodlib. 6. non formalem, formalitèr enim potius dicuntur æquales, vel inæquales per ipſaſmet relationes æqualitatis, & inæqualitatis, vt de omnibus relatiuis apparet.

*De Qualitate.*

Qualitas ab Ariſt. ſic per ſuum concretum definitur: *Eſt forma accidentalis abſoluta, ſecūdùm quam ſubiectum denominatur quale*, & quatuor aſſignat ſpecies ſubalternas, vel potiùs modos ſecundùm Scot. Prima eſt habitus, & diſpoſitio; ille eſt qualitas de difficili mobilis, vt virtus in ſene; hæc eſt qualitas de facili mobilis à ſubiecto, vt virtus in adoleſcente, quarè habitus, & diſpoſitio differunt tantùm ſecundùm perfectum, & imperfectum, & ideò non duas, ſed vnam conſtituunt ſpeciem qualitatis, perfectum enim, & imperfectū non variant ſpeciem, ſecundùm commune Phyloſophorum axioma; Et in hac ſpecie ponūtur qualitates omnes, quæ aliquo modo ſuum ſubiectum præparant, & ad operandum diſponunt; ſiuè ſpirituales, ſiuè corporales ſint; hinc Ariſtot. ait, habitum dici poſſe diſpoſitionem, quatenus ad operandum diſponit, & ideò benè ad hanc ſpeciem reducuntur habitus omnes, tā corporales, quàm ſpirituales acquiſiti; item, & omnes ſpecies impreſſæ tam ſenſibiles, quàm intelligibiles, quæ licèt propriè, & rigoroſè non ſint habitus, ſunt tamen ſatis habitui ſimiles, cùm per eas ad operandum diſponamur.

Secunda ſpecies qualitatis eſt, quæ cōtinet omnes facilitates, vel difficultates naturales ad agendū, vel patiendum; & diuiditur in naturalem potentiam, vel impotentiam, quæ ſunt duæ inter ſe eſſentialiter diſtinctę qualitates ex nullo actu acquiſitæ, ſed à natura ipſa congenitæ. Naturalis potentia eſt quæ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quędam qualitas congenita ex naturali complexione alicui immediatè pullulans, per quam redditur ſubiectum habile, promptum, & potens ad aliquid agendum, vel reſiſtendum alicui. ſic durities V. g. ſignificat quamdam naturalem potentiam, qua durum eſt naturalitèr potens ad reſiſtendum ſecanti, vt non facilè diuidatur. Et quidam habent potentiam naturalem ad curſum, ad luctam, &c. ex quibus patet error ponentium in hac ſpecie qualitatis omnes animę potentias, viſiuam. ſ. auditiuam, ac etiam proprias paſſiones identificatas; niſi ponant, vt habent modum qualitatis; Hic enim non ſumitur naturalis potentia pro facultate à natura indita, qua poteſt quis ſimplicitèr agere, ſed qua poteſt ſic agere. ſ. promptè, & expeditè, vt Scot. docuit in 2. ſent. d. 16. q. vn. l. P.

Naturalis impotentia è contra, eſt quædam congenita qualitas à naturali compleſſione indita, qua ſubiectū redditur naturalitèr impotens, vel ineptum ad aliquid agendum, vel alicui reſiſtendum; ſic mollities, quamdam naturalē impotētiam ſignificat ad ſectioni reſiſtendum, & in aliquibus quædam innata deſidia, & ineptitudo ad operandum, ad ſaltandum, &c. Et in hoc diſtinguitur hæc ſecunda ſpecies à prima ſpeciei qualitatis, quia in iſta ponūtur facultates naturales, & ingenitę ad operandum; at in illa facultates acquiſitæ, vt ſunt habitus ex frequantatione actuum acquiſiti; ideò benè à multis Scotiſtis in hac ſpecie ponuntur vires omnium rerum ſublunarium, vt plantarum, lapidū, & mineralium omnium, ac etiam Cælorum influentiæ, quibus ſubiecta redduntur potentia ad agendum, vel reſiſtendum.

Tertia ſpecies qualitatis eſt, Paſſio, & Paſſibilis qualitas, quæ inter ſe differunt tantùm accidentalitèr ſecundum perfectum, & imperfectum: Nàm paſſio eſt quædā qualitas illicò tranſiens, vt rubor ex verecundia, at Paſſibilis qualitas magis radicata eſt in ſubiecto, & ſenſibus exterioribus, quatenus aliquo modo illos immutat, cauſando paſſionem in quibus reperitur, vt calor diuturnus in corpore, vel naturalis, vel ex ęgritudine diuturna proueniens, ſapor, & dulcedo in melle, odor in pomo, &c. dicuntur autē paſſibiles qualitates, non ſolùm ex eo, quòd cauſent paſſionem in ſubiecto, ſed etiā quia ſenſus recipiēs illas aliquo modo patitur. Ad hanc ſpeciem Delphinus in ſua Dialectica capite de qualitate reducit omnes paſſiones non ſolùm corporis, ſed etiam animæ, vt ſunt Amor, Odium, Gaudium, Triſtitia, Dolor, Ira, Timor, Spes. Item omnia ſenſuum externorum obiecta, vt lux, lumen, colores, odores, & ſapores, omnes etiā tangibiles qualitates, caliditas, frigiditas, & omnia illa obiecta, quæ nata ſunt immutare ſenſus noſtros impri-

imprimendo in ipſis ſpecies ſenſibiles, & cum eis efficiẽdo ſenſationes, & imaginationes, item, & intellectiones, volitiones, appetitiones, &c. ratio eſt, quia hæc omnia ſunt actus vltimi, non ordinantes potentiam ad operandum, & ideò potiùs ſpectant ad hanc ſpeciem, quàm ab primam. Hinc ſubtiliſſimus Doctor vtrumquè, vt probabile admittit quodlib. 13. &c. & ſi Ariſt. poſuit exempla de qualitatibus ſenſibilibus, hoc fecit, quia sũt nobis manifeſtiores.

Quarta ſpecies eſt forma, & figura; quas ſic aliqui diſtinguunt, ſcilicèt, forma, vt hic ſumitur eſt illa, quæ reſultat ex terminatione corporis naturalis, vt forma hominis, vel leonis, quæ ex lineamentis corporis reſultat; figura autem eſt illa qualitas, quæ prouenit ex terminatione quantitatis in ſe, & ſimpliciter conſideratę, vt figura triãguli, & cæteræ figuræ mathematicæ, quæ licèt ratione dimenſionis, & menſurę ſpectent ad quantitatẽ, ratione tamen figuræ pertinent ad qualitatem: Alij aũt formam, & figuram pro eadem re accipiũt; pro terminatione .ſ. & diſpoſitione quantitatis; Vnde in re figurata tria veniunt conſideranda .ſ. res ipſa, ſeu materia ex qua conſtat, vt lapis, & quantùm ad hoc pertinet ad genus ſubſtantiæ; quantitas talis rei linealitèr, & ſuperficialitèr terminata, & ſic pertinet ad genus quantitatis; & tandèm terminatio, vel diſpoſitio quantitatis, & dicitur forma, & figura, vt rectitudo, curuitas, triãgulatio, quadrangulatio &c. & in hac ſpecie ponuntur oẽs figuræ artificiales, & naturales tã animatorũ, quã inanimatorũ. Sic rarũ, & densũ, vt extẽſio partiũ ſpectant ad quantitatẽ, vt talis, vel talis forma, quam habent, & terminos ſpectant ad hanc ſpeciẽ. Sic ſpongia, ac lana expreſſa, & cõpreſſa, ſic pulcher, & formoſus &c. Et quamuis Scotus doceat in 4. d. 1. q. 1. S. & alibi, figuram propriè & rigoroſè abſolutum importare non poſſe, cùm vltra quantitatem, non dicat niſi relationem terminorum partes ad ſe inuicem includentium, quia tamen habet modũ prædicandi abſolutum .ſ. ſine expreſſa relatione ad aliud, ità enim aliquis dicitur pulcher à pulchritudine, ſicut albus ab albedine, & hinc rectè poni poteſt pro ſpecie qualitatis.

### *De Affectionibus Qualitatis.*

Tres aſſignantur qualitatis affectiones, quarum prima eſt habere contrarium, caliditas enim frigiditati contrariatur, nigredo albedini &c. quæ affectio non omnibus competit qualitatibus, nam colores medij non ad inuicẽ contrariantur; nec ſpecies ſenſibiles, aut intelligibiles, nec lumen, cui, & ſi opponantur tenebræ, hæc non eſt oppoſitio poſitiua, qualis debet eſſe contrarietas, ſed eſt tantùm oppoſitio priuatiua.

Secunda affectio eſt, quæ ſuſcipit magis, & minus, nàm vna qualitas

litas, magis intenditur, quàm alia, vnum enim calidum habet plures caloris gradus, quàm aliud, & idē in diuerſo tempore eſt magis, vel minùs intenſum &c. Quæ tamen proprietas non conuenit qualitati in abſtracto, non enim vna albedo dicitur magis albedo altera; & ratio eſt, quia per abſtracta denotantur eſſentiæ rerum, quę in indiuiſibili conſiſtunt. Solùm igitur in concreto ſuſcipiunt magis, & minùs, & ſecundū gradus indiuiduales; nec etiam hæc affectio quartę ſpeciei cōuenit ex Ariſt. quā tamē alij admittunt, nam vna linea poteſt eſſe magis curua, quàm alia.

Tertia tandē affectio qualitatis, quę propria ei in quarto modo cēſetur, eſt, quòd ſecundùm eam alia dicantur ſimilia, vel diſſimilia, vndè duo alba dicuntur ſimilia, albū, & nigrum diſſimilia; ſed aduerte, quòd ly ſecūdùm eā, debet intelligi fundamētalitèr, nō formalitèr, qa ſic eſt relatio ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, ſecundū quā formalitèr dicuntur ſimiles, vel diſſimiles.

*De Relatione.*

R*Elatio eſt accidens, quo mediante vnum ad aliud refertur, ſeu quo vnum reſpicit aliud.* Et dicitur etiā reſpectus, vt Paternitas eſt relatio, ſeù reſpectus, quo Pater refertur ad filium, vel reſpicit filium. Vndè relatiua in Concreto ſic definiuntur: *Relatiua ſunt illa, quorum eſſe eſt ad aliud ſe habere.* Tria in relatiuis conſiderari debent. ſ. id, quod refertur, id quo refertur, & id ad q refertur. Primū appellatur ſubiectūm, quia eſt id, in quo recipitur relatio, & dicitur etiam fundamētum, vt Sortes, qui fundat paternitatem in ordine ad Platonē; Secundū eſt, quo formale, vel fundamentale, formale eſt ipſa relatio V. g. Paternitas, fundamentale eſt ratio fundandi relationē V. g potentia actiua generādi in Patre; Tertium eſt terminus relationis, & dicitur correlatiuū, vt Plato filius Sortis.

Relatio alia eſt realis, alia rationis, hæc pendet omninò ab opere intellectus, & tali operatione ceſſante, ceſſat; Illa reperitur in rerū natura, ſecluſa quacūq; intellectus operatione. Ad relationem realem tria requiruntur, quòd ſcil. extrema ſint realia; ſecundum, quòd ſint realiter diſtincta; tertiū, quòd talis relatio inter talia extrema oriatur ex natura extremorum, nō per actum intellectus. Itē hæc relatio realis duplex eſt. ſ. aptitudinalis, & actualis, prima reſpicit terminum, non actu exiſtentem, ſed aptitudine, & tunc idētificatur realiter ſubiecto, vt ſunt propriæ paſſiones; ſecunda reſpicit terminum actu exiſtentem, & hæc adhuc ſubdiuiditur; alia enim eſt cum ſuo fundamento realiter identificata, vt relatio eſſentialis dependentię creaturæ ad Deum; alia eſt realiter à ſuo fundamento diſtincta. Et hæc etiam ſubdiuiditur, nā vna eſt intrinſecus adueniens, quæ neceſſariò ponitur, extremis poſitis in quacūq; diſtātia, vt ſimilitudo, & alia

alia eſt extrinſecus adueniens, quę non reſultat ex ſola extremorum poſitione, ſed vlterius requiritur debita eorum approximatio, vt quid extrinſecũ, vt reſurgat, & tales ſunt vltima ſex Prædicamẽta in ſententia Scoti, Actio. ſ. Paſſio &c.

Ex quibus habetur, quòd loquẽdo de Relatione, vt cõſtituit quartum prædicamentum, quatuor cõditiones reperiuntur, quòd ſcil. ſit relatio realis; quòd ſit actualis, nã aptitudinales pertinent ad prædicamentum ſui fundamenti; quòd ſit à fundamẽto realiter diſtincta, nã quæ realitèr fundamentis identificantur ſunt relationes traſcendentales, & tãdem, quòd ſit intrinſecus adueniens, nam extrinſecus adueniens ad alia ſex prædicamẽta pertinet.

Item Relatiua, quę ſunt concreta relationis, alia dicuntur ſecundum eſſe, quę. ſ. de principali ſignificato dicunt relationem, & connotant abſolutum, vt Pater, & filius, dicuntur ſecundùm eſſe, quia totum ſuum eſſe eſt ad aliud depẽdere, tãquàm ad terminum; ad differentiã accidentis, quòd licèt habeat dependentiam ad ſubiectum, non tamèn tamquàm ad ſuum terminum. Et hæc ſunt propriè relatiua huius prædicamenti. Alia ſunt relatiua ſecundum dici, quæ. ſ. de principali ſignificato abſolutum important, & relationem abſolutę connexam connotant, vt ſcientia, quæ principalitèr qualitatẽ ſignificat, & cõnotat relationem ad ſcibile, Et ideò potiùs ad prędicamẽtum abſolutum ſpectant; Et vtraq; Relatiua, alia ſunt mutua, alia non mutua; Mutua ſunt, quæ ad inuicẽ referuntur relatione reali; non mutua, quę eadem relatione non referuntur, in vno enim ſubiecto eſt relatio realis, in alio relatio rationis, neque eſt hinc, inde reciproca dependentia; vt creator, & creatura; Et tandem vtraque alia ſunt æquiparantiæ, alia diſquiparantiæ; prima ſunt, quę in vtroq; extremo habent fundamentum eiuſdem rationis, vt ſimilitudo, ęqualitas &c. Secunda ſunt, quæ fundamentum diuerſæ rationis habent, vt Paternitas, & filiatio; dantur etiam alia relatiua ſuppoſitionis, alia ſuperpoſitionis, prima eſt, vt Seruus erga Dominũ, ſecunda, vt Dominus ergã ſeruum &c.

*De Affectionibus Relatiuorum.*

Qvinq; Relatiuorum proprietates Ariſt. cap. ad aliquid numerauit. Prima eſt, ꝙ in relatiuis (quãuis non in omnibus) reperiatur contrarietas, vt inter virtutem, & vitium, ſimile, & diſſimile; num verò hæc proprietas cõueniat relatiuis ſecundum dici, an etiam sm̃ eſſe, & ſi his competat, an ratione fundamenti, vel etiam formalitèr, videbimus proprio loco in quæſtionibus. Secunda eſt ſuſcipere magis, & minùs, vnus enim dicitur alteri magis, vel minùs ſimilis. Tertia eſt, vt dicantur ad cõuertentiam, vt Pater filij Pater, & filius Patris filius, &c. ſiuè hic ordo

ſit realis, ſiuè rationis, vt ſi rectè dicitur Dominus ſerui Dominus, rectè etiam infertur ſeruus Domini ſeruus, ſcientia ſcibilis ſcientia, & ſcibile ſcientiæ ſcibile; Eſt enim hęc proprietas generalis omnibus, & ſingulis relatiuis conueniens, & Ariſt. ſe exemplificauit intèr alia exempla de ſcientia, & ſcibili. Quarta eſt eſſe ſimul natura, quia alterum relatiuorum non poteſt eſſe, vel ſinè alio intelligi. Sed nota ex poſt prædicamentis cap. de ſimul, quòd ad hanc relatiuorum ſimultatē duæ requiruntur conditiones, vna eſt, quòd conuertantur ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, quæ ſola non ſufficit, nàm ſubiectum, & paſſio ità ſe habent, & tamen ſubiectum eſt priùs natura paſſione; alterū; quòd neútrum ſit cauſa alterius, quia cauſa præcedit natura cauſatū. Et ſi obijcies, Pater eſt cauſa filij, ergo &c. R. hoc eſſe verum materialitèr, nō formalitèr, vt relatiuum eſt, quæ tamèn affectio non eſt communis omnibus Relatiuis, ſed tãtùm mutuis ex Scoto in 1. d. 28. q. 3. lit. F. quod priùs docuit Ariſt. dùm ait, ablato ſcibili, & ſenſibili, auffertur ſcientia, & ſenſus, ſed nō è contrà, ablata ſciētia, & ſenſu, aufertur ſcibile, & ſenſibile.

Quinta tãdē affectio eſt, quòd relatiua ſint ſimùl cognitione, & definitione, ità vt qui definitè cognoſcit vnum relatum, definitè cognoſcat, & alterum; diſtincta enim cognitio vnius relatiui ex diſtincta alterius cognitione dependet, & hæc videtur proprietas in quarto modo, de quib' proprietatibus fuſiùs in quæſtionibus agendum eſt.

*De Actione.*

ARiſt. paucis de ſex alijs prædicamentis egit, ſed de illis exactè Gilbertus Porretanus, & ſunt Actio, Paſſio, Quando, Vbi, Situs, & Habitus. Actio ſic ab eodē deſcribitur: *Actio eſt ſecundùm quam in id, quod ſubijcitur, agere dicimur;* quā ſic Scot. in 4. diſt. 13. q. 1. explicat: Eſt reſpectus ipſius agentis ad paſſum, quo agens dicitur formalitèr agere, & dicitur formalitèr agens, quia agens effectiuè non dicitur agere, actione, ſed ſua virtute abſoluta, vt ignis effectiuè dicitur agere calore, ſed formalitèr dicitur agere actione; Hinc dignè ſubdit litera P. Calidum alitèr calore calefacit, & alitèr calefactione; nàm calore calefacit, vt principio effectiuo, & fundamentali, quod dicitur ratio agendi; calefactione verò agit, vt principio formali denominandi calidum agēs. Dicitur in id, quod ſubijcitur, ad differentiam productionis, quæ pro termino nō reſpicit ſubiectum tranſmutatum, ſed formā in illa productam, ſ. calorem in aqua; & ideò dicitur reſpectus intrinſecus adueniens; Actio autē pro termino reſpicit ſubiectum tranſmutatū, & dicitur reſpectus extrinſecus adueniens, quę vt inſurgat, requiritur extremorum approximatio, ità Tatar. q. vlt. Predicam. dub. 3.

Itèm actio diuiditur tamquam genus in ſpecies .ſ. in immanentē, & tranſeuntem; & per immanentē intelligitur illa actio, quæ terminatur ad terminum manentē in agente, vt actio, qua oculus ad viſionem ſe immutat, & intellectus ad intellectionem, viſio enim manet in vidente; ſicut intellectio in intelligente; per tranſeuntē intelligitur illa actio, quæ eſt ad terminū extra agēs, vt calefactio, qua ignis trāſmutat aquam, in qua recipitur calor. Solent etiā operationes vitales appellari actiones immanentes, vt viſio, auditio, intellectio, &c. Ex Ariſt. 9. met. 16. ſed hoc intelligitur æquiuocè, & grammaticalitèr, ait Scotus, quatènus ſignificātur per verbum actiuū, reuerà tamèn ſunt qualitates de tertia ſpecie; & ratio eſt, quia non producūt terminū, ideò nō propriè actiones dici debent, ſed operationes, quia ſunt vltimi actus potētiæ operātis.

Affectio actionis, quæ cenſetur in quarto modo, eſt ex ſe inferre paſſionem; non illatione conſecutionis, vt aliqui intelligunt, quatenùs .ſ. actio eſt, valet inferri, ergò paſſio eſt, ſic enim etiam, valet illatio paſſionis ad actionem, & dicere, ſi paſſio eſt, ergò actio eſt, quia relatiua mutua, vt hæc ſunt, mutuò ſe inferunt, & ità non erit propria affectio actionis in quarto modo; potiùs ergò dicendū, quòd intelligitur de illatione cauſationis, quo ſenſu cauſa infert effectū, non è contra, vt calefaciens eſt, ergò, & quod calefit eſt; non tamèn è cōtra, quia poteſt remanere aqua calefacta, abſq; actuali calefactione. Affectio communis eſt, quòd habeat contrarietatem, nā frigefactio cōtrariatur calefactioni. Aliā affectio eſt, quòd ſuſcipit magis, & minùs, nam poteſt vna eſſe magis intenſa, ideſt vna res dicitur calefacere, vel calefieri magis alia, hoc autem non intelligitur per ſe, ſed per accidens, quatenùs .ſ. qualitates, quę imprimuntur ab agente in paſſum inter ſe contrariantur, vel ſuſcipiunt magis, & minùs, &c.

*De Paſſione.*

PAſſio, ſic ab Auctore ſex principiorum definitur: *eſt effectus, illatioq; actionis* ſcilicet effectus, qui ab actione infertur modò ſupra declarato, vel in ſententia Scoti, ſicut actio formaliter eſt reſpectus agentis ad paſſum, ſeù tranſmutātis ad tranſmutatum, ità è contra paſſio eſt reſpectus paſſi ad agens, ſeù trāſmutati ad traſmutans, quare ſicut actio pro formali in agente ſubijcitur, ſic paſſio in paſſo, & ſicut duæ aſſignātur ſpecies actionis .ſ. immanēs, & tranſiēs; ſic etiā, & paſſionis, paſſio .ſ. immanens, quæ erit effectus illatus ab agente, ſed non extra ſe ipſum & tranſiens, quæ erit effectus illatus ab agente, extrà ſeipſum. V. g. cùm aqua frigeſcit, dicitur pati paſſione immanente, cùm verò agit in aliud, illud dicitur pati paſſione tranſeunte. Sunt aliæ diuiſiones actionis, & paſſionis ex Auct. ſex prin-

principiorum .ſ. in corporalem, & ſpiritualem, &c. ſed quia non ſunt diuiſiones, formalitèr ipſis conuenientes, ſed potiùs ratione ſubiectorum, in quibus fundatur, vt res parui momenti relinquuntur.

Affectiones Paſſionis sũt, habere contrarium, & ſuſcipere magis, & minùs, ſed per accidens, & ratione qualitatum, quæ ab agente imprimuntur in paſſum, & ſic calefactio dicitur frigefactioni cõtraria, ſiuè actiuè, ſiuè paſſiuè, & vna res dicitur magis, vel minùs alia calefacere, & calefieri, &c. Paſſio igitur in 4. modo dicitur illatio actionis in ſenſu cauſali .i. vt per eam paſſum dicatur pati.

*De Quando.*

QVando ſecundùm Gilibertũ Porret. *eſt id, quod ex adiacentia temporis in re temporali relinquitur.* Eſt hic aduertendum, quòd Quando, vt hoc conſtituit prædicamentum, nõ debet accipi aduerbialitèr, ſed nominalitèr, & ſi in concreto ſignificat eſſe in tempore, in abſtracto verò dicit relationẽ, ſeù reſpectũ rei temporalis ad tempus, cui res illa ſubijcitur. Pro cuius notitia notandum eſt, tẽpus eſſe durationis menſuram iſtarum rerum generabilium, & corruptibilium, hinc ſi quãtum durauit lectio, quæratur. ℞. vna hora, &c.

Hoc tempus, quod eſt menſura corruptibilium, & trãſeuntium, eſt motus primi Cæli, qui ab oriente in occidens quotidiè cõficitur, per cuius regulationis Motum, rerum inferiorum durationes menſurantur; & ex coexiſtentia rei temporalis ad tempus, quod eſt motus primi cæli, conſurgit duplex mutuus reſpectus, vnus in tempore, vt menſurantis ad rem temporalem menſuratam, & dicitur Quando actiuum; alter reſultat in re temporali ad tempus, vt menſurati ad menſuram, & dicitur Quando paſſiuum, & hoc ſolùm fuit ab Auctore ſex principiorum definitum; cur autẽ hoc fecerit dici põt, qa reſpectꝰ paſſiui sũt nobis manifeſtiores.

Quantum ad eius ſpecies, aliqui negant, Quando, ſpecies habere, & tamèn adhùc eſſe genus generaliſſimum, de cuius ratione ſolùm eſt, quòd non habeat aliud genus ſuper ſe; alij aſſignant pro ſpeciebus tempus præſens, præteritum, & futurum; ſed reuera ſicut præteritũ, & futurum, quæ ſunt partes tẽporis non differunt ſpecie, ſicut etiam dicitur de partibus lineæ, ſic nec coexiſtentia adhoc, vel illud tempus facit diuerſas ſpecies; meliùs igitur ab aliquibus ſpecies huius prædicamenti conſtituuntur Quãdo Actiuum, & Paſſiuum.

Affectiones huius Prædicamenti ſunt, quòd non habeat contrarium, & licèt mane contrarium veſperi videatur, hoc non erit niſi ratione fundamentorum .ſ. lucis, & tenebræ. Secundò, quòd nõ ſuſcipiat magis, & minùs. Tertiò, & eſt propriũ in qnarto modo, quòd ſit aptũ eſſe in eo, quod incipit eſſe in tempore, hoc eſt, denominare

res tãtùm tempori ſubiacentes; vt ſunt res generabiles, & corruptibiles. plura alia in quæſtionibus examinabuntur.

*De Vbi.*

VBi eſt circumſcriptio corporis locati à loci circumſcriptione procedens, vt in Eccleſia eſſe, in foro eſſe. Accipitur nominalitèr, & ſic eſt talis definitio intelligẽda ex Scoto quol. 11. vt benè aduertit Tatar. in Summul. tract. 3. primò ſciendum. ſ. eſt reſpectus extrinſecus ipſius rei locatæ ad locum, ideſt ad ſuperficiem corporis continentis ipſum, quòd eſt vbi paſſiuum. Ex quo ſequitur, quòd duplex ſit Vbi, actiuum ſcil. & paſſiuum, ſicùt diximus de Quãdo. Vbi actiuum eſt reſpectus ipſius loci ad rem locatam: Vbi paſſiuum eſt reſpectus rei locatæ ad locum; & nullum iſtorũ eſt hoc prædicamentum, ſed Vbi commune ad vtrumque, ſicùt etiã aſſerendum eſt de Quando, cõmuni ad actiuum, & paſſiuum.

Vtrumque Vbi diuiditur in circumſcriptiuũ, & Definitiuum: Circumſcriptiuum eſt propriũ corporum, quia eſt cum commẽſuratione rei locatæ ad locum, & è cõtrà, ità vt totus locus toti locato correſpondeat, & partes partibus: Definitiuum eſt proprium rerum immaterialium, quod eſt ſine vlla cõmenſuratione, ità vt res ſit tota in toto loco, & tota in qualibet loci parte. Species huius Prædicamenti ſunt vbi actiuum, & paſſiuum ex Scoto in 4. diſt. 10. q. 1. lit. k.

Affectiones eius ſunt, quòd cõtrarietatem non habeat, quod de rigoroſa contrarietate inter qualitates intelligẽdũ eſt, nã largo modo accepta, aliquam contrarietatẽ videtur habere, vt sũt Vbi ſurſum, & deorſum. Secunda affectio eſt, quòd non ſuſcipiat magis, & minùs, Vbi enim non intenditur, nec remittitur. Tertia in quarto modo, quòd Vbi ſit immobile, de quo locutus fuit Ariſt. 4. phyſic. vt ibi patebit.

*De Situ.*

SItus, ſeu poſitio, *eſt quidam partium ſitus, & generationis ordinatio, vt ſeſsio, ſtatio, & ſic de alijs*. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt, quòd ex illa applicatione partium loci ad locatum, duplex inſurgit mutuus reſpectus, vnus in partibus loci terminatus ad partes locati, & dicitur ſitus actiuus; alter in partibus locati terminat' ad partes loci, & dicitur ſitus paſſiuus, quem Gilibert. definiuit, ſicùt de Quando, & Vbi fecit, reuerà tamèn Generaliſſimum huius prædicamenti eſt Situs communis ad actiuum, & paſſiuum, vt clarò ex Scoto colligitur in 4. d. 10. q. 1. lit. M. Differunt Situs, & Vbi, nàm Vbi paſſiuũ reſultat in re locata ex habitudine ad totum locum; Situs verò ex habitudine partium rei locatę ad determinatas partes loci, vnde ex inuariato Vbi, poteſt mutari Situs, vt V. g. quãdo aqua in vaſe agitatur, manet intrà eamdem ſuperficiem concauam vaſis, & in eodem loco, ſed ſingulæ partes aquæ reſpondẽt

viciſ-

viciſſim diuerſis partibus loci.

Vterque reſpectus tàm per ſitū; quā per vbi importatus eſt extrinſecus aduenićs, per ſubtiliſſimum Doctorē Corpus enim à ſuperficie; nec locari dicitur, nec ſituari, niſi priùs ei approximetur, & fiat præſens; & ſciendum eſt, quòd poſitio huius prædicamenti differt à poſitione de genere quantitatis, nam poſitio de genere quātitatis ſignificat ordinationē partium in ipſo toto ſinè reſpectu actuali ad locū; poſitio verò huius prædicamenti dicit ordinem actualem partium locati ad partes loci, quarè inuariata poſitione de genere Quantitatis, poteſt mutari poſitio huius Prædicamenti, vt V.g. quando homo varijs modis ſe componit, ſe incumbit, incuruat, erigit &c. tunc non mutatur ordo partium hominis, caput enim ſemper immediatè collo adhęret, mediatè pectori &c. mutatur tamèn ordo talium partium ad locum.

11 Solet diuidi Situs tamquàm in ſpecies, in ſeſſionem, ſtationem, & cubationem; itèm vt tetigit Gilib. in naturalem, ſicut à natura ſtatutum, vt quòd caput ſit ſupra pedes infra &c. in accidentalem, qui ex libero arbitrio pendet, vt ſi quis v. g. ſupra caput pedes eleuaret &c. quæ reuerà non sūt diuiſiones generis in ſpecies, ſed potiùs ſubiecti in acidentia, vndè veræ ſpecies huius prædicamenti ſunt ſitus actiuus, & paſſiuus pręcipuè in ſententia Scotiſtarum.

12 Situs affectiones ſunt, quòd cōtrarium non habeat, de propria contrarietate loquendo; largo verò modo dici poteſt, quòd ſeſſio ſtationi, vel cubationi opponatur. Itèm, quòd non ſuſcipiat magis & minùs; nō enim dicitur magis res ſituata ſurſum, vel deorsū, vel homo ſtans, vel ſedens. Proprietas in quarto modo eſt nobis ignota, niſi fortè ponatur ordinabilitas in loco, ex Maſtrio, & Belluto.

*De Habitu.*

HAbitus, *eſt corporum, & eorum quæ circa corpus ſunt adiacētia, vt tunicatum eſſe, loricatum eſſe, &c.* ideſt reſpectus ille extrinſecus eorum, quæ ſunt circa corpus, ad ipſum corpus terminatus. Sciendum eſt, quòd ex Adiacentia veſtimenti ad corpus, duplex cōſurgit mutuus reſpectus, vnus in veſtimento, ſeu forma applicata, & terminatur ad corpus, vel ſubiectū; & dicitur habitus, vel habitio paſſiua; alter in corpore, vel ſubiecto, & terminatur ad veſtem, vel aliam formā habitam, & dicitur habitus, ſeu habitio actiua; Et habitus ſic in cōmuni acceptus conſtituit hoc prædicamentum, quod alio nomine vocatur inhærentia, informatio, vnio &c. Hinc Baſſolius dignè ait in 4. diſt. 12. q. 1. art. 1. omnem vnionē abſoluti ad abſolutū, & omnē reſpectum ſubiecti ad formam, & è contra, ad hoc prædicamentū ſpectare, omnis enim talis habitudo derelinquitur ex adiacentia formę ad ſubiectum, vel eſt ipſamet adiacen-

centia, quod ipſemet Gilbert. expreſſit, ponens in hoc prædicamēto, album eſſe, & quātum eſſe, id eſt reſpectū ſubiecti ad ipſas formas abſolutas albedinis, & quantitatis. Eius ſpecies, ſunt habitus actiuus, & paſſiuus, & important reſpectus extrinſecus aduenientes, quia non inſurgunt, niſi facta debita extremorum approximatione. Tres habet affectiones: Prima, quòd non habeat contrarium, & ſi aliquæ informationes contrariæ appareant, vt eſſe album, & eſſe nigrum, hoc non erit reſpectu habitudinū formarum ad ſubiectum, ſed reſpectu ipſarum formarum. Secunda eſt, quòd ſuſcipiat magis, & minùs, nā eques eſt armatior pedite, & forma vna magis radicata in ſubiecto, quam alia, &c. quod non intelligitur ratione ipſius habitus, vt reſpectus eſt, ſed ratione fundamenti; vnus enim dicitur magis veſtitus, & ornatus alio ratione veſtium. Tertia, quòd ſemper eſt in pluribus .ſ. in habente, & habito: Proprietas in 4. modo eſt incognita.

## Caput Quintum.

*De Collatione Terminorum inter ſe.*

SI omnes terminorum diuiſiones iam aſſignatæ, ad inuicem conferuntur, vel ſunt pertinentes, vel impertinentes; pertinentes illi dicuntur, qui ſe inferunt, vel vnum ex alio deduci poteſt affirmatiuè, vel negatiuè, ob connexionem, vel repugnantiam, quàm inter ſe habent; primo modo termini minùs vniuerſales reſpectu magis vniuerſalium pertinentes dicuntur; nàm ab inferiori ad ſuperius valet affirmatiuè argumentari, vt eſt homo, ergò eſt animal, ſed nō è cōtra: Secūdo modo termini pertinens ſūt, quòd repugnant ad inuicem, & de eadem re, & eodem tēpore nequeunt affirmari, vt ꝙ homo ſit animal rationale, & quòd nō ſit rationale; Et quòd Petrus currat, & non currat, &c. ex poſitione enim vnius, neceſſariò ſequitur negatio alterius. Et hi termini dicuntur pertinentes repugnantes.

Termini autèm repugnantes ſūt in duplici differētia, quidam enim ſunt diſparati, quidā oppoſiti: Diſparati ſunt, qui nō habent inter ſe maiorem repugnantiam, quàm cū altero tertio, vt homo, & leo, non enim homo magis repugnat cum leone, quàm cum equo: Oppoſiti verò dicuntur, qui magis pugnant inter ſe, quàm cum tertio; vt albū, & nigrum magis pugnant inter ſe, quàm cū rubeo. Termini oppoſiti ſunt quadruplices, iuxtà quadruplicem oppoſitionem ab Ariſt. in poſtpræd. in cap. de oppoſitis aſſignatam .ſ. Relatiuam, Cōtrariam, Priuatiuam, & Contradictoriam. Relatiuè oppoſita dicuntur, quæ per relationes oppoſitas ad inuicē referuntur, vt Pater, & filius; Contrariè, quando duæ formę poſitiuę ab eodem ſubiecto ſe inuicem expellunt, vt calidum, & frigidum, album, & nigrum, &c. Priuatiuè, quando vnum ſignificat formam,

aliud

aliud carentiam illius formæ in ſubiecto apto ad illam recipiendã, vt Cæcus, & videns; Cõtradictoriè, opponuntur illa, quæ ſecundùm affirmationem, & negationem opponuntur, ità vt, quvnus affirmat, alter negat, vt homo, & nõ homo, ſedere, & non ſedere, &c. vt clariùs videri poſſunt in Summulis, ex Tatar. tract. 3. in poſtprædicam. mihi fol. 57. & 58.

Dicuntur Termini repugnantes pertinentes ſecundò modo, quia ex poſitione vnius valet ſemper alterũ remouere, vt in oppoſitis relatiuè, Petrus eſt Pater Pauli; ergò non eſt filius Pauli; in contrariè oppoſitis, hoc eſt calidum, ergò nõ eſt frigidum; in priuatiuè oppoſitis, hic eſt videns, ergò non cæcus; In oppoſitis cõtradictoriè, Petrus eſt homo, ergò falſum eſt, quòd nõ ſit homo; in diſparatè oppoſitis, vt homo eſt animal, ergò nõ eſt lapis, eſt rationalis, ergò non eſt equus.

Termini impertinentes dicuntur, qui nec ſe includũt, nec ſe mutuò inferunt, vt diues, & ſapiens; doctus, & iuſtus &c. qui termini ſicut nullam habent intèr ſe connexionem, ſic neque repugnantiam.

## Caput Sextum.

*De varia terminorum ſuppoſitione.*

HAbita notitia de eſſentia, & diſtinctione terminorum, de eorum proprietatibus remanet aliquid agendum, quarum prima, & præcipua eſt ſuppoſitio. Plura termini ſignificare poſſunt, vt ex Summulis videri poteſt, & hic terminus V. g. homo, immediatè ſignificat naturam humanam, mediatè Franciſcum, Antonium, &c. & tandem ſe ipſum, quatenùs omnis vox ſeipſam repræſentat; ideò eorum ſignificatio, ſolet in propoſitione mediante prædicato, aut copula determinari, vt dicatur pro hoc, vel illo ſupponere; Hinc ſi dicam; homo currit, terminus homo ſupponit pro aliquo indiuiduo naturæ humanæ, cui hoc prædicatum competit, non immediatè pro natura humana; at ſi aliquis diceret; homo eſt dictio biſſillaba, tũc ſupponeret pro ſe ipſo, & pro ipſa voce hominis ex quo habetur; ſignificare, & ſupponere non eſſe idem; nàm ſignificare eſt facere deuenire in cognitionem alterius, vt fumus ſignificat ignem, &c. at ſupponere, ſeu ſupponi eſt loco alterius ſuffici; vnde ſignificare latiùs patet, quam ſupponere, vt ſi dicamus homo currit termin' homo indifferentèr ſecundùm ſe ſignificat tã naturam humanam, quã eius indiuidua, ſed in hac propoſitione ſupponit tantùm pro ſignificato mediato. ſ. pro indiuiduo aliquò naturæ humanæ, ſic eruditè Petrus Hiſpanus tract. 7. de ſuppoſitione docuit; quem ſequuntur Summuliſtæ melioris notæ.

Quoniam igitur in voce ſignificatiua ſunt duo, vnum, quòd habet rationem materiæ, vt ſunt literæ, Syllabæ, ſonus, &c. alterum, quòd habet rationem formæ, ipſa. ſ. vocis ſigni-

ſignificatio, hinc ſuppoſitio in prima ſui diuiſione, diuiditur in materialē, & formalem: Materialis eſt acceptio termini pro ſeipſo, ideſt pro ipſa materia vocis, vt Petrus eſt vox biſſyllaba: Formalis eſt acceptio termini pro ſuo ſignificato, vt Petrus eſt homo, & non licet ab vna ſuppoſitione ad aliam arguere, vt homo eſt vox biſſyllaba, Antonius eſt homo, ergò Antonius eſt vox biſſyllaba.

Suppoſitio formalis diuiditur in propriam, & impropriam; prima eſt acceptio termini prò re, quam propriè ſignificat: impropria eſt acceptio termini, quā impropriè, ac methaphoricè ſignificat; vt cùm hominem fortem appellamus leonem, aſtutum Vulpem, &c.

Propria ſubdiuiditur in cōmunem, & eſt acceptio termini communis, pro ſuo ſignificato, vt omnis homo eſt animal; & in ſingularem, vel diſcretam, & eſt acceptio termini pro vna re ſingulari tantū, vt Frāciſcus, Antonius, &c. vel terminus cōmunis ſigno demōſtratiuo determinatus, vt hic homo, &c.

Communis ſuppoſitio ſubdiuiditur in ſimplicem, perſonalem, & abſolutam: Simplex eſt acceptio termini communis pro ſuo immediato primario ſignificato, & præcisè ſumpto, vt abſtrahit ab omnibus inferioribus, Vt homo V.g. qui primariò, & immediatè naturam humanam in communi immediatè ſignificat; at ſecundariò Ioannem, & Paulum; hinc regula generalis aſſignatur, quòd quando terminus cōmunis coniungitur cum tali prędicato, quod ponit differentiam intèr ſuperius, & inferius, vt cum dicimus, homo eſt ſpecies, natura eſt communicabilis pluribus &c. quæ prædicata indiuiduis conuenire non poſſunt, tunc ſuppoſitio dicēda eſt ſimplex, & Axioma eſt, quòd à termino cōmuni ſimplicitèr ſupponente, deſcendere non licet.

Suppoſitio perſonalis eſt acceptio termini communis pro ſignificatis mediatis, vt homo currit, q̄ competit indiuiduis, nō homini in communi.

Suppoſitio abſoluta eſt acceptio termini communis pro ſignificato immediato, & mediato, & tunc cognoſcitur, quando terminus communis iungitur prædicato, quod competere poteſt vtriq; ſignificato, vt homo eſt animal, eſt riſibilis, &c. & hic homo eſt animal, hic homo eſt riſibilis &c. Petr' eſt animal, &c. Vndè axioma eſt, quòd ſub termino abſolutè ſupponente deſcendere licet.

Itèm ſuppoſitio perſonalis ſubdiuiditur in diſtributiuam, collectiuam, determinatam, & confuſā. Diſtributiua eſt, cùm terminus cōmunis accipitur pro omnibus ſuis inferioribus, & ſingulis cum copulatione ſumptis, vt omnis homo eſt animal, ly homo diſtributiuè ſupponit pro hoc, & illo homine, vt verùm ſit de ſingulis dicere, & hic homo eſt animal, & hic homo eſt animal, & ſic de ſingulis.

Collectiua eſt, cùm terminus communis accipitur pro omnibus ſimul, & collectiuè ſumptis, vt omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim, ly Apoſtoli non ſupponit pro ſingulis ſeorſim ſũptis, ideſt pro hoc, & illo, non enim valet inferre, ergò Petrus, & Paulus ſunt duodecim, ſed pro omnibus collectiuè, hinc de tota ſolùm collectione inferiorum verificari poteſt.

Determinata eſt quando terminus cõmunis accipitur pro aliquo, vel aliquibus inferioribus ſuis determinatè, & ſeorſim ſumptis, vt aliquis homo eſt doctus, ex qua non licet inferre, ergò hic Homo eſt doctus, & ille eſt doctus, ſed ſolùm in propoſitione diſiunctiua, ergò hic homo, vel ille erit doctus &c. & dicitur determinata, quia determinatur ad vnam, licèt diſiunctiuè.

Confuſa eſt, cùm terminus accipitur pro aliquo inferiori, vel aliquibus ſub diſiũctione, ità tamèn, vt non determinatè ſupponat pro aliquo inferiori, vel aliquibus ſub diſiunctione, & in hoc diſtinguitur à ſuppoſitione determinata, quia ibi prædicatum eſt determinatum, vt aliquis homo currit; in confuſa non determinatur prædicatum; vt ſi dicatur, aliquis calamus ad ſcribendum eſt neceſſarius; quod de nullo calamo determinatè dicitur.

Suppoſitio diſtributiua diuiditur in diſtributiuam pro ſingulis generũ, quæ dicitur completa; & pro generibus ſingulorum, quæ dicitur incompleta; prima eſt acceptio termini communis pro ſingulis indiuiduis omnium ſpecierum copulatiuè ſumptis, vt omne animal moritur. i. Petr' moritur, Bucefalus moritur, & hic equus moritur, &c.

Secũda eſt acceptio termini cõmunis pro omnibus ſpeciebus indiuiduorum, vndè nomine generũ hic intelliguntur ſpecies, & nomine ſingulorum, indiuidua, Sic quãdo dicitur, quòd in Arca Noe fuit omne animal, intelligitur hoc ſecundo modo, ideſt pro generibus ſingulorum, hoc eſt, ex omnibus ſpeciebus, hoc, vel illud indiuiduũ animalium, quæ diſtributio etiam accomodata appellari ſolet.

## Caput Septimum.

### *De Terminis Exponibilibus.*

OCcurrunt quidam termini in propoſitionibus, vt ad perfectam eorum notitiam expoſitione indigeant, vndè termini, & propoſitiones ex ipſis conſtantes, exponibiles dicuntur. Et multiplices ſunt, ſed præcipuè nominantur excluſiui, exceptiui, & reduplicatiui. Termini excluſiui ſunt, tantùm, dũtaxat, ſolùm, & c. qui in propoſitione poſſunt determinare ſubiectum vel prædicatum, cùm determinant ſubiectum, faciunt propoſitionem de ſubiecto excluſo, vel excluſiuo, vt V.g. Petrus tantùm eſt grammaticus; cùm determinant prædicatum faciunt propoſitionem de prædicato excluſiuo, vt Petrus eſt tantùm grammaticus; quandò terminus excluſiuus ponitur à parte

prædicati, ſi eſt excluſiuus ex parte numeri, vt V.g. vniuerſalia ſunt tantùm quinque, propoſitio exponi ſolet per remotionem termini excluſiui cùm hac additione; & non plura; & eſt ſenſus, quòd vniuerſalia ſunt quinque, & non plura; ſi verò eſt excluſiuus rei, vt Petrus eſt tantũ grãmaticus, exponitur per remotionem termini excluſiui cum hac additione, & non aliud, vt ſenſus ſit, quod Petrus eſt grammaticus, & non aliud, ſ. non Rethoricus, non Phyloſophus &c.

Quando terminus excluſiuus determinat ſubiectum, vt tantùm Petrus eſt grammaticus, vel Petrus tantùm eſt grammaticus, ſignificat, quòd alijs ſubiectis tale prædicatum non conuenit, & eſt ſenſus, quòd ſolùm Petrus eſt grammaticus, & nullus alius, quod tamẽ intelligi debet de ſubiectis eiuſdem ſpeciei, aliquando tñ poteſt excludere omnia ſubiecta vniuerſalitèr, & ſi dicatur tantũ homo eſt riſibilis, excludũtur omnia, q̃ participare non poſſunt riſibilitatem.

Termini exceptiui ſunt pratèr, pratèr quàm, niſi &c. dicuntur exceptiui, quia excipiũt illum terminũ, cui addũtur à principali ſignificato, vt omnis homo pratèr Paulũ eſt albus, omne animal pratèr hominem eſt irrationale &c. Vnde aduertendũ eſt ex Tatar. tract. 13. com. 2. §. 1. Sciendum, quòd duo requiruntur præcipuè, vt terminus exceptiuus propoſitionem faciat exceptiuam, vnum eſt, quòd terminus à quo fit exceptio, ſupponat vniuerſalitèr, ſeù diſtributiuè; quarè iſta nõ eſt exceptiua, aliquis homo præter Paulum currit, & ratio eſt, quia excipere eſt à toto genere partẽ detrahere, ſed à particulari determinato nihil detrahi poteſt; & ſi dicatur, aliquis miles præter Achillem ſtrenuus fuit, ly, præter idẽ ſonat, quòd vltra, & ſenſus eſt, quòd non ſolùm Achilles fuit ſtrenuus miles; aliud eſt, quòd terminus communis à quo fit exceptio, ſub ſe terminum exceptum contineat; hinc ſi aliquis diceret, omnis homo præter hunc aſinum currit, nõ erit propoſitio exceptiua, quia terminus exceptus ſcil. Aſinus ſub homine non continetur.

Termini reduplicatiui ſunt in quantùm, quatenùs, proùt, &c. & poſſunt duplicem in propoſitione facere ſenſũ, reduplicatiuum ſ. & ſpecificatiuum. Senſus reduplicatiuus eſt, quando particula reduplicatiua denotat rationẽ, ſeu cauſam, vel ſaltèm conditionem, cur prædicatum ſubiecto conueniat, vt homo V. g. in quantùm rationalis eſt riſibilis; ignis in quantũ applicatus, comburit; quando reduplicat cauſam exponitur propoſitio per cauſalem, & ſenſus eſt, quia homo eſt rationalis, eſt riſibilis; quãdo reduplicat tantùm conditionẽ, aut concomitantiam, exponenda eſt per conditionalẽ, & ſenſus eſt, ſi ignis comburit, eſt applicatus; & aſſignatur regula, quòd particula reduplicatiua reduplicatiuè tenta,

infert vniuerſalem, vt ſi homo ſecundùm quòd rationalis intelligit, ergò omne rationale intelligit; ꝙ tamèn intelligi debet de prædicatis cõuenientibus ſubiectis ſupponentibus abſolutè, nõ ſimpliciter. Explicatur etiam ſenſus reduplicatiuus, quando particula reduplicatiua denotat prædicatum eſſe de conceptu eſſentiali, & quidditatiuo ſubiecti, vt cùm dicimus homo in quantùm homo eſt rationalis, & eſt ſenſus, ꝙ rationale eſt de conceptu quidditatiuo hominis, quæ particula infert etiam vniuerſalẽ, vt patet deſcendendo.

Senſus ſpecificatiuus eſt, cũ denotatur, quòd ratione illius, qui afficitur tali particula, non repugnat ſubiecto aliquod prędicatum habere, vt muſicus, in quantũ muſicus poteſt eſſe logicus, ſenſus eſt, quòd dùm habet muſicam, poteſt etiã habere logicam, & conſequẽtèr, quòd logica nõ repugnat muſicæ in eodem ſubiecto. Vnde ab his terminis ſpecificatiuè tentis, non licet vniuerſalem affirmatiuã inferre, quia ſic ſequeretur omnẽ muſicum eſſe logicum, &c.

## Caput Octauum.

*De Vſu in ſcholis aliquorũ terminorum.*

PLures ſunt apud Philoſophos termini ſcitu digni, ſine quorũ notitia, ac diſtinctione Tyrones obtuſi, & inepti ad arguendum, & reſpondẽdum redderentur. Prima eſt de materialitèr, & formalitèr. Dicimus aliquam propoſitionem eſſe verã materialitèr, quando cognoſcimus aliquod prędicatũ conuenire ſubiecto, non ratione formę ſubiecto inhærẽtis, ſed ratione materiæ, in qua talis forma reperitur, vt V. g. album eſt dulce, hæc propoſitio non eſt vera formalitèr, nã faceret hunc ſenſum, quòd albedo eſſet ratio, ob quã lac eſſet dulce, quod eſt falſum, eſt vera materialitèr quatenùs materia in quà eſt forma albedinis .ſ. lac, eſt dulce. Tunc propoſitio eſt vera formalitèr, quando prædicatum conuenit ſubiecto ratione formæ per ipſum ſubiectum importatæ, vt V. g. albũ eſt diſgregatiuũ viſus, hæc propoſitio eſt vera formalitèr, quia albo conuenit diſgregare viſum ratione albedinis ſubiecto inhærentis, & quaſi in idem recidit illa diſtinctio de pro connotato, & pro per ſe ſignificato, nam per connotatũ materiale ſignificatum denotatur; per ſignificatum, formale inſinuatur.

Itèm alia diſtinctio eſt per ſe, & per accidens; tunc propoſitio dicitur vera per ſe, quãdo cognoſcimus prædicatum ſubiecto conuenire ex intrinſeca eius natura, ac indigentia, non ab extrinſeco, & accidentali euentu, quarè hęc propoſitio homo eſt animal rationale, homo eſt riſibilis, &c. eſt vera per ſe; hæc verò homo eſt albus, eſt niger, eſt vera per accidens, quia hæc accidẽtalitèr, & caſualitèr illi acciderũt, in idem redit diſtinctio eſſentialitèr, & accidentalitèr.

Alia diſtinctio eſt abſolutè, ſeù

ſim-

Digitized by Google

ſimplicitèr, & reſpectiuè, tunc aliquis dicitur ſimplicitèr, & abſolutè talis, quando nulla facta cū alio comparatione, tali gaudet prædicato; vt V. g. Franciſcus, qui ſufficientem habet ſanctitatem, dicitur abſolutè ſanctus; ille verò dicitur talis reſpectiuè, vel comparatiuè, cui non conuenit tale prædicatū, niſi comparetur cum alio, & hoc modo nullus iuſtus poſſet dici Sanctus, ſi Deo comparetur; quia non eſt ſanctus, *vt Deus noſter*, & Eccleſia canit, *quoniam tu ſolus Dominus, tu ſolus Sanctus &c.* Sic homo paruus poteſt dici magnus nano cōparatus, &c. huc etiam reducitur illa diſtinctio de ſecundum quid, & ſimplicitèr, ſeruatis ſeruandis.

Alia diſtinctio eſt, de vt quo, & vt quod: vt quo, ſignificat formā, vel quid formæ ſimile; vt quod, ſignificat id, quod habet formam, à qua accipit denominationem, v. g. paries eſt albus, hic eſt id, quod eſt albus, albedo eſt id, quo eſt albus; aliquando etiam vt quod ſignificat cauſam principalem, vt quo, inſtrumētalem, ſic Petrus, vt quod ſcribit, calamus verò, vt quo.

Alia diſtinctio eſt de formalitèr & virtualitèr; tunc dicitur aliquod formalitèr tale, quando in ſe verè talem formam habet, ſic ignis dicitur formalitèr calidus, quia verè, & realitèr talem calorem habet in ſe, à quo calidus denominatur; tunc verò dicitur tale virtualitèr, quando non habet talem formam in ſe, ſed quia poteſt illam producere, ſic Sol dicitur virtualitèr calidus, cùm poſſit producere ſic calorē.

Alia diſtinctio eſt de actu, & potentia; tunc res dicitur actu eſſe, quando actu exiſtit; tunc verò dicitur in potentia, quando de facto in rerum natura non eſt, licèt exiſtere poſſit. Itèm ex his, quę ſunt in actu alia ſunt in actu primo, alia in actu ſecundo, illa dicuntur in actu primo quæ ſunt principia, vel virtutes operandi; illa dicuntur eſſe in actu ſecundo, quæ ſunt operationes à tali principio prouenientes, V. g. homo eſt currens in actu primo cū iam habeat potentiam ad curſum, eſt verò currens in actu ſecundo cū de facto currit &c.

Alia diſtinctio eſt de poſitiuè, & negatiuè, tunc aliquid dicitur tale poſitiuè, quando eſt tale per formam poſitiuam, quam habet, vt bonus per ſuam habitam bonitatē dicitur poſitiuè talis; negatiuè verò dicitur talis, quia non habet bonitatem, ſed quia caret vitio, non dicitur vitioſus, ſed bonus negatiuè .ſ. non bonus.

Alia diſtinctio eſt de actu ſignato, & exercito. tūc aliquod dicitur in actu ſignato, quando denotatur ſignificatio termini, vt cū V. g. dicitur quod definitio conſtat ex genere, & differentia; tunc verò in actu exercito aliquid dicitur, quādo accipitur pro exercitio ſignificationis eiuſdem, vt definiēdo hominē, ꝙ ſit animal rationale &c.

Alia diſtinctio eſt de ſenſu compoſito, & diuiſo: primus ſenſus eſt

cùm ſignificatur aliquid conuenire ſnbiecto cum aliqo addito, vt V.g. paries albus diſgregat viſum, quod prædicatum verificatur de pariete compoſito cum albedine; ſenſus ſecundus eſt, quando ſignificatur prædicatum cõuenire ſubiecto ſeiuncto aliquo alio, vt ſedens poteſt currere, eſt vera in ſenſu diuiſo, ſeiuncta .ſ. ſeſſione, falſa in ſenſu compoſito, quia dùm ſedet non poteſt currere; ſed de hac diſtinctione fuſiùs alibi dicemus.

Alia diſtinctio eſt de obiectiuè, & ſubiectiuè, illa dicuntur alicui obiectiuè, quæ illi obijciuntur, vel ad cognoſcendum, vel appetendũ, quod ab intellectu cognoſcitur, dicitur obiectiuè in intellectu, & q̄ à voluntate amatur obiectiuè in voluntate; illa dicuntur in aliquo ſubiectiuè, quæ in illo ſunt, vt in ſubiecto à quo ſuſtentantur &c. de diſtinctione reali, formali, & rationis agemus infrà. Plures ſunt terminornm affectiones, de quibus diffuſè Summuliſtæ agunt, quæ ibi à curioſis iuuenibus videri poſsũt, quas nos relinquimus, tum quia parum neceſſarij cenſentur, tùm quia breuitati ſtudemus.

# TRACTATVS Secundus.

*De Propoſitione, eius partibus, & affectionibus.*

## Caput Primum.

*De Nomine, & Verbo.*

QVia propoſitiones cõſtant ex terminis, & termini, qui per ſè, & magis propriè à logico conſiderantur, ſunt nomina, & verba, de quibus Philoſophus 1. Perihierm. cap. 1. egit tamquàm de propoſitionis, & orationis partibus; hinc iure meritò, poſt tractatum de terminis, ad notitiam nominis, & Verbi accedimus, ex quibus propoſitio componitur.

Nomen ab Ariſt. loc. cit. ſic definitur. *Eſt vox ſignificatiua ad placitum, ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita, & recta.* Dicitur vox ſignificatiua ad placitum, vt excludantur voces non ſignificatiuæ, & ſignificatiuæ naturaliter; dicitur ſinè tempore, vt excludatur Verbũ, quod ſignificat cum tempore, & tamèn notat exercitium actionis, vel paſſionis; nam aliquando cum tẽpore videtur ſignificare, vt Annus, Menſis, Dies, Hora, &c. dicitur cuius nulla pars &c. vt excludatur oratio, cuius partes ſeparatæ eamdem retinent ſignificationem, quã habebãt coniunctæ; dicitur finita, vt excludantur nomina infinita, vt non homo, non leo &c. dicitur recta, vt excludãtur caſus obliqui; qui ratione ſui nõ ſunt partes propoſitionis, niſi caſibus rectis adiũgantur, vt hic liber eſt Franciſci, id eſt eſt aliquid Franciſci; hinc caſus obliqui non ſunt dicenda nomina, ſed caſus nominum; & Ariſtot. hic definiuit nomen in ſuo rigore, quatenus propoſitionẽ ſcientificæ deſeruire poteſt, vt benè Tataret. & Complutenſes aduertunt.

Ver-

Verbum ex Ariſt. ibidem cap. 3. *eſt vox ſignificatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita, & recta, & eſt ſemper eorum quæ de alteris dicuntur, nota*. Primæ duæ particulæ, in quibus nomen cum verbo conueniunt, patent ex dictis de nomine; dicitur cũ tempore, ad differentiam nominis, quod nunquàm exercitium actionis, vel paſſionis ſub aliqua differentia tẽporis importat; & quando in propoſitionibus neceſſarijs, vt homo eſt animal, verbum dicitur à tempore abſolui, non eſt ſenſus, quòd ſignificat ſine vllo ordine ad tempus, ſed dicitur abſolui à tempore determinato; cùm enim extrema naturalem habent connexionem, exigunt vniri ſimpliciter, & abſolutè, non pro tempore aliquo determinato. Cuius nulla pars ſeparata &c. explicatur vt ſuprà in definitione Nominis &c. finita, ad excludenda verba infinita, vt non currit, non ſtudet &c. per eamdem rationem, qua nomina infinita excluſa ſunt à nominis ratione; recta, ideſt præſentis temporis indicatiui modi, Ariſt. enim loquutus fuit de Verbo, quod per ſe poterat enunciare veritatem ab alio independentèr, quod eſt ſolum præſens indicatiui modi; alia verò tempora dependentèr ab illo veritatem enuntiant, vt iſta, Paulus cucurrit, ideò eſt vera, quia aliquando verũ fuit dicere de præſenti Paulus currit &c. Et eſt ſemper &c. ad excludendum participium, quod licèt cum tempore ſignificet, non poteſt tamèn eſſe nota, vel vnio extremorum, & copula propoſitionis, vt amans, legens, currens, &c.

Eſt tamèn hic aduertendum ex Tatar. quòd nomen, & Verbum poſſunt ſumi dupliciter. Primo intentionalitèr, ſignificant ipſas voces nominis, & Verbi, & hoc modo hic non definiuntur; alio modo, ſecundo intentionalitèr, quatenus important ſecundam intentionem illis attributam, & ità hic definiũtur; logicus enim principalitèr ſecundas intentiones conſiderat, & quòd ſecunda intentio poſſit denominatiuè de primis prædicari, clarius infrà patebit.

## Caput Secundum.

*De Oratione, & quotuplex ſit.*

ORatio ſic ab Ariſt. lo. cit. c. 4. definitur: *Eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius aliqua pars ſeparata ſignificat, vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio*. Dicitur vox ſignificatiua ad placitum, eadem ratione, qua de nomine, & verbo, &c. cùm hac differentia, quòd nomẽ, & verbum ſignificant ad placitum ratione ipſorũ impoſitionis, Oratio verò ratione ſuarum partium; dicitur vox in ſingulari, ratione vnius formæ, quæ vnitas ordinis, & cõplexionis eſt; dicitur cuius aliqua pars ſeparata, &c. ad denotãdum, non omnes eius partes ſignificatiuas eſſe debere, ſed ſufficere, ſi aliqua ſit ſignificatiua (licèt aliæ ſint conſignificatiuæ, vt sũt omnia ſyncha-

cathegoremata, vt optimè explicatur à Tatar.) vt ſubordinatur cõceptui complexo, ità vt oratio ſit compoſita ex partibus, quibus diſtincti, & ſeparati conceptus correſpondeant; ſi enim A, imponeretur ad ſignificandum, quod homo eſt animal rationale, eſſet oratio, &c. Dicitur dictio, &c. ad ſignificandum, quòd partes orationis ad minùs debent eſſe ſignificatiuæ, vt dictio; & nõ requiritur neceſſariò, quòd ſint affirmatio, & negatio, & ideò dixit, nõ vt negatio, vel affirmatio; non intelligens per hoc negare, quòd aliquando partes orationis ſignificant, vt affirmatio, & negatio, nàm oratio Hypotetica habet partes, quæ conſtant ex affirmatione, & negatione, ſed neceſſariũ eſt, quòd aliquæ eius partes ſint dictiones, quod commune eſt Orationi ſimplici, & cõpoſitæ, vt optimè Tatar. aduertit, nàm etiam ipſamet affirmatio, & negatio ex quibus conſtat Hypotetica reſoluũntur in terminos, vt patet de iſta, Petr' dormit, & Paulus ſtudet, &c. Ariſt. autẽ hic definiuit orationẽ in cõmuni, q̃ vniuerſalitèr habere debet partes, & dictiones.

Diuiditur Oratio in perfectam, & imperfectam: Perfecta eſt, quæ integram declarat ſententiam, ad cuius perfectionem animus audiẽtis quieſcit, nec aliud expectat, vt Deus eſt ſummum bonum: Imperfecta eſt, quæ integram ſententiam non declarat, ſed animum ſuſpenſum relinquit, vt ſi timueris Deũ, &c. & vtraq; ſubdiuiditur; imperfecta, altera eſt cum verbo, vt in allato exemplo; altera ſinè verbo, vt homo albus &c. Perfecta etiam duplex .ſ. non enunciatiua, & enũciatiua; prima eſt, quæ licèt ſententiam explicet, & quietet, non tamèn dicit verum, vel falſum, quæ vel modo optatiuo ſit, vt vtinam homines ſaperent, vel imperatiuo, vt ſtude puer lectionem, vel vocatiuo, vt parce mihi Domine, vel interrogatiuo, quò vadis? &c. Enũciatiua eſt, quæ verum, vel falſum dicit, vt homo eſt animal &c. & ideò ſit in modo indicatiuo. Vndè benè Petrus Hiſp. notat, quòd ſola oratio indicatiua dicitur enũciatio, vel propoſitio, aliæ enim nõ ſignificant verum, vel falſum, niſi reducantur ad indicatiuam, quod tamèn intelligendum eſt de Cathegorica (ait Tatar) nàm multæ ſunt hypoteticæ determinatè veræ, quæ non ſunt modi indicatiui, vt V. g. ſi Aſinus volaret, haberet alas &c. Et tandem eſt hic aduertendum, quòd quãdo definitur Oratio, propoſitio, ſyllogiſmus, &c. non definiuntur à logica pro prima intentione, quia ſic ſunt quædam complexa, & complexum nõ definitur, ſed definitur oratio, &c. pro ſecũda intentione, quomodo eſt quid incomplexum, & eſt prædicatio denominatiua, ſicut de Nomine, & Verbo.

Caput

## Caput Tertium.

*De Propoſitione, ſeu Enunciatione, & quotuplex ſit.*

SCiendum eſt hic, Propoſitionē, & Enunciationem non differre eſſentialitèr, ſed tantùm in ordine ad diuerſos reſpectus, ſi enim Oratio ſola ponatur enunciãs ſimplicem veritatem, vel falſitatem, Enunciatio dicitur; ſi verò ponatur in argumentatione, ad inferēdam concluſionem, dicitur propoſitio, & dupliciter ab Ariſt. definitur primo perhiermenias cap. 4. ſcil. propoſitio eſt oratio, verū, vel falſum ſignificans; in primo Priorū verò c. 1. ſic: eſt oratio aliquid affirmans, vel negans; hinc altercantur Doctores, quæ ipſarum ſit perfectior, & amplectenda. Alexãder, & Ammonius, quos ſequūtur Recentiores, vt Complut. Blãcus, Hurtadus, & alij ſequuntur illam primo Priorum. Petrus Hiſp. Tatar. Conimbricenſes, Maſtr. & Bellut. cum alijs ſequuntur illam primo Perhierm. vtraq; ſententia eſt probabilis. Et ponitur verū, vel falſum diſiūctiuè ex Tatar. ad circumloquendum nobis differentiā propoſitionis, quęlibet .n. eſt vera, vel falſa; & quādo dicimus in propoſitione vocali, veritatē, vel falſitatem reperiri, nō debet hoc intelligi, tamquā in proprio ſubiecto, & fundamento, ſic enim ſolùm reſidet in propoſitione mētali, vt benè aduertit Tatar; Veritas enim propriè dicta, eſt cōformitas propoſitionis mentalis, ſeu iudicij ad eius ſignificatum, quando .ſ. ità res eſt, vt per propoſitionem mentalē ſignificatur, falſitas verò eſt difformitas oppoſita; Quare intelligi debet de veritate, & falſitate in propoſitione, velùt in ſigno expreſſiuo iudicij mentalis, eo modo, quo dicitur ſanitas in vrina cōtineri, quatenus .ſ. ſit ſignum ſanitatis, & hoc modo accipiendo propoſitionem, poteſt dici communis ad hypoteticam, & Cathegoricam, quæ ſunt eius partes principales, ſignificat enim obiectum complexum, ſupèr quod cadere poteſt iudicium, in quo veritas, vel falſitas reperitur, &c. ex quo tandèm ſequitur, quòd propoſitio vocalis, vel ſcripta, non dicitur vera, vel falſa denominatione intrinſeca, ſed ſolùm denominatione extrinſeca, quatenùs ſubordinatur propoſitioni mentali veræ, vel falſæ, ſaltèm de communi vſu logicorum.

Diuiditur tamquam in ſpecies principales, in ſimplicem, ſeù Cathegoricam; & in compoſitam, ſeù hypoteticam. Cathegorica eſt, quę conſtat ſubiecto, prædicato, & copula tamquam partibus principalibus, vt homo eſt animal; Hypotetica eſt, quæ conſtat ex pluribus enunciationibus ſimplicibus, aliqua coniunctione copulatis, vt ſi dies eſt, lux eſt; Petrus dormit, & Paulus ſtudet; & licèt aliqui Doctores velint hanc diuiſionem non eſſe generis in ſuas ſpecies, ſed tātū Analogi in ſua analogata, pro-

babiliùs tamèn eſt eſſe generis in ſpecies; interroganti enim de ſubſtantia, quæ nã ſit, optimè ℞. quòd ſit Cathegorica, vel Hypotetica. Tùm quia ſicut terminus incôplexus, & complexus vniuocè conueniunt, licèt vnus ſignificet rem ſimplicem, & alius côpoſitam, itá Cathegorica, & Hypotetica in ſignificãdo veritatem, licèt vna ſit ſimplex, & alia compoſita. Non negamus tamèn cum tali vniuocatione admixtam eſſe analogiam, & propriùs veritatem inueniri in Cathegorica, quã in Hypotetica, vt multi Doctores ſequuntur.

Dices, Hypotetica conſtat ex Cathegorica, ergò non eſt ſpecies ab ea diſtincta, conſequentia probatur, quia vna ſpecies non componit aliam, à qua diſtinguitur. ℞. negando conſequentiam, binarius enim ſpecie diſtinguitur à ternario, & tamèn ipſum ternarium côponit, & terminus complexus ex incomplexo conſtituitur, & tamèn ab illo ſpecie diſtinguitur, Et homo à partibus corporis componitur, à quibus diſtinguitur, &c. falſum eſt igitur tolli rationẽ diſtinctionis ſpecificæ per hoc, quòd vna res aliam componit.

## Caput Quartum.

*De Propoſitione Cathegorica, & quotuplex ſit.*

CAthegorica propoſitio ex Tatar. *eſt illa, quæ explicitè, vel implicitè, formalitèr, vel æquiualentèr habet ſubiectum prædicatum, & copulam tamquam principales partes ſui.* dicitur Cathegorica, ideſt prædicatiua, quia prædicatum de ſubiecto enunciat, Cathegorica enim deriuatur à verbo cathegorizo, as; .i. prędico, as, ab alijs dicitur ſimplex, quatenùs ex ſolo verbo, & nomine componitur; dicitur explicitè, vel implicitè propter propoſitiones de verbis adiectiuis, vt Deus creat, vel de eſt ſecũdo adiacẽte, vt Deus eſt, in quibus ſolùm implicitè copula continetur, vt patet eas reſoluendo, Deus eſt creans, Deus eſt ens; ponitur formalitèr, vel æquiualentèr, quia etiam ſi A. imponeretur ad ſignificandum homo eſt animal, tunc A, eſſet propoſitio, quia ſubordinaretur côceptui côplexo; cùm verò Propoſitio continet explicitè ſubiectum, prædicatum, & copulam, dicitur formalitèr, & eſt de tertio adiacente, vt homo eſt animal, &c.

Eſt hic adnotandum, quòd aliquando ſubiectum eſt vnica tantũ dictio, vt homo, animal, &c. quandoq; vna Oratio, vt homo ſapiens eſt bonus, aliquando vnica propoſitio, vt homo, qui eſt ſapiens, fugit peccatum, &c. quæ præpoſitiones ſunt Cathegoricæ, ſicut etiam cùm dicimus homo eſt animal, in quibus integra propoſitio habet locũ ſubiecti, & copula propoſitionis illius, quę gerit vicem ſubiecti, dicitur copula minùs principalis, quia ex illa non attenditur veritas, vel falſitas propoſitionis, ſed ex copula ſecũda, quæ ideò principalis dicitur,

citur, ità Summuliſtæ cõmunitèr.

Quatuor in propoſitione Cathegorica conſiderantur, quæ etiam ſuo modo Hypoteticæ conueniũt, ſcil. forma, materia, quantitas, & qualitas. Forma propoſitionis eſt copula, quæ vnit prædicatum cum ſubiecto, ſecundum affirmationẽ, vel negationem; Materia ſunt termini, in quibus, vel ex quibus formatur propoſitio, & cognoſcitur per habitudinem, vel connexionẽ prædicati cum ſubiecto; ſi enim ſunt neceſſariò connexa, vt homo eſt animal, propoſitio eſt in materia neceſſaria; ſi ſunt connexa contingentèr, vt homo eſt albus, eſt in materia contingenti; ſi neutro modo connecti poſſunt, vt homo eſt lapis, eſt in materia impoſſibili, ſeù remota. Pro cuius notitia dantur à Summuliſtis hæ regulæ, quòd in materia neceſſaria, affirmatiua sẽper eſt vera, negatiua falſa, vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal; in remota è contrà, negatiua ſemper eſt vera, affirmatiua falſa, vt omnis homo eſt lapis, nullus homo eſt lapis; in contingenti vtraq; poteſt eſſe vera, & vtraque falſa, vt omnis homo currit, aliquis homo non currit.

Quantitas denotat propoſitionẽ eſſe Vniuerſalem, vel particularẽ, indefinitam, vel ſingularem. Vniuerſalis eſt, cuius ſubiectũ eſt terminus communis ſigno vniuerſali determinatus; vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt lapis; particularis eſt, cuius ſubiectũ eſt terminus communis ſigno particulari determinatus, vt quidam homo currit, aliquis homo non currit; indefinita eſt, quæ habet pro ſubiecto terminum communẽ nullo ſigno notatum, & ideò dicitur indefinita, vt homo eſt animal, homo eſt doctus; quæ tamen ſi fiat in materia neceſſaria, vel remota, æquiualet Vniuerſali, nàm tantum valet homo eſt animal, quantũ omnis homo eſt animal; & homo non eſt lapis, idem valet, quòd nullus homo eſt lapis; ſi verò fiat in materia contingenti, ęquiualet particulari, vt homo currit, idem valet, quod aliquis homo currit; vel demùm eſt ſingularis, cùm .ſ. ſubiectũ eſt terminus ſingularis, vt Petrus currit, vel cõmunis, ſed ſigno demoſtratiuo notatus, vt hic homo currit; Ex quibus habetur quantitatem attendendam ſolùm eſſe ex parte ſubiecti, non ex parte prædicati, nàm hæc Petrus eſt homo, eſt propoſitio ſingularis, licèt prædicatum ſit Vniuerſale.

Qualitas propoſitionis eſt affirmatio, vel negatio, veritas, vel falſitas; ſed quia affirmatio, & negatio vidẽtur differẽtiæ eſſentiales dicũtur qualitas intrinſeca propoſitioni: veritas verò, & falſitas, qualitas extrinſeca; dicitur qualitas, q̃a interrogãti qualis eſt propoſitio? ℞. eſſe affirmatiuã, vel negatiuã, verã, vel falſam; Propoſitio affirmatiua eſt, in qua prædicatũ affirmatur de ſubiecto; negatiua in qua prædicatũ negãtur de ſubiecto; hinc aduertendum

tendum eſt, quòd ad propoſitionē negatiuam, exigitur neceſſariò, vt negatio cadat ſupra copulā principalem, quarè ſi negatio coniuncta ſit cum ſubiecto, vel prædicato nō erit propoſitio negatiua, ſed affirmatiua de termino, vel de terminis infinitis, vt ſunt iſtæ, Petrus eſt non lapis, non lapis eſt homo, non lapis eſt non homo. Neq; etiā ſi negatio coniuncta ſit cū copula minùs principali, redditur propoſitio negatiua, qualis eſt hæc, qui non ſtudet, eſt ignarus, ſed vt negatiua ſit, debet negatio coniungi cū verbo præcipuo, vt qui ſtudet non eſt ignarus.

Cathegorica propoſitio ratione prædicationis, diuiditur in directā, ſeu naturalem, & in indirectā, ſeu innaturalem, Directa eſt, in qua prædicatur id, quod prædicari debet, ſuperius. ſ. de inferiori, vt quātitas eſt accidens, homo eſt animal &c. Accidens de ſubiecto, vt ferrū eſt durum, quando talis ordo ſeruatur, propoſitio dicitur naturalis; quando verò inuerſo ordine, dicitur innaturalis, ſeu indirecta, vt accidens eſt quātitas, animal eſt homo, durum eſt ferrum, &c. Ratione verò modi, quo exprimitur prædicatum ſubiecto conuenire, diuiditur Propoſitio in abſolutam, ſeu de ineſſe, & in modalem; Prima eſt in qua abſolutè prædicatū ſubiecto ineſt, nullo modo addito, quo ei conueniat, vt homo eſt animal. Modalis eſt, quæ etiam modum exprimit, quo prædicatum tali ſubiecto conuenit, vt neceſſe eſt hominem eſſe animal, &c. An autē hæc diuiſio ſit generis in ſpecies. ℞. negatiuè, quicquid Tatar. dicat, ſufficit enim. vt diſtinguantur tantùm accidētalitèr, quatenùs in vna prędicatum tribuitur ſubiecto abſolutè, in alia verò ſpecificatur modus, quò prædicatum ſubiecto conueniat. Triplex igitur petitio fieri poteſt de propoſitione; primò de eius eſſentia, & quidditate, & ℞. quòd eſt Cathegorica, vel Hypotetica; ſecundò de Quantitate, & ℞. quòd eſt Vniuerſalis, vel particularis, indefinita, vel ſingularis; Tertiò de qualitate, & ℞. quòd eſt affirmatiua, vel negatiua, vera, vel falſa, vt in hoc verſu apparet.

*Quæ, Ca, Vel, Hyp, Qualis, Ne,*
*Vel, Af, V, Quanta, Par, In, Sin.*

## Caput Quintum.


*De Oppoſitione Cathegaricarum ſimplicium.*

PRima propoſitionis paſſio eſt contrarietas, ſeu oppoſitio, quę ſic à Summuliſtis definitur: *Oppoſitio eſt duarum propoſitionum vtroque termino participantium eodem ordine, ſecundum qualitatem, vel quantitatem, vel ſecundum vtramq; repugnantium.* Dicitur repugantia duarū propoſitionum, nàm eadem propoſitio ſibi ipſi non aduerſatur. Dicitur quoquè vtroque termino participantium, ideſt eodem ſubiecto, & prędicato, & eodem modo in vtroque acceptis, ità vt non varietur terminorū ſuppoſitio, ſed in vtraque

que ſumatur pro eodem ſignificato nomine, ac re, vniuocè cum eadem integritate, nec aliquis terminus ponatur in vna, qui in alia propoſitione nō ſit, pro eodem loco, & tempore, ità vt ſola variatio ſit in qualitate, vel quantitate propoſitionis, de reliquo ſint prorſus vniformes, dicitur eodem ordine, ſcilicèt, illud quod erat ſubiectum in vna propoſitione, remaneat in alia ſubiectum, ſicùt etiam & prædicatum, vt omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus &c. dicitur ſecundum qualitatem, & quantitatem &c. quia repugnantia propoſitionum ſecundum affirmationē, & negationem, vniuerſalitatem, & particularitatem attenditur.

Quadrupliciter autem poſſunt propoſitiones ad inuicē repugnare, .ſ. contrariè, ſubcontrariè, ſubalternè, & contradictoriè; ſi conueniunt in quantitate, ità vt vtraque ſit Vniuerſalis, & differunt in quãlitate, ità vt vna ſit affirmatiua, altera negatiua, opponuntur contrariè, vt omnis homo currit, nullus homo currit; ſi conueniunt in quantitate, ità vt ambæ ſint particulares, ſed differunt in qualitate, ità quòd vna ſit affirmatiua, altera negatiua, opponuntur ſubcontrariè, vt quidam homo currit, quidā homo non currit; ſi conueniunt in qualitate, .ſ. ambæ ſunt affirmatiuæ, vel negatiuæ, ſed differunt in quantitate, quia vna eſt Vniuerſalis, altera particularis, opponuntur ſubalternè, vt oñis homo currit, quidam homo currit; ſi differūt in quantitate, & qualitate, opponuntur contradictoriè, quæ eſt oppoſitio maxima, vt omnis homo currit, quidam homo non currit, vt in præſenti figura patet.

Figura oppoſitionum de Ineſſe.



## Caput Sextum.

### *De Regulis Oppoſitionum.*

OPpoſitio contradictoria *eſt repugnantia duarum propoſitionū in qualitate, & quātitate ſimul, ità quòd vna ſit Vniuerſalis affirmatiua, alia particularis negatiua*, vt omnis homo currit, quidam homo nō currit; vel Vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, vt null' homo currit, quidam homo currit; vndè not. ex Tatar. hìc definiri oppoſitionē contradictoriam de ſubiecto communi, hinc licèt Petrus currit, & Petrus non currit, non ſint affirmatiua Vniuerſalis, & particularis negatiua, ſunt tamèn verè contradictoriæ, principalis enim oppoſitio in affirmatione, & negatione conſiſtit, vt Ariſt. 1. Perhiermenias c. 5. docet: Lex verò contradictoriarū eſt indiſpenſabilis, quòd non poſſunt ſimùl eſſe veræ, vel falſæ, ſed ſempèr ſi vna neceſſariò eſt vera, altera neceſſariò erit falſa, ꝙ fūdatur in illo generaliſſimó principio, quòd idem de eodem ſimùl affirmari, & negari nō poteſt. Hinc liquidò apparet quàm immeritò Ferchius carpiat Maſtrium, & Bellutum, viros vtiq; doctiſſimos, & hac tempeſtate famoſos, quòd rudimenta logica neſcierint, ex eo quia ſingularem affirmatiuam, & ſingularem negatiuam Contradictorias, appellauerint, cùm potiùs ipſe Ferchius de imputato crimine redarguatur, neſciens diſtinguere de oppoſitione contradictoria de ſubiecto communi, & de ſubiecto ſingulari, vt rectè Tatar. docuit tract. 1. Summul. 3. ſciendum lit. F. arg. vlt. fol. mihi 16.

Obijcies, Album, & non album ſunt cōtradictoria, & tamèn homo in quātùm homo, nec eſt albus, nec non albus, ergò intèr contradictoria datur medium. ℞. aliud eſſe loqui de terminis, aliud de propoſitionibus cōtradictorijs, de primis currit argumentum, non de ſecundis; ſi enim dicatur, homo in quantùm homo eſt albus, homo in quātùm homo non eſt albus, vt ſunt contradictoriæ, verè ſi vna erit vera, altera neceſſariò erit falſa.

Dices, hæc poſſunt ſimùl eſſe veræ, homo ſempèr ſtudet, homo nō ſempèr ſtudet, ſi Petrus V.g. ſempèr ſtudeat, & Paulus non ſempèr ſtudeat. ℞. hoc eſſe verùm, nàm illæ propoſitiones ſunt ſubcōtrarię, cùm terminus ſit communis, qui in materia contingenti æquiualet particulari.

Contraria oppoſitio, *eſt repugnātia duarum propoſitionum vniuerſaliū in qualitate*, vt omnis homo currit, nullus homo currit, & ad hanc reducuntur propoſitiones indefinitæ ſi ſint in materia neceſſaria, aut impoſſibili, quia ſic æquiualent vniuerſalibus. Lex iſtarum eſt, quòd in nulla materia poſſunt ambę eſſe ſimùl veræ, benè tamèn ſimùl falſæ in materia contingenti, vt omnis homo currit, nullus homo currit. In materia neceſſaria, aut impoſſibili, ſempèr vna eſt vera, altera fal-

ſa, vt

Digitized by Google

ſa, vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal.

Subcontraria oppoſitio, *eſt repugnantia duarum propoſitionum particularium in qualitate*, vt quidam homo currit, quidam homo non currit, Lex earum eſt, quòd poſſunt ſimùl eſſe veræ in materia contingenti, vt patet in allato exemplo, & ratio eſt, quia idem prædicatum non affirmatur & negatur de eodē ſubiecto determinato, quia ſic eſſent contradictoriæ, non poſſunt tamèn ambæ eſſe falſę, alioquin ſequeretur cōtradictorias eſſe ſimùl falſas.

Subalterna oppoſitio *eſt repugnantia duarum propoſitionum in ſola quantitate*, vt vniuerſalis affirmatiua, cum particulari affirmatiua, vel vniuerſalis negatiua cum particulari negatiua. Lex earum eſt, ꝙ ſi vniuerſalis ſit vera, particularis etiam erit vera, non tamèn è conuerſo, niſi in materia neceſſaria, & ratio eſt, quia ex vniuerſali vera, poteſt inferri particularis vera, vt oñis homo currit, ergò Franciſcus currit, &c. & non è contrà; & ſi hæc eſt vera, quidam homo eſt animal, ergò omnis homo eſt animal, hoc eſt tantùm ratione materiæ, non ratione conſequentiæ. Itèm ſi particularis eſt falſa, erit etiam falſa vniuerſalis, ratio eſt quia ſi prædicatum remouetur ab aliquo particulari, iàm non conuenit omnibus, at ſi vniuerſalis eſt falſa, non tamē particularis, nàm hæc eſt falſa, omnis homo eſt albus, hæc vera, quidam homo eſt albus, niſi in materia remota impoſſibili, vt omnis homo eſt lapis, ergò quidam homo eſt lapis, quia eadem ratione, qua impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem, eadem ratione impoſſibile eſt Petrum lapidem eſſe. Hinc notandum, quòd licèt non valeat argumentari à ſuperiori ad inferius in propoſitione de 2. adiacente, vt animal eſt, ergò homo eſt, valet tamèn in propoſitione de 3. adiacēte, vt homo eſt animal, ergò Petrus eſt animal, omnis homo currit, ergò Petrus currit &c.

Quæres, an omnes ſupradictæ oppoſitiones ſint verè contrariæ. ℞. negatiuè, ſed ſolùm contradictoriæ, & contrariæ ſunt verè oppoſitæ, non ſubalternæ, & ſubcontrariæ ex Tatat. 1. Perhier. qu. 4. & ſequuntur Fonſeca, Blanc. Arriaga, & alij, & videtur expreſſa Ariſt. sēt. 1. Perhier. c. 5. & 2. prior. c. 15. & ratio eſt, quia vera oppoſitio eſt eiuſdem de ſeipſo, non nominis tātùm, nec rei tantùm, ſed rei, & nominis ſimùl; at ſubalternæ non opponuntur ſecundum affirmationē, & negationem, & poſſunt ambę eſſe ſimùl veræ, & ſimùl falſæ ex dictis; immò Vniuerſalis continet particularem, ſi enim hæc eſt vera, omnis homo currit, ergò vera erit etiam iſta, quidā homo currit, ergò non ſunt in toto rigore oppoſitę; & ſi vna ſit Vniuerſalis, alia particularis, parū refert, nàm in quantitate non datur vera oppoſitio, quarè ſubalternæ potiùs diuerſæ,

quàm

quam oppoſitæ cenſentur; ſubcõtrariæ autem licèt ſint affirmantes & negantes, tamèn nõ ſunt de vno & eodem ſubiecto ſecundum rem, ſed ſolùm ſecundum vocem, ideò non ſunt verè oppoſitæ, ſed dicuntur oppoſitæ latè, pro quacumque diuerſitate, vt Caſilius lib. 2. tract. 2. c. 7. aduertit.

Signa igitur quantitatis propoſitionum ſunt quatuor; ſcil. omnis, nullus, quidam, quidam non, duo priora ſunt Vniuerſalia, duo poſteriora particularia; omnis, & nullus ſunt notæ contrariæ; aliquis, & aliquis non, ſubcontrariæ; omnis, & aliquis, nullus, & aliquis non, ſubalternæ; omnis, & aliquis non, nullus, & aliquis contradictoriæ.

Reperitur etiam ſuo modo oppoſitio in ſignis mixtis, nàm alia ſunt magis vniuerſalia, vt vterque & neuter; alia magis Particularia, vt alter, & alter non, ideò vterque & neuter opponuntur contrariè; neuter, & alter, vterque & alter nõ contradictoriè; alter, & alter non, ſubcontrariè; vterque & alter, neuter, & alter non, opponuntur ſubalternè.

## Caput Septimum.

### *De Conuerſione Cathegoricarum Simplicium.*

*Conuerſio eſt duarum propoſitionũ Cathegoricarum, vtroque termino participantiũ per extremorũ tranſmutationem formalis conſequentia*. ſ. eſt quædam conuerſio propoſitionum prædicati in ſubiectũ & è cõtra, ſeruata ſempèr eadem qualitate, & veritate .ſ. quòd maneat copula affirmatiua, & negatiua vt robiquè, vt aliquis homo eſt albus, quodam album eſt homo, propoſitio, quæ conuertitur dicitur conuerſa, altera, quæ ex illa infertur, dicitur conuertens; Et triplex aſſignari ſolet ſcil. ſimplex, per accidens, & per contrapoſitionem. Prima fit quando nec quantitas, nec qualitas mutatur, & ideò dicitur conuerſio ſimplex, totalis, & mutua, qua conuerſione mutantur, & cõuertuntur ſolùm vniuerſalis negatiua, in vniuerſalem negatiuam, vt nullus homo eſt lapis, nullus lapis eſt homo, & particularis affirmatiua, in particularem affirmatiuam, vt quidam homo eſt albus, quoddam album eſt homo.

Secunda conuerſio, quæ dicitur per accidens eſt, quando tranſponuntur termini, vt ſuprà, ſed mutatur ſolùm quantitas, & hac cõuerſione conuertuntur vniuerſalis affirmatiua in particularem affirmatiuam, vt omnis homo eſt albus, ergò quodam album eſt homo, & vniuerſalis negatiua, in particularẽ negatiuam, vt nullũ animal eſt lapis, ergò quidam lapis non eſt animal. Eſt hic notãdum, quòd etiam vniuerſalis affirmatiua poteſt ſimplicitèr conuerti in terminis conuertibilibus, vt homo eſt rationalis, ergò omne rationale eſt homo.

Tertia conuerſio vocatur per cõtrapoſitionẽ, de qua loquitur Boetius in ſua logica, & eſt quãdo trãſponun-

ponuntur termini vt ſupra, remanente eadem quantitate, & qualitate, ſed infinitantur apponendo duas negationes, vnam ad ſubiectũ, alteram ad prædicatum, vt omnis homo eſt animal, ergo nõ animal, eſt non homo; ſic conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, in vniuerſalem affirmatiuam, vt in allato exẽplo, particularis negatiua in particularem negatiuam; vt aliquis homo non eſt albus, ergo aliquod nõ album non eſt non homo, ſed non poteſt rigorosè dici conuerſio, cũ nõ remaneant eadem extrema, nã vnum eſt finitum, alterũ infinitũ. eſt hic valdè aduertendum nè in cõuerſionibus varietur ſuppoſitio, vt V. g. aliqua ſpecies eſt homo, ergo aliquis homo eſt ſpecies, aliquis dormiens eſt excitatus, ergò aliquis excitat⁹ eſt dormiẽs, in prima variatur ſuppoſitio, in ſecũda variatur ſtatus, & ſic de reliquis.

Ad facilius autem hæc intelligẽda, quatuor vocales deſignatæ ſũt, .ſ. A. E. I. O. prima ſignificat Vniuerſalem affirmatiuam; Secunda Vniuerſalem negatiuã; Tertia particularem affirmatiuam, Quarta particularẽ negatiuã, vndè verſus.

*Aſſerit A, negat, E, ſunt vniuerſalitèr ambæ.*

*Aſſerit I, negat, O, ſunt particularitèr ambæ.*

Ex quibus vocalibus conſtituũtur etiam tres dictiones, in quibus omnes conuerſiones comprehenduntur .ſ. Feci, Eua, Aſto, his verſibus contentæ, ſcilicèt.

*Feci ſimplicitèr cõuertitur, Eua per Acci. Aſto per contra, ſic fit conuerſio tota.*

Feci, denotat, quòd vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, ſimplicitèr conuertuntur, Eua quòd vniuerſalis negatiua poteſt etiam per accidẽs conuerti, & vniuerſalis affirmatiua, ſolùm per accidens virtualitèr loquendo. Aſto, ſignificat, ꝙ vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua per contrapoſitionẽ conuerti poſſunt. Et eſt obſeruandum pro cõuerſione ſimplici, quòd ſi prædicatum contineatur implicitè in copula, vt accidit in propoſitionibus de ſecũdo adiacente, tũc reſoluitur verbũ in ſuum ſignificatum .ſ. omne animal ſentit, ergò omne ſentiens eſt animal, quod etiam fieri debet in terminis obliquis cũ aliqua tamen circumlocutione, vt v. g. hic liber eſt Petri, ergo aliqua res Petri eſt hic liber. Quantùm ad propoſitiones ſingulares, conuertũtur ſimplicitèr, vt Paulus eſt albus, aliquod albũ eſt Paul⁹. Quo ad propoſitiones indefinitas, ſi ſunt in materia neceſſaria, vel impoſſibili, conuertuntur, vt vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua; ſi in materia cõtingenti cõuertuntur vt particulares; ſi fiãt in terminis ſimplicitèr ſupponentibus vt homo eſt ſpecies, debẽt conuerti per accidẽs vt homo eſt ſpecies, ergò aliqua ſpecies eſt homo. ſi quis plura ſcire deſiderat, legat Tatar. & alios Sũmuliſtas, quia pro noſtro inſtituto iſta ſufficiunt.

### *De Æquipollentia Cathegoricarum. Cap. VIII.*

*Æquipollentia eſt duarum propoſitionum, vtroque extremo vniuocè participantium, eadem vis, & poteſtas ex varijs ſignis quantitatiuis prouenieñs, propter negationē illis adiunctam.* Si igitur negatio pręponatur alicui ſigno, deſtruit quicquid inuenit, negatio enim eſt, malignantis naturæ dicunt logici, & mutat quantitatem, & qualitatē; Si negatio poſtponatur deſtruit ſolùm qualitatem, non autem quātitatem; Si negatio præponatur, & poſtponatur, deſtruit quātitatem, & ideò, vt dignoſcantur quomodò propoſitiones inter ſe ęquipolleant, aſſignatur hic verſus.

*Præ Cōtradic. Poſt Contra. Præpoſtque Subalter.*

Præ Contradic. ſignificat primā regulā, q. ſ. negatio præpoſita ſubiecto propoſitionis, reddit illam æquipollentem ſuæ cōtradictorię, vt hæc, omnis homo currit, opponitur huic, aliquis homo non currit, ſi ſigno vniuerſali præponatur negatio, dicendo nō omnis homo currit, & è contrà. Poſt contra, ſignificat ſecundam regulā ſcil. contrarias propoſitiones fieri æquipollentes, ſi cuilibet illarum poſtponatur negatio, vt v. g. hæ, quæ ſunt contrariæ, omnis homo eſt animal; nullus homo eſt animal, ſic fiunt æquipollentes, omnis homo non eſt animal, & nullus homo eſt nō animal, erit eadē cū illa, omnis homo eſt animal. Præpoſtque ſubalter, ideſt ſubalternas fieri æquipollentes, ſi cuilibet illarum præponatur, & poſtponatur negatio, vt omnis homo currit, fiūt tali modo æquipollentes, ſcilicèt non omnis homo non currit, & erit eadē cùm hac, aliquis homo currit; vel ſi dicamus, non aliquis homo non currit, erit eadem cùm illa, omnis homo currit. Sòlēt hic aſſignari quatuor verſus, vt facilius hæ regulæ menti retineātur, ſed iudicio meo magis difficultatem ingerunt, ideò præfatus ſolus ſufficit.

Quantùm verò ad propoſitiones ſubcontrarias, Caſilius, & alij aſſirmant poſſe æquipollere iuxta regulam contrariarum; at hoc falsū eſſe, experientia apparet, ſi enim ſubcontrarijs applicemus, nulla reſultabit æquipollētia, vt v. g. quidam homo currit, ſi dicamus quidam homo non currit, erit eadem cùm ſua ſubcōtraria, non ęquipollēns &c. & licèt aliqui Philoſophi laborent in aſſignanda etiam ſubcontrarijs æquipollentiam apponēdo illud ſignum negatiuum poſt ſubiectum ſ. nullum, ità vt formēt propoſitionem ſubcontrariam hoc modo, ſcilicèt quidam homo nullum eſt album, vt æquipolleat, quidam homo nō eſt albus, reuerà tamē nullum facit ſenſum, & potiùs videtur quid fictum, & imaginariū, quàm rationale. Sufficit ergo vt verſetur ęquipollentia inter cōtradictorias, Contrarias, & ſubalternas propoſitiones, iuxta ſenſum Verſus aſſignati.

Du-

Dubium eſt, an propoſitio affirmatiua de prędicato infinito ęquipolleat negatiuæ de prædicato finito & è contra, vt V.g. Petrus non eſt albus, ergo eſt non albus, & è contrà. Ariſt. 1. Perhier. c. 1. ità docuiſſe videtur, vt benè hìc Summuliſtæ notant, Sed poſteà 1. Prior. c. vlt. regulam limitauit, quòd non valet in prædicatis compoſitis, nō enim valet, lapis non eſt lignum album, ergo lapis eſt lignum non album, quia in ſecunda affirmaretur, quòd lapis eſt lignum, licèt non album, quod negabatur in prima, quam limitationem ex Ariſt. memorat Scotus in 1. d. 4. q. 1. ad tertium lit. E. & in 3. d. 3. q. 1. ſub G. Vbi Subtiliſſimus Doctor docet etiam nō valere de prædicatis ſimplicibus accidentalibus arguere à negatiua de prædicato finito ad affirmatiuam de infinito, V.g. Antichriſtus non eſt Crudelis, ergo eſt non crudelis, nàm ſecūda, ratione affirmatæ copulæ, & prædicati cōtingentis importat exiſtentiam ſubiecti, vbi prima de tali exiſtentia non curabat. Sed quia in propoſitionibus in materia neceſſaria, vel remota nō requiritur exiſtētia ſubiecti, valebit abſolutè cōſequētia ex vna ad aliā, vt V.g. homo nō eſt lapis, ergo eſt nō lapis. Hæc eſt cōmunis ſententia Summuliſtarum.

### *De Propoſitione Modali, et quotuplex ſit.* *Cap. IX.*

HVcuſque de propoſitione de in eſſe, eiuſque affectionibus egimus; reliquum eſt, vt de propoſitione modali, quę illam de in eſſe modificat, agemus; dicitur .n. Modalis, quia conſtat modo determinante ipſam, eſtque enunciatio ipſa, qua ſignificamus, non ſolū prædicatum conuenire ſubiecto, ſed etiam modum, quo tale prædicatū ſubiecto ineſt, quę etiam à nonnullis vocatur reſtrictio, & coarctatio propoſitionis ad aliquod particulare ſignificādū per modū additū.

Duo in propoſitione modali reperiuntur Modus. ſ. & dictum, v.g. in hac propoſitione, Petrum currere, eſt contingens; Petrū currere eſt dictū, eſt cōtingens verò eſt mod⁹; Mod⁹ igitur propoſitionis eſt modificatio, ſeù determinatio inhęrēs partibus illius, vel toti propoſitioni; qui modus triplex eſt, primus; inhærens parti propoſitionis, modificat, & determinat totam partem propoſitionis, & tales ſunt caſus obliqui, & nomina adiectiua adiuncta ſubſtātiuis, vt V.g. Equus Nicolai eſt velox ad currendum, Caſus ille obliquus Nicolai, determinat ipſum ſubſtantiuum Equi, vt pro quouis alio Equo non poſſit aſſumi; Secundus modus eſt, qui inhærens toti propoſitioni, totam propoſitionem determinat, cuius modi ſūt verum, falſum, &c. vt falſum eſt hominem eſſe lapidem, verum eſt hominem eſſe animal. Sed de his minùs curat logicus.

Tertius, & eſt proprius modus à logica intentus eſt, qui ità modificat, & determinat propoſitionem, vt ſi-

vt ſimùl etiã ſignificet materiam, ex qua ipſa propoſitio conſtat, quæ ſi ſit neceſſaria, modus erit neceſſarius, Si contingens, modus erit contingẽs, ſeu poſſibilis; ſi materia erit remota, modus erit impoſſibilis: Et tales ſunt modi neceſſarium, ſeù neceſſariò, poſſibile, ſeù poſſibilitèr, & impoſſibile, ſeù impoſſibilitèr, ex quibus patet, quod triplex erit propoſitio modalis. .ſ. neceſſaria, contingens, ſeù poſſibilis, & impoſſibilis.

Propoſitio modalis neceſſaria eſt, in qua Prędicatum, ità ineſt ſubiecto, vt non poſſit non ineſſe, & exprimitur per neceſſe eſſe, vel neceſſariò; vt neceſſe eſt hominem eſſe animal; Modalis cõtingens eſt, in qua prædicatum ità ineſt ſubiecto, vt poſſit non ineſſe, vel ità non ineſt, vt poſſit ineſſe, & exprimitur per hunc modum .ſ. cõtingens, vel poſſibile eſt, vt hominem eſſe albũ contingens, vel poſſibile eſt; Modalis impoſſibilis eſt illa, in qua prædicatum neque ineſt, neque poteſt ineſſe ſubiecto naturalitèr, & exprimitur per modum impoſſibile, vel impoſſibilitèr, vt hominẽ eſſe lapidẽ eſt impoſſibile, vel impoſſibilitèr homo eſt lapis.

Propoſitio Modalis duplex eſt, Compoſita, & Diuiſa. Ad cuius explicationem variæ ſunt Doctorum opiniones; Nos communem vſum loquendi inter Scotiſtas ſequentes, ſic explicamus ſcil. ſenſus compoſitus explicatur per vnam propoſitionem Cathegoricam, vt V.g. Album eſſe nigrum, eſt poſſibile, vbi quia modus eſt prædicatum in propoſitione modali, tunc totum dictum verè eſt ſubiectum, & conſequentèr de partibus eius ſimul ſumptis, & per modũ vnius prædicatur modus, & ideò ſenſus erit, formas importatas per extrema dicti eſſe ſimul compoſſibiles in eodem ſubiecto, & pro eodẽ tẽpore, quo ſenſu hęc propoſitio eſt falſa, albũ eſſe nigrũ eſt poſſibile.

In ſenſu verò diuiſo duæ formãtur propoſitiones, vna de ineſſe, & alia Modalis de aduerbio ſcil. hoc eſt albũ, & hoc poſſibilitèr eſt nigrum, vel poteſt eſſe nigrũ, & tunc in ſenſu diuiſo eſt vera propoſitio, quia eidem ſubiecto pro eodẽ inſtanti tribuitur albedo cum poſſibilitate ad nigredinem, quæ duæ non repugnant, vna enim forma non excludit potentiã ſubiecti ad recipiendam aliam, ſed ſolùm coexiſtentiam, & ſimultatem cum illa, vt ex Scot. collig. in 1. d. 39. ſub G. quem modum recipiunt Complut. Ioannes de S. Thom. & quãplures Thomiſtæ, quæ doctrina eſt valdè notanda pro difficultate multarũ propoſitionum in ſacra Theol. & præcipuè in materia de Prædeſtinatione.

Habent etiã Modales ſuas quãtitates, & qualitates proportionatas, pro quibus quatuor aſſignantur ſigna, duo ſcil. Vniuerſalia, ex quibus vnum eſt affirmatiuum, vt neceſſe, aliud negatiuũ, vt impoſſibile, duo verò particularia, quorũ

vnum eſt affirmatiuum, vt poſſibile, alterum negatiuum, vt poſſibile nõ. Vniuerſalis affirmatiua æquiualet ſigno vniuerſali propoſitionis de ineſſe, idem enim eſt dicere Neceſſe, ac omnis: impoſſibile, ac nullus: poſſibile, vel cõtingens æquiualet ſigno particulari affirmatiuo, Aliquis; Poſſibile nõ, vel contingẽs nõ, ſigno particulari negatiuo, Aliquis non. Vndè verſus.

*Omne neceſſe valet, impoſſibile nullus;*
*Poſſibile quidam, quidam non, poſſibile non.*


Vt autem ſciamus facilius, quomodò propoſitiones modales æquiualeãt ſignis, tam affirmatiuis, quã etiam negatiuis, ſicut in propoſitionibus de ineſſe, & vt ſimul intelligam', quomodò poſſint fieri æquipollentes, adinuenerũt logici quatuor dictiones .ſ. *Purpurea, Illiace, Amabimus, Edentuli.*

Purpurea habet pro cõtradictorio Edentuli, pro cõtrario Illiace, pro ſubalterno, Amabimus. Quarum dictionũ qualibet cõplectitur quatuor vocales, & quatuor ſyllabas ſignificantes, quatuor ſpecies propoſitionum modaliũ, quæ vocales ſunt A, E, I, V.

Prima vocalis, A, denotat propoſitionẽ modalẽ affirmatiuã ſecũdũ dictũ, & modum, & reſultat prima ſpecies. Secũda vocalis, E, ſignificat propoſitionẽ modalẽ affirmatiuã ſecundũ modum; negatiuã ſecundũ dictũ, & oritur ſecunda ſpecies. Tertia vocalis, I, denotat propoſitionẽ affirmatiuã ſecundũ dictũ, ſed negatiuã ſecundũ modum, & inſurgit tertia ſpecies: Quarta vocalis, V. ſignificat propoſitionẽ modalẽ negatiuam ſecundũ dictũ, & modum, & inſurgit quarta ſpecies, quę omnia, vt facilius memoriæ mandentur, adinuenti ſunt iſti duo verſus.

*Deſtruit, V, totũ; ſed A, cõfirmat vtrũq;*
*Deſtruit, E, dictũ, deſtruit, I, que modũ.*

## Figura oppoſitionum Modalium.



EſT hic aduertēdum, quòd omnes propoſitiones ſub eadem dictione cōtētæ ſunt inter ſe æquipollētes; cōtentę verò ſub diuerſis dictionibus inuicē opponūtur, vel cōtrariè, vel cōtradictoriè, vt in allata figura apparet. Et primæ propoſitiones ſūt de modo poſſibili, ſecūdæ de cōtingēti, Tertiæ de impoſſibili, & Quartę de neceſſe eſſe.

Æquipollentia igitur in Modalib' fit, ſicut in ſimplicibus, vel pręponendo negationem, vel poſtponendo, vel preponendo, & poſtponendo ſimul; tūc autem in modalibus præponitur negatio, quandò negatur modus, tunc poſtponitur, quandò negatur dictum, tunc poſt ponitur, & pręponitur quandò negatur vtrūque, conſtituendo ſ. negationem ex parte dicti, & modi ſimul. V.g. iſtæ duæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, poſſibile eſt Petrū currere, impoſſibile eſt Petrū currere, ſi in prima pręponatur negatio, dicēdo, nō eſt poſſibile Petrū currere, tūc æquiualet ſecundæ; ſi verò ſecundæ præpoſitioni præponatur negatio; dicendo, nō eſt impoſſibile Petrū currere, æquiualet primæ, ſic etiā ęquipollent contrariȩ, & ſubalternæ ſuo modo.

## Figura Æquipollentium Modalium.

| | Æquipollent. | | Æquipollent. | |
|---|---|---|---|---|
| Pur | Non eſt poſſibile hōem nō currere | | Non poſſibile eſt hominē currere. | Il- |
| Pu- | Nō cōtingēns eſt hōem nō currere | Contrariæ. | Nō cōtingens eſt hominē currere. | Li- |
| Re- | Impoſſibile eſt hōem nō currere | | Impoſſibile eſt hominem currere. | A |
| A | Neceſſe eſt hominem currere. | | Neceſſe eſt hominem nō currere. | ce |

Subalternæ — Contradictoriæ — Contradictoriæ — Subalternæ

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| A | Poſſibile eſt hominem currere. | | Poſſibile eſt hominē nō currere. | E |
| Ma | Contingens eſt hōem currere. | | Cōtingens eſt hominē nō currere. | Dē |
| Bi- | Non impoſſibile eſt hōem currere | Subcontrariæ. | Nō impoſſibile ē hōnē nō currere. | Tu- |
| mꝰ. | Non neceſſe eſt hoē non currere. | | Non neceſſe eſt hominē currere. | li |
| | Æquipollent. | | Æquipollent. | |

*De Conuerſione Modalium.*

CONuerſio Modalium eſt ferè eadem cum cõuerſione ſimplicium, nam generalitèr loquendo conuertuntur ratione dicti, non ratione modi; vndè modi inuariati manentes, tàm in modali compoſita, quàm diuiſa, ſola dicta variãtur, quare regulæ aſſignatæ pro cõuerſione ſimplicium, inſeruiunt etiam pro cõuerſione Modalium, vt v. g. hæc vniuerſalis affirmatiua, omnis homo neceſſariò eſt animal, quæ eſt modalis diuiſa, cõuertitur in hãc particularem affirmatiuam, aliquod animal nẽceſſariò eſt homo; cõuerſione per accidẽs. Et hæc particularis affirmatiua, aliquem hominem eſſe album eſt poſſibile, quæ eſt modalis compoſita; conuerſione ſimplici conuertitur in hanc ſcil. aliquod album eſſe hominem eſt poſſibile. Et ſic de alijs.

*De Propoſitione Hypotetica, & quotuplex ſit. Cap. X.*

HYpotetica propoſitio, eſt enunciatio quædam ex pluribus ſimplicibus conſtans coniunctione aliqua inter ſe connexis; quæ propoſitiones vel sũt ambæ perfectæ, & perfectam Hypoteticam conſtituunt copulatiuam, ſi per particulam, &, connectantur; vt Petrus currit, & Paulus ſcribit; Si verò connectantur per particulam, Vel, cõſtituunt copulatiuam diſiunctiuam, vt vel dies eſt, vel nox eſt; Aut vna Propoſitio eſt perfecta, altera imperfecta, ſeu veritas vnius pendet ab alia, & cõſtituunt hypoteticam conditionalem, quæ illas duas inuicem vnitas continet per particulam, Si, Vt ſi Petrus currit, ergo mouetur; Vndè eſt aduertendum, quod copula hypotetica non eſt Verbum, ſed aliquod aduerbiũ illas ſimplices propoſitiones connectens, ſ. &, Vel, Si, ex quib' conſtat tres eſſe principales ſpecies hypoteticæ, ſ. Cõditionalem, copulatiuam, & diſiũctiuã, ad quas aliæ tãquàm minus principales reducuntur; Conditionalis, quia includit rationem diſcurſus, & habet vim illationis, ità vt vna ex alia inferatur, ad eam rationalis, ſeu illatiua reducitur, & ex particula, ergo, conſtat, vt ſol eſt, ergo dies eſt, ſicut etiam cauſalis, quæ conſtat particula, quia, vt quia ſol eſt, dies eſt.

Datur etiam conditionalis largè accepta, non prout denotat conſequens ſequi ex vi Antecedentis, ſed vt ſolùm importat quamdam concomitantiam antecedentis, & conſequentis, ſuppoſita videlicet aliqua promiſſione, aut propoſito, aut alia cauſa, ratione cuius poſito in eſſe antecedẽti, poneretur etiã, & conſequens; vt ſi veneris ad me, dabo tibi equum, quæ vocatur cõditionalis promiſſoria; ſi haberem libros, libenter ſtuderem, quæ eſt pura conditionalis, quæ ad hypoteticam conditionalem largo modo acceptam reducũtur; ità Tatar. c. 1. de Propoſit. Hypotet. & ſequũtur Sotus, Caſil. Complut. & alij.

Dantur etiam Cõditionales ſecun-

cundum vocem tantũ, & eſt quando conditio poſita in Antecedente, nullo modo eſt cauſa conſequẽtis, vt ſi Cælum tonabit, Berta filabit, quæ propoſitio eſt mera copulatiua, ſolùm importans temporis coexiſtentiam antecedentis cum conſequenti, non cauſalitatem. Ad hanc reducuntur omnes propoſitiones per Aduerbium temporis, vel loci, vel ſimilitudinis, vt Petrus legit, quandò Paulus dormit, &c. De diſiunctiua dictum eſt ſupra.

In Hypotetica propoſitione inuenitur etiam ſuo modo Materia, Forma, Quãtitas, & Qualitas. Materia eſt connexio, quã habet vna propoſitio cum altera, ſicut in Cathegorica erat connexio, quã habebat prædicatum cum ſubiecto .ſ. naturalis, impoſſibilis, & contingens, quare ſi duæ contingentes ſimplices neceſſariò connectantur, reſultabit hypotetica in materia neceſſaria, vt ſi homo currit, neceſſariò mouetur; Forma eſt eius copula, qua ambæ ſimplices connectuntur, & ſunt, &, Si, Vel, ſicut in Cathegorica erat copula vniens prædicatum cum ſubiecto; Quantitas eius eſt, quòd ſit Vniuerſalis, vel particularis, quòd ſi vna propoſitio fuerit Vniuerſalis, alia particularis, propoſitio erit mixta.

Qualitas eſt eius veritas, vel falſitas, affirmatio, vel negatio, vt de Cathegorica diximꝰ. Vndè pro veritate, & falſitate Hipoteticæ ſciẽdum eſt, quòd ad veritatem conditionalis ſtrictè ſumptę affirmatiuę, requiritur, quòd conſequentia ſecundum ſe ſit bona .ſ. quòd conſequens ex natura antecedẽtis deducatur, ſiuè antecedés, & conſequẽs in ſe ſint vera, vel falſa, ſiuè impoſſibilia, ſiuè poſſibilia, ſiuè neceſſaria, ſiuè contingentia; quarè iſta conditionalis eſt vera, vt ſi homo eſt Aſinus, homo eſt rudibilis; tunc verò erit falſa, quando antecedens eſſet verum, & conſequens falſum, vel ſi conſequens nõ neceſſariũ inferatur ex antecedenti; hinc quia conditionalis rigoroſè ſumpta, ſi habeat vim cõſequentiæ eſt neceſſaria; & ſi talem vim non habeat, eſt impoſſibilis, & falſa, ſequitur, quòd nulla detur talis conditionalis cõtingens.

Ad veritatem verò Hypoteticæ rationalis, vltra bonitatem conſequẽtiæ, requiritur veritas Antecedentis, & ità hęc erit falſa, ſi homo eſt Aſinus, ergo rudibilis. Ad veritatem verò Cauſalis vltra veritatẽ antecedentis, & conſequẽtis, requiritur adhùc, quòd antecedens ſit cauſa conſequentis, & ſic iſta erit falſa, quia homo eſt riſibilis, eſt rationalis; ad veritatem puræ conditionalis, & promiſſiuæ requiritur, etiam à parte rei fundamẽtum talis concomitantiæ antecedentis, & conſequentis; hinc, vt hæc ſit vera, ſi veneris ad me, dabo tibi equum, neceſſe eſt, vt tunc adſit propoſitũ dandi equum, etiam ſi poſtea non adimpleatur propoſitum; quòd ſi tale propoſitũ non eſſet, etiã ſi poſtea promiſſum adimpleretur, propoſitio

poſitio

Digitized by Google

poſitio erit falſa, vt benè hic Complut. Maſtr. & Bellut aduertunt.

Ad Copulatiuæ veritatẽ requiritur, quòd vtraque pars ſit vera, ſi autem altera pars eſſet falſa, tota copulatiua falſa erit; quarè iſta eſt falſa, Petrus eſt homo, & homo eſt aſinus, & ratio eſt, quia cùm hæc vtramque partem coniungat, ſignificat vtramque ità ſe habere ſicùt enunciatur.

Sic etiam, vt tota Copulatiua dicatur neceſſaria, vtraq; neceſſaria eſſe debet, & ſi vna ſola eſſet cõtingens, tota Copulatiua contingens erit, & ratio eſt, quia copulatiua non ſolùm affirmat hanc partem, vel illam, ſed vtramque, & ratione vnius partis contingẽtis poterit tota copulatiua aliquãdo eſſe vera, & aliquando falſa, atque adeò contingenter vera, vel falſa, ergo vt ſit neceſſaria, vtraque pars neceſſaria requiritur; vt autem ſit poſſibilis, non ſufficit, vt vtraque pars poſſibilis ſit, ſed requiritur etiam, vt ſint compoſſibiles, vndè hæc propoſitio, Petrus loquitur, & non loquitur, ex poſſibilibus conſtat, ſed quia ſunt incompoſſibiles, tota propoſitio impoſſibilis erit.

Ad veritatem diſiunctiuę ſtrictè sũptæ requiritur, quòd altera pars ſit falſa, diſiũctiua enim rigoroſa, alterius partis excluſionem continet, & facit hunc ſenſum, alterum tantùm iſtorum eſt verum, & ideò ſemper altera pars debet eſſe falſa, Si verò largè ſumatur vt idem valeat, ac ſaltem, vel ad minus, vtraq; pars poteſt eſſe vera, & facit hunc sẽſum, vnum ſaltem iſtorum eſt verum, ad eius neceſſitatem requiritur, quòd vna pars ſit neceſſaria, vel quòd ſi vtraque ſit contingens, vna ſit alteri incõpoſſibilis, vt Petrus legit, vel nõ legit; Vndè ſi ambæ ſunt contingentes compoſſibiles, tota diſiunctiua, contingens erit, vt Petrus canit, vel legit; Et tandem ad eius poſſibilitatem requiritur, quòd vna pars eius ſit poſſibilis, ad impoſſibilitatẽ verò quòd vtraq; impoſſibilis ſit, vt homo vel eſt lapis, vel eſt lignum.

Quantùm verò ad oppoſitiones, & æquipollentiã hypoteticarum, parùm curant Sũmuliſtæ, non enim omnes propriam habẽt oppoſitionem, & conſequenter neque æquipollentiam. Tũ, quia hæc adinuẽta ſunt ad declarationem propoſitionum, at in oppoſitionibus, & æquipollentijs, obſcuriores reddẽrẽtur, atque ideò, vt inutilia, & parum iuuantia relinquuntur.

## Tractatus Tertius.

### *De Argumentatione.*

### *Cap. I.*

Argumentatio, *eſt Oratio, in qua vnũ ex alio deducitur*: Vndè colligitur tria ad argumẽtationem cõcurrere .ſ. antecedẽs, & eſt illa propoſitio ex qua alia ſequitur; Conſequens, & eſt illa propoſitio, quæ ſequitur, & nota illationis, qualis eſt particula ergo, vel igitur, aut alia ſimilis, qua denotatur cõſequens cõnexionem habere cum ante-

antecedenti, vt v.g. homo eſt, ergo rationalis eſt. Eſt hic ſupponendũ ex libris de Anima, triplicem eſſe intellectus operationem. Prima eſt ſimplicium apprehenſio, qua res apprehenditur, nihil de illa affirmando, vel negando, in qua operatione nõ inuenitur veritas, vel falſitas. abſtrahentium. n. non eſt mẽdacium. Secunda eſt compoſitio, vel diuiſio, quę etiam iudicium appellatur, & eſt qua intellectus iudicat de re, componendo, vel diuidẽdo, idèſt affirmando, vel negando aliquid de ipſa, vt cũ V. g. cognoſcit naturam hominis; iudicat ipsũ eſſe animal, ſed non leonem; & in hac operatione veritas, vel falſitas reperitur, ſicut & in tertia operatione. Tertia tandèm dicitur diſcurſus, ſeu argumẽtatio, qua intellectus à cognitione vnius, ad alterius cognitionem progreditur, vt cũ cognoſcit hominẽ eſſe animal, & rationale, & ex hoc infert eſſe riſibilem.

Ex hac doctrina infertur, valdè differre conſequens à conſequentia, nam conſequẽs eſt propoſitio, quæ ſequitur poſt notã illationis, conſequentia verò eſt illatio illius, vel habitudo antecedentis ad conſequens, vnde cum optima conſequentia poteſt ſtare falſitas conſequentis, vt ſi dicatur homo eſt Aſinus, ergo eſt irrationalis; Indè oritur diuerſas habere etiã diuiſiuas differentias, nam conſequentia dicitur bona, vel mala; conſequens autem verum, vel falsũ, & ratio eſt, quia veritas, vel falſitas in propoſitionibus reperitur, conſequentia autem non eſt propoſitio, ſed connexio illatiua propoſitionum, ad quã pertinet cõueniens connexio, & recta diſpoſitio; conueniens autem, & inconueniens ſignificãt bonum, vel malũ, nõ verum, vel falsũ.

Argumentatio duplex eſt, recta vna, vitioſa altera. Recta eſt, quæ bonam conſequentiam continet; mala, & vitioſa, quæ malam conſequentiam; atque ideò ſicut mala conſequentia abſolutè conſequentia dicenda non eſt, ſic vitioſa argumentatio, argumentatio appellari non debet.

Sed contra, mala conſequentia habet antecedens, & conſequens, & notam etiam illationis, ergo eſt conſequentia. Tum quia omnis argumentatio eſt conſequentia, ſed mala conſequentia eſt argumentatio, ergo mala conſequentia eſt cõſequentia.

Sed potiùs oppoſitum verũ eſt, nam conſequentia formaliter eſt habitudo neceſſaria illationis antecedentis, ad conſequens, ſed mala conſequentia non habet talem neceſſariam habitudinem, ergo nõ eſt conſequentia. Tum quia mala argumentatio non eſt argumentatio, ergo neque mala conſequentia eſt conſequentia. Probatur antecedẽs, nam argumentatio habet neceſſariam illationem antecedẽtis ad conſequens, ſed mala argumentatio non eſt huiuſmodi, ergo &c. Vndè conſequentia bona, & ma-

mala non conueniunt vniuocè, ſed æquiuocè, ſicut homo dicitur de homine viuo, & de homine picto; & ſicut illa non eſt concedēda, homo pictus eſt homo, ità nec iſta conſequentia mala, eſt cōſequētia.

Ad argumentum primū ℞. Verum eſt, quòd conſequentia mala habet antecedens, & cōſequens, & notā illationis, ſed illud conſequēs non eſt proprij antecedentis.

Ad ſecundū negatur minor, mala enim conſequentia propriè non eſt argumentatio, & ideò ſicut non eſt argumentatio, ità non eſt conſequentia. ità Tatar. in Summul. tract. 6. fol. mihi 96. vbi lit. F. ait, quòd conſequētia in ſubiecto ſtat pro conſequentia bona.

Demùm Argumentatio bona duplex eſt, materialis, & formalis. Prima eſt illa, quæ conſequentiam materialem continet, quæ vniuerſaliter non tenet, ſed tantùm hìc, & nunc ratione materiæ, vel ratione terminorum, ex quibus conſtat, vt hęc v.g. omnis homo eſt animal riſibile, ergo omne animal riſibile eſt homo, non tenet gratia formæ, ſi enim alteri materiæ applicaretur, nō benè inferret concluſionē, vt v. g. omnis homo eſt ſubſtantia animata, ergo omnis ſubſtantia animata eſt homo; tenet igitur tātùm gratia materiæ, & quia termini ſunt conuertibiles.

Formalis eſt, quæ conſequentiā formalem continet, quæ vniuerſaliter in quacumque materia tenet, etiam falſa, conſequens enim infertur ex antecedēti gratia formæ .i. ratione diſpoſitionis extremorum, vt omne animal eſt ſēſibile, homo eſt animal, ergo eſt ſenſibilis, quæ diſpoſitio cuique materiæ applicata etiam impoſſibili, concluſionem infert, vt omne animal eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt lapis; Hinc regula generalis aſſignatur; quòd quādo ſeruata eadē forma in alia materia, non deducitur vera concluſio, ſignū eſt, ꝙ talis cōſequētia nō eſt formalis. Ità cōmuniter Sūmuliſtæ, qui alia plura adducere ſolent non tanti momenti, & quæ facilè à tyronibus videri poterunt.

*De Speciebus Argumentationis.*
*Cap. II.*

ARgumētationis quatuor ſunt ſpecies ex Ariſt. 2. Prior. c. 29. & ſeq. *Exemplum, Inductio, Syllogiſmus, & Enthymema.* Exemplum *eſt deductio, qua probatur aliquid vni, vel pluribus indiuiduis cōuenire, eo quod conueniat alteri, quod illis aſſimilatur;* vt licuit Cęſari ob reipublicæ pacem hoſtes expellere ab Vrbe, ergo & Hiſpaniarum Regi ob Siculorū pacem conſeruandam, licebit à regno Siciliæ hoſtes expellere; Vndè medium cui tota vis exempli ad concludendum innititur, eſt ſimilitudo ſingularium, quæ argumentatio in multis claudicat, vt Tatar. 2. Prior. adnotauit, & ideò poti⁹ ad rectoricos, quā ad logicos ſpectat.

Inductio, *eſt deductio, qua ex omnibus indiuiduis ſufficienter enumeratis colligitur Vniuerſale,* vt V. g. hic ignis



Digitized by Google

cōburit, & ille cōburit, & ille cōburit, & ità pariter ſe habēt cæteri ignes, ergo omnis ignis comburit; hinc obſeruādū eſt, q̄ ſi omnia ſingularia enumerari nō poſſunt, addēda eſt particula, & ſic de cęteris, vel aliā conſimilē. Ex hoc colligūt Summuliſtæ, inductionem non eſſe propriè ſpeciem argumentationis, ab exemplo diſtinctam, ſed differre tantùm penès perfectum, & imperfectum; nam inductio ex pluribus particularibus ad Vniuerſale procedit, exemplum verò à ſingulari ad ſingulare &c. quòd ſi alia ſingularia adderentur, etiam vniuerſale colligeretur, & tunc foret inductio; & hæc videtur eſſe ſententia Ariſt. 1. poſt. cap. 1. vbi exēpla, inductiones imperfectas vocat.

Syllogiſmus, *eſt argumentatio trib⁹ propoſitionibus conſtans, quarum tertia ſequitur ex duabus primis*. Prima propoſitio dicitur Maior, Secunda Minor, tertia Concluſio; ſed de hoc in particulari, ex profeſſo agemus.

Enthymema, *eſt Argumētatio duabus conſtans propoſitionibus, quarum una ex alia infertur*, vt Deus eſt bonus, ergo eſt amandus, cui ſi addas aliam propoſitionem, vt omne bonum eſt amādum, efficitur integer Syllogiſmus, vndè colligitur Enthymema eſſe Syllogiſmum truncum, & imperfectum; ex Ariſt. 2. prior. cap. 27. atque ideò non differre ſpecie à Syllogiſmo.

Addunt alij quamdam ſpeciēm argumentationis, quæ dicitur *Dilemma*, & appellatur Argumentatio bicornis, ex eo quia duas continet partes, & ità diſpoſitas, vt neceſſariò cogatur reſpōdēs aliquod contra ſe admittere, vel negare, vt ſi quis V. g. affirmaret tamquam verum ſe per totam horā elapsam fuiſſe in foro, nec ibi Ducem vidiſſe, & alius ità eum impugnaret, vel eras in foro, hora iā elapſa, vel non eras, ſi primum, ergo mētiris dicēdo tunc nō vidiſſe Ducem, qui tali hora venit in plateam; ſi ſecūdum, adhuc mentiris dicendo te tota illa hora in foro permanſiſſe; atquè ideò ex cōceſſione, vel negatione cuiuſlibet partis reſponſor mendacij conuincitur. Verùm talis argumētatio nō eſt ab enumeratis ſpecie diſtincta, nam ad modum Syllogiſmi formari poteſt addendo pro minori, ſed neutrum dici pōt. Vndè eam reducunt ad ſpeciē Syllogiſmi hypotetici ex disiunctis.

Hic quæri ſolet, An enumeratæ Argumētationes ſint propriæ ſpecies, & ab inuicem eſſentialiter diſtinctæ. Aliqui aſſerunt rigorosè loquēdo duas tantùm ſpeciēs argumentationis. ſ. Syllog. & inductionē; Enthymema verò, & exēplum ab his ſolū diſtingui, vt perfectum, & imperfectum intra eamdem ſpeciem; ſed reuerà potius ob eamdem rationem aſſerendum eſſet, neque inductionem conſtituere ſpeciem à ſyllogiſmo eſſentialiter diſtinctam, quia tam Enthymemā, quàm exemplum, & inductio ad Syllogi. reducuntur, vt Argumētationes imperfectę ad perfectam,

vt Phyloſophus ex profeſſo docuit 2. Prior. c. 22. & conſideranti pateſ re pôt; Vndè ſicut homo, cui manus, vel pes deficit, ſpecie nõ dicitur differre ab homine integro, ſic neque argumentationes iſtæ a Syllog. qui modus dicendi eſt cõnior, & ſequitur Auerſa q. 15. ſect. 5. & ex noſtris Faber in Phyloſophia Theor. 2. & Maſtr. & Bellut. hic p. 1. inſtit. tract. 3. c. 2. Sũmuliſtę hic ſatis laborant ad reducẽdos huiuſmodi modos ad Syllog. ſed reuerà magnus labor, & parua vtilitas.

*De Regulis communibus bonæ Argumentationis. Cap. III.*

Multæ, & variæ ſunt Regulæ, quæ à Summuliſtis pro bonitate conſequentiæ afferri ſolent, ex quibus nos tantùm vtiliores, ac vniuerſaliores ſelegemus. Prima eſt, quòd ex antecedenti vero in bona conſequentia, ſemper ſequitur conſequens verum, ex poſſibili, poſſibile, & ex neceſſario neceſſariũ; quæ regula fũdatur in illo vniuerſali principio Dialectico: Nõ poteſt in bona conſequentia dari antecedens verum, & conſequens falſum, ſed ſi antecedens eſt verũ, etiam & conſequens; & hoc principium eſt lumine naturæ notum, cùm. n. conſequens trahat poſt ſe antecedens ratione connexionis, quam habet veritas conſequentis cum veritate antecedentis. idem vtique eſt ponere antecedẽs verũ, & conſequens falſum, quòd ponere antecedens nõ abſolutè verum, ſed ex parte falsũ, quia conſequẽs eſt quaſi pars quædam eius, & cum eo connexum, vndè ſi daretur antecedens verum, & cõſequens falſum, daretur planè antecedens verum, & nõ verum, quæ ſunt contradictoria, & idem dicendum eſt de antecedenti, & cõſequenti poſſibili, & de antecedenti, & conſequenti neceſſario.

Sed dices, multi formari poſsũt Syllogiſmi, quibus ex antecedenti neceſſario, deducitur conſequens contingens, vt V. g. omne currens mouetur, omne currẽs eſt corpus, ergo aliquod corpus mouetur. R. quod propoſitio de tertio adiacẽte in materia contingenti ſupponit exiſtentiam ſubiecti, quę explicatur per aliam propoſitionem de ſecundo adiacente, vt V. g. Petrus eſt albus; ſenſus eſt, Petrus eſt, ſeu exiſtit, & eſt albus, quare quælibet talis propoſitio in materia cõtingenti eſt virtualiter copulatiua, iam verò diximus ſupra ad veritatem, & neceſſitatem copulatiuę requiri vtramque partem eſſe verã, & neceſſariam, ſi autem vna pars ſit falſa, vel contingens, talis etiam tota propoſitio euadet, quia igitur illa pręmiſſa eſt in materia contingenti, vt ex ſe patet, omne currens mouetur, aſſerendum eſt eſſe virtualiter copulatiuam, & illã æquiualere huic, omne currens eſt, ſeu exiſtit, & omne tale mouetur; & quia prima pars talis copulatiuæ eſt contingens, tota copulatiua erit contingens, atque ità negatur, quòd ſit neceſſaria.

Secun-

Secunda regula eſt, quòd ex antecedenti falſo in bona conſequētia, ſequitur falſum, licèt etiam aliquando ſequi poſſit verum. Exemplum primi, vt homo eſt leo, ergo rugibilis. Exemplum ſecundi, vt homo eſt leo, ergo eſt animal; ſic etiam ex impoſſibili ſequitur impoſſibile, vt homo eſt leo, ergo rugibilis: Interdum etiam ſequi pôt poſſibile, imò & neceſſarium, vt hō eſt ceruus, ergo currit, ergo eſt animal; ſic tandem ex contingenti ſequitur contingens, vt Petrus currit, ergo mouetur, vbi conſequentia eſt neceſſaria, ſed cōſequens in ſe ſpectatum eſt poſſibile tantùm, & contingens; & aliquando etiam ſequi poteſt neceſſariū, vt v. g. Petrus ſentit, ergo eſt animal.

Tertia regula eſt, quòd in bona conſequentia, ſicut poſito antecedenti, ponitur conſequens, & non è contra, ita ablato conſequenti, aufertur antecedens, non è cōtra, quòd alijs verbis dici ſolet, valet conſequentia à poſitione inferioris ad poſitionem ſuperioris, & nō è contra; & rurſus valet à negatione ſuperioris ad negationem inferioris, & non è cōtra. V.g. valet, eſt homo, ergo eſt animal; non tamen è contra, quia poteſt eſſe animal, quod nō ſit homo; rurſus valet dici, non eſt animal, ergo non eſt homo, non tamen è contra, non eſt homo, ergo non eſt animal, quia in plus ſe habet animal, quàm hō.

Quarta regula, quòd in bona conſequētia, quicquid ſequitur ad conſequens eſſētialiter ſumptum, & abſolutè ſupponens, ſequitur, & ad Antecedēs illius, quòd alijs verbis dici ſolet, quòd valet cōſequētia à primo ad vltimum; quem argumentandi modum Græci vocāt aceruale, fit .n. aceruatim, tribuendo antecedenti prædicata, quæ cōpetunt conſequenti, vt V.g. homo eſt animal, animal eſt corpus, corpus eſt ſubſtantia, ergo homo eſt ſubſtantia &c. quę regula fundatur in illa antepraedicamentali, quando alterū de altero prędicatur &c.

Quinta tandem regula eſt, quòd quicquid repugnat cōſequenti eſſentialiter ſumpto, & abſolutè ſupponenti in bona conſequentia, repugnat & antecedenti; quòd alijs verbis dici ſolet, Si ex antecedente ſequitur conſequens, ex oppoſito conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis. V. g. ſi animal nō eſt lapis, neque homo eſt lapis.

Quæres, quando liceat arguere ex ſuppoſitione impoſſibili? Scot. in 1. d. 11. q. 2. ſub A. docet tunc licere, quando ſuppoſitio impoſſibilis ita fiat, vt non ſequantur ex ea contradictoria per locum intrinſecum, ſed vna pars contradictionis per locum intrinſecum, altera verò per locum extrinſecum tantùm; & fundamentum eſt, quia vt talis forma arguēdi ſit bona, requiritur conſtantia, ſeu conſiſtentia ſuppoſitionis; non cōſiſteret autem, ſi ex ipſa per locū intrinſecū ſtatim ſequatur vtraq; pars cōtradictionis, V.g. ex hac ſuppoſitione impoſſibili,

bili, ſi Petrus nõ eſſet animal, eſſet homo, nõ valet, quia homo intrinſecè, & formaliter includit animal, atque ideò ex illa poſitione per locum intrinſecum, ſequitur vtraque pars contradictionis ſcil. animal, & non animal, quia non poneretur cõſtantia ſuppoſitionis, ſed intrinſecè, & formaliter ſe ipsã deſtrueret, ait Doctor; illa tamen, quæ ex intellectu ſuo tantùm vnum includit contradictorium, & aliud non, niſi per conſequentiam accidentalem, vel per locum extrinſecũ, admitti poſſe videtur, nã tali poſitione poſita, ſuſtineri poſſunt regulæ diſputationis. V. g. ex hac ſuppoſitione impoſſibili, ſi Petrus non eſſet riſibilis, eſſet homo, poteſt argumentari, quia circumſcripta riſibilitate, ponendo Petrum in eſſe hominis, nõ ponuntur contradictoria ex primo intellectu poſitionis, ſed tantùm alterum; .ſ. quòd Petrus ſit homo, reliquũ verò .ſ. q̃ non ſit homo, ſi non eſt riſibilis, nõ ponitur, niſi conſequentia accidẽtali; & per locum extrinſecum, ex remotione paſſionis, remouẽdo ſubiectum, vndè talis poſitio non ſic includit oppoſita, quin poſſit admitti, quem dicendi modũ ſequuntur Hurt. in Meth. diſp. 8. ſect. 9. §. 114. Maſtr. & Bell. part. 1. inſtitut. tract. 3. c. 3.

Docet etiam Scot. loc. cit. quòd ex remotione impoſſibili vni' prędicati eſſentialis, quòd nõ ſit ratio inhærentiæ alterius prędicati, poſſumus argumentari, quia ſic cõtradictoria non ſequerentur per locũ intrinſecum, & ità hæc ſuppoſitio eſt admittenda, ſi per impoſſibile homo nõn eſſet animal, & eſſet rationalis, adhuc diſcurreret, & ab Aſino diſtingueretur, & ratio eſt, quia licèt animalitas ſit prædicatũ eſſentiale hominis, quia tamen nõ eſt principium formale diſcurrendi, nec diſtinctiuum à brutis, ideò etiam ſuppoſita animalitatis priuatione, benè adhuc infertur per locum intrinſecũ, quòd homo diſcurreret per rationalitatem, & ab aſino diſtingueretur.

Altera verò pars contradictionis .ſ. quòd non diſcurreret, nec ab Aſino diſtingueretur, nõ infertur niſi materialiter, & per locum extrinſecum, nimirum ex identitate animalitatis cum rationalitate, ex qua concomitanter ſequitur, quòd ſi homo non eſt animal, nec etiam eſt rationalis, & per conſequens non diſcurreret, nec ab Aſino diſtingueretur. quem dicendi modũ amplectitur Vaſq. p. 1. diſp. 147. c. 1. quæ arguendi forma, valdè eſt adnotanda, cuius finis eſt, vt perſeruetur ratio formalis rei, & inſeruit ad diſtinguendam cauſam formalem, & prædicatum intrinſecum à prædicatis extrinſecis.

### *De Syllogiſmo. Cap. IV.*

Diximus ſupra, quòd enunciatio diuiditur in ſimplicem, & compoſitam, ſeù Cathegoricã, & hypoteticã, & iterum cathegorica in abſolutam, & modalem; eodem modo Syllogiſmus diuiditur in

tur in Cathegoricum, & Hypoteticum, & Cathegoricus denuò in abſolutum, & modalem, ſicuti continet propoſitiones ſimplices, vel coniunctas, abſolutas, vel modales; priùs igitur agemus de Syllogiſmo Cathegorico, & eius ſpeciebus, poſteà de Hypotetico. Syllogiſmus igitur ex Ariſt. 1. prior. c. 1. propè finem, & 1. Topic. cap. 1. *Eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, alterum quid à poſitis neceſſè eſt contingere, & quòd hæc ſint.* Dicitur Oratio, nō autem argumentatio, quia argumentatio propriè nō eſt genus ad Syllog. inductionem &c. cùm hæc non ſint veræ ſpecies eſſentialiter diſtinctę. Et dicitur Oratio loco generis, reliquæ particulæ ponuntur ad differentiam omnium conſequentiarum, cū quibus non ponuntur duæ præmiſſæ diſpoſitæ in modo, & figura, dicitur verò in numero ſingulari, vt Auer. Philop. & alij aduertunt, ratione vnitatis medij, in quo vniuntur extrema in præmiſſis, & in ratione vnitatis formæ, ſeù diſpoſitionis terminorum, & etiam ratione vnius finis, cū ambæ præmiſſæ ordinentur ad vnicam inferendam concluſionē; dicitur, quibuſdam poſitis in plurali; quia Syllogiſmus non conficitur ex vna ſola propoſitione, ex qua alia infertur, nā hoc ſpectat ad alias argumentationes imperfectas .ſ. Enthimema, inductionem, & exēplū. Plures igitur propoſitiones in Syllogiſmo aſſumi debent, non quomodocūquè, ſed poſitæ .i. diſpoſitæ in modo, & figura; dicitur alterū quid à poſitis, &c. ad denotādum, quòd concluſio, quæ ſequitur ex præmiſſis, eſt alia propoſitio ab illis, & ab eis neceſſariò illata propter illarum diſpoſitionem, vndè ly, neceſſe eſt, vt benè aduertit Tatar. non ſignificat neceſſitatem conſequentis, quatenus in omni Syllogiſmo conſequens debeat eſſe neceſſarium, cùm poſſit eſſe etiā cōtingens, & falſum, ſed ſolùm ſignificat neceſſitatem conſequētiæ, vt ex præmiſſis neceſſariò inferatur concluſio, etiam ſi illa nō ſit neceſſaria; Hinc ſenſus definitionis eſt, quod Syll. eſt Oratio diſcurſiua, in qua poſita maiori propoſitione, & minori, aliud; .ſ. Concluſio, ab his, quæ poſita ſunt, ſequitur .i. deducitur ex vi diſpoſitionis terminorum in præmiſſis, ſic V. g. omne animal eſt ſenſibile, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſenſibilis. Hæc tertia propoſitio, quæ dicitur cōcluſio, ſequitur neceſſariò ex diſpoſitione duarum præmiſſarum; Vndè breuitèr alij ſic deſcribunt: Syllogiſmus, *eſt oratio diſcurſiua conſtans medio cum extremis diſpoſito.*

Syllogiſmus igitur eſt quoddam compoſitum rationis, ideoquè habet ſua principia conſtitutiua, quæ duplicia ſunt, alia materialia, alia formalia: Et materialia, alia remota, vt termini, alia proxima vt propoſitiones; Et termini in quolibet Syllogiſmo ſunt tres, ex quorum combinatione tres quoq; formantur

mantur propoſitiones, & ideò neceſſe eſt, vnumquęq; bis repeti; cuius ratio eſt, quia in Syllogiſmo inferri debet, duo extrema eſſe ſimul connexa, mediante connexione, quam habent cum aliquo tertio, priùs ergo debet vnum extremum cum illo tertio cõnecti, & erit prima propoſitio, poſtea debet alterũ extremum cum eodem tertio coniungi, & erit ſecunda propoſitio, & tandẽ ipſa extrema debent in concluſione inuicem copulari, & erit tertia propoſitio. Terminus ille, qui bis ſumitur ante concluſionẽ, dicitur medium, qui iungitur cum medio in maiori, dicitur maior extremitas, qui verò in maiori dicitur minus extremum.

Principia formalia ſunt etiam duplicia, duobus ſcil. materialibus correſpondentia; cùm n. forma ſit ordinatio, ſeu diſpoſitio materiæ, illa diſpoſitio, qua ordinatur materia remota, ſeu ordinãtur termini, dicitur figura, illa verò qua ordinatur materia proxima, ſeu propoſitiones, dicitur modus; hinc figura, quę eſt forma materiæ remotæ eſt apta diſpoſitio terminorum ſecundum ſubiectionem, & prædicationem; Modus autem, quæ eſt forma materiæ proximæ, eſt apta diſpoſitio propoſitionum in debita quantitate, & qualitate. Debita quantitas eſt, vt nõ omnes præmiſſæ ſint particulares, ſed aliqua ſit vniuerſalis; debita qualitas eſt, vt nõ omnes præmiſſæ ſint negatiuæ, ſed aliqua ſit affirmatiua. Quia verò recta combinatio medij cũ extremitatibus in qua conſiſtit ratio figuræ, eſt triplex, triplex etiã datur figura; nam vel mediũ ſubijcitur in vna, & prædicatur in alia, & ità habetur prima figura, vel prædicatur in vtraq; & ſic habetur ſecunda, vel in vtraque ſubijcitur, & habetur tertia, quæ in hoc carmine manifeſtantur.

*Sub, præ, prima, ſecunda, bis, præ, tertia, bis, ſub.*

Hoc eſt, medius terminus in prima figura ſubijcitur, & prędicatur; in ſecunda prædicatur in vtraq; & in tertia in vtraque ſubijcitur.

Hinc quæri ſolet, an admittenda ſit quarta figura, quæ Auicennæ, & Galeno tribui ſolet; quos multi Medici ſequũtur, & ex noſtris etiã Tatar. 1. prior. de figur. Syllogiſmorũ, §. dubitatur 1. & Roccus li. 2. cap. 10. & ratio huius opinionis eſt, alijs omiſſis minoris momenti, quia tot ſunt figuræ aſſignandæ, quot ſunt diſpoſitiones medij termini cũ extremis, ſed datur quarta diſpoſitio medij cum extremis, ergo, &c. Minor patet, quia poteſt ità diſponi, vt prædicetur in maiori, & ſubijciatur in minori, vt patet in hoc argumento: Omnis homo eſt animal, omne animal eſt ſubſtãtia, ergo omnis homo eſt ſubſtãtia; verũ Peripathetici nunquam hanc quartam figuram admiſerunt, vt à prima eſſentialiter cõtradiſtinctã, vt expreſsè docuit Ariſt. 1. Priorũ. cap. 1. & ſequũtur omnes eius Expoſitores, cum Recentioribus ferè omni-

omnibus ex Doct. diſertè 1. Prior. q. 34. & ratio eſt illa, quam Scot. ibi aſſignat, & ex ipſo Ariſt. deſumpta, quia .ſ. diſpoſitio medij nō poteſt eſſentialiter diuerſificari, niſi illis tribus modis relatis, quòd nimirum, vel in præmiſſis in vna ſubijciatur, & in altera prædicetur, vel in vtraq; prædicetur, vel deniq; in vtraque ſubijciatur. Ergo ſi in quarta figura aſſignata mediū habeat primam diſpoſitionē, non erit vtiq; à prima figura condiſtincta, quæ in hoc prçcisè conſiſtit, vt habeat medium in vna propoſitione ſubiectū, in altera prædicatū; quòd autem ita diſponatur, quòd in maiori ſubijciatur, & minori prędicetur, aut è contra, non variat primā figurā eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter; hinc Ariſt. ſæpè trāſponit prçmiſſas, vt magis Syllogiſmus conformetur primę regulæ; & quia hæc combinatio, qua mediū prędicatur in maiori, & ſubijcitur in minori, facit Syllog. concludere indirectè, vt patet in exēplo allato, vbi minor extremitas prædicatur de maiori in concluſione, quod eſt concludere indirectè, vt infra dicemus, ſi daretur quarta figura, deberet ad primam reduci, ſicut Syllogiſmi concludentes indirectè, ad directos reducuntur.

### *De Principijs regulatiuis Syllogiſmi.*
### *Cap. V.*

PEr principia regulatiua Syllogiſmi intelligimus regulam, à qua habet Syllogiſmus ſuam euidentiam, & certitudinem ad concludendū; quæ principia ſunt duo, primū eſt generaliſſimū pro quocumq; Syllogiſmo, etiam expoſitorio, & eſt tale: *quæ ſunt eadē vni tertio, ſunt eadē inter ſe; & quorum vnum eſt idem cum tertio, cum quo alterum nō eſt idem, non poſſunt eſſe eadem inter ſe.* Prima valet pro regulandis affirmatiuis, ſecunda pro negatiuis, & principium eſt tantæ efficaciæ, vt tota ſtructura Syllogiſtica in ipſo fundetur, vt benè Scot. aduertit in 1. d. 2. q. 7. lit. H. in ſolut. ad primū principale, & ita declaratur; propoſita quæſtione, V. g. an anima ſit immortalis ad percipiēdum, an hi termini ſint connexi, aduertendū eſt, quas Anima habeat proprietates, & prędicata intrinſeca, & inuēto, animam eſſe incorpoream, rurſus eſt inquirendum, an incorporeum connexionē habeat cum immortali, & reperto, ita eſſe, tūc rectè inferre poſſumus ex hoc, quòd illi termini ſunt cum hoc tertio .ſ. incorporeo coniuncti, eſſe etiā inter ſe connexos; ſi autem è contra reperiatur incorporeum cum immortali non poſſe coniungi, tunc negatiuè inferendum eſſe, nec animam cum immortalitate eſſe connexam, quia incorporeum, quod ſupponitur cum anima eſſe cōnexum, non coniungitur cum immortali. Et licèt hoc principiū ſit omnibus Syllogiſ. commune, eius tamen vis in expoſitorio euidentius apparet, nam tertium illud .ſ. terminus, quod eſt medium, eſt magis vnum, cum ſit terminus ſingularis, in alijs verò

cōmunis, vt in hoc Syllogiſ. patet, filius Virginis eſt Deus, Chriſtus eſt Filius Virginis, ergo eſt Deus.

Alterum principium, eſt, *dici de omni, et dici de nullo*, & quo ad primā partem, valet pro regulandis Syllogiſmis affirmatiuis, quoad ſecūdā pro negatiuis. Dici de omni eſt, *quicquid dicitur vniuerſaliter de ſubiecto abſolutè ſupponente, dici etiam debet de quocūque contento ſub illo*. V.g. omne animal eſt ſubſtātia, ergo & homo eſt ſubſtātia, quia ſtat ſub animali. Sic dici de nullo eſt, *quicquid vniuerſaliter negatur de ſubiecto, negatur etiam de quocumque cōtento ſub eo*, vt ſi nullum animal eſt lapis, ergo nec homo, qui ſtat ſub animali erit lapis. Verùm hoc principium non eſt ità vniuerſale, ſicut primum, qa non inſeruit ad Syllog. expoſitorium, vt Tatar. aduertit 1. Prior. q. 1. dub. 2. ſed tantùm ad illum, cui' medium eſt terminus communis, cui ſolū applicantur ſigna Vniuerſalia, omnis, & nullus; & licèt per hoc principium dicantur præcipuè regulari modi perfecti primæ figuræ, non idcircò negari debeat, & cæteros regulari poſſe, nam per illud tantùm innuere volunt, ſolos modos perfectos primæ figuræ per ipſum immediatè regulari, adhuc tamen alij poſſunt mediatè regulari, quaten' omnes ad perfectos reduci poſſunt. Eſt etiam hic ſciēdū, quòd hoc ſecūdum principium regulatiuum depēdet à primo, quod vniuerſalius eſt, & ab eo vim regulandi accipit, & à primo nō differt, niſi ex hoc, quòd primum ſumitur in ordine ad eſſe, illud verò in ordine ad prædicari, & vnū affirmari de alio, fundatur ſupra identitatē, illorum, ſicut vnū negatur de alio ob eorum diuerſitatē, vt benè Cōpl. advertunt lib. 3. c. 4. [illegible]

Verùm, licèt hęc doctrina ſit cōmuni Summuliſtarum calculo recepta, non tamen deſunt, qui principium illud vniuerſaliſſimum, quę ſunt eadem vni tertio &c. tāquam debile, & infirmum reſpuunt, & nō vniuerſaliter verum, niſi reducatur ad hoc principium, dictum de omni, & de nullo. Ità ex Recentiorib. Mol. Vaſq. Caſilius. Fundamentum vnicum eorum eſt; quia tale principium in Diuinis claudicare videtur, nam ex idēticate reali Diuinarum Perſonarum cū Diuina Eſſentia, non pōt inferri realis idētitas earū inter ſe, & ideò nō valet hic Syllogiſmus, Eſsētia Diuina eſt Pater, Filius eſt hęc eſsētia Diuina, ergo Filius eſt Pater, quare, vt hic, & ſimiles Syllogiſmi expoſitorij in Diuinis ritè formētur, per dici de oñi, & dici de nullo, regulari debent, quod & Doct. docere videtur 1. Prior. q. 7. concl. 4. [illegible]

Sed quicquid auctument, in vanū laborāt, veritas enim illi' principij eſt vniuerſaliſſima, & valet etiā in diuinis, & quāuis D. Thom. cum ſuis aliquas limitationes aſſerat, vt etiam in Diuinis ſit verum, Scot. tamen in 1. d. 4. q. 7. ponit illud, vt abſolutè verum, ità vt ſemper verum ſit, quæ ſunt eadem vni tertio

tertio, eſſe quoque eadem intèr ſe, eadem illa identitate, non tamen maiori, non enim concludi poteſt aliqua identitas extremorum inter ſe, niſi ſecundum illam identitatẽ, qua ſunt eadem medio, atquè ideò (ait Scotus) ex idẽtitate reali perſonali in eſſentia, benè poteſt inferri identitas realis ipſarum inter ſe, non quidem realis perſonalis, ſed realis eſſentialis, cũ hac idẽtitate ſint idem cum eſſentia; vndè Syllogiſmus allatus, & ſimiles in Diuinis nõ tenent, quia aſſerũtur, vt expoſitorij, cùm tamen reuerà tales nõ ſint, vt ibidem Doctor aduertit, cui' ratio eſt, quia mediũ in Syllogiſmo expoſitorio ità ſingulare eſſe debet, vt ſit hoc aliquid, & incommunicabile, vt quod, vti non eſt Eſſentia Diuina, idcircò ipſa non eſt ſufficiens mediũ pro Syllogiſmo expoſitorio, & quando etiam illi Syllogiſmi eſſent expoſitorij, falſum eſt regulari poſſe per dictum de omni, & dictum de nullo; hoc enim principio ſolùm regulantur diſcurſus, qui procedunt ex vi alicuius termini diſtributi; at prorſus repugnat termino ſingulari, quod eſt medium in Syllogiſmo expoſitorio diſtribui, cùm inferiora non habeat, nam propriè diſtribui eſt idem, ac ſupponere pro ſingulis ſuis inferiorib'. Nec auctoritas Scot. loc. cit. Prior. officit, quã ſtandum eſt doctrinæ quam habet in lib. ſent. nec aliquid ſuffragatur, quòd Ariſt. principium illud, quæ ſunt eadem vni tertio &c. poſuerit 7. Topic. c. 1. non autem 1. Prior. vbi erat locus agendi de principijs regulatiuis Syllog. ſed ibi tantùm aſſignauit principium dici de omni, & dici de nullo, nã 1. Prior. ideò Phyloſophus ſolùm expreſsè meminit ſecundi principij, quia tãtùm ibi loquitur de Syllogiſmo, in quo pro medio accipitur terminus communis, quatenus ad notitiam ſcientificam comparandam magis inſeruit, & hanc ſententiam ſequũtur Hurtad. diſp. 10. log. ſec. 16. Arriaga, & alij.

### *De Regulis generalibus cuiuſcumque Figuræ. Cap. VI.*

EX dictis principijs regulatiuis ſic declaratis, quinquè deducitur regulæ omnibus tribus figuris cõmunes. Prima eſt, *quod ex puris negatiuis nihil ſequitur;* Vndè hic Syllogiſmus non valet, null' homo eſt irrationalis, nullus equ' eſt homo, ergo nullus equus eſt irrationalis, & huius ratio eſt, quia non poteſt cõcludere affirmatiuè, cum medius terminus, quòd eſt tota ratio cõiungendi, cum neutro extremo ſit coniunctus, nec etiam negatiuè; nam adhoc, vt vnum extremũ non iungatur cum alio per mediũ, debet idem medium ſaltèm cum altero extremo coniungi, ſi enim vnum extremum diſiungitur ab altero propter medium, ex hoc oriri debet, quòd diſiungatur à medio, cum quo coniungitur alterum extremum, & ità ipſa extrema erunt inuicem diſiuncta, ſi verò medium cum nullo extremo vniatur, non erit ratio neque coniungendi, neq; ſeparandi ipſa extrema, quæ regula fun-

la fundatur in illo principio primo regulatiuo, vt patet. Vrgebis, iſte ſyllogiſmus eſt ex affirmatiuis, ſcilicet omnis homo differt ab Angelo, omnis ſpiritualis ſubſtantia differt ab homine, ergo o͂nis ſpiritualis ſubſtantia differt ab Angelo, & tamen non concludit. ℞. negando eſſe ex affirmatiuis, quia retinet occultam negationem, quia differre eſt idem, ac vnum non eſſe aliud, & ideò omnes ſunt negatiuæ.

Sed dices, hæc conſequentia eſt bona, quod non mouetur, non currit, Petrus non mouetur, ergo non currit, & tamen eſt ex puris negatiuis. ℞. nos hic aſſignare regulas pro Syllogiſmo Cathegorico, allatus verò eſt hypoteticus, illa enim maior æquiualet huic conditionali, ſi nõ mouetur, nõ currit, & ideò fundatur in hac affirmatiua, omne currẽs mouetur. Dices, hic eſt Cathegoricus, nullus homo eſt lapis, nullus equus eſt homo, ergo nullus equus eſt lapis, & tamẽ conſequẽtia tenet ex puris negatiuis. ℞. talem Syllogiſmum valere tãtùm ratione meteriæ, non ratione formæ.

Secunda Regula eſt, *quòd ex puris particularibus nihil ſequitur ratione formæ*. V. g. Aliquod Animal eſt hõ, aliquis equus eſt animal, ergo aliquis equus eſt homo, valet tamen aliquando ratione materiæ, vt aliquod animal eſt corpus, aliquis homo eſt animal, ergo aliquis homo eſt corpus. Fundamẽtum huius regulæ eſt, quia in propoſitionibus particularibus non diſtribuitur cõpletè medius teminus ſcilicèt, non accipitur ſecundum ſuam totam latitudinem, & vniuerſalitatẽ, ſed tantùm inadæquatè, & ſecundum partem, vndè fit, vt ex vi connexionis cum medio, non ſequatur connexio inter duo extrema cum medio, nam vnum ex his extremis poteſt in maiori connecti cũ hoc medio ſecundum vnam partem, & alterum in minori coniungi cum eodem medio ſecũdam alteram partem, vt patet in exemplo allatò de homine, & equo, qui licèt cum animali connectantur, non tamen ſequitur coniungi inter ſe, quia animal non diſtribuitur completè cũ ambobus; vndè extat illud præceptum inter Summuliſtas, quòd medium in aliqua ſaltem præmiſſarũ debet diſtribui, vt perfectè coniũgi poſſit, vel diſtingui ab extremitatibus, alitèr Syllogiſmus non regularetur per dici de omni, & dici de nullo, in quo principio regulatiuo hæc regula fundata eſt. Eſt tamen ſciendum, quòd cũ medium eſt ſingulare, vt in Syllogiſmo expoſitorio, tunc rectè cõcluditur, quia accipitur in vtraque præmiſſa ſecundum ſe totum.

Sed dices, hæc conſequentia eſt bona, ſi aliquis homo currit, aliq̄ animal mouetur, ſed aliquis homo currit, ergo aliq̄ animal mouetur, & tamen eſt ex puris particularib⁹. ℞. talem ſyllogiſmum eſſe hypoteticum, & idcircò maiorem eſſe vniuerſalem implicitè, & æquiualet huic, quotieſcũque aliquis homo currit

currit, aliquod animal mouetur, vbi, ly, aliquis homo in maiori, per illam conditionem, ſi, ampliatur, & fit terminus vniuerſalis &c.

Tertia Regula eſt, *quòd concluſio ſequitur ſemper debiliorem partem*, idcircò ſi vna præmiſſa erit particularis, vel negatiua, eſtò altera ſit affirmatiua, vel vniuerſalis, cõcluſio erit particularis, vel negatiua, nam negatiua ignobilior ẽ affirmatiua, ſicut, & particularis ignobilior eſt vniuerſali; & huiꝰ regulæ ratio eſt, qa ſi vna præmiſſarum eſt affirmatiua, & altera negatiua, tunc vnum extremum cõiungitur cum medio, & alterum ab eodẽ medio in præmiſſis ſeparatur, at quotieſcumquè aliqua duo ità ſe habent, vt vnum connectatur cum aliquo tertio, & alterum ab eodem tertio ſeparetur, non poterunt nõ eſſe inuicem ſeparata, ex eo nãquè quòd Petrus eſt homo, & leo non eſt homo, deduci non poteſt, niſi ꝙ Petrus non ſit leo; & idem aſſerẽdum eſt, ſi vna præmiſſarũ ſit particularis, quia licèt in propoſitione vniuerſali vnũ extremũ cum medio vniatur ſecũdum ſe totum, in particulari tamẽ alterum extremum vnitur cũ illo tertio ſolùm ſecundum partem, & ideò inferri nõ poteſt eſſe inuicem cõnexa extrema, niſi ſecundũ partem. V.g. oñis bonus eſt amandus, ſed aliquis hõ eſt bonus, ergo aliquis homo eſt amandus, non põt concludi, ergo omnis homo eſt amandus, propter allatã rationem.

Vndè patet hanc regulam fundari in illo primo principio regulatiuo, quæ conueniunt vni tertio, &c. Extrema enim in concluſione non poſſunt habere inter ſe maiorem connexionem, quàm cũ præmiſſis habuerint in medio.

Sed contra hoc obijcies, Syllog. Ariſt. quem facit 2. Cœli cap. 4. oẽs ſtellæ, quæ nõ ſcintillant ſunt propè nos, ſed Planetæ non ſcintillãt, ergo ſunt propè nos, vbi minor eſt negatiua, & cõcluſio affirmatiua. R. minorem talis Syllogiſmi eſſe affirmatiuam de prædicato infinito, ac ſi diceretur, Planetæ ſunt ſtellæ non ſcintillantes.

Quarta regula eſt, *quòd medium numquam concluſionẽ ingrediatur*. ratio eſt, quia quilibet terminus bis tantùm poni debet in Syllogiſmo, ſi autem medium in concluſione iterum poneretur, tunc ter eſſet in Syllogiſmo poſitus.

Tũ quia, ſi concluſionẽ ingrederetur, nõ differret Concluſio à præmiſſis, vt intuenti patere poteſt.

Sed obijcies hic Syllogiſmus tenet, omnis homo eſt animal, ſed homo eſt homo, ergo homo eſt animal, & tunc medium poni in cõcluſione, non ſub ratione medij, ſed minoris extremitatis.

Quinta Regula eſt, *quòd tàm in medio, quàm in extremis non varietur proprietas terminorũ*, vndè tàm medium, quàm extrema, non debent eſſe termini æquiuoci, nec in vna propoſitione ampliari, & in alia reſtringi, nec in concluſione diſtribui debet aliquis terminus, qui nõ

fuerit

fuerit in præmiſſis diſtributus, tunc enim argueretur à non diſtributo ad diſtributum, V.g. omnis homo eſt animal, nullus leo eſt homo, ergo nullus leo eſt animal, in maiori non eſt diſtributū, ſed ſumitur ſolū pro eo, quod eſt in homine, quia ſignum vniuerſale affirmatiuū non habet vim diſtribuendi terminos remotos, ſed tātum vim habet diſtribuendi terminos proximos, .i. ſubiectum, non prædicatum, in cōcluſione verò diſtribuitur, & accipitur etiā pro eo, quod eſt in leone, ſignum enim vniuerſale negatiuum vim habet diſtribuendi terminos proximos, & remotos.

*De regulis ſpecialibus cuiuſcumque Figuræ. Cap. VII.*

EX Regulis generalibus ſuprà declaratis, deſumitur pro vnaquaq; figura ſua regulā ſpecialis. Peculiaris regula pro prima figura eſt, quòd *in quocunq; Syllogiſmo eius directè concludente, vt conſequentia ſit bona, nec maior eſſe debet particularis, nec minor negatiua*, vt patet in omnibus modis primæ figuræ. Et rationes patent ex dictis.

Sed dices, hic Syllogiſmus eſt bonus, & directè concludit in prima figura, aliquod rationale diſcurrit, omnis homo eſt animal rationale, ergo aliquis homo diſcurrit. ℞. hunc Syllogiſmum concludere tantùm ratione materiæ; aliàs ſi concluderet ratione formæ, hoc etiā valeret, aliq; animal eſt irrationale, omnis homo eſt animal, ergo aliquis homo eſt irrationalis.

Regula pro ſecunda figura eſt, *quòd ex puris affirmatiuis nihil ſequitur*, V.g. omnis homo eſt animal, omnis equus eſt animal, ergo omnis equus eſt homo. Neq; ex maiori particulari aliquid ſequitur, vt in hoc Syllogiſmo patet, aliq; viuens eſt animal, nullus Angelus eſt animal, ergo nullus Angelus eſt viuens. Huius ratio eſt, quia ſi ambæ præmiſſæ eſſent affirmatiuæ, cū in hac figura medium ſit prædicatum, in neutra diſtribueretur, cōtra regulā ſupra allatā, quia in propoſitione vniuerſali affirmatiua, quales ſunt illæ .ſ. omnis homo eſt animal, omnis equus eſt animal, prædicatū numquam diſtribuitur, cùm enim dicitur omnis homo eſt animal, nō eſt ſenſus, quòd ſit omne animal, ſed tātum illud animal, quod ad humanam ſpeciem cōtrahitur. Si autem maior ē particularis, tunc in concluſione diſtribueretur aliquis terminus, qui non eſſet diſtributus in præmiſſis.

Regula tandem pro tertia figura eſt, quòd *Concluſio debet eſſe particularis, & minor affirmatiua*; ratio ē, quia ſi concluſio non eſſet particularis, iā aliquis termin⁹ diſtribuetur in concluſione, qui in præmiſſis diſtributus non eſſet, vt in hoc Syllogiſmo patet, omnis homo eſt riſibilis, omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt riſibile, vbi animal diſtribuitur in concluſione, & non in præmiſſis. Debet minor eſſe affirmatiua, nam ſi eſſet negatiua idem ſequeretur inconueniēs,

vt ap-

ut apparet in hoc Syllogiſmo, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt leo, ergo aliquis leo non eſt animal, vbi animal diſtribuitur in cōcluſione virtute negationis poſitæ ante copulam, quod tamen in maiori non fuit diſtributum, quia prædicatū in vniuerſali affirmatiua numquam diſtribuitur. Quæ regulæ ſunt valdè adnotandæ ad cognoſcēda multa vitia, quæ ex defectu diſtributionis inueniuntur.

Ex habita doctrina colligitur tātùm decem, & nouē modos vniuerſales eſſe ad rectè inferendum, ſ. nouē ad primam figuram, quorum primi quatuor directè cōcludunt, alij quinque indirectè, quatuor ad ſecundam, & ſex ad tertiā; ille autē modus dicitur directè cōcludere in cuius concluſione maior extremitas de minori prædicatur, & è contra ille concludit indirectè, in cuius concluſione minor extremitas prædicatur de maiori, qui omnes his verſibus comprehēduntur.

*Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,*
*Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,*
*Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocco, Darapti,*
*Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

Ad quorum intelligentiam, recolenda ſunt, quæ ſupra diximus, ſ. vocalem, A, denotare vniuerſalē affirmatiuā, E, vniuerſalem negatiuam, I, particularem affirmatiuam, O, particularem negatiuam; Vndè allatæ dictiones ſingulos indicant modos Syllogiſmorum cuiuſcūq; figuræ, & vocales contētæ in tribus primis ſyllabis denotant tres propoſitiones Syllogiſmi, quales, & quātæ eſſe debeāt, quòd ſi aliæ vocales ſuperſunt in quibuſdam dictionibus, relinquuntur, quia metri gratia ponuntur.

*Exempla.*

Bar. *Omne animal eſt viuens.*
Ba. *Omnis homo eſt animal.*
Ra. *Ergo omnis homo eſt viuens.*

Ce. *Nulla virtus eſt vituperanda.*
La. *Omnis Humilitas eſt Virtus.*
Rent. *Ergo Nulla humilitas eſt vituperanda.*

Da. *Omnis virtus eſt laudanda.*
Ri. *Aliqua Caſtitas eſt virtus.*
I. *Ergo Aliqua Caſtitas eſt laudanda.*

Fe. *Nulla virtus eſt vituperanda.*
Ri. *Quædam Abſtinentia eſt Virtus.*
O. *Ergò quædam abſtinentia non eſt vituperanda.*

Præter hos quatuor modos directè concludentes in prima figura, ſunt alij quinque qui indirectè concludunt, & ſignificantur his dictionibus, ſ. Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Ba. *Omne animal eſt ſubſtantia.*
Ra. *Omnis homo eſt animal.*
Lip. *Ergo quædam ſubſtantia eſt homo.*

Ce. *Nullum animal eſt lapis.*
Lan. *Omnis homo eſt animal.*
Tes. *Ergo nullus lapis eſt homo.*

Da.

*Da.* *Omne animal eſt ſubſtantia*
*Bi.* *Quidam homo eſt Animal.*
*Tis.* *Ergo quædam ſubſtantia eſt homo.*

*Fa.* *Omne animal eſt ſubſtantia*
*Pes.* *Nulla arbor eſt animal.*
*Mo.* *Ergo quædam ſubſtantia non eſt arbor.*

*Fri.* *Quoddam Animal eſt ſubſtantia*
*Se.* *Nulla arbor eſt animal,*
*Sō.* *Ergo quædā ſubſtantia nō eſt arbor.*

Secunda figura (ex dictis) tunc eſt, quandò medius terminus Syllogiſmi in vtraque præmiſſarum prædicatur, cum regulis ſupra aſſignatis. v. g.

*Ce.* *Nulla arbor eſt animal,*
*Sa.* *Omnis homo eſt animal,*
*Re.* *Ergo nullus homo eſt arbor.*

*Ca.* *Omnis homo eſt animal,*
*Mes.* *Nulla arbor eſt animal,*
*Tres.* *Ergo Nulla arbor eſt homo.*

*Fes.* *Nulla arbor eſt animal*
*Ti.* *Aliquis homo eſt animal,*
*No.* *Ergo quidam homo non eſt arbor.*

*Ba.* *Omnis homo eſt animal.*
*Roc.* *Quædam arbor non eſt animal,*
*Co.* *Ergo Quædam arbor non eſt homo.*

Tertia figura eſt, quando mediū Syllogiſmi in vtraque præmiſſarū ſubiecti locum obtinet, cum regulis ſupra allatis. V. g.

*Da.* *Omnis homo eſt animal.*
*Rap.* *Omnis homo eſt ſubſtantia*
*Ti.* *Ergo Quædam ſubſtantia e animal.*

*Fe.* *Nullus homo eſt lapis*
*Lap.* *Omnis homo eſt animal,*
*Ton.* *Ergo quoddam animal nō eſt lapis.*

*Di.* *Quoddam animal eſt homo*
*Sa.* *Omne animal eſt ſubſtantia,*
*Miſ.* *Ergo quædam ſubſtantia eſt homo.*

*Da.* *Omnis homo eſt ſubſtantia.*
*Ti.* *Quidam homo eſt animal.*
*Si.* *Ergo quoddam animal eſt ſubſtantia.*

*Bo.* *Quoddam animal non eſt homo,*
*Car.* *Omne animal eſt corpus,*
*Do.* *Ergo quoddam corpus nō eſt homo.*

*Fe.* *Nullum animal eſt lapis*
*Ri.* *Aliquod animal eſt homo*
*Son.* *Ergo quidam homo non eſt lapis.*

Sufficientia horum modorum in quacumque figura facilè deducitur ex regulis earum aſſignatis, tàm generalibus, quàm ſpecialib$^{\circ}$, & multa hìc cōgerūt Doctores cōtra relatos modos tàm primæ, quā ſecundæ, & tertiæ figuræ, quæ tum breuitatis cauſa, tū quia parui ſūt momēti relinquuntur, & facilè videri poterunt apud Summuliſtas.

*De Reductione Modorum Imperfectorum. Cap. VIII.*

OMnes relati modi ab Ariſt. 1. Prior. c. 1. diuidūtur in perfectos, & imperfectos; Perfecti ſunt tantùm quatuor primæ figuræ .ſ. Barbara, Celarent, Darij, & Ferio; reliqui verò dicuntur imperfecti; non in eo ſenſu, quo dicebātur imperfecti, Enthymema, Inductio, &



Digitized by Google

Exemplum, quibus reuera deerãt aliqua intrinſeca ad Syllogiſmum; ſed in eo ſenſu dicũtur imperfecti, quia in eis aliquid euidentiæ deficit, vt eorũ vis, & neceſſitas in concludendo appareat, vt benè Tatar. aduertit 1. Prior. q. 1. §. 4. *ſciẽdum, in fine*. Solùm igitur quatuor modi primæ figuræ dicũtur perfecti, & euidenter concludunt, quia ſoli ipſi immediatè regulãtur per principiũ dici de omni, & dici de nullo, vt patet; quatenus in eis perfectè diſtribuitur medium in maiori, in qua ſtat vniuerſaliter ex parte ſubiecti; & quandò poſteà in minori prędicatur, oſtenditur euidenter illud de quo prædicatur contineri ſub eius vniuerſalitate, vt rectè infertur in concluſione, maior extremitas de minori.

Dupliciter autẽ Syllogiſmi imperfecti ad perfectos reduci poſſunt, primò oſtenſiuè, ſecundò ad impoſſibile; prima dicitur reductio oſtẽſiua, quia per eã euidenter oſtendimus Syllogiſmum aliquem regulari per dici de omni, & dici de nullo; Secũda dicitur ad impoſſibile, quia per eã deducimus negantem cõſequentiam Syllogiſmi, aut ad concedendum contradictorias eſſe ſimul veras, quod eſt impoſſibile, aut propoſitionem aliquã eſſe falſam, quæ eſt manifeſtè vera, & ab eodem vt vera conceſſa; Reductio oſtẽſiua fit per cõuerſionem alicuius propoſitionis, & aliquandò etiã cũ tranſpoſitione præmiſſarũ, vt .ſ. maior mutetur in minorem, vel è contra, vt infra patebit.

Vt igitur ſine errore, & facilius talis reductio fiat, animaduertẽdæ ſunt litteræ initiales ſingulorum modorum, quia oſtenſiuè reducuntur illi Syllogiſmi ad modum primæ figuræ, qui ab eadem litera incipiunt, vt Baralipton ad Barbara, Ceſare, ad Celarent; Darapti ad Darij, & Feſtino ad Ferio, &c. ſunt etiã aduertendæ quatuor aliæ conſonantes, quæ reperiuntur in medio, vel in fine nominis ſingulorũ modorũ imperfectorum, nempè . S. P. M. C. littera S. ſignificat propoſitionem indicatam per vocalem ſibi immediatè præcedentem eſſe conuertẽdam ſimpliciter. P, per accidens, M, ſignificat non ſufficere conuerſionem propoſitionum, ſed requiri, præmiſſarũ tranſpoſitionẽ, tranſponendo maiorem in minorem, & è contra. C, tandem deſignat modos illos, in quibus reperitur non poſſe oſtenſiuè reduci, ſed tantùm per impoſſibile, & tales ſunt Barocco, & Brocardo, quod totum his carminibus declaratur.

*S, Vult ſimpliciter verti, P, verò per Acci.*

*M, Vult tranſponi, C, per impoſſibile duci.*

Declarantur. Ceſare qui eſt primus modus imperfectus ſecundæ figuræ, reducitur ad Celarent, vt indicat littera C, initialis conuertẽdo maiorem propoſitionem indicatam per E, ſimpliciter, quę immediatè præcedit S, .ſ. maiorẽ vniuerſalem negatiuam, V. g. hic Syllogiſ-

Digitized by Google

logiſmus formatus in Ceſare. Nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis, reducitur ad Celarent, ſi dicatur nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis. Darapti, q. eſt primus modus imperfectus tertiæ figuræ, reducitur ad Darij, vt denotat litera initialis, D, facta conuerſione minoris per accidens, vt indicat lit. P, quæ immediatè ſequitur minorem Vniuerſalē affirmatiuam, vt V. g. hic Syllogiſmus factus in Darapti, omne animal eſt ſubſtantia, omne animal eſt viuēs, ergo aliquod viuens eſt ſubſtātia, reducitur ad Darij, ſi minor conuertatur per accidens, & dicamus, aliquod viuens eſt animal, &c. Baralipton, qui eſt primus modus indirectus primæ figuræ reducitur ad Barbara, vt lit. initialis indicat, conuertendo concluſionē per accid. vt petit lit. P. quæ reperitur poſt vocalem, I, poſitam in tertia ſyllaba, cui correſpondet concluſio, vt V. g. hic Syllogiſmus factus in Baralipton, Omne animal eſt viuens, omnis homo eſt animal, ergo aliquod viuens eſt homo, reducitur ad Barbara, ſi dicamus in cōcluſione, omnis homo eſt viuens.

Eſt tandèm hic aduertendum, ꝙ Concluſio hæc de Baralipton non poteſt in hac reductione dici propriè conuerſa per accidens; nam particularis affirmatiua ex regulis conuerſionis ſuprà traditis, nō cōuertitur in vniuerſalem affirmatiuam, ſed in particularem, iuxtà illud carmen, *feci ſimpliciter conuertitur, eua per acci.* Vndè potius reducitur ad Barbara, ex illa regula, quòd vniuerſalis affirmatiua, optimè conuertitur per accidens in particularem affirmatiuam, vt benè Tatar. aduertit, quicquid enim dicitur de ſuperiori, dicitur etiam de inferiori, &c. Fapeſmo reducitur ad Ferio, vt ex litera initiali patet, & eſt modus indirectus primæ figuræ, vt fit conuertendo maiorem per accidens, vt poſtulat lit. P. & minorē ſimpliciter, vt petit S. & facta præmiſſarum tranſpoſitione, vt petit M. V. g. hic Syllogiſmus in Fapeſmo, omne animal eſt Corpus, nullus lapis eſt animal, ergo aliquod corpus non eſt lapis; ſi fiat tranſpoſitio, vt iam diximus, ſic euadet, nullū animal eſt lapis, quoddam corpus eſt animal, ergo quoddam corpus non eſt lapis; & ſic de ſingulis. Barocco autem, & Bocardo nō poſſunt oſtenſiuè reduci, & ratio eſt, quia cum vna præmiſſarum in eis ſit particularis negatiua, quæ conuerti non poteſt, niſi in ſeipſam per cōtrapoſitionē, & altera vniuerſalis affirmatiua, quæ tantùm conuertitur per accidens, ſi vtiquè oſtenſiuè reducerētur, fieret Syllogiſm' ex puris particularibus.

Reductio per impoſſibile tunc fit, quādo negata concluſione Syllogiſmi ab Aduerſario, ſub prætextu, quòd non ſit in forma, fit propoſitio contradictoria concluſioni nega-



Digitized by Google

negatæ, ex qua cum altera ex propoſitionibus conceſſis, fiunt tales præmiſſæ, ex quibus inferatur cõcluſio cõtradictoria alicui ex præmiſſis iã conceſſis, atq; ita cogitur aduerſarius, vel negare, q iã conceſſerat, vel concedere duo cõtradictoria ſimul eſſe vera, quo genere reductionis reduci poſſunt omnes modi imperfecti cuiuſcumque figuræ ad perfectos, vt Tatar. docet 1. Priorum, q. de figuris. §. 4. *ſciendum*; & ratio eſt, quia in omni modo, quo negatur conſequentia, vel concluſio, debet concedi contradictorium eius, quod negatur, ex qua contradictoria conceſſa, & altera præmiſſa conceſſa ſequeretur contradictorium alterius. Et licèt ſpecialiter hac reductione dicantur reduci Baroco, & Bocardo, hoc tamen eſt, quia non ſunt alio modo reducibiles. Vt igitur talis reductio rectè fiat, hęc datur generalis regula, vt ſemper attendatur ad concluſionem illatam, & ſumatur contradictorium eius, deindè ponatur illa pro vna ex præmiſſis cum altera ex conceſſis, & inferatur contradictorium, vel contrariũ alterius præmiſſæ conceſſæ, & ita deducitur Aduerſarius ad impoſſibile, quod eſt concedere duas cõtrarias, vt melius infrà patebit.

Vltrà hãc regulam generalem, traduntur etiam regulæ ſpeciales pro ſingulis figuris ex Tatar. loc. cit. & tract. 4. in explicatione ſecũdæ figurę, vbi docet quòd modi ſecundæ figuræ reducuntur per impoſſibile, ſumendo contradictorium concluſionis pro minori, & eadam maiori retenta, infertur cõtradictoria, vel contraria minoris conceſſæ. Modi tertiæ figuræ reducuntur ad impoſſibile, accipiendo contradictorium concluſionis pro maiori, & retenta eadem minori, infertur contradictoria, vel contraria maioris conceſſæ: Modi etiam indirecti primæ figuræ poſſunt per impoſſibile reduci ſumẽdo contradictorium concluſionis pro maiori, & ponendo maiorem conceſſam loco minoris, inferẽdo tandèm contrarium minoris conceſſæ. Solùm excipitur Celantes, in quo cõtradictorium concluſionis, quia eſt particularis, poni debet pro minori, & minor de Celantes poni pro maiori, & ita in Darij inferre contradictoriũ maioris conceſſæ.

Vt autem ſciatur ad quem modum Syllogiſmi imperfecti reduci per impoſſibile debent, excepto Barocco, & Bocardo, q reducũtur ad Barbara, ſumendo contradictorium concluſionis illatæ, quæ eſt vniuerſalis affirmatiua, non eſt habenda ratio ad literam initialẽ, vt in reductione ſuperiori, ſed obſeruãdę sũt quatuor dictiones à Dialecticis inuentæ. ſ. *Neſciebatis, Odiebam, Lætare, Romanis*, in quibus reperiuntur quatuor vocales, nempè A, quod deſignat modum perfectũ vniuerſalem affirmatiuum. ſ. Barbara, E, Vniuerſalem negatiuum, ſ. Celarent. I, particularem affirmati-

matiuum .ſ. Darij, O, particularē negatiuum .ſ. Ferio; Prima dictio conſtat quinque vocalibus, quibus modi indirecti primæ figuræ ſuo ordine ſignificātur; Secunda, quatuor vocalibus reſpōdētibus quatuor modis ſecundæ figuræ; Tertia, & quarta ſex vocalibus, quæ ſignificāt ſex modos tertiæ figuræ; Modus igitur imperfectus reſpondens Vocali A, reducitur ad Barbara, reſpondens E, ad Celarent, Reſpōdens, I. ad Darij, reſpondens, O, ad Ferio. Vt autem facilius hæ regulæ pro ſingulis figuris memoriæ mādentur, notādi ſunt hi quatuor Verſus, quorum duo primi ſeruiūt primæ figuræ, alij duo ſecundæ, & tertiæ.

*Maior fit minor, fit contradictio maior.*
*Dempto Celantes, in quo conuertitur ordo.*
*Seruat maiorem, variatq; ſecunda minorem.*
*Tertia maiorem variat, ſeruatq; minorem.*

Variare maiorem, vel minorē, eſt loco maioris, vel minoris ſubſtituere contradictoriam concluſionis Syllogiſmi imperfecti, iuxta quas regulas adduci poſſunt exēpla in qualibet figura. Formetur Syllog. in Baralipton, omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo aliqua ſubſtantia eſt homo; ſi concluſio negetur, accipiatur propoſitio illi contradictoria, quæ erit nulla ſubſtātia eſt homo, & ponatur pro maiori, tollatur minor, & pro ea ſubrogetur maior, & ſic inferatur in Celarent nulla ſubſtantia eſt homo, omne animal eſt ſubſtantia, ergo nullum animal eſt homo, iam iſta propoſitio Contradictoria eſt minori, quā concefferat, non vtiq; immediatè, ſed mediatè, conuertendo prius illam minorem per accidens.

Formetur hic Syllog. in Ceſare, nullus homo eſt rudibilis, omnis Aſinus eſt rudibilis, ergo nullus Aſinus eſt homo, ſi negatur concluſio, ſumatur eius contradictoria, quæ eſt aliquis Aſinus eſt homo, & retenta maiore, ponatur hæc propoſitio pro minore, poſteà inferatur concluſio in Ferio, hoc modo; Nullus homo eſt rudibilis, aliquis Aſinus eſt homo, ergo aliquis Aſinus non eſt rudibilis; quæ concluſio eſt cōtradictoria minori iā cōceſſæ .ſ. omnis Aſinus eſt rudibilis.

Fiat hic Syllog. in Darapti, omne rationale eſt riſibile, omne rationale eſt animal, ergo aliquod animal eſt riſibile, ſi hæc concluſio negetur, ſumatur contradictoria eius, quæ eſt nullum animal eſt riſibile, & ponatur pro maiore, retēta eadem minore, & ſic in Celarent inferatur .ſ. nullum animal eſt riſibile, omne rationale eſt animal, ergo nullū rationale eſt riſibile, quæ concluſio eſt contraria maiori cōceſſę, & contradictoria virtualiter, nam ſub Vniuerſali cōtinetur particularis. Barocco, & Brocardo ſeruāt regulas pro ſecunda, & tertia Figura, atq; ideò ex his facilè

eſt

eſt omnes modos imperfectos iuxta dictiones aſſignatas ad perfectos reducere, quorũ exẽpla relinquuntur, tùm breuitatis cauſa, tùm quia paſſim ab alijs adducuntur.

*De Varijs ſpeciebus Syllogiſmi Cathegorici.* *Cap. IX.*

MVltæ, & variæ enumerari ſolẽt Species Cathegorici Syllogiſmi, quarum nos tãtùm magis neceſſarias ſelegemus. Prima ſpecies eſt eorum, qui ex medio, & terminis communibus conſtat, de qua hucuſq; egimus, & ſuper allatæ regulæ traditæ ſunt.

Secunda ſpecies eſt eorum, qui conſtãt ex medio ſingulari, & alijs terminis, ſiuè ſingularibus, ſiuè cõmunibus ſignis particularibus appoſitis, & dicũtur expoſitorij. Definitur autẽ Syllogiſmus Expoſitorius à Tatar. 1. prior. q. 1. §. dubitatur tertiò ex Scoto 1. d. 2. qu. 7. lit. ij. *Cuius medium eſt terminus ſingularis ſingularitèr, & vniuocè tentus*, quarè nec diſtribui poteſt, nec vniuerſalizari, ſed potiùs perfectè ſingularizari debet, alitèr vitioſus Syllogiſmus euadet, & hoc maximè obſeruandum eſt, nè Syllogizãdo decipiamur in terminis Diuinis pertinẽtibus ad abſoluta, vt sũt Deus, & Eſſentia Diuina, ex eo nãquè quòd non ſunt completè ſingulares, ſed æquiualent communibus, cum re ipſa pluribus perſonis communicentur, ideircò non ſunt apti ad Syllogiſmum Expoſitoriũ, vndè nõ valet iſta, hic Deus eſt Pater, hic Deus eſt filius, ergo filius eſt Pater, quia medium non perfectè ſingularizatur; hinc datur regula, quòd ſicut in Syllogiſmo Cõmuni debet mediũ perfectè diſtribui, vt rectè concludat, ità ad bonitatẽ conſequentiæ in Syllogiſmo expoſitorio è contrà requiritur, vt medium ſit perfectè ſingulare, & incommunicabile.

Duplex autem eſt Syllogiſmus Expoſitorius, vnus affirmatiuus, cuius nempè ambæ præmiſſæ ſunt affirmatiuæ; Alter Negatiuus, cuius .ſ. altera præmiſſarum eſt negatiua. Principium regulatiuũ pro affirmatiuis eſt illud, quæcumque vni, & eidem ſunt eadem, ipſa inter ſe ſunt eadem; Pro negatiuis quæcumq; negantur de eodem tertio, illa negantur de ſe inuicẽ, ità Tatar. loc. cit. & eſt communiſſima doctrina apud veteres Summuliſtas, quicquid aliqui ex Recentioribus reclament. Poteſt hic Syllogiſmus fieri in quacumque figura, ſeruata ſẽper affirmatione, vel negatione, quã modi deſignant V.g. in prima Figura ſic poteſt ſyllogizari; hic homo eſt Pontifex, Petrus eſt hic homo, ergo Petrus eſt Pontifex; in Secunda figura ſic, Petrus eſt hic homo, Paulus nõ eſt hic homo, ergo Paulus nõ eſt Petrus; Frequentius tamen fit in Tertia Figura, in qua medium ſubijcitur, maximè .n. conuenit terminis ſingularibus ſubijci in propoſitione, vt Petrus eſt doctus, Petrus eſt homo; ergo homo eſt doctus, & hoc fuit in cauſa, vt Ariſt. de hoc Syllogiſmo

mo in hac ſola figura egerit. Aduertendum tamen eſt, quòd cùm fiunt in tertia figura, minor nō debet eſſe negatina iuxta regulam tertiæ figuræ, ideò hæc non valet: Petrus eſt homo, Petrus non eſt Paulus igitur Paulus nō eſt homo.

Tertia ſpecies eſt eorū, qui conſtant medio termino communi, & extremis ſingularibus, qui Syllogiſmus ex parte medij differt ab expoſitorio, & ex parte extremorū differt à Syllogiſmo Communi, & fieri poteſt in omnibus Figuris, & iuxta diuerſos earum modos; V.g. in Prima Figura, omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal. In ſecūda Figura, Petrus eſt bonus, hic homo nō eſt bonus, ergo hic homo non eſt Petrus. In Tertia Figura, omnis homo eſt rationalis, quidā homo eſt Petrus, ergo Petrus eſt rationalis.

Quarta ſpecies eſt eorum, quorū præmiſſæ, vel altera conſtat ex terminis obliquis, vt omnis Poteſtas eſt à Deo, Regnū eſt poteſtas, ergo eſt à Deo. De hoc, & ſimilibus Syllogiſmis in obliquo plures ſolēt regulæ aſſignari, ſed breuitèr dicimus, quòd omnis propoſitio conſtans ex obliquis ad ipſammet conſtantem ex rectis reduci debet, quod Ariſt. docuit 2. Prior. c. 37. & ratio eſt, quia caſus obliqui ſunt termini Syncathegorematici ex dictis, & ideò per ſe sūpti nec ſubijci, nec prædicari poſſunt; Vndè illa propoſitio, omnis Poteſtas eſt à Deo, reducitur ad hāc, omnis Poteſtas eſt Attributū Diuinum, &c. Sicut hæc propoſitio, hic liber eſt Petri, reducitur ad hanc, hic liber eſt aliquid poſſeſſum à Petro &c. & hi Syllogiſmi formari etiam poſſunt in qualibet figura.

Quinta ſpecies eſt Syllogiſmi Modalis, & eſt ille, qui conſtat vtraque præmiſſa, vel altera tantùm Modali, ſiuè diuiſa ſit, ſiuè compoſita, & fieri poteſt ſecūdum omnes tres modos .ſ. de Poſſibili, vel Cōtingenti, de Impoſſibili, & de Neceſſario, & in qualibet figura. V.g, ex Prima Figura, neceſſe eſt hominem eſſe animal, neceſſe eſt omne rationale eſſe hominem, ergo neceſſe eſt oē rationale eſſe animal, & ſic de alijs; Hæ autem propoſitiones Modales cum alijs de in eſſe ad conſtituendum Syllogiſmū Modalem multipliciter cōbinari poſſunt, quæ reuerà, & prolixitatem magnam, & tedium mentibus Iuuenum ingerunt; idcircò breuitatis gratia reliquuntur, & qui maiore curioſitate præditi ſunt, adeant Tatar. 1. Prior. tr. 3. q. de conſequētia ex modalibus. Tolet. lib. 4. cap. 16. Conimbr. 1. Prior. c. 8. Caſil. lib. 3. trac. 3. cap. 5. & alios.

Sexta tandem ſpecies eſt Syllogiſmus Exponibilis, & eſt, in quo aliqua propoſitio exponibilis, vel plures inueniuntur, vt V.g. animal rationale tantùm eſt riſibile, homo tantùm eſt animal rationale, ergo homo tantùm eſt riſibilis &c. An verò dandus ſit Syllogiſmus conſtans ex propoſitionibus nō ſignifican-

eſt omnes modos imperfectos iuxta dictiones aſſignatas ad perfectos reducere, quorū exēpla relinquuntur, tùm breuitatis cauſa, tùm quia paſſim ab alijs adduc...

*De Varijs ſpeciebus Syl... gorici*

MVlta... la... logiſ... nec... c... ... ſubin... hæc vox, ſeu hæc ... dictio Dæc ...

*Syllogiſmo Hypotetico. Caput X.*

SYllogiſmus Hypot. ille dicitur, qui ex propoſitionibus hypoteticis, vel ſaltem aliqua hypotetica cōſtat; hinc quia tres ſunt ſpecies principales propoſitionis hypoteticæ, nempè Conditionalis, Diſiunctiua, & Copulatiua, Triplex etiam erit Syllogiſmus hypoteticus, vnus ſcilicet conſtās ex cōditionalib', Alter ex diſiūctiuis, & alter ex copulatiuis. Syllogiſmus conſtans ex conditionalibus duplex eſt; vnus ex toto hypoteticus, quia .ſ. propoſitiones omnes, ex quibus conſtat, ſunt hypoteticæ; Alter ex parte, quia non omnes ſunt hypoteticæ, ſed vna tātùm. Syllogiſmi ex toto hypotetici quatuor modi à Summuliſtis conſtituuntur. Primus, *quo exiſtente quid eſt*; vt, ſi es homo, es animal, ſi es logicus, es homo, ergo ſi es logicus es animal; per quod explicatur ly, *quo exiſtente quid eſt*, nam aliquis exiſtens homo, eſt animal. Secundus, *quo exiſtētē quid non eſt*; vt, ſi es homo, non es tigris, ſi es logicus, es homo, ergo ſi es logicus non es tigris. Terti', *quo nō exiſtētē quid eſt*; vt, ſi Michael nō eſt corpus, eſt Spiritus, ſi Michael eſt Angelus, non eſt Pater, quia medi... Angelicè ſingulariza... *quo no exi*... gula, ... vt ſi non ſtudes, ... ſi vagaris nō ſtudes, nō eris ſapiēs, ſi vagaris, nō eris ſapiens; qui modi Syllogiſmi etiam dici ſolent argumentationes à primo ad vltimum, & facilè reducuntur ad Cathegoricos perfectos primę figurę.

Syllogiſmi hypotetici conditionales ex parte, dicūtur illi, qui cōſtant ex maiori hypotetica, & reliquis cathegoricis, quorum duo cōſtituuntur modi; alter à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, alter à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis; Antecedens eſt illa prior Cathegorica, ex qua conſtat maior hypotetica; cōſequēs eſt Cathegorica poſterior, vt in hac propoſitione, ſi eſt homo, eſt animal, eſt homo appellatur Antecedens, eſt animal conſequens, poſitio fit per conceſſionem antecedentis, ſiuè affirmatiuum ſit, ſiuè negatiuum. Deſtructio fit per negationem V. g. quo ad primum, modū, ſi eſt homo, eſt animal, Phyſicus eſt homo, ergo Phyſicus eſt animal; Quò ad Secundum, ſi eſt homo, eſt animal, lapis non eſt animal, ergo lapis non eſt homo, & facilè ad Syllogiſmos cathegoricos reducuntur.

Secunda ſpecies Syllogiſmi hypotetici conſtat ex diſiunctiuis, & duo præcipuè aſſignantur modi, vnus à ſufficienti partium enumeratione cum deſtructione vnius, vel plurium partium, pro conſtitutione re-

ne remanentis, vt, vel es calidus, vel frigidus, vel tepidus, non es calid⁹, nec frigidus, ergo tepidus; vel es mortalis, vel es æternˀ, non es æternus, ergo mortalis. Alter modus eſt cùm propoſitio diſiunctiua eſt de oppoſitis, qui non nati ſunt de eodem verificari, & tunc arguimus à poſitione vnius ad deſtructionem alterius, vt numerus vel eſt par, vel impar, ſed eſt par, ergo non impar, qui duo modi etiam facilè reducūtur ad Cathegoricum, quem implicitè includunt. Ad hanc ſpeciem Syllogiſmi reducunt illam frequētem Argumentationem, quæ dicitur Bicornis, & Diléma, vt egimus.

Tertia ſpecies hyotetici Syllogiſmi eſt ille, qui conſtat ex propoſitionibus copulatiuis; & duo modi aſſignari ſolent, vnus pro Copulatiuis ex affirmata copula V.g. omnis homo, & omnis Aſinus currit, Petrus eſt homo, & Brunellus eſt Aſinus, ergo Petrus, & Brunellus currunt; hic Syllogiſmus continet duos Cathegoricos in Darij, & ad hunc modum ſpectant argumentationes à pari, vt, ſicut ſe habent duo ad quatuor, ita quinque ad decem, ſed duo ſunt pars dimidia quatenarij, ergo quinque ſunt pars dimidia denarij & aliæ conſimiles. Eſt tamen aduertēdum, quòd ſi ly, &, accipiatur copulatim, tūc ſumi non poteſt diſtributiuè, atque ideò repeti debet ly & in minori v.g. Petrus, & Paulus ſunt duo, hic homo & hic, ſunt Petrus, & Paulus, ergo hic, & hic ſunt duo; quòd ſi ſub ſumeretur hic homo eſt Petrus, ergo hic homo eſt duo, non bene concluderet, nam medius terminus in maiore accipitur copulatim, in minore diuiſim.

Alter mod⁹ eſt pro Copulatiuis negatiuis in quo ponitur vna pars propoſitionis ad tollendam aliam, vt non homo currit ſimul, & ſedet idest nullus homo, ſed currit, ergo non ſedet, quæ maior æquiualet huic diſiunctiuæ, vel homo nō currit, vel ſi currit non ſedet, vel nullus eſt ſimul ſapiens, & ignarus, ſed Petrus eſt ſapiens, ergo non eſt ignarus. multæ aliæ ſpecies Syllogiſmi hipotetici ſolent ab Auctorib⁹ adduci, ſed quia rari ſūt, & valdè perplexi conſultò à nobis reliquūtur.

## *De Arte inueniendi Medium.*

### *Caput XI.*

ARiſt. 1. Prior. cap. 29. artem inueniēdi medium tradidit, quę à Summuliſtis Pons Aſinorum appellari conſueuit, & accepit appellationē à Ponte, quia ſicut pōs eſt inſtrumentum vtramque partē ripæ cōnectens, ita medium eſt ratio cōnectens vtrumque extremū; dicitur Aſinorum, quia inuentione medij diſcernuntur ingenioſi à rudib⁹, ingenioſi enim pollent ſolertia, quam Ariſt. 1. poſt vocat ſubtilitatem inueniendi medium, nam qualibet propoſitione negata, ipſi ſtatim per medium, quaſi per Pontem extrema interrupta cōnectūt.

Duplex aſſignatur via indagandi medium ad aliquam probandā propoſitionem, vna eſt generalis, & nul-

ficantibus,ſcilicèt cuius partes ſint termini non ſignificantes,altercātur Doctores,& probabilius negatur,nam vt ſuprà diximꝰ,cùm pronūciatur, Dac eſt ſyllaba, ſubiectū eius enunciationis nō eſt Dac , ſed alius terminus ſignificatiuꝰ ſubintellectus, ſcilicèt hæc vox,ſeu hæc dictio Dac &c.

*De Syllogiſmo Hypotetico*. *Caput X.*

SYllogiſmus Hypot.ille dicitur, *qui ex propoſitionibus hypoteticis, vel ſaltem aliqua hypotetica cōſtat*; hinc quia tres ſunt ſpecies principales propoſitionis hypoteticæ , nempè Conditionalis, Diſiunctiua,& Copulatiua, Triplex etiam erit Syllogiſmus hypoteticus , vnus ſcilicet conſtās ex cōditionalibꝰ, Alter ex diſiūctiuis,& alter ex copulatiuis.

Syllogiſmus conſtans ex conditionalibus duplex eſt;vnus ex toto hypoteticus,quia .ſ.propoſitiones omnes,ex quibus conſtat, ſunt hypoteticæ ; Alter ex parte,quia non omnes ſunt hypoteticæ,ſed vna tātùm.Syllogiſmi ex toto hypotetici quatuor modi à Summuliſtis conſtituuntur . Primus , *quo exiſtente quid eſt* ; vt,ſi es homo,es animal, ſi es logicus, es homo,ergo ſi es logicus es animal;per quod explicatur ly , *quo exiſtente quid eſt*, nam aliquis exiſtens homo , eſt animal, Secundus,*quo exiſtente quid non eſt*; vt, ſi es homo, non es tigris , ſi es logicus, es homo , ergo ſi es logicus non es tig[illegible]rtiꝰ, *quo nō exiſtēte quid eſt*; [illegible] nō eſt corpus,eſt Spi[illegible]el eſt Angelus, non eſt corpꝰ,ergo ſi Michael eſt Angelus,eſt Spiritus .Quartus; *quo no exiſtente , quid non eſt* ; vt ſi non ſtudes, nō eris ſapiēs , ſi vagaris nō ſtudes, ergo ſi vagaris,nō eris ſapiens ; qui modi Syllogiſmi etiam dici ſolent argumentationes à primo ad vltimum , & facilè reducuntur ad Cathegoricos perfectos primę figurę.

Syllogiſmi hypotetici conditionales ex parte, dicūtur illi, qui cōſtant ex maiori hypotetica,& reliquis cathegoricis,quorum duo cōſtituuntur modi;alter à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis,alter à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis; Antecedens eſt illa prior Cathegorica,ex qua conſtat maior hypotetica;cōſequēs eſt Cathegorica poſterior,vt in hac propoſitione,ſi eſt homo,eſt animal,eſt homo appellatur Antecedens, eſt animal conſequens, poſitio fit per conceſſionem antecedentis , ſiuè affirmatiuum ſit, ſiuè negatiuum. Deſtructio fit per negationem V. g. quo ad primum, modū, ſi eſt homo, eſt animal , Phyſicus eſt homo , ergo Phyſicus eſt animal; Quò ad Secundum, ſi eſt homo, eſt animal, lapis non eſt animal , ergo lapis non eſt homo, & facilè ad Syllogiſmos cathegoricos reducuntur.

Secunda ſpecies Syllogiſmi hypotetici conſtat ex diſiunctiuis , & duo præcipuè aſſignantur modi, vnus à ſufficienti partium enumeratione cum deſtructione vnius , vel plurium partium, pro conſtitutione re-

nē re-

ne remanentis; vt, vel es calidus, vel frigidus, vel tepidus, non es calid⁹, nec frigidus, ergo tepidus; vel es mortalis, vel es æetern⁹, non es æternus; ergo mortalis. Alter modus eſt cùm propoſitio diſiunctiua eſt de oppoſitis, qui non nati ſunt de eodem verificari, & tunc arguimus à poſitione vnius ad deſtructionem alterius; vt numerus vel eſt par, vel impar, ſed eſt par, ergo non impar, qui duo modi etiam facilè reducũtur ad Cathegoricum, quem implicitè includunt. Ad hanc ſpeciem Syllogiſmi reducunt illam frequẽtem Argumentationem, quæ dicitur Bicornis, & Dilẽma, vt egimus.

Tertia ſpecies hyotetici Syllogiſmi eſt ille, qui conſtat ex propoſitionibus copulatiuis; & duo modi aſſignari ſolent, vnus pro Copulatiuis ex affirmata copula V.g. omnis homo, & omnis Aſinus currit, Petrus eſt homo, & Brunellus eſt Aſinus, ergo Petrus, & Brunellus currunt; hic Syllogiſmus continet duos Cathegoricos in Darij, & ad hunc modum ſpectant argumentationes à pari, vt, ſicut ſe habent duo ad quatuor, ita quinque ad decem, ſed duo ſunt pars dimidia quatenarij, ergo quinque ſunt pars dimidia denarij & aliæ conſimiles. Eſt tamen aduertẽdum, quòd ſi ly, &, accipiatur copulatìm, tũc ſumi non poteſt diſtributiuè, atque ideò repeti debet ly &, in minori v.g. Petrus, & Paulus ſunt duo, hic homo & hic, ſunt Petrus, & Paulus, ergo hic, & hic ſunt duo; quòd ſi ſub ſumeretur hic homo eſt Petrus, ergo hic homo eſt duo, non bene concluderet, nam medius terminus in maiore accipitur copulatim, in minore diuiſim.

Alter mod⁹ eſt pro Copulatiuis negatiuis, in quo ponitur vna pars propoſitionis ad tollendam aliam, vt non homo currit ſimul, & ſedet ideſt nullus homo, ſed currit, ergo non ſedet, quæ maior æquiualet huic diſiunctiuæ, vel homo nõ currit, vel ſi currit non ſedet, vel nullus eſt ſimul ſapiẽs, & ignarus, ſed Petrus eſt ſapiens, ergo non eſt ignarus. multæ aliæ ſpecies Syllogiſmi hipotetici ſolent ab Auctorib⁹ adduci, ſed quia rari ſũt, & valdè perplexi conſultò à nobis relinquũtur.

*De Arte inueniendi Medium.*

*Caput XI.*

ARiſt. 1. Prior. cap. 29. artem inueniẽdi medium tradidit, quę à Summuliſtis Pons Aſinorum appellari conſueuit, & accepit appellationẽ à Ponte, quia ſicut pons eſt inſtrumentum vtramque partẽ ripæ cõnectens, ità medium eſt ratio cõnectens vtrumque extremũ; dicitur Aſinorum, quia inuentione medij diſcernuntur ingenioſi à rudib⁹; ingenioſi enim pollent ſolertia, quam Ariſt. 1. poſt vocat ſubtilitatẽm inueniendi medium, nam qualibet propoſitione negata, ipſi ſtatim per medium, quaſi per Pontem extrema interrupta cõnectũt.

Duplex aſſignatur via indagandi medium ad aliquam probandã propoſitionem, vna eſt generalis, & nul-

ficantibus, ſcilicèt cuius partes ſint termini non ſignificantes, altercãtur Doctores, & probabilius negatur, nam vt ſuprà dixim', cùm pronũciatur, Dac eſt ſyllaba, ſubiectũ eius enunciationis nõ eſt Dac, ſed alius terminus ſignificatiu' ſubintellectus, ſcilicèt hæc vox, ſeu hæc dictio Dac &c.

*De Syllogiſmo Hypotetico. Caput X.*

SYllogiſmus Hypot. ille dicitur, *qui ex propoſitionibus hypoteticis, vel ſaltem aliqua hypotetica cõſtat*; hinc quia tres ſunt ſpecies principales propoſitionis hypoteticæ, nempè Conditionalis, Diſiunctiua, & Copulatiua, Triplex etiam erit Syllogiſmus hypoteticus, vnus ſcilicet conſtãs ex cõditionalib', Alter ex diſiũctiuis, & alter ex copulatiuis.

Syllogiſmus conſtans ex conditionalibus duplex eſt; vnus ex toto hypoteticus, quia .ſ. propoſitiones omnes, ex quibus conſtat, ſunt hypoteticæ; Alter ex parte, quia non omnes ſunt hypoteticæ, ſed vna tãtùm. Syllogiſmi ex toto hypotetici quatuor modi à Summuliſtis conſtituuntur. Primus, *quo exiſtente quid eſt*; vt, ſi es homo, es animal, ſi es logicus, es homo, ergo ſi es logicus es animal; per quod explicatur ly, *quo exiſtente quid eſt*, nam aliquis exiſtens homo, eſt animal. Secundus, *quo exiſtente quid non eſt*; vt, ſi es homo, non es tigris; ſi es logicus, es homo, ergo ſi es logicus non es tigris. Terti', *quo nõ exiſtẽte quid eſt*; vt, ſi [illegible] nõ eſt corpus, eſt Spi[illegible]el eſt Angelus, non eſt corp', ergo ſi Michael eſt Angelus, eſt Spiritus. Quartus, *quo no exiſtente, quid non eſt*; vt ſi non ſtudes, nõ eris ſapiẽs, ſi vagaris nõ ſtudes, ergo ſi vagaris, nõ eris ſapiens; qui modi Syllogiſmi etiam dici ſolent argumentationes à primo ad vltimum, & facilè reducuntur ad Cathegoricos perfectos primę figurę.

Syllogiſmi hypotetici conditionales ex parte, dicũtur illi, qui cõſtant ex maiori hypotetica, & reliquis cathegoricis, quorum duo cõſtituuntur modi; alter à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, alter à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis; Antecedens eſt illa prior Cathegorica, ex qua conſtat maior hypotetica; cõſequẽs eſt Cathegorica poſterior, vt in hac propoſitione, ſi eſt homo, eſt animal, eſt homo appellatur Antecedens, eſt animal conſequens, poſitio fit per conceſſionem antecedentis, ſiuè affirmatiuum ſit, ſiuè negatiuum. Deſtructio fit per negationem V. g. quo ad primum, modũ, ſi eſt homo, eſt animal, Phyſicus eſt homo, ergo Phyſicus eſt animal; Quò ad Secundum, ſi eſt homo, eſt animal, lapis non eſt animal, ergo lapis non eſt homo, & facilè ad Syllogiſmos cathegoricos reducuntur.

Secunda ſpecies Syllogiſmi hypotetici conſtat ex diſiunctiuis, & duo præcipuè aſſignantur modi, vnus à ſufficienti partium enumeratione cum deſtructione vnius, vel plurium partium, pro conſtitutione re-

ne remanentis; vt, vel es calidus, vel frigidus, vel tepidus, non es calid⁹, nec frigidus, ergo tepidus; vel es mortalis, vel es ætern⁹, non es ęternus; ergo mortalis. Alter modus eſt cùm propoſitio diſiunctiua eſt de oppoſitis, qui non nati ſunt de eodem verificari, & tunc arguimus à poſitione vnius ad deſtructionem alterius, vt numerus vel eſt par, vel impar, ſed eſt par, ergo non impar, qui duo modi etiam facilè reducũtur ad Cathegoricum, quem implicitè includunt. Ad hanc ſpeciem Syllogiſmi reducunt illam frequẽtem Argumentationem, quæ dicitur Bicornis, & Dilẽma, vt egimus.

Tertia ſpecies hyotetici Syllogiſmi eſt ille, qui conſtat ex propoſitionibus copulatiuis; & duo modi aſſignari ſolent, vnus pro Copulatiuis ex affirmata copula V.g. omnis homo, & omnis Aſinus currit, Petrus eſt homo, & Brunellus eſt Aſinus, ergo Petrus, & Brunellus currunt; hic Syllogiſmus continet duos Cathegoricos in Darij, & ad hunc modum ſpectant argumentationes à pari, vt, ſicut ſe habent duo ad quatuor, ita quinque ad decem, ſed duo ſunt pars dimidia quatenarij, ergo quinque ſunt pars dimidia denarij & aliæ conſimiles. Eſt tamen aduertẽdum, quòd ſi ly, &, accipiatur copulatim, tũc ſumi non poteſt diſtributiuè, atque ideò repeti debet ly &, in minori v.g. Petrus, & Paulus ſunt duo, hic homo & hic, ſunt Petrus, & Paulus, ergo hic, & hic ſunt duo; quòd ſi ſub ſumeretur hic homo eſt Petrus, ergo hic homo eſt duo, non bene concluderet, nam medius terminus in maiore accipitur copulatim, in minore diuiſim.

Alter mod⁹ eſt pro Copulatiuis negatiuis, in quo ponitur vna pars propoſitionis ad tollendam aliam, vt non homo currit ſimul, & ſedet idest nullus homo, ſed currit, ergo non ſedet, quæ maior æquiualet huic diſiunctiuæ, vel homo nõ currit, vel ſi currit non ſedet, vel nullus eſt ſimul ſapiẽs, & ignarus, ſed Petrus eſt ſapiens, ergo non eſt ignarus. multæ aliæ ſpecies Syllogiſmi hipotetici ſolent ab Auctorib⁹ adduci, ſed quia rari ſũt, & valdè perplexi conſultò à nobis relinquũtur.

*De Arte inueniendi Medium.*

*Caput XI.*

ARiſt. 1. Prior. cap. 29. artem inueniẽdi medium tradidit, quę à Summuliſtis Pons Aſinorum appellari conſueuit, & accepit appellationẽ à Ponte, quia ſicut pos eſt inſtrumentum vtramque partẽ ripæ cõnectens, ità medium eſt ratio cõnectens vtrumque extremũ; dicitur Aſinorum, quia inuentione medij diſcernuntur ingenioſi à rudib⁹, ingenioſi enim pollent ſolertia, quam Ariſt. 1. poſt vocat ſubtilitatẽm inueniendi medium, nam qualibet propoſitione negata, ipſi ſtatim per medium, quaſi per Pontem extrema interrupta cõnectũt.

Duplex aſſignatur via indagandi medium ad aliquam probandã propoſitionem, vna eſt generalis,

ficantibus, ſcilicèt cuius partes ſint termini non ſignificantes, altercātur Doctores, & probabilius negatur, nam vt ſuprà dixim', cùm pronūciatur, Dac eſt ſyllaba, ſubiectū eius enunciationis nō eſt Dac, ſed alius terminus ſignificatiu' ſubintellectus, ſcilicèt hæc vox, ſeu hæc dictio Dac &c.

*De Syllogiſmo Hypotetico. Caput X.*

SYllogiſmus Hypot. ille dicitur, *qui ex propoſitionibus hypoteticis, vel ſaltem aliqua hypotetica cōſtat*; hinc quia tres ſunt ſpecies principales propoſitionis hypoteticæ, nempè Conditionalis, Diſiunctiua, & Copulatiua, Triplex etiam erit Syllogiſmus hypoteticus, vnus ſcilicet conſtās ex cōditionalib', Alter ex diſiūctiuis, & alter ex copulatiuis.

Syllogiſmus conſtans ex conditionalibus duplex eſt; vnus ex toto hypoteticus, quia .ſ. propoſitiones omnes, ex quibus conſtat, ſunt hypoteticæ; Alter ex parte, quia non omnes ſunt hypoteticæ, ſed vna tātùm. Syllogiſmi ex toto hypotetici quatuor modi à Summuliſtis conſtituuntur. Primus, *quò exiſtente quid eſt*; vt, ſi es homo, es animal, ſi es logicus, es homo, ergo ſi ès logicus es animal; per quod explicatur ly, *quo exiſtente quid eſt*, nam aliquis exiſtens homo, eſt animal, Secundus, *quo exiſtentē quid non eſt*; vt, ſi es homo, non es tigris; ſi es logicus, ès homo, ergò ſi es logicus non es tigris. Terti', *quo nō exiſtētē quid eſt*; vt, ſi [illegible]el nō eſt corpus, eſt Spi[illegible]ael eſt Angelus, non eſt corp', ergo ſi Michael eſt Angelus, eſt Spiritus. Quartus; *quo nō exiſtente, quid non eſt*; vt ſi non ſtudes, nō eris ſapiēs, ſi vagaris nō ſtudes, ergo ſi vagaris, nō eris ſapiens; qui modi Syllogiſmi etiam dici ſolent argumentationes à primo ad vltimum, & facilè reducuntur ad Cathegoricos perfectos primę figurę.

Syllogiſmi hypotetici conditionales ex parte, dicūtur illi, qui cōſtant ex maiori hypotetica, & reliquis cathegoricis, quorum duo cōſtituuntur modi; alter à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, alter à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis; Antecedens eſt illa prior Cathegorica, ex qua conſtat maior hypotetica; cōſequēs eſt Cathegotica poſterior, vt in hac propoſitione, ſi eſt homo, eſt animal, eſt homo appellatur Antecedens, eſt animal conſequens, poſitio fit per conceſſionem antecedentis, ſiuè affirmatiuum ſit, ſiuè negatiuum. Deſtructio fit per negationem V. g. quo ad primum, modū, ſi eſt homo, eſt animal, Phyſicus eſt homo, ergò Phyſicus eſt animal; Quò ad Secundum, ſi eſt homo, eſt animal, lapis non eſt animal, ergo lapis non eſt homo, & facilè ad Syllogiſmos cathegoricos reducuntur.

Secunda ſpecies Syllogiſmi hypotetici conſtat ex diſiunctiuis, & duo præcipuè aſſignantur modi, vnus à ſufficienti partium enumeratione cum deſtructione vnius, vel plurium partium, pro conſtitutionè re-

ne remanentis, vt, vel es calidus, vel frigidus, vel tepidus, non es calid⁹, nec frigidus, ergo tepidus; vel es mortalis, vel es æternᵘ, non es æternus, ergo mortalis. Alter modus eſt cùm propoſitio diſiunctiua eſt de oppoſitis, qui non nati ſunt de eodem verificari, & tunc arguimus à poſitione vnius ad deſtructionem alterius, vt numerus vel eſt par, vel impar, ſed eſt par, ergo non impar, qui duo modi etiam facilè reducūtur ad Cathegoricum, quem implicitè includunt. Ad hanc ſpeciem Syllogiſmi reducunt illam frequētem Argumentationem, quæ dicitur Bicornis, & Dilēma, vt egimus.

Tertia ſpecies hyotetici Syllogiſmi eſt ille, qui conſtat ex propoſitionibus copulatiuis; & duo modi aſſignari ſolent, vnus pro Copulatiuis ex affirmata copula V.g. omnis homo, & omnis Aſinus currit, Petrus eſt homo, & Brunellus eſt Aſinus, ergo Petrus, & Brunellus currunt; hic Syllogiſmus continet duos Cathegoricos in Darij, & ad hunc modum ſpectant argumentationes à pari, vt, ſicut ſe habent duo ad quatuor, ita quinque ad decem, ſed duo ſunt pars dimidia quatenarij, ergo quinque ſunt pars dimidia denarij & aliæ conſimiles. Eſt tamen aduertēdum, quòd ſi ly, &, accipiatur copulatìm, tūc ſumi non poteſt diſtributiuè, atque ideò repeti debet ly &, in minori v.g. Petrus, & Paulus ſunt duo, hic homo & hic, ſunt Petrus, & Paulus, ergo hic, & hic ſunt duo; quòd ſi ſub ſumeretur hic homo eſt Petrus, ergo hic homo eſt duo, non bene concluderet, nam medius terminus in maiore accipitur copulatim, in minore diuiſim.

Alter modᵘ eſt pro Copulatiuis negatiuis, in quo ponitur vna pars propoſitionis ad tollendam aliam, vt non homo currit ſimul, & ſedet ideſt nullus homo, ſed currit, ergo non ſedet, quæ maior æquiualet huic diſiunctiuæ, vel homo nō currit, vel ſi currit non ſedet, vel nullus eſt ſimul ſapiēs, & ignarus, ſed Petrus eſt ſapiens, ergo non eſt ignarus. multæ aliæ ſpecies Syllogiſmi hipotetici ſolent ab Auctorib⁹ adduci, ſed quia rari ſūt, & valdè perplexi conſultò à nobis reliquūtur.

### *De Arte inueniendi Medium.*

### *Caput XI.*

ARiſt. I. Prior. cap. 29. artem inueniēdi medium tradidit, quę à Summuliſtis Pons Aſinorum appellari conſueuit, & accepit appellationē à Ponte, quia ſicut pôs eſt inſtrumentum vtramque partē ripæ cōnectens, ità medium eſt ratio cōnectens vtrumque extremū; dicitur Aſinorum, quia inuentione medij diſcernuntur ingenioſi à rudib⁹; ingenioſi enim pollent ſolertia, quam Ariſt. I. poſt vocat ſubtilitatem inueniendi medium, nam qualibet propoſitione negata, ipſi ſtatim per medium, quaſi per Pontem extrema interrupta cōnectūt.

Duplex aſſignatur via indagandi medium ad aliquam probandā propoſitionem, vna eſt generalis, & nul-

eſt omnes modos imperfectos iuxta dictiones aſſignatas ad perfectos reducere, quorũ exẽpla relinquuntur, tùm breuitatis cauſa, tùm quia paſſim ab alijs adducuntur.

*De Varijs ſpeciebus Syllogiſmi Cathegorici. Cap. IX.*

MVltæ, & variæ enumerari ſolẽt Species Cathegorici Syllogiſmi, quarum nos tãtùm magis neceſſarias ſelegemus. Prima ſpecies eſt eorum, qui ex medio, & terminis communibus conſtat, de qua hucuſq; egimus, & ſuper allatæ regulæ traditæ ſunt.

Secunda ſpecies eſt eorum, qui conſtãt ex medio ſingulari, & alijs terminis, ſiuè ſingularibus, ſiuè cõmunibus ſignis particularibus appoſitis, & dicũtur expoſitorij. Definitur autẽ Syllogiſmus Expoſitorius à Tatar. 1. prior. q. 1. §. dubitatur tertiò ex Scoto 1. d. 2. qu. 7. lit. ij. *Cuius medium eſt terminus ſingularis ſingularitèr, & vniuocè tentus*, quarè nec diſtribui poteſt, nec vniuerſalizari, ſed potiùs perfectè ſingularizari debet, alitèr vitioſus Syllogiſmus euadet, & hoc maximè obſeruandum eſt, nè Syllogizãdo decipiamur in terminis Diuinis pertinẽtibus ad abſoluta, vt sũt Deus, & Eſſentia Diuina, ex eo nãquè quòd non ſunt completè ſingulares, ſed æquiualent communibus, cum re ipſa pluribus perſonis communicentur, idcircò non ſunt apti ad Syllogiſmum Expoſitoriũ, vndè nõ valet iſta, hic Deus eſt Pater, hic Deus eſt filius, ergo filius eſt Pater, quia medium non perfectè ſingularizatur; hinc datur regula, quòd ſicut in Syllogiſmo Cõmuni debet mediũ perfectè diſtribui, vt rectè concludat, ità ad bonitaté conſequentiæ in Syllogiſmo expoſitorio è contrà requiritur, vt medium ſit perfectè ſingulare, & incommunicabile.

Duplex autem eſt Syllogiſmus Expoſitorius, vnus affirmatiuus, cuius nempè ambæ præmiſſæ ſunt affirmatiuæ; Alter Negatiuus, cuius .ſ. altera præmiſſarum eſt negatiua. Principium regulatiuũ pro affirmatiuis eſt illud, quæcumque vni, & eidem ſunt eadem, ipſa inter ſe ſunt eadem; Pro negatiuis quæcumq; negantur de eodem tertio, illa negantur de ſe inuicẽ, ità Tatar. loc. cit. & eſt communiſſima doctrina apud veteres Summuliſtas, quicquid aliqui ex Recentioribus reclament. Poteſt hic Syllogiſmus fieri in quacumque figura, ſeruata ſẽper affirmatione, vel negatione, quã modi deſignant V.g. in prima Figura ſic poteſt ſyllogizari: hic homo eſt Pontifex, Petrus eſt hic homo, ergo Petrus eſt Pontifex; in Secunda figura ſic, Petrus eſt hic homo, Paulus nõ eſt hic homo, ergo Paulus nõ eſt Petrus; Frequentius tamen fit in Tertia Figura, in qua medium ſubijcitur, maximè, n, conuenit terminis ſingularibus ſubijci in propoſitione, vt Petrus eſt doctus, Petrus eſt homo; ergo homo eſt doctus, & hoc fuit in cauſa, vt Ariſt. de hoc Syllogiſmo

Digitized by Google

mo in hac ſola figura egerit. Aduertendum tamen eſt, quòd cùm ſunt in tertia figura, minor nõ debet eſſe negatiua iuxta regulam tertiæ figuræ, ideò hæc non valet: Petrus eſt homo, Petrus non eſt Paulus, igitur Paulus nõ eſt homo.

Tertia ſpecies eſt eorũ, qui conſtant medio termino communi, & extremis ſingularibus, qui Syllogiſmus ex parte medij differt ab expoſitorio, & ex parte extremorũ differt à Syllogiſmo Communi, & fieri poteſt in omnibus Figuris, & iuxta diuerſos earum modos; V.g. in Prima Figura, omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal. In ſecũda Figura, Petrus eſt bonus, hic homo nõ eſt bonus, ergo hic homo non eſt Petrus. In Tertia Figura, omnis homo eſt rationalis, quidã homo eſt Petrus, ergo Petrus eſt rationalis.

Quarta ſpecies eſt eorum, quorũ præmiſſæ, vel altera conſtat ex terminis obliquis, vt omnis Poteſtas eſt à Deo, Regnũ eſt poteſtas, ergo eſt à Deo. De hoc, & ſimilibus Syllogiſmis in obliquo plures ſolẽt regulæ aſſignari, ſed breuitèr dicimus, quòd omnis propoſitio conſtans ex obliquis ad ipſammet conſtantem ex rectis reduci debet, quod Ariſt. docuit 2. Prior. c. 37. & ratio eſt, quia caſus obliqui ſunt termini Syncathegorematici ex dictis, & ideò per ſe sũpti nec ſubijci, nec prædicari poſſunt; Vndè illa propoſitio, omnis Poteſtas eſt à Deo, reducitur ad hãc; omnis Poteſtas eſt Attributũ Diuinum, &c. Sicut hæc propoſitio, hic liber eſt Petri, reducitur ad hanc, hic liber eſt aliquid poſſeſſum à Petro &c. & hi Syllogiſmi formari etiam poſſunt in qualibet figura.

Quinta ſpecies eſt Syllogiſmi Modalis, & eſt ille, qui conſtat vtraque præmiſſa, vel altera tantùm Modali, ſiuè diuiſa ſit, ſiuè compoſita, & fieri poteſt ſecũdum omnes tres modos .ſ. de Poſſibili, vel Cõtingenti, de Impoſſibili, & de Neceſſario, & in qualibet figura. V.g. ex Prima Figura, neceſſe eſt hominem eſſe animal, neceſſe eſt omne rationale eſſe hominem, ergo neceſſe eſt oẽ rationale eſſe animal, & ſic de alijs; Hæ autem propoſitiones Modales cum alijs de in eſſe ad conſtituendum Syllogiſmũ Modalem multipliciter cõbinari poſſunt, quæ reuerà, & prolixitatem, magnam, & tedium mentibus Iuuenum ingerunt; idcircò breuitatis gratia relinquuntur, & qui maiore curioſitate præditi ſunt, adeant Tatar. 1. Prior. tr. 3. q. de conſequẽtia ex modalibus. Tolet. lib. 4. cap. 16. Conimbr. 1. Prior. c. 8. Caſil. lib. 3. trac. 3. cap. 5. & alios.

Sexta tandem ſpecies eſt Syllogiſmus Exponibilis, & eſt, in quo aliqua propoſitio exponibilis, vel plures inueniuntur, vt V.g. animal rationale tantùm eſt riſibile, homo tantùm eſt animal rationale, ergo homo tantùm eſt riſibilis &c. An verò dandus ſit Syllogiſmus conſtans ex propoſitionibus nõ ſignifican-

ſicantibus, ſcilicèt cuius partes ſint termini non ſignificantes, altercãtur Doctores, & probabilius negatur, nam vt ſupra dixim', cùm pronũciatur, Dac eſt ſyllaba, ſubiectũ eius enunciationis nõ eſt Dac, ſed alius terminus ſignificatiu' ſubintellectus, ſcilicèt hæc vox, ſeu hæc dictio Dac &c.

*De Syllogiſmo Hypotetico. Caput X.*

SYllogiſmus Hypot. ille dicitur, *qui ex propoſitionibus hypoteticis, vel ſaltem aliqua hypotetica cõſtat*; hinc quia tres ſunt ſpecies principales propoſitionis hypoteticæ, nempè Conditionalis, Diſiunctiua, & Copulatiua, Triplex etiam erit Syllogiſmus hypoteticus, vnus ſcilicet conſtãs ex cõditionalib', Alter ex diſiũctiuis, & alter ex copulatiuis.

Syllogiſmus conſtans ex conditionalibus duplex eſt; vnus ex toto hypoteticus, quia .ſ. propoſitiones omnes, ex quibus conſtat, ſunt hypoteticæ; Alter ex parte, quia non omnes ſunt hypoteticæ, ſed vna tãtùm. Syllogiſmi ex toto hypotetici quatuor modi à Summuliſtis conſtituuntur. Primus, *quo exiſtente quid eſt*; vt, ſi es homo, es animal, ſi es logicus, es homo, ergo ſi es logicus es animal; per quod explicatur ly, *quo exiſtente quid eſt*, nam aliquis exiſtens homo, eſt animal. Secundus, *quo exiſtẽte quid non eſt*; vt, ſi es homo, non es tigris, ſi es logicus, es homo, ergo ſi es logicus non es tigris. Terti', *quo nõ exiſtẽte quid eſt*; vt, ſi Michael nõ eſt corpus, eſt Spiritus, ſi Michael eſt Angelus, non eſt corp', ergo ſi Michael eſt Angelus, eſt Spiritus. Quartus; *quo no exiſtente, quid non eſt*; vt, ſi non ſtudes, nõ eris ſapiẽs, ſi vagaris nõ ſtudes, ergo ſi vagaris, nõ eris ſapiens; qui modi Syllogiſmi etiam dici ſolent argumentationes à primo ad vltimum, & facilè reducuntur ad Cathegoricos perfectos primę figurę.

Syllogiſmi hypotetici conditionales ex parte, dicũtur illi, qui cõſtant ex maiori hypotetica, & reliquis cathegoricis, quorum duo cõſtituuntur modi; alter à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, alter à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis; Antecedens eſt illa prior Cathegorica, ex qua conſtat maior hypotetica; cõſequẽs eſt Cathegorica poſterior, vt in hac propoſitione, ſi eſt homo, eſt animal, eſt homo appellatur Antecedens, eſt animal conſequens, poſitio fit per conceſſionem antecedentis, ſiuè affirmatiuum ſit, ſiuè negatiuum. Deſtructio fit per negationem V. g. quo ad primum modũ, ſi eſt homo, eſt animal, Phyſicus eſt homo, ergo Phyſicus eſt animal; Quò ad Secundum, ſi eſt homo, eſt animal, lapis non eſt animal, ergo lapis non eſt homo, & facilè ad Syllogiſmos cathegoricos reducuntur.

Secunda ſpecies Syllogiſmi hypotetici conſtat ex diſiunctiuis, & duo præcipuè aſſignantur modi, vnus à ſufficienti partium enumeratione cum deſtructione vnius, vel plurium partium, pro conſtitutione re-

ne remanentis; vt, vel es calidus, vel frigidus, vel tepidus, non es calid⁹, nec frigidus, ergo tepidus; vel es mortalis, vel es ætern⁹, non es ęternus, ergo mortalis. Alter modus eſt cùm propoſitio diſiunctiua eſt de oppoſitis, qui non nati ſunt de eodem verificari, & tunc arguimus à poſitione vnius ad deſtructionem alterius, vt numerus vel eſt par, vel impar, ſed eſt par, ergo non impar, qui duo modi etiam facilè reducũtur ad Cathegoricum, quem implicitè includunt. Ad hanc ſpeciem Syllogiſmi reducunt illam frequẽtem Argumentationem, quæ dicitur Bicornis, & Dilẽma, vt egimus.

Tertia ſpecies hyotetici Syllogiſmi eſt ille, qui conſtat ex propoſitionibus copulatiuis; & duo modi aſſignari ſolent, vnus pro Copulatiuis ex affirmata copula V.g. omnis homo, & omnis Aſinus currit, Petrus eſt homo, & Brunellus eſt Aſinus, ergo Petrus, & Brunellus currunt; hic Syllogiſmus continet duos Cathegoricos in Darij, & ad hunc modum ſpectant argumentationes à pari, vt, ſicut ſe habent duo ad quatuor, ita quinque ad decem, ſed duo ſunt pars dimidia quatenarij, ergo quinque ſunt pars dimidia denarij & aliæ conſimiles. Eſt tamen aduertẽdum, quòd ſi ly, &, accipiatur copulatim, tũc ſumi non poteſt diſtributiuè, atque ideò repeti debet ly & in minori v.g. Petrus, & Paulus ſunt duo, hic homo & hic, ſunt Petrus, & Paulus, ergo hic, & hic ſunt duo; quòd ſi ſub ſumeretur hic homo eſt Petrus, ergo hic homo eſt duo, non benè concluderet, nam medius terminus in maiore accipitur copulatim, in minore diuiſim.

Alter mod⁹ eſt pro Copulatiuis negatiuis in quo ponitur vna pars propoſitionis ad tollendam aliam, vt non homo currit ſimul, & ſedet idest nullus homo, ſed currit, ergo non ſedet, quæ maior æquiualet huic diſiunctiuæ, vel homo nõ currit, vel ſi currit non ſedet, vel nullus eſt ſimul ſapiens, & ignarus, ſed Petrus eſt ſapiens, ergo non eſt ignarus. multæ aliæ ſpecies Syllogiſmi hipotetici ſolent ab Auctorib⁹ adduci, ſed quia rari ſũt, & valdè perplexi conſultò à nobis relinquũtur.

## *De Arte inueniendi Medium.*

### *Caput XI.*

ARiſt. 1. Prior. cap. 29. artem inueniẽdi medium tradidit, quę à Summuliſtis Pons Aſinorum appellari conſueuit, & accepit appellationẽ à Ponte, quia ſicut pós eſt inſtrumentum vtramque partẽ ripæ cõnectens, ità medium eſt ratio cõnectens vtrumque extremũ; dicitur Aſinorum, quia inuentione medij diſcernuntur ingenioſi à rudib⁹, ingenioſi enim pollent ſolertia, quam Ariſt. 1. poſt vocat ſubtilitatem inueniendi medium, nam qualibet propoſitione negata, ipſi ſtatim per medium, quaſi per Pontem extrema interrupta cõnectũt.

Duplex aſſignatur via indagandi medium ad aliquam probandã propoſitionem, vna eſt generalis, & nul-

& nullæ determinatæ regulæ innixa, ſed ſoli arbitrio, & lumini intellectus, qui pro medio aſſumere debet id, quod eſt cauſa, & ratio, cur prædicatum conueniat ſubiecto; hinc ad concluſionem affirmatiuam inferendam, aſſumendum erit id, cum quo extrema identificantur, & pro concludēda negatiua id, cum quo vnum extremum identificatur, & aliud diſtinguitur, ſed quia hæc regula non niſi ſatis ſolertibus ingenij vtilis cenſetur, ideò Ariſt. pro rudioribus ſpeciales regulas tradidit. Altera igitur via eſt ſpecialis, qua docetur inuētio certi medij pro inferēdis certis concluſionibus, quæ generaliter eſſe poſſunt, vel vniuerſalis affirmatiua, vel vniuerſalis negatiua, vel particularis affirmatiua, vel particularis negatiua, quę quatuor præcipuis regulis innituntur ex Ariſt. l.c.

Prima regula, eſt ad concludendam vniuerſalem affirmatiuam, quę tantùm fit in Barbara, pro medio accipiendus eſt termin⁹ conſequēs ad ſubiectum, & antecedēs ad prædicatum talis propoſitionis inferendæ. Terminus conſequēs ad ſubiectum dicitur ille qui ex ipſo ſubiecto infertur, & eſt terminus magis Vniuerſalis, & ſuperior reſpectu ipſius ſubiecti, & ideò ex eo infertur, benè .n. infertur, eſt homo, ergo eſt animal, ergo eſt viuens, ergo eſt corpus, ergo eſt ſubſtantia, & è contra. ſic etiam dicitur antecedens ad ſuperius, quia illud infert, quia terminus verò æqualis, &

conuertibilibus, quia mutuò ſe inferunt, poteſt quiuis reſpectu alterius dici antecedens, & conſeqcēs; Ad concludendam igitur Vniuerſalem affirmatiuam, debet pro medio ſumi aliquis terminus conſequens ad ſubiectum, & antecedens ad prædicatum .i. quòd reſpectu prædicati ſit inferius, & reſpectu ſubiecti ſit ſuperius. V.g. ad cōcludendum, quòd oēe animal ſit ſubſtantia, debet ſumi pro medio Corpus, ſic arguendo, omne corpus eſt ſubſtantia, omne animal eſt corp⁹, ergo omne animal eſt ſubſtantia: ſicut quomodò corpus aſſumptum pro medio eſt inferi⁹ reſpectu ſubſtantiæ, & ſuperi⁹ reſpectu animalis, poteſt etiam aſſumi pro medio aliquod .i. conuertibile cum ſubiecto .ſ. ſenſibile, ſic arguendo, omne ſenſibile eſt ſubſtantia, omne animal eſt ſenſibile, ergo omne animal eſt ſubſtantia &c.

Secunda regula, quia particularis affirmatiua concludi poteſt tàm in prima, quàm in Tertia figura, (& nullo modo in Secunda) ad eā inferendam in prima figura .i. in Darij ſufficit idem medium, quod aſſumimus ad concludendam Vniuerſalem, particularis .n. ſub vniuerſali continetur, quòd .i. ſit terminus cōſequens ad ſubiectum, & antecedens ad prædicatum, & ſic ad inferendam in Darij, quòd aliquod animal ſit ſubſtantia, in vtroque poteſt pro medio Corpus, vel ſenſibile, vel viuens, quod infertur ex animali, & infert ſubſtantiam. Sic

arguen-

Digitized by Google

arguendo, omne ſenſibile eſt ſubſtantia, aliquod animal eſt ſenſibile, ergo aliquod animal eſt ſubſtãtia. Ad eamdem tamen concluſionem inferendam in Tertia Figura, neceſſariò pro medio ſumendum eſt antecedens tàm ad ſubiectum, quàm ad prædicatum, .i. inferius tàm reſpectu ſubiecti, quàm reſpectu prædicati, V.g. ad inferendum, quòd aliquod animal eſt ſubſtantia in Darapti, & Diſamis mediũ cõueniens erit homo, qui vtrumq; infert .ſ. animal, & ſubſtantiam, ſic arguẽdo in Darapti, omnis homo eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt ſubſtantia.

Tertia regula, ad concludendã vniuerſalem negatiuã, pro medio ſumendus eſt terminus conſequẽs ad ſubiectum, & extraneus ad prædicatum, aut è contra, conſequens ad prędicatum, & extraneus ſubiecto; & ille terminus dicitur alicui extraneus, qui de illo affirmari nõ poteſt, vt homo reſpectu lapidis; V.g. ad concludendum in celarẽt, quòd nullus homo eſt lapis, ſumẽdus eſt pro medio terminus conſequens ad ſubiectum, & prædicato extraneus V.g. animal, ſic arguendo, nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis. in Ceſare, nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis; Ad inferendam verò eamdem in Cameſtres, vel Celantes, ſumendus eſt pro medio terminus extraneus ad ſubiectũ, & conſequens ad prædicatum. V.g. inanimatum, ſic argumentando in Cameſtres, omnis lapis eſt inanimatus, nullus homo eſt inanimatus, ergo nullus homo eſt lapis, in Celantes, nullum inanimatũ eſt homo, omnis lapis eſt inanimatus, ergo nullus homo eſt lapis.

Quarta regula, ad concludendã particularem negatiuam, ſumẽdus eſt pro medio terminus antecedẽs ad ſubiectum, & extraneus prædicato, quæ regula valet pro quacũq; Figura; hinc ſi in prima volumus hãc particularem inferre in Ferio, aliquod animal non eſt homo, medium cõueniens erit brutum, quod eſt antecedẽs ad animal, & homini extraneum, ſic in Ferio arguendo, nullum brutum eſt homo, aliquod animal eſt brutum, ergo aliquod animal non eſt homo. In Secunda Figura. V.g. in Feſtino, ſic arguendo, nullus homo eſt brutum, aliq animal eſt brutum, ergo aliquod animal non eſt hom: in Tertia Figura, ſic in Felapton, nullum brutũ eſt homo, omne brutum ẽ animal, ergo aliquod animal nõ eſt homo. Summuliſtæ ad has regulas memoritèr retinendas, quaſdam dictiones inuenerunt, aliquibus verſibus contentas, quæ re vera difficiliores ſunt, & maiori tedio afficiunt, quã ſi relatæ regulæ memoriæ mandẽtur, quę facilè apud alios Auctores videri poterunt.

*De Munere Arguentis, & Defendentis, Caput XII.*

QVia Diſputatio in duos verſatur, quorum vnus Arguēs, alter Defendēs, dicitur, vt Diſputatio benè procedat, munera vtriuſque in hoc capite breuiter aperimus. Propoſita igitur à defēdente concluſione diſputanda, debet arguens afferre medium, quo eam impugnet, ſuum argumētum proponendo in forma Syllogiſmi, vel Enthimemate, quod magis ſapit; Tum quia minus manifeſtat vim latentis illationis; Tum quia parum temporis concedit reſpondenti ad reſponſum cogitandum: Hinc aduertendum eſt, non licere argumentanti ſtatim oppoſitū cōcluſionis aſſumere in Antecedenti, dicendo V. g. logica non eſt ſcientia, ergo falſa concluſio; nā ſic peteret manifeſtè principium, quia aſſumeret pro vero, quod ponitur diſputandum, ſed debet proponere ſuum argumentum, & quantum fieri poterit in difficultate propoſita, perſiſtere, proſequendo ſemper idem medium per ſuas cauſas, & principia, vel ad inconueniens deducendo, nec ad aliud medium diuertere debet, ne ſterelitatem ingenij oſtendat.

Cùm igitur fuerit illi negata aliqua propoſitio, ſtatim eam probare tenetur, ita quòd negata propoſitio, fit cōcluſio noui Syllogiſmi, vel conſequens noui Enthimematis, & inſipidum, & inſulſum reputatur ad probandum propoſitionē negatam inferre, ergo falſa cōcluſio. Eſt etiam optimi conſilij, vt arguens antequàm in arenam deſcendat, priuato ſtudio ſe aſſueſcere ad ſingulas propoſitiones probandas, perſcrutinās quod mediū aſſumēdum erit, ſi negatur maior, vel minor, vel Antecedens, vel cōſequentia, ne imparatus accedens perplexus, & titubans videatur. Si autèm defendens ſoluerit argumētum, diſtinguendo propoſitiones, illicò debet arguēs partem diſtinctionis negatam impugnare, vel probare allatam diſtinctionem nō valere, & hoc modo ſemper immediatè arguet cōtra reſponſionem: licet etiam aliquando argumentanti petere rationem negationis alicuius propoſitionis, & aliquando etiam explicationē alicuius diſtinctionis, vel reſponſionis, ac tandē intelligentiam ipſius concluſionis, vt eam in ſenſu defendentis impugnare poſſit, in quibus caſibus tenetur defendens arguēti ſatisfacere maiore breuitate, qua poterit.

Munus defendentis, eſt auditis argumenti propoſitionibus, illas fideliter repetere, & ſolerter obſeruare medium, quo arguens vtitur contra hanc, vel illam concluſionem, ex memoria enim, & intelligentia medij, facilis eſt totius argumenti repetitio, deinde reſpondendo ſtatim ad ſingulas eius partes, neget maiorem, vel minorem, aut Antecedens, ſi ſunt falſæ; concedendo ſi ſunt veræ, diſtinguendo ſi ſunt dubię, val ęquiuòcè, permit-



Digitized by Google

tendo per verbum tranſeat, ſi ſint impertinentes ad inferendam cōſequētiam. Eſt etiam aduertendū, quòd ſi concedenda eſt concluſio, dicat, concedo conſequentiam, & ſi neganda eſt, dicat nego conſequentiam, non autem dicat nego concluſionem, nam illa propoſitio dicitur concluſio, quæ neceſſariò infertur ex præmiſſis ratione formæ, & ideò negari non poteſt ſub nomine concluſionis. Si verò concluſio diſtinguenda eſt, non dicere debet diſtinguo conſequentiā, ſed conſequens, nam conſequentia cū in ipſa illatione conſiſtat, nō in affirmatione veritatis diſtingui non poteſt, benè verū diſtinguitur conſequens propter æquiuocationem propoſitionis, quatenus diuerſos ſenſus habet in ſignificando, conſequentia verò tantùm negari debet ſi eſt mala, vel concedi ſi eſt bona, & conueniens; Neq; Reſpondens debet diſtinguere conſequens, niſi prius aliquam ex præmiſſis diſtinxerit, vt quidā inexperti agūt, qui concedentes maiorem, vel minorē deindè conſequēs diſtingunt, quomodò autem conſequentia, & conſequens differunt dictum eſt ſupra.

Si argumentum cōſtaret propoſitione hypotetica, vt V.g. ſi corp' naturale eſt obiectum totius Philoſophię, etiam in libris de generatione obiectum eſſet corpus mixtum, ſed conſequens eſt falſum, ergo & id, vnde ſequitur, Si talis hypotetica non eſſet vera, non debet reſpondens abſolutè negare maiorem, ſed ſequelam maioris, quòd ſi eſt vera, debet negare minorem, at ſi poſt integrum argumentum Arguens ſubſumeret adhuc aliā propoſitionem, vt inferat indè aliam conſequentiam, tunc cōceſſo toto priori argumēto, poteſt illam propoſitionem negare ſub nomine ſubſumpti, vel ſub illatę minoris, cùm re verà pro maiori totū illud præcedens argumentum deſeruiat.

Debet etiam Defendens inuigilare, vt ſit in reſponſionib' ſuccintus, formæ argumenti quo ad fieri poteſt pręcipuè innitendo, atque ideò non debet ſatis eſſe ſolicitus in reddenda ratione de omnibus, quæ dicit, ſed totum onus probandi relinquat argumentanti, niſi ab eodem petatur; Et ſemper ante oculos illud commune adagium habeat, ſæpè nega, rarò diſtingue, nūquā concede: non prohibemur tamen concedere illas propoſitiones veras, quæ nihil obſunt, ſed hoc accipiendum eſt cum grano ſalis, euenit .n. aliquando, vt tantæ liberalitatis, defendentē pœniteat &c. Si autem obiecta fuerit aliqua Auctoritas, quam negare non liceat, eam explicare tenetur in ſenſu, quo ſuæ concluſioni non contradicat.

Munus Præſidentis, & Patroni eſt totum pogreſſum diſputationis cōprehendere, & prouidè reſpondēti ſuggerere negationem, Conceſſionem, aut diſtinctionem propoſitionis, ipſe autem pauca, & cū grauitate loquatur, ne ex multipici eius interpellatione, & colloquio

cum

cum arguente, appareat defendentem in ſuarum concluſionum defenſione Magiſtri, & Aſſiſtentis auxilio indigere, nec alia circa hęc addenda ſunt.

# TRACTATUS Quartus.

### *De Præcognitionibus, & Præcognitis.*

## Caput Primum.

### *De Syllogiſmo Demonſtratiuo.*

Ariſt. in principio lib. poſt. ait: *Omnis doctrina, & omnis diſciplina intellectiua ex præexiſtenti fit cognitione &c.* Vndè omnis cognitio illatæ propoſitionis inferentis, vt ſunt præmiſſæ, in quibus virtualitèr concluſio continetur, diſcurſus .n. non eſt niſi illatio alicuius ignoti ex notiori; hinc ad exactam cognitionem concluſionis demonſtratiuę addipiſcēdam, aliqua præcognoſcendi debent, quæ ſunt termini, & præmiſſæ ex illis efformatæ; quarè videndum primò eſt, quę debeant eſſe præcognita, & deindè quid de illis præcognoſci debeant.

Præcognitio dupliciter ſumi poteſt, vno modo formalitèr, & ſic dicit cognitionē alicuius neceſſariò prærequiſitam ad cognitionem alterius; Altero modo obiectiuè, & ē obiectum terminans talem cognitionem, in quo ſenſu ſignificat modum cognoſcendi rem aliquam ab intellectu, & ità in præſenti ſumitur. Quatuor autem ſunt modi cognoſcendi, Primus eſt an res ſit; Secundus quid ſit, & eſt, quid nominis, & quid rei; Tertius qualis res ſit; & Quartus proptèr quid res ſit, & quilibet horum poſterior, ſupponit priorem, vt .n. ſciamus quid ſit homo, prius præcognoſcere debemus quid importetur per hoc nomen homo; Et quia modus præcedens reſpectu ſequentis eſt præcognitio, & ſequens eſt quæſtio, indè fit, vt primus modus quid nominis ſemper dicatur præcognitio, & vltimus ſemper appellatur quæſtio.

Dices tria ſunt præcognita 1. poſt. c. 1. .ſ. ſubiectum, paſſio, & dignitas; ergo tres præcognitiones; præcognitio enim, & præcognitum relatiua videntur. ℟. negando cōſequentiam, & ad probationē, concedimus præcognitum, vt dicit denominationem ex actu cognitionis derelictam, & cognitionem, dici poſſe relatiua, & tot eſſe act*, quot obiecta cognita; non autem vt præcognitum dicit rem cognitam, & precognitio modū cognoſcendi; ſic enim non ſunt relatiua, cùm idem modus pluribus rebus conuenire poſſit, & eadem res pluros poſſit habere modos.

Præcognitum igitur dupliciter ſumi poteſt, vno modo, vt dicit, obiectum terminans actū talis præcognitionis, & in hoc ſenſu, quod eſt, & quid eſt dici poſſunt præcognita, altero, vt dicit rem illam, quam intellectus percipit ſub modis cognoſcendi aſſignatis, & de qua concepit, quid eſt, & quod eſt &c.

&c, & ità ſumitur in præſenti, & ſũt tria, .ſ. ſubiectum, Paſſio ſeu prædicatum, & dignitas, ſeu principium, & huius ratio eſt, quia concluſio demonſtrationis conſtat ex ſubiecto, & paſſione, & quia cognitio terminorum præſupponitur cognitioni propoſitionum, idcircò ſubiectum, & paſſio ante concluſionem præcognoſci debent: Et quia concluſio infertur etiam ex principijs, debent etiam præmiſſæ eſſe præcognitæ, quæ largo modo dignitates appellantur, dignitas autèm propriè, & rigoroſè dicitur de primis principijs.

Vrgebis, in demoſtratione aliquando concluditur aliquod prædicatum eſſentiale, vel accidentale, ergo paſſio non ſemper eſt præcognitum. ℞. aſſignata præcognita eſſe demonſtrationis potiſſimæ, in qua ſemper concluditur paſſio de ſubiecto per ſuam cauſam, vel ideò diximus ſecundũ præcognitũ eſſe paſſionem, aut prædicatum, vt per hoc intelligatur omne illud, quod in concluſione de ſubiecto demonſtrari poteſt.

Applicãdo igitur præcognitiones præcognitis, dicimus de ſubiecto præſupponi quid nominis, deindè, quod ſit incomplexum, & ipſius exiſtentia, quia an ſit præcedit quale ſit, & propter quid ſit; Tùm etiam, quià ſubiectum eſt fundamentum, & baſis totius demõſtrationis, ergo præſupponi debet eius exiſtentia; Præſupponi etiam debet quid rei in demõſtratione potiſſima. cũ in hac medium ſit quidditas, & definitio ſubiecti, vt in quæſtionibus dicemus, licèt in demõſtratione à poſteriori exiſtẽtia, & quidditas ſubiecti, eſſe poſſint quæſtiones, vt ſuis locis patebit.

De paſſione non debet præcognoſci quia eſt complexum, neq; quid rei, nàm in definitione paſſionis ingreditur ſubiectum, & manifeſtatur inhærentia paſſionis cum ſubiecto, & totum hoc habetur, & concluditur per demõſtrationem; certum eſt tamen, quòd de ea præcognoſcatur quid nominis, quæ eſt prima omnium præſuppoſitio, nõ .n. poteſt de aliquo vlla vnquàm quæſtio moueri, niſi ſaltèm confuſè cognoſcatur, quid per tale nomen ſignificatur. Solet tamen dubitari, an de paſſione præcognoſci debeat quia eſt, ſeu ipſius exiſtentia, & quod re vera in aliqua demonſtratione præcognoſcatur, negari non poteſt, vt euenit, cùm à poſteriori, & per ſenſuum cognoſcimus cauſam, vt Eclipſim. V.g. & poſteà per cauſam à priori effectũ demonſtramus; non tamen eſt hoc ſemper neceſſarium, poteſt enim aliquando dubitari de paſſionis exiſtentia, & per ſubiectum demonſtrari, vt eſt æternitas motus, diuiſibilitas quãtitatis in infinitũ, &c. hinc rationabiliter Ariſt. affirmauit de paſſione præcognoſci quid nominis, q̃ præcognitio in omnibus interuenit demõſtrationibus.

Inſtabis; in tantùm de ſubiecto præſupponitur, An ſit, quia nullus

quæ-

querit, an talis paſſio illi cõueniat, niſi ipſum poſſibile ſupponat, ergo nemo de paſſione quæreret, an ſubiecto cõueniat, niſi vt præcognoſcatur poſſibilis. Rᵉ. negando paritatem, & ratio eſt, quia ſubiectũ eſt id, de quo quęritur, & ideò pręſupponi debet aliquod eſſe habere, paſſio autem, ſeu prædicatũ eſt id, quod quæritur, Atq; ideò dubitari poteſt an ſit in rerum natura. Expeditius tamen erit cũ Moriſano diſp. 11. qu. 3. & Complut. diſp. 17. q. 4. & alijs, aſſerere, de paſſione etiam præcognoſci debere An ſit, ſaltèm confuſè, & ideò Ariſt. prætèrijſſe, quia indemonſtratione diſtinctè cognoſcitur.

De dignitate nõ præcognoſcitur, niſi quod ſit complexũ, quòd *ſ*. ſit vera: ratio eſt, quia hic dignitas accipitur exercitè, vt dicit aggregationem illorum terminorum vnitorum per copulã, quia ſic inſeruit concluſioni, & ideò non poteſt habere quid eſt ſiuè nominis, ſiuè rei, neq; quod eſt ſimplex, qa hæc incomplexis conueniunt, licèt vt dicit vnam ſecundam intentionem propoſitionis, ſit quid incomplexum, & habeat quid nominis, & quid rei, ità Doct. 1. poſt. q. 5. n. 3. fol. mihi 364. Oportet igitur præcognoſcere, quòd principia demõſtrationis ſint vera, ſicut etiam, & principia illa cõmuniſſima ab omnibus cõceſſa, vt ſunt illa, de quolibet verum eſt dicere eſſe, vel non eſſe, affirmare, vel negare, &c. ad quæ omnia aliã principia reducũtur, & de vtriſq; nomine dignitatis locutus fuit Ariſt.

Quæ doctrina ità poteſt exẽplificari: ſi enim quæratur, an homo ſit riſibilis, vt hæc propoſitio probetur, præcognoſcere oportet, q̃d ſignificetur per nomina iſta homo, & riſibilis, & quod homo ſit aliquod ens poſſibile, & quia medium demonſtrandi riſibilitatem de homine, eſt definitio hominis, quæ eſt animal rationale, ideò de homine præcognoſci debet quid rei, quibus ſuppoſitis, logicus procedit ad formãdam propoſitionẽ, oſtendendo concluſionẽ per præmiſſas, de quibus eſſe debet certus quòd ſint veræ, ità procedẽdo, omne animal rationale eſt riſibile, homo eſt animal rationale, ergo eſt riſibilis.

### *De ſcientia, quæ eſt Demonſtrationis effectus. Cap. II.*

O*Mnis doctrina, & omnis diſciplina diſcurſiua ex præexiſtenti fit cognitione, &c.* Volens Ariſt. duos extremos euellere errores (vnum Heracliti, & Cratilli negantium ſcientiam haberi poſſe de rebus, cũ caducæ, & mutabiles ſint; aliũ, qui Platoni attribuitur neganti aliquid de nouo ſciri poſſe, ſed ſciẽtiam noſtram aliud non eſſe, quàm recordationem, & reminiſcentiam eorum, quæ anima ſciebat) hanc protulit ſententiam: *Omnis doctrina, & omnis diſciplina, &c.* Qua oſtẽdit, & ſcientiam de rebus eſſe, contra primam opinionem, & de nouo acquiri contra ſecundam.

Et

Et quòd detur ſcientia de rebus, patet expertentia, cognoſcimus enim ſępè aliqua principia, ex quibus alia euidenter deducimus. Tũ qaia naturalem habemus appetitũ ad cognitionem rerum per cauſã, igitur nõ debet omninò fraſtatori' eſſe, vt nulla in nobis detur ſciẽtia. Quòd deindè de nouo generetur, videtur de fide contra fundamentũ Platonis, putabat enim animam noſtram ab initio ſuæ creationis fuiſſe omnibus ſciẽtijs decoratam, ſed in infuſione corporis ex coſortio ſẽſuum, oblitã omniũ, & deindè paulatim ſuccedẽtibus occaſionibus excitari ab externis, & eorũ quæ ſciebat reminiſci; At hoc fundamentum eſt falſum, quia anima noſtra vnitur corpori in eo inſtãti, quo creatur ex Concilio later. ſub Leone X. ergo etc. Tum quia quorum reminiſcimur, non ſolùm de illis recordamur, ſed etiam ſæpè de ipſo cognitionis actu, at nos in acquiſitione primæ notitiæ nũquàm recordamur de illis cognitionem habuiſſè. Tũ tandèm, quia nunquã eſſet error in intellectu, nã ſpecies ab initio infuſę, non, niſi veram cognitionẽ parere poſſent, quòd falſum eſt; hinc intellectus noſter dici ſolet à principio tamquàm tabula raſa, in qua nihil eſt depictũ, ſed in potẽtia ad omne intelligibile ſicut cera, vel tabula ad recipiẽdã quãlibet picturã; & ideò poteſt acquirere ſciẽtiã alicuius rei, vel ab intrinſeco, & proprijs viribus, cũ ipſe ſolus aliqua, per inuẽtionẽ cognoſcit; vel ab extrinſeco, & per Doctorem excitantem, & applicãtem principia ad aliquam inferendam concluſionem.

Sed obijci ſolet, quòd non detur ſcientia de rebus caducis, nã ſcientia eſt de æternis, & incorruptibilibus, res verò temporales sũt caducæ, & corruptibiles ergo. At ℞. q ad ſcientiam non requiritur æternitas rerum in exiſtendo, ſed in eſſentia, nempè quòd propoſitiones ſint ſempiternæ veritatis.

Obijcitur 2. intellectus mouetur à ſenſu, at ſenſus fallitur, vt patet ergo &c. ℞. non ſẽper falli ſenſum circa proprium obiectum, cùm eſt benè diſpoſitus, nec etiam intellectus neceſſariò ſequitur apprehenſionem ſenſus, ſed proprio lumine, & aliorum ſenſuum auxilio poteſt errorem alicuius corrigere.

Obijcitur 3. dubitari poteſt etiã de illo primo principio ſcilicèt de de quolibet neceſſariò verum eſt dicere, eſt, vel nõ eſt; nam vt Ariſt. refert 4. meth. 9. quidam illud negarunt. ℞. nos ſequi non debere aliquorum petulantiam, & imperitiam. &c.

Solet etiam obijci cum platoniċis, quòd uon detur ſcientia de nouo, cùm enim aliquid quærimus, vel illud ſcim', & ità nihil de nouo cognoſcimus, vel illud ignoramus, & ſic nunquam cognoſcere poterimus, patet de ſeruo fugitiuo, quia ſi quiſquam antea illum nouiſſet, inueniet, ſi occurreret; at ſi nullam de eo habuerit notitiam, etiam ſi



Digitized by Google

occurreret, non cognoſceret. ℞. ex Ariſt. 1. poſt. c. 1. concluſionem ante demonſtrationem, nos ſcire cōfusè, & imperfectè in ſuis principijs, in quibus virtualitèr continetur, & virtute luminis intellectus ſit nota perfectè, & diſtinctè, ſicut res, quæ non eſt, producitur in eſſe, virtute alicuiꝰ cauſæ, atq; ideò exemplum non currit de ſeruo fugitiuo, qui totalitèr ignoratur.

Obijciunt, ſi concluſio ſcitur per præmiſſas, aut ſecundum ſe, aut vt applicatas in modo, & figura; non primum; quia tunc ſcientia nō haberetur per demonſtrationem; nec ſecundum, nam talis aplicatio vel eſt nota ante demonſtrationem, & ità intellectui erit quoq; nota cōcluſio, vel ignota, & ſic non poſſet ducere in cognitionem concluſionis. ℞. ꝙ concluſio ſcitur per præmiſſas applicatas, ꝗ applicatio ſit nota intellectui prius natura, quã cōcluſio, addita enim minore maiori, intellectus infert cōcluſionẽ, præmiſſæ autẽ notificãtur ex terminorũ cognitione, & ità omnis doctrina ex prẹexiſtẽti fit cognitione.

Scientia igitur, quæ eſt effectus Demonſtrationis, ità ab Ariſt. 1. poſt. cap. 2. in concreto definitur: *ſcire eſt rem per cauſa cognoſcere, propter quam res eſt, quod illius ſit cauſa, & non contingit alitèr ſe habere.* Quæ eſt definitio ſcientiæ propriiſſimè dictæ, ſolet enim ſcientia triplicitèr ſumi, ſcilicèt cōmunitèr, propriè, & propriiſſimè: primo modo dicit euidentem comprehenſionem veritatis, in quo ſenſu etiam ad contingentia ſe extendit, vt cũ cognoſcimus Paulum ambulare: Secundo modo dicit euidentem comprehẽſionem veræ propoſitionis, quæ nō poteſt eſſe falſa, quomodò ſolùm neceſſaria ſciuntur: Tertio modo pro euidenti cognitione alicuiꝰ veritatis neceſſariæ per cauſam, & ità ſumitur in præſenti, hinc ly cognoſcere, ponitur loco generis, & extenditur ad quamcumque notitiam etiam ſenſitiuam, ly per cauſam additur ad differentiam eorũ, quorum cognitionem non habemꝰ per cauſam, vt eſt cognitio principiorum, & cognitio ab effectu, & à poſteriori. Additur ly *propter quam res eſt*, quia multæ ſunt cauſæ ad ſcientiam pariendam, ſed ſolùm illa cenſetur cauſa, quæ eſt propria illius rei, & proxima, quia poſita ponitur effectus, & qua remota remouetur. Additur *quòd illius eſt cauſa*, quia non ſolùm oportet, quòd illa ſit cauſa proxima, ſed requiritur, quòd intellectꝰ ſciat effectum è tali cauſa pẽdere; Et tandèm additur, & *non contingit alitèr ſe habere*, quia intellectus nullatenùs dubitare debet de effectu, quòd à tali cauſa proueniat; immò quòd ſit omninò impoſſibile, vt alitèr ſe habeat; Vndè ſcientia noſtra dicitur notitia certa, & euidens, per cauſam proximam, & nata fieri per diſcurſum Syllogiſticum.

Hæc ſcientia primò differt à cognitione ſenſitiua, quia ſenſus eſt ſingularium, ſcientia verò vniuer-

ſaliũ

ſalium, quę ſub ſenſu non cadunt. Differt 2. ab opinione, quæ eſt aſſenſus concluſionis cum formidine de oppoſito, eſtquè de contingenti, quòd poteſt alitèr ſe habere, ſcientia verò eſt aſſenſus concluſionis ſine formidine de oppoſito, & de obiecto neceſſario, quod non poteſt alitèr ſe habere. Eſt tamen hic aduertendum, quòd licèt idem intellectus ſimul habere non poſſit ſcientiam, & opinionem de eadem re, reſpectu eiuſdem, cum manifeſtè implicet ſimul exiſtimare alitèr, & non alitèr, ſe poſſe habere, poteſt tamen idem obiectum, eſſe ſcibile, & opinabile ſub diuerſa ratione, vt homo eſt ſcibilis ſecundũ riſibilitatem, ſed opinabilis ſecundum iuſtitiam.

Differt etiam ab alijs habitibus intellectualibus, qui quinque ſunt ſcilicèt: Intellectus, Sapiẽtia, Sciẽtia, Prudentia, & Ars. Intellectus ſunt principia demonſtrationis tãtùm; Sapientia etiam entium, itaut non ſolùm principia communiſſima cõtépletur, ſedetiam altiſſimas cauſas; Sciẽtia eſt notia deducta ex principijs, vt eſt cõcluſio. Alij duo habitus, ſcilicèt Prudentia, & Ars, verſantur circa contingẽtia, & Prudentia eſt circa agibilia in eodem principio recepta, vt velle, cogitare, determinare, iudicare, &c. Ars ẽ circa factibilia, & opera externa.

Verùm, quia oppoſitorum eadẽ eſt diſciplina, & oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcũt, cùm ignorantia ſcientiæ opponatur, eius natura erit etiam hic explicanda, quòd etiam Ariſt. fecit 1. poſt. ca. 12. & 13. Duplex igitur eſt ignorãtia, alia purę negationis & eſt priuatio, ſeu carentia ſcientificæ notitiæ; Alia prauæ diſpoſitionis, quæ eſt poſitiua, & praua mentis affectio, qua opinamur oppoſitũ veritati, & appellatur error; prima cauſatur aliquãdò in nobis ob defectum alicuius ſenſus à natiuitate, vt cæcus à natiuitate, qui licèt habere poſſit notitiam aliquã imperfectam, & confuſam colorum, nunquàm tamen perfectam, & diſtinctam, & ratio eſt, quia ſcientiã non habemus, niſi per inductionẽ, & demonſtrationem, & vtraquè à ſenſu dependet; inductio .n. procedit ex ſingularibus, qui ſẽſu percipiuntur, & demonſtratio ex vniuerſalibus, quæ per ſua ſingularia intelliguntur, idcircò deficiente aliquo ſenſu, deficit ſcientia obiecti illius ſenſus; Vndè deducitur illud axioma: *nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit aliquo modo in ſenſu*; & dicitur aliquo modo, quia non oportet, vt res in ſeipſa ſenſu percipiatur, ſed ſufficit, quòd vel per ſuos effectus, quomodo cognoſcitur Deus per creaturas, vel per ſimilitudines, vt Sortes abſens per Petrum præſentem eius fratrem, vel per partes, quas intellectus poteſt coniungere, vt qui vidit Hircum, & Ceruũ poteſt effingere Hircoceruum, vel aliquo alio modo. Ignorantia prauæ diſpoſitionis cauſatur in nobis, vel per

per falſam, & erroneam apprehenſionem, vt ſiquis apprehenderet auricalcum, vt aurũ, vel per ſyllogiſmum ſophiſticum, quis aſſentiret concluſioni.

Et quia habitus ſpecificantur p actus, actus verò per obiecta, hinc ſcientia vnitatem, certitudinẽ, nobilitatẽ, &c. ſumit ab obiecto, itàut vnius obiecti, vna ſit ſcientia, & illa nobilior, & certior cenſeatur. quæ circa obiectum ſimplicius, & magis à materia ſenſibili abſtractum verſatur; hinc mathematica certior eſt naturali philoſophia, proptèr obiectũ magis abſtractũ, qualis eſt quantitas; & Aritmetica certior eſt muſica, quia hæc conſiderat numerum ſonorum, illa numerum ſimpliciter; & Methaphyſica cèrtior eſt omnibus, quia de ente tantùm communiſſimo agit: Et quia obiecta alia ſunt diſparata, alia verò ſubordinata ad inuicem, indè etiam aliæ ſcientiæ ſunt diſparatæ vt Mathematica, & Medicina, aliæ ſubordinatæ, &, quæ prior eſt, dicitur ſubalternans, quę poſterior dicitur ſubalternata, illa probat principia ſcientię ſubalternatæ, hæc ab illa principia accipit, quib' ſuas cõcluſiones demõſtrat, ſed de his fuſiùs in quæſtionibus.

*De Modis Perſeitatis. Caput III.*

ARiſtot. 1. poſt. cap. 2. definiẽs principium Demonſtrationis, ait, quòd *ſit propoſitio immediata*, qua ſcilicèt non ſit altera prior, per quam demonſtretur, vt hæc v. g. omne animal rationale eſt riſibile; hoc autem principium duplex eſt, vnum dicitur Dignitas, alterum dicitur Poſitio; Dignitas dicitur propoſitio immediata, & indemonſtrabilis, quam cognoſcere oportet, qui aliquam ſcientiam addiſcere cupit, & tales propoſitiones per ſe notæ, dicuntur dignitates, quia propter maximam euidentiam, quam continent, digniſſimæ cenſentur, & ab omnibus tãquam veræ conceduntur. Dicuntur etiam, Maximæ, quatenùs ad probandas quamplures propoſitiones aſſumuntur, quomodò ſunt in meth: *de quolibet verum eſt affirmare, vel negare*; & in Mathematica: *omne totum eſt maius ſua parte*, &c. Poſitio eſt propobtio immediata, & indemonſtrabilis, quam præſcire non oportet, qui aliquam ſcientiam addiſcere vult, ſed ſufficit ſi à Magiſtro illam accipiat, vt V.g. qui Philoſophiam addiſcere cupit, nõ oportet vt noſcat definitiones naturæ, motus, corporis naturalis, &c.

Prima, & Pręcipua Demonſtrationis conditio eſt, quòd principia demonſtrationis ſint neceſſaria; ſi .n. ſcientia eſt de neceſſarijs, ſimilitèr, & principia, licèt .n. ex prę miſſis falſis accidat aliquandò colligi concluſionem veram, & ex non neceſſarijs neceſſariam, hoc tamen non fit tamquam ex falſis, & non ex neceſſarijs, effectus enim non poteſt excedere ſuam cauſam, ſed hoc euenit ob formam ſyllogiſticam, quam conditionem Ariſt. de-



Digitized by Google

clarans, poſuit tres gradus neceſſitatis. Primus vt ſit de omni; propoſitio de omni eſt, in qua prædicatum dicitur de quolibet contẽto ſub ſubiecto, & pro quolibet tẽpore, vt omnis homo eſt animal; hæ verò omnis homo legit, omnis homo comedit, non ſunt de omni, nam primę deficit prima cõditio, & ſecundæ ſecunda.

2. Secundus gradus, ſeu conditio neceſſitatis, eſt, vt ſi per ſe, propoſitio per ſe eſt, in qua prædicatum per ſe conuenit ſubiecto, non per accidens, quæ conditio, vt explicetur adnotari debẽt quatuor modi dicẽdi per ſe, aſſignati ab Ariſt. cap. 4. vt infra. Tertia conditio, vel gradus neceſſitatis eſt, quòd non ſolũ ſit de omni, & per ſe, ſed quòd vniuerſaliter prædicetur; prædicatũ autem vniuerſale eſt, quod dicitur de omni per ſe, & ſecundum quod ipſum; hinc aduertendũ eſt, quòd vniuerſale non ſumitur hìc pro termino multis communi, vt in lib. prædicabili, ſed poſterioriſticè, pro illo .ſ. prædicato, quod primò conuenit ſubiecto, & ſecundũ ipſum, i. adequatè, & conuertibilitèr, in hoc enim ſenſu ſumitur ly primò, vt eſt riſibile reſpectu hominis, vel eius definitionis, hæc verò homo eſt ſenſibilis, non eſt de prædicato vniuerſali, quia ſenſibilitas non conuenit homini, quatenùs homo eſt, ſed quaten' animal, neq; iſta; homo eſt animal; quia non conuertibilitèr, & adequatè dicitur de homine.

*De Primo modo dicendi per ſe.*

Primus igitur modus dicẽdi per ſe eſt, cùm prædicatum, vel eſt definitio, vel ingrediens definitionem ſubiecti, ex qua deſcriptione aliqui deducunt, omnia prædicata, quæ definitionem ingrediuntur tã in recto, quàm in obliquo, ſiuè ſint eſſentialia, ſiuè per additamentum prędicari per ſe in primo modo de definito, & ita admittunt has prædicationes eſſe per ſe primi modi, .ſ. homo eſt animal, homo conſtat ex anima, & corpore, riſibile eſt homo, vbi homo ingreditur vt ſubiectum definitionem riſibilis. Pater eſt filij Pater, vbi filius ingreditur, vt correlatiuum in definitionem Patris, &c.

Alij ex oppoſito, non ſolũ negãt ea, quæ in obliquo definitionẽ ingrediuntur adhuc primum modũ pertinere, ſiuè eſſentialia ſint, ſiuè extrinſeca, ſed negant etiam traſcendentia in primo modo prædicari de inferioribus, cùm nõ ſe habeãt ad modũ formæ inexiſtentis; Excludunt etiã propoſitiones idẽticas, eadem ratione, & quia non ſunt naturales. Itèm negant vniuerſalia de ſingularibus hoc modo prædicari, quia non sũt de omni, omnis autem propoſitio per ſe debet eſſe de omni poſterioriſtico; ſolùm igitur in hoc primo modo reponunt propoſitiones, in quibus tota definitio, vel partes definitionis in recto prædicãtur de proprio definito, vt ſunt genus, & differentia reſpectu ſpeciei.

Con-

*Concluſio.*

*Dicimus, propoſitiones illas propriè loquendo eſſe primi modi, in quibus prędicata ſunt de eſſentia ſubiecti vniuerſalis, ſiue in recto, ſiue in obliquo, ſiue prædicamentalia ſint, ſiue traſcendentalia, quandò verò non ſunt de eſſentia, quamuis in definitionem ingrediantur, non cõficiunt propoſitionem per ſe hoc modo.* Verùm prædicationes vniuerſaliũ de ſingularibus, eiuſdem de ſeipſo, & propoſitiones negatiuæ, in quibus remouentur à ſubiecto prædicata oppoſita, prædicatis illi conuenientibus, in primo modo reductiuè adhũc modum ſpectare affirmamus. Explicantur, & probantur ſingula, & primò quòd prædicata eſſentialia in recto, & per ſe primo modo prædicentur, eſt clarum ex Ariſt. hic, hæc enim eſt maior, neceſſitas, quę poſſit inter ſubiectum, & prędicatum reperiri, & idem dicendum eſt de prædicatis eſſentialibus in obliquo, ac etiam de tranſcendentibus, quale eſt ens, quod verè in quid de ſuis inferiorib' prędicatur ex Doc. in 1.d.8.q.3.T. verè n. ens cõcipitur ad modum alicuius formæ methaphyſicæ in ſuis inferioribus incluſæ quidditatiuè, ſicut alia prædicata quidditatiua. Secundò, quòd quandò nõ ſunt de eſſentia, licèt definitionem ingrediantur, non faciũt prodoſitionem per ſe primi modi, eſt Scoti in 1.d.3.q.3.G. vbi negat, ens in quid & in primo modo dicendi per ſe de de paſſionib' prædicari, & probat, quia prædicatum in primo modo eſt de eſſentia ſubiecti, at ſubiectũ non ponitur in definitione paſſionis, vt quid eſſentiale, ſed vt additum, & extrinſecum, ergo &c. idem dicendum eſt de accidẽte reſpectu ſubiecti, & correlatiuo reſpectu relatiui. Tùm quia ideò prædicatum prædicatur de ſubiecto per ſe, quia in ſubiecto eſt cauſa, & ratio formalis inhærentiæ prædicati cũ ſubiecto, quia tunc fit directa, & naturalis prædicatio, quandò id, ꝙ ineſt prædicatur, & cui ineſt ſubijcitur, ſed in paſſione non eſt talis ratio, nec ſubiectum paſſioni ineſt, nec correlatiuum ſuo relatiuo, ergo conficere non poſſunt propoſitionem per ſe.

Tertiò, quòd illæ propoſitiones in concluſione relatæ poſſint ad hũc modum ſaltèm reductiuè pertinere, patet ex rationib' oppoſitę ſententię, quibus rectè inferabatur non poſſe propriè, & directè adhũc modũ ſpectare; at ſaltèm reductiuè hùc ſpectare videntur, Vniuerſalia enim ſunt de eſſentia ſingularium, & ſi hæc definirentur, non niſi per vniuerſalia deberent definiri, ergo tales prędicationes erunt in primo modo, & neceſſariæ; ſic etiã ſi perſeitas propoſitionis idem ſonat, ꝙ prædicatum eſſe in ſubiecto, non per aliud, itaut quãtò magis ſubiectum eſt minus aliud à prædicato, tantò magis propoſitio eſt per ſe, vndè magis propoſitio eſt per ſe, quandò tota definitio, quàm quandò pars prædicatur, & cùm non ſit maior identitas, quàm eiuſdem ad ſe ip-

ſe ipſum, idcircò propoſitiones identicæ dici poſſunt per ſe, & non niſi in primo modo: ſimilitèr, quòd propoſitiones negatiuę adhùc modum reducantur, patet ex Scoto q. 4. vbi docet, quòd licèt negationes prædicatorũ ſimplicitèr repugnãtium alicui, non pertineant conſtitutiuè ad eſſentiam illius rei, ſpectant tamen conſecutiuè, quatenùs neceſſariò conſequuntur ad prędicata propria eſſentialia; quia igitur negatio irrationalitatis V. g. conſequitur in homine ad rationalitatem, quæ dicitur de homine in primo modo, etiam talis negatio ad talem modum reduci debet, vt hæc propoſitio: homo non eſt irrationalis, ſit modo ſuo primi modi, quod Doctor innuit primo poſt. q. 21. cùm ait, quòd negatiua propoſitio ē vera primo, & per ſe, ſed ab affirmatiua dependentèr.

Hìc dubitari ſolet de modis intrinſecis, An prædicentur per ſe primo modo de re, cuius ſunt modi, vt ſunt infinitas & neceſſitas reſpectu Dei, finitas, & contingentia reſpectu creaturæ, intenſio, & remiſſio graduum in qualitate &c. qui non ſpectare videntur ad ſecũdum modum, in quo paſſio dicitur de ſubiecto, nàm modus intrinſecꝰ intimior eſt ipſa paſſione, nec facit vnum conceptum per accidens cũ re, cuius eſt modus, vt facit paſſio cum ſubiecto, vt Scot. docuit quol. 5. C. & pꝫ. ob allatã rationem, modum propriè non pertinere ad ſecundum modum, ſed ad primum; & ratio ē, quia ſpectat aliquo modo ad quidditatem rei, quatenùs adęquatè, & perfectè quiditas concipi nõ poteſt, non intellecto modo intrinſeco; non ſpectat tamen ad primum gradũ perſeitatis primi modi, cùm intimiora ſint rei prædicata quiditatiua, quàm modi intrinſeci. Et ità hoc primo modo dãtur tres gradus; Primus eſt, quãdò tota definitio prædicatur de definito; Secundus, quãdò pars definitionis prædicatur de definito; Tertius, quãdò modus prædicatur de re, cuiꝰ eſt modus; & addi poteſt Quartus gradꝰ, & eſt ille ad quem attinent propoſitiones, quæ reductè in hoc primo modo collocantur.

Obijcies: animal non eſt de ratione rationalis, ſed hęc propoſitio eſt per ſe, rationale eſt animal, & non poteſt niſi ad primum modum reduci, ergo falſum eſt prædicata primi modi eſſe debere de eſſentia ſubiecti. Probatur minor, quia talis propoſitio eſt neceſſaria, & non per accidens, ergo per ſe pꝫ. ex Scoto in 4. d. ij. q. 3. FF. & primo poſt. q. 23. quòd nec genꝰ de differentia, neque differẽtia per ſe prædicatur de genere; & ratio eſt, quia neutrum per ſe includitur in altero, alitèr vnum ipſorum eſſet tota definitio, & licèt ſit neceſſaria, non tamen per ſe, ob carentiam incluſionis, ſed ſolũ eſt neceſſaria propter incluſionem in 3. ſ. in ſpecie, dicitur etiã per accidens logicè ex Scoto in tertio d. 7. q. 1. D. quatenùs

nùs prædicatum eſt extra conceptũ ſubiecti, non tamen methaphyſicè, quaſi quòd vnum accidat alteri, vel ambo tertio, & in hoc ſenſu poteſt dici per ſe.

*De ſecundo modo dicendi per ſe.*

Secundus modus dicendi per ſe, eſt, cùm ſubiectum eſt de definitione prædicati, at hoc non ſufficit, alitèr hæc propoſitio, animal eſt homo eſſet per ſe, quod tamen eſt falſum, quia eſt prædicatio innaturalis, demonſtrationi non deſeruiens, & ideò hæc propoſitio, riſibile eſt homo, nõ eſt per ſe, vndè requiritur, quod ſubiectum ſit de definitione prædicati, non vt pars eſſentialis, ſed vt additum; ſed neque hoc ſufficit, alitèr accidẽs commune diceretur de ſubiecto in ſecundo modo, cùm ſubiectum ſit de definitione accidentis per additamentum, & ità faceret propoſitionem per ſe, non per accidens, contra Ariſt. Hìc exigitur etiam, quòd inter illa ſit neceſſaria habitudo cauſæ ad effectum, ità q; ſubiectum ſit cauſa prædicati, quæ habitudo, vt ſit neceſſaria, eſſe debet in genere cauſæ efficientis, & non cuiuſcumq; ſed illius, quæ per emanationem cauſat, & propriam reſultantiam, vt eſt ſubiectum reſpectu propriæ paſſionis, nam cæteri effectus non habent neceſſariã connexionem, & habitudinem cũ ſuis cauſis, vt benè doctor aduertit. 1. poſt. q. 25. vndè alij breuitèr dicunt, prædicationem ſecũdi modi eſſe, cùm paſſio de proprio ſubiecto prædicatur.

Ex his deducitur primò, quòd ſi paſſio prædicetur de definitione ſubiecti, vel de differentia conſtitutiua, talis prædicatio erit in ſecundo modo, quia explicitè aſſignatur ipſius cauſa. Secundò, cùm paſſio prædicatur de inferioribus proprij ſubiecti, ſiuè generis, ſiuè ſpeciei, licèt nõ immediatè, & primariò, ſed mediatè, & ſecundariò, eſt tamen prædicatio in ſecundo modo, & hoc innuit. Ariſt. 1. poſt. 12. cùm ait paſſionem generis per accidens conuenire ſpeciei .ſ. non immediatè. Tertiò, quòd paſſio inferioris non prædicetur per ſe de ſuperiori, & ideò hæc non eſt per ſe, animal eſt riſibile, quia ei non conuenit definitio huius ſecundi modi, ſicuti neq; numerus eſt par, linea eſt curua, & eadem ratione. Quartò, quòd paſſiones inferiorũ ſub diſiunctione per ſe in ſecundo modo prædicentur de ſuperiori, vt numerus, vel eſt par, vel impar, linea vel eſt recta, vel curua, quia cũ hæc duo ſint immediata, neceſſe eſt alterum in eſſe, nam ſe habent, ac ſi contradictoriè opponerentur. Et idem dicendum erit de iſta: animal, aut eſt rationale, aut irrationale, quia eſt proprium generis diuidi in ſpecies per differentias.

Ais: accidens ſemper prædicatur accidentalitèr, ergo per accidens, non per ſe; R. quòd ſi ly accidentalitèr determinat inherens, .i. ſignificat prædicatũ eſſe ens ac-

ciden-

cidentale, verũ eſt antecedens, ſed negatur conſequentia, nam benè poteſt aliquod accidẽs neceſſariò ſubiecto conuenire; ſi determinat inhærentiam, & connexionem, negatur Antecedens, &c.

*De tertio modo dicendi per ſe.*

Tertius modus dicitur communiter, quòd non ſit modus prædicandi; ſed modus per ſe eſsẽdi, qui à Doctoribus variè explicatur, nã quidam volunt eſſe modum per ſe eſſendi, .i. ſolitariè exiſtendi, & in hoc ſenſu poteſt etiam accidenti conuenire, quandò eſt à ſubiecto ſeparatum, quæ eſt ſententia Scoti quol. 9. A. Alij hũc modum magis coarctantes, excludunt modum eſſendi in alio, non ſolùm vt in ſubiecto, ſed etiã vt in inferiori, quo sẽſu tantũ primis ſubſtãtijs cõpetet, & de iſtis tantũ ſe exẽplificauit Ariſt. Zabarella verò contendit, hũc eſſe etiam modũ per ſe prędicandi, ità quòd eſſe, vel exiſtere per ſe dicatur de ſubſtantia in propoſitione de ſecundo adiacente, logica .n. non conſiderat modos eſſendi, qui ſunt reales, ſed modos intentionales, & prædicandi, qui demonſtrationi inſeruiunt, quę omnia probabiliter amplecti poſſunt.

*De Quarto modo dicendi per ſe.*

Quartus modus ab aliquib' appellatur non modus per ſe prędicandi, ſed per ſe cauſandi; ſed hoc eſt contra Ariſt. in text. & Scot. 1. poſt. q. 9. 52. qui illum manifeſtè enumerat inter modos per ſe prędicandi, fundatum tamen ſuper modum per ſe cauſandi, & eſt cum in ſubiecto includitur proxima ratio inhærentiæ prædicati, quamuis inter ſubiectum, & prædicatum nõ ſit neceſſaria habitudo, ſed contingens, vt cùm dicitur intellectus intelligit, voluntas vult, iugulatus interijt: hinc deducitur cõtra aliquos Thomiſtas, quib' præiuit Caietan. quòd hic nõ ſumuntur cauſa, & effectus potentialitèr, ſed ſolùm in actu, nam potẽtialitèr eſſet in illis neceſſaria habitudo, nec differt à ſecundo modo, vt ſi diceretur, voluntas eſt volitiua, calor eſt calefactiuus &c. quæ prædicata ſunt aptitudines, & paſſiones ſubiectorũ; & licèt effectus in actu contingentèr vniatur propriæ cauſæ in actu quo ad eſſe, per ſe tamen vnitur ei quo ad cauſam, quòd ſufficit ad conſtituendam propoſitionem nõ omninò per accidens, ſed aliquo modo per ſe. Ex quibus deducitur quòd per cauſam hic nõ intelligitur eſſentialis, & intrinſeca, quales ſunt materia, & forma reſpectu cõpoſiti, quia iſtæ ad primum modũ ſpectãt, ſed intelligitur extrinſeca, ſiuè efficiens, ſiuè formalis, ſiuè finalis, ſiuè materialis, nam forma accidentalis, vt albedo V. g. dicitur cauſa formalis extrinſeca reſpectu hominis albi.

Iſte modus in ſententia ſcotiſt. tres habet grad', & prim' eſt quãdò effectus formalis prædicatur de ſubiecto mediãte ſua cauſa formali, vt homo albedine eſt albus, nam albus eſt effect' formalis albedinis,

& ipſa mediante dicitur de homine. Secundus gradus eſt quandò actus,qui egreditur à ſua cauſa formali prædicatur de effectu formali illius cauſæ illa mediante,album albedine diſgregat,interfectum interfectione interijt, quia interire eſt act' interfectionis,ſicut diſgregare eſt actus albedinis,& ſicut album eſſe, eſt effectus albedinis, ità interfectum eſſe, eſt effectus interfectionis. Et tandē Tertius eſt,quādò effectus prædicatur de ſuo immediato principio,vt intellect' intelligit,voluntas vult.

Ex his deducitur totidem eſſe etiam modus prædicandi per accidens. Primus eſt quandò prædicatum non eſt de eſſentia ſubiecti; & opponitur primo modo, quò ſenſu hæc propoſitio, homo eſt riſibilis,poteſt dici per accidens.Secundus oppoſitus ſecundo eſt, quandò prædicatum nedum non eſt de eſsētia ſubiecti,ſed nec eius proprietas,vt ſunt propoſitiones omnes in quarto modo. Tertius oppoſitus tertio, in ſententia illorum,qui illum ponunt in modo prædicandi, licèt ab Ariſt. non numeretur, eſt, quandò eſſe prædicatur de accidēte,vt albedo eſt. Et tandèm Quart' eſt quandò effectus non prædicatur de ſua cauſa per ſe, ſed de aliquo per accidens ſibi coniuncto,vt Muſicus ædificat.

*De Demonſtratione propter quid.*
*Caput IV.*

ARiſt. 1. poſt.c.10. diuidit demonſtrationem in propter quid, ſeu potiſſimam; & indemonſtrationē quia. Prima eſt quæ procedit per cauſā proximam,& adæquatam,tamquam per medium ad concluſionem demonſtrandam. Secunda eſt, quæ à tali cauſa non procedit; prima dicitur potiſſima, & à priori, ob perfectiſſimū modū procedendi, & perfectiſſimā ſcientiam,quā generat,de qua Ariſt. hìc c.2. duplicem dat definitionem.

Prima definitio: *Demonſtratio eſt Syllogiſmus faciens ſcire:* ſeu eſt Syllogiſmus ſcientialis, quæ definitio optima eſt, conſtat enim ex genere,quod eſt ly Syllogiſmus, & ex differētia, quam nobis circumſcribit faciens ſcire, per quod à Topico,& Elenco diſtinguitur,& poteſt dici definitio formalis, quia datur per differētiam; Poteſt quoque dici finalis, quia datur per finem demonſtrationis,qui eſt ſcietia, propter quam inſtituta eſt. Si tamen hic ſcire largè accipiatur,vt etiam ad ſcire à poſteriori extēdatur, ſic talis definitio erit demonſtrationis in communi, non tamen demonſtrationis propter quid.

Secunda definitio,quę materialis appellari ſolet,quia per conditiones principiorum aſſignatur,ità ab Ariſt. deſcribitur.*Demonſtratio eſt Syllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & cauſis concluſionis.* quam definitionē Ariſt.ex definitione ſcientiæ venatur. Explicantur ſingula.

Prima conditio eſt, quòd præmiſſæ ſint veræ, nam concluſio eſt vera,

veră, ergo, & præmiſſæ debent eſſe veræ, & licèt aliquandò ex falſo ſequatur verum, hoc tamen eſt per accidens, & ratione formæ ſyllogiſticæ, nõ per ſe, & ratione materiæ. Tùm quia non ens, quale eſt falsũ, nequit eſſe cauſa entis, ꝙ eſt verũ.

Sed cõtrà, Ariſt. 8. phyſ. ex æternitate motus, quod eſt falſum, infert exiſtentiam primi motoris, ꝙ eſt verum; Sicut etiam de infinito, vacuo, & entibus rationis multa demonſtrãtur, quæ ſunt non entia, & falſa, ergo &c. ℞. ad primum, cõcluſionem illam Ariſt. ſequi ſolùm per accidens, & ratione formæ, vt patet ex dictis. Ad ſecundum dicimus, quòd de entibus falſis, & de non entibus datur ſcientia negatiua, quatènus cognoſcimus infinitũ non dari, vacuum non exiſtere, ens rationis nõ eſſe verum ens, ſed falſum, non autem ſcientia poſitiua, de illis aliquid verum, & reale prędicatum affirmando.

Secunda conditio eſt, quòd ſint primæ, & immediatæ, quæ particulæ licèt ab aliquibus diſtinguãtur, communitèr tamẽ pro eodem ſumũtur, & denotat, quòd principia demonſtrationis debẽt eſſe immediata, ſeu indemonſtrabilia per aliud medium à priori, & in eodem genere; Et diximus à priori, quia nõ obſtat, quin à poſteriori, & per effectum demonſtrentur. Diximus in eodem genere, quia poteſt vna cauſa demonſtrari per aliam alterius generis, & tamen dici poteſt prima, & immediata in proprio genere, ratio huiꝰ cõditionis eſt, qã ſi principia eſſent demõſtrabilia ꝑ alia, & illa ꝑ alia, daretur proceſſus in infinitum in cauſis eſſentialitèr ordinatis, quòd eſt euitandũ.

Eſt tamen aduertendum, quòd hęc principia interdum dicuntur indemonſtrabilia formalitèr, quia ſe ipſis sũt talia; alia virtualitèr, ſi nimirum euidentiam habeãt ab alijs principijs prioribus, per quæ demonſtrari poſſint, dũmodò conficiens demonſtrationem, ſciat illa reſoluere in principia priora; Vndè licèt ad demõſtrationem perfectiſſimam requirantur principia formalitèr immediata, ad perfectã tamen demonſtrationem, ſufficiũt principia virtualitèr immediata, alitèr nulla daretur ſcientia ſub alternata, huiuſmodi autem propoſitiones poſſunt eſſe tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ; affirmatiuæ præcipuè erunt, quæ cauſam non habent, cur prędicatum inſit ſubiecto, vt quãdò definitio eſſentialis, aut proprium genus, aut differentia prædicatur de definito, & cùm prima paſſio dicitur definitione, & vniuerſalitèr cùm effectus dicitur de ſua propria cauſa, vt V. g. homo èſt animal rationale, homo eſt animal, eſt rationalis, animal rationale eſt riſibile, vel diſcurſiuum &c. Hæc autem: homo eſt sẽſibilis, nõ eſt immedicta, quia poteſt rectè demonſtrari per animal. Negatiuæ propoſitiones sũt in quibus extrema ſe ipſis diſtinguntur, non per aliud medium, vt animal rationale

non eſt rugibile; at hæc: homo non eſt planta, non dicitur immediata, quia demonſtrari poteſt per animal, quæ duæ conditiones cõueniunt præmiſſis in ſe, vt propoſitiones sũt, ſequentes verò in ordine ad concluſionẽ, vt principia illius, & sũt, tres.ſ.ꝙ ſit ex priorib⁹, notioribus, cauſiſq; concluſionis.

Et primò explicat vltimã, à qua aliæ dependent, ſcire enim eſt rem per per cauſam cognoſcere; vndè medium debet eſſe cauſa inhærentiæ prædicati cum ſubiecto in concluſione, ergo præmiſſæ debent talem cauſam continere. Pro clariori notitia eſt ſciendum, quòd cauſa alia eſt incognoſcendo, & tunc eſt, quandò eſt ratio cur aliquod cognoſcatur, & ità, cùm per effectum cognoſcimus cauſam, effectus dicitur reſpectu cauſæ, cauſa incognoſcendo. Alia eſt cauſa in eſſendo, & eſt illa, à qua aliquod in eſſe cauſatur, quæ etiam cauſa incognoſcendo dicetur, ſi per ipſam effectum cognoſcimus, quæ duplex eſt, vna formalis, ſeù propria, quæ .ſ. verè eſt cauſa effectus, ſiuè phyſica, ſiuè methaphyſica; Alia virtualis, quæ propriè non eſt cauſa, ſed in ordine ad aliquid talitèr ſe habet, quòd ſi illud cauſaretur, nõ niſi ab illa cauſa eſſet, in quo ſenſu Theologi dicunt, quòd incomprehenſibilitas Dei ab eius infinitate proueniat; quia igitur hìc definitur demõſtratio propter quid; per cauſam, non intelligitur illa, quæ tantùm cauſa eſt in cognoſcendo, ſed etiam in eſſendo, ſiuè formalis ſit, ſiuè virtualis, vt demõſtrationes, quæ de Deo formantur, veræ demonſtrationes appellari poſſint.

Amicus tr.26.q.6.dub.1. negat demõſtrationes de Deo, & aliquas mathematicas, ſub demonſtratione hìc definita contineri, cuius ratio eſt, quia cauſæ virtuales non ſunt, niſi ſecundùm nos, & non à parte rei. Sed nõ placet; nam, ſi per cauſam virtualem intelligitur id, à quo proprietas aliqua dimanat abſquè alia dependentia, & imperfectione, quo ſenſu Patres Græci nomen cauſæ in Diuinis admittunt, poteſt pro medio accipi in vera, & propria demonſtratione propter quid, licèt re vera Ariſt. hìc intellexerit de cauſa propriè dicta, Vndè euadit quaſi quęſtio de nomine.

Ex his deducitur, quòd pręmiſſæ debent eſſe priores, quæ particula differt à ly, primis, nam præmiſſæ dicuntur primæ, quia nõ habent alias priores, dicuntur verò priores reſpectu cõcluſionis, quælibet .n. cauſa prior eſt natura, & ordine ſuo effectu. Et quia præmiſſæ ſunt cauſæ in eſſendo, & cognoſcendo ipſius concluſionis, cũ concluſio totã euidentiam, & certitudinem habeat ex præmiſſis; ſequitur, ꝙ notiores ſint ipſa cõcluſione, quod Ariſt. probat per illud axioma; *Propter quod vnumquodcunque tale, & illud magis*. V. g. ſi volumus medicinam propter ſanitatẽ, magis volumus ſanitatẽ, ſic aſſẽtimur cõcluſioni propter pręmiſſas,

ergo

ergo magis præmiſſis aſſentimur. Multa tamē pro veritate huius axiomatis: propter quòd vnumquodcumque tale,&c. à Doctoribus aſferri ſolent. Nos breuitèr dicimus, quòd hæc propoſitio ſit cauſalis, & conſequētèr verificatur de his, quæ ſe habent vt cauſa,& effectus, quod fundamentum ex hoc accipit, quòd nulla cauſa producit effectum ſe ipſa nobiliorem, ſed ſēper cauſa totalis, ſaltèm vt cauſa eſt,& independens, dicit maiorem perfectionem, quàm effectus, nam dependētia dicit imperfectionem, independentia perfectionem. Vndè conditiones, quæ ad veritatem iſtius axiomatis requiruntur, ſunt præcipuè ad ſaluandam maiorem perfectionē cauſę reſpectu effectus.

Prima igitur cōdictio eſt, vt cauſa ſit totalis, & per ſe reſpectu talis effectus; vndè non valet: compoſitū eſt ens in actu propter formā, ergo forma eſt magis in actu, quia compoſitū eſt ens in actu ſubſiſtens, forma eſt actus informans, nec forma eſt totaliscauſa actualitatis cōpoſiti. Nec ſimilitèr valet: cæli influunt propter motum, ergo motus magis influit, nam motus non eſt per ſe cauſa influxus, ſed tātū per accidens,& inſtrumētalitèr.

Secunda condictio eſt, vt prædicatum, in quo ſit comparatio conueniat formalitèr tàm cauſæ, quā effectui, qua ratione non valet. Aër eſt calidus propter Solē, ergo Sol eſt magis calidus; Paulus odio habet peccatum propter Deum, ergo magis Deum odiò habet.

Tertia eſt, vt id, quod effectum denominat talem, cauſetur à cauſa quatenus talis, vndè non valet, domus eſt alba propter ædificatorē, ergo ędificator eſt magis albus, qa albedo,& non ædificator, eſt cauſa albedinis domus.

Quarta eſt, quòd forma, in qua comparātur ſuſcipiat magis, & minus, quarè nō valet; Petrus eſt homo, propter Paulum, ergo Paulus eſt magis homo. Cū his condictionibus illud axioma ſemper verum eſt in quocumque genere cauſæ.

Dices: Concluſio eſt finis præmiſſarum, ergo præmiſſæ ſūt propter concluſionem, ergo concluſio eſt magis euidens, quàm præmiſſę. ℞. negando vltimam conſequentiam, nam deficit tertia condictio, quia concluſio vt finis non cauſat in pręmiſſis euidentiam,& noſcibilitatem, ſed appetibilitatem, finis n. mouet vt amatus, vndè ſolùm ſequitur, quòd concluſio ſit magis amata, &c.

Circa autem noſcibilitatē principiorum, duo ferunt Antiquorum errores, quos refert, & reijcit Ariſ. c. 3. Aliqui negarunt principia ſciri poſſe, alitèr per alia principia ſcirentur,& ſic in infinitum. Alij aſſerherunt, ſciri per demonſtrationem circularem,& hæc deindè per concluſionem, & ideò non eſt in infinitum procedendum. ℞. Ariſt. quòd licèt notitia principiorum non ſit nobis innata à natura,& intellectui noſtro congenita, cùm intelle-

tellectus noſter ſit tamquàm tabula raſa .ſ. in qua nihil eſt depictum; dicuntur tamen lumine naturę cognoſci, & non per alia principia, quia percipimus ſenſibilia per ſenſum, ex ſẽſu deindè fiunt imaginationes, & phantaſmata, ex quibus efficitur memoria, & ex multis memorijs experientia, & tandèm ab experientia plurium ſingularium colligit intellectus propoſitionem vniuerſalem, cui vi luminis naturalis, & innitæ inclinationis à natura & certum, & clarum præbet aſſenſum, in quo principio quieſcit intellectus, non procedens vlteriùs, ſed potiùs ex eo colligens concluſiones; quæ notitia non eſt ſcientifica, & per cauſã, ſed oritur à ſimplici apprehenſione terminorum. Ità quãtùm ad primum errorem.

Secũdum errorem euellit, quia, cùm demonſtratio circularis eadẽ via procedat .ſ. propter quid, & à cauſa ad effectum, ſi omnia per demonſtrationem propter quid ſcirentur, admittẽdo circulum in demõſtrationibus, idem eſſet notiùs, & ignotius natura reſpectu eiuſdẽ, quòd eſt contradictio; ſequela patet, nam demonſtratio propter quid procedit à notioribus natura, & in ſe, quæ ſunt principia ad ignotiora natura, quæ eſt concluſio, ergo ſi poſtea principia per cõcluſionẽ demonſtrarentur demonſtratione propter quid iam cõcluſio eſſet notior natura, & in ſe reſpectu principiorum, & ità eſſet notior, & ignotior, idcircò non eſt admittendus circulus, ſed regreſſus, qui diuerſa via procedit .ſ. primò à poſteriori, & ab effectu, ſecundò à priori, & à cauſa, ità q cùm principia demonſtramus per concluſionem, talis demonſtratio non eſt propter quid, & à priori, ſed quia, & à poſteriori, per effectum nobis notiorem, cauſam notiorẽ, ad natura, & ignotiorem nobis; notiora nobis ſunt ſenſibus propinquiora; ignotiora nobis, à ſenſibus remotiora, quia omnis noſtra cognitio ortum duxit à ſẽſibus, & quia effectus, vt plurimũ ſunt propinquiores ſẽſibus, cauſæ verò remotiores, illi erũt nobis notiores, iſtæ ignotiores, quãuis aliquandò res è cõtra ſe habeat, vt patet de Sole, qui pinquior eſt ſenſibus, quàm aliqui effectus ipſius in viſceribus terræ. Notiora natura ſunt, quæ minùs ſunt ſenſibilia, vt ſunt vniuerſalia; ignotiora natura, quæ ſunt magis ſenſibilia, vt ſingularia.

## *De Demonſtratione quia.*

## *Cap. V.*

Demonſtratio quia eſt illa, quę via non cauſa propria, & adæquata procedit ad demonſtrandã cõcluſionem, quà ratione dicitur, quòd ſolùm facit ſcire, quòd res ſit; licèt .n. euidentèr demonſtret prædicatum cõuenire ſubiecto, nõ tamen perfectè quietatur intellectus, ſed procedit vlteriùs ad indagãdã propriam cauſam, quæ fit per demonſtrationẽ propter quid.

Hæc Demõſtratio multiplicitèr fieri poteſt; Primò cùm per effectũ demon-

demõſtramus cauſam eſſe. Pro cuius notitia ſciendum eſt, quòd aliquandò effectus eſt cum ſua cauſa conuertibilis, & tũc ex affirmatione, vel negatione effectus, poteſt concludi affirmatio, vel negatio cauſę; & deindè progredi poſſumus per demõſtrationem propter quid à cauſa ad effectum, ſic ſe habent riſibile, & rationale. Interdum effectus non eſt adæquatus, & conuertibilis, ſed inadæquatus, vel quia excedit cauſam, ſi põt ab alia produci, vt calor reſpectu ignis, qui poteſt quoquè à Sole generari, vel quia à cauſa exceditur, vt ſi effect⁹ quãdò eſt, ſemper à tali cauſa procedat, non ſemper tamen ab illa cauſetur, ſic eſt reſpiratio reſpectu animalis, à quo prouenit, nam Piſces ſunt animalia, & tamen non reſpirant. Ab effectu, qui exceditur à cauſa, poteſt fieri demonſtratio affirmatiua, vt reſpirat ergo eſt animal, non tamẽ negatiua, non reſpirat, ergo nõ eſt animal. Ab effectu autem excedente cauſam fieri poteſt demonſtratio negatiua, vt non eſt calor, ergo non eſt ignis, non verò affirmatiua, eſt calor, ergo eſt ignis, quæ demonſtratio appellatur quoque demonſtratio à poſteriori, quia procedit per aliqd poſterius in re, vti eſt effectus in ordine ad cauſam.

Secundò fit, cùm per cauſam remotam, & non propriam demonſtratur effectus, & per cauſam remotã itelligitur cauſa inadæquata, & tunc ſi excedit effectum, valet à negatione cauſæ inferri negatio effectus, vt non eſt animal, ergo nõ reſpirat; ſi exceditur ab effectu, arguitur affirmatiuè à poſitione cauſæ ad poſitionẽ effectus, vt eſt ignis, ergo eſt calor; quæ demonſtratio poteſt dici à priori, quia procedit ex prioribus, quales ſunt cauſæ, tamen quia non eſt Cauſa adæquata, dicitur Demonſtratio quia; hinc cũ dicitur quòd demõſtratio propter quid ſit à priori, & demonſtratio quia à poſteriori, hoc intelligi debet antonomaſticè, quatenus omnis demonſtratio propter quid eſt à priori, & omnis demonſtratio à poſteriori eſt demonſtratio quia, non eſt tamẽ vniuerſaliter verum, datur.n. demonſtratio à priori, quę nõ eſt propter quid, ſed quia, & demonſtratio quia, quæ non ſit à poſteriori, vt declaratum eſt.

Tertiò fieri poteſt à ſigno naturali, quod cũ alio neceſſariam habet connexionem, quatenus inuicẽ ſe conſequuntur, non tamen ſe habent, vt cauſa, & effectus, & dici ſolet à concomitanti, vt eſt flebile, ergo riſibile; qui modus licèt ab Ariſt. non fuerit aſſignatus, quia tamen eſt certus, euidens, & neceſſarius, poterit dici modus demõſtratiuus, reducibilis ad modũ arguendi à non cauſa, talis enim propoſitio, non eſt omninò accidentalis, ſed reducibilis ad ſecũdum perſeitatis modum.

Adhunc modum reduci poteſt inductio, quę procedit à particularibus ſufficientèr enumeratis, quæ

ſunt

sũt poſteriora ad vniuerſale, quod eſt prius. Demonſtratio autem ducens ad impoſſibile, reducibilis eſt tàm ad demonſtrationem propter quid; quàm ad demonſtrationem quia; ſi enim procedit à cauſa proxima eſt demõſtratio propter q̃d, vt ſi equus eſt rationalis, eſt riſibilis; ſi à tali cauſa non procedi, erit demõſtratio quia, vt ſi equus eſt riſibilis, ergo rationalis.

*De medio demonſtrationis.*

*Caput VI.*

ARiſt. ferè totum ſecundum librum poſt, conſumpſit ad explanandam viam inueniẽdi mediũ demonſtrationis; hinc in fine primi libi aſſignans definitionem ſolertiæ, dixit: *quòd ſolertia, eſt ſubtilitas inueniendi medium in non perſpecto tempore*, .ſ. eſt vis velocitèr penetrandi à cauſa ad effectum, vel ab effectu ad cauſam in paruo tempore; pro cuius perfecta notitia, numerum quæſtionum cũ ipſo Ariſt. præmittere debemus.

Quatuor ſunt genera quæſtionum, nẽpè: An res ſit, quid ſit, qualis ſit, & propter quid ſit; vt de homine quęritur primò An ſit, & quærit rei exiſtentiam; quid ſit, & quęrit rei eſſentiã; tertiò qualis ſit, .i. quam proprietatem in ſe habeat; quartò proptèr quam cauſam illi talis proprietas conueniat; Primæ duæ quæſtiones dicũtur ſimplices, quia fiunt per propoſitiones de ſecundo adiacente; ſequentes dicuntur compoſitæ, quia fiunt per propoſitiones de tertio adiacente.

Dices Ariſt. 1. Topic. alias quæſtiones aſſignauit iuxtà numerum prædicatorum, nimirum generis, definitionis, proprij, & accidentis, ergo plures quęſtiones, quàm quatuor. ℞. duas primas quæſtiones ibi aſſignatas, contineri in quęſtione quid eſt; nam genus, & definitio ſpectant ad quidditatem rei, cęteræ verò continentur in tertia quæſtione; & hæ omnes ait Ariſt. reducuntur ad vnam .ſ. ad quæſtionem medij, ex eo quia omnis quęſtio eſt quæſtio medij, quòd indè patet, q̃a omnis quæſtio eſt propoſitio dubitabilis, ſi enim de aliqua re nõ dubitaremus, non eſſet inquiſitio de illa re, ſed certitudo, & euidentia. & omis propoſitio dubitabilis per medium demonſtratur, & cùm medium ſcimus, quietamur, & ceſſat om̃is inquiſitio, hinc ideò de Eclypſi Lunæ quærimus an ſit, & propter quid ſit, quia neſcimus cauſam; At ſi ſupra Lunam eſſemus, & ipſam videremus intrando vmbrã terræ deficere, nõ quęreremus de Eclypſi an ſit, & propter quid ſit, quia iã per illud medium .ſ. ingreſſum in vmbram terræ, omnia nobis paterentur, idcircò omnis quæſtio eſt de medio, per quod poſſit illa propoſitio dubitata demonſtrari; & quamuis ſolùm quarta quæſtio explicitè quærat medium, reliquę tamen ſaltèm implicitè, & virtualitèr quærunt medium, omnes enim inquirunt cauſam per quam oſtendi poſſunt.

Quia igitur omnis quæſtio quę-

rit

rit cauſam, quã tamquàm per medium demõſtretur, ſcire.n. eſt rem per cauſam cognoſcere, vt perfectiùs innoteſcat, quænã cauſa poſſit in demonſtratione pro medio inſeruire; ſupponendum eſt, cauſam eſſe, à qua res accipit eſſe, & quæ dat eſſe rei, & quadruplex eſt, duæ intrinſecæ, & duę extrinſecæ. Intrinſeca cauſa eſt, quæ cauſat cauſatũ, tãquàm pars in cauſato inexiſtẽs, quarum vna eſt materialis, ex qua aliquid fit tamquam ex ſubiecto, alteram partem in ſe recipiendo, ſcilicèt formam, vt corpus V.g. eſt materia hominis, quia in ipſo eſt, & recipitur anima; alia intrinſeca, dicitur formalis, & definitur, quòd ſit quodquid eſſe rei, hoc eſt, quæ dat eſſe rei, & eam cõſtituit in actu in certa, ac determinata rerum ſpecie, vt anima rationalis, v.g. reſpectu hominis. Cauſa extrinſeca eſt, quæ cauſat effectum, ſed in illo nõ manet, & duplex eſt; vna dicitur efficiens, quæ vtique producit effectum, vel vt Ariſt. inquit, aliquid primum mouens, vt Deus dicitur cauſa efficiens omnium; altera eſt finalis, in cuius gratia aliquid fit, quomodò ſanitas dicitur cauſa finalis medicinæ &c.

38 Ex his omnibus poteſt ſumi medium pro demonſtratione, & maximè ex genere cauſæ formalis, qa in demõſtratione potiſſima, mediũ eſt definitio ſubiecti, vt fuſiùs in quæſtionibus patebit. Eſt tamẽ hîc aduertendum, quòd illa cauſa debet pro medio inſeruire, quæ tempore effectum non antecedit, aliteѓ ex cauſa nõ neceſſariò infertur effectus, cùm poſſit ſine illo eſſe, licèt ab effectu arguere cauſã poſſimus. Aduertimus etiam, quòd cùm idẽ effectus poſſit habere plures cauſas, per plura media, etiam per plures demonſtrationes oſtendi poterit, multæ enim res mutuò ſe generant, & ſi non eædem numero, ſaltèm ſpecie; & ideò admittuntur aliquæ demonſtrationes circulares, in quibus ſemper à cauſa ad effectũ proceditur V. g. ex terra madefacta, fit vapor, ex vapore nubes, ex nube pluuia, ex pluuia iterum terræ madefactio &c. quæ demonſtrationes licèt nõ ſint potiſſimę propter non neceſſariam connexionem cauſæ cum effectu, non ſunt tamen vitioſæ, neque in illis propriè cõmititur circulus, quia non redditur ad idem numero, ſed ad idem ſpecie, & ideò nõ ſequitur, quòd omninò idem ſit prius, & poſterius reſpectu eiuſdem.

# TRACTATVS Quintus.

*De Syllogiſmo Topico.*

## Caput Primum.

*De Materia remota, & proxima. Syllogiſmi Topici.*

Quia demonſtratio eſt cæteris notitijs nobilior, quoniã ſciẽtiam parit, quæ opinione, & errore eſt longè præſtatior, ideò iurè meritò priùs de ſyllogiſmo demonſtratiuo egimus; & quia

Topicus generat opinionem, quæ longè præſtatior eſt errore, qui ab Elencho generatur, ideò etiam rationabiliter priùs de ſyllogiſmo Topico agimus, qui Elencho præfertur, & poſtea de Sophiſtico, & falſigrapho agemus. Syllogiſmus igitur Topicus eſt, qui ex probabilibus infertur, ſcilicèt, qui ex præmiſſis non neceſſarijs, ſed probabilibus infert concluſionem probabilem, quarè non ſcientiam, ſed opinionem parit, quæ eſt adhæſio intellectus alicui propoſitioni cũ formidine de oppoſito; nõ requiritur autem, quòd vtraq; præmiſſa ſit probabilis, ſed ſufficit vna, concluſio enim ſequitur debiliorem partem, ſicuti ad inferendam concluſionem falſam, ſufficit ſi vna præmiſſarum ſit falſa.

Propoſitio probabilis eſt, quæ videtur vera, vel omnibus hominibus, tàm ſapientibus, quàm rudibus, vel plurimis, vel ſolùm ſapientibus, & his, vel præſtantioribus, vel majori parti, vel omnibus, quæ apparẽtia veritatis nõ ſe tenet ex parte rei; ità vt detur aliqua propoſitio quæ in ſe nec vera ſit, nec falſa, hoc enim implicat, nam veritas, & falſitas cõtradictoriè opponuntur, ſed totum hoc oritur ex parte intellectus, quatenus veritas vel falſitas illius propoſitionis non ità euidenter percipitur, vnde fit, vt propoſitio illa vni intellectui propter aliquas rationes appareat vera, alteri verò, ex alijs appareat falſa, immò & eſſe poteſt quòd aliqua propoſitio ſit in ſe neceſſaria, ſed quia intellectus non euidenter illam neceſſariã connexionem percipit, ignorans cauſas talis connexionis, non habebit ſcientiam de illa propoſitione, ſed opinionem.

Ex his apparet, quomodò Syllogiſmus Topicus à Demonſtratiuo, & Elencho differat; ille enim procedit ex propoſitionibus veris, certis, & euidentibus; Elenchus autem ex propoſitionibus falſis in ſe, quę veræ apparent, nõ ſapientibus, neq; cum fundamento aliquo veritatis; Topicus verò procedit ex probabilibus, apparentibus veris ſapiẽtibus, ob fundamentum aliquod, & conſimilem rationem veritatis. Et dicitur Syllogiſmus iſte Dialecticus, quia Dialectica licèt totã Logicam ſignificet, peculiariter tamẽ huic parti adſcribitur, ex eo quia logici hac parte benè imbuti de rebus omnibus probabilibus, ac incertis copioſam poſſunt diſputationẽ inſtituere. Dicitur etiam Topicus, quia Topos apud Græcos, idem ſonat, quod locus apud latinos, quia in hac pars Logicę omnia loca traditur, vt quibus media deſumuntur ad probabiles opiniones eliciendas.

Materia huius Syllog. duplex eſt, ſicut & aliorum, ſcilicèt remota, & proxima; remota ſũt termini, proxima ſunt propoſitiones, quas Ariſt. appellat problemata dialectica, & propoſitiones dialecticas; materiam verò remotã vocat prædicata Topica, & quatuor ab eo aſſignantur 1. Top. c. 4. nempè Definitio

nitio, ſeù terminus, Genus, Proprium, & accidẽs. Definitio, eſt *oratio explicans quidditatem, & eſſentiam rei*, & dicitur terminus, quia ſicut terminus agrorum in ſe claudit quidquid ad agros ſpectat, ità definitio continet quicquid ad eſsẽtiam definiti pertinet. Gen' eſt, *quod prædicatur de pluribus differ. ſpecie in quid.* Proprium eſt, quod *non indicat rei eſſentiam, ſoli autem ineſt, & cõuerſim prædicatur*. Accidens eſt, *quod nec eſt definitio, nec genus, nec proprium, ſed poteſt ineſſe, & non ineſſe rei*; ex quibus ſumpſit Porphyrius definitionem quinque predicabilium.

Sufficientia horum prædicatorũ innuitur ab Ariſt. loc. cit. omne .n. prædicatum, vel conuenit ſubiecto conuertibiliter, vel inconuertibiliter; ſi primum, aut eſſentialiter, & ſic eſt definitio, aut accidentaliter, & ſic eſt proprium, ſi ſecũdum, aut eſſentialiter, & ſic eſt genus, aut accidentaliter, & ſic eſt accidẽs. Problema dialecticum eſt quæſtio de vtraquè parte contradictionis, vel contrarietatis, vt: An homo ſit animal, vel nõ; An terra ſit frigida, vel calida. Propoſitio dialectica eſt interrogatio de vna tantũ parte quęſtionis, vt: An terra ſit frigida. Hinc problema dialecticum, & propoſitio dialectica differunt ſicut pars, & totum, Problema enim explicitè vtramque partem quærit, Propoſitio autem vnam explicitè, alteram implicitè, & diuidi etiam poſſunt iuxta diuerſitatem materiarũ, quæ in ſciẽtijs tractantur, vt aliud ſit problema Methaphyſicũ, aliud Phyſicum, aliud Speculatiuum, aliud Morale &c.

*De locis Topicis intrinſecis.*

*Caput II.*

Locus Topicus eſt ſedes argumenti, vel illud, à quo conueniens elicitur argumentum ad propoſitam quæſtionem; & per argumentum hic intelligitur medium Topicum, quia in his locis reponũtur quædam maximæ, & propoſitiones vniuerſales tantæ dignitatis, vt ab omnibus concedantur, in quibus virtualiter cõtinentur aliæ propoſitiones, quæ vim inferendi concluſionem ab eis accipiunt. A Summuliſtis locus diuidi ſolet in locum maximam, & in locum differẽtiam maximæ, locus maxima, eſt propoſitio illa vniuerſalis, qua nulla eſt alia prior, & notior in illo genere, ſed eſt ex terminis nota, ipſique multæ innituntur argumẽtationes, *vt: De quocumque dicitur definitio, dicitur & definitum*. &c. locus differentia maximę, ſunt termini illi, quibus ipſę maximæ inter ſe differunt, & ex quibus conficiũtur, ſic definitio, & definitum dicũtur loci differentiæ maximæ, per quos terminos, maximæ inter ſe diſtinguũtur; hinc prima dicitur eſſe in loco à definitione ad definitum, altera à ſpecie ad genus &c.

Locus differentia maximæ prima ſui diuiſione triplex eſt, intrinſecus, extrinſecus, & medius, quorum quilibet alias patitur ſubdiuiſiones, de quibus modò breuitèr agen-

agendum. Locus intrinſecus eſt cũ argumenta ſumuntur ab his, quæ ad rei ſubſtantiam, ſeu eſſentiam pertinet, qui locus duplex eſt, vnus à ſubſtantia, alter à concomitantibus ſubſtantiam. Locus à ſubſtantia eſt, quandò argumentum ſumitur ab his, quæ ad eſſentiam pertinẽt, & conuertibiliter ſe inferunt, quomodò ſunt definitio, & definitum ſecundùm communiorem ſententiam, & per definitionem non ſolũ intelligitur definitio propriè dicta, quæ per ſolum genus, & differentiam explicat eſſentiam, ſed etiam deſcriptio, & interpretatio nominis.

Deſcriptio eſt per genus, & propriũ, quod fluit à principijs intrinſecis, vt homo eſt animal riſibile, diſciplinæ capax; aut per accidentia communia, quæ ſunt à principijs indiuidui, vt: homo eſt animal bibes, manſuetum, capite erecto incedens; aut per cauſas extrinſecas, vt homo formatus eſt limo terræ, inſpiratus vita, vt mereatur vitam æternam, &c.

Interpretatio eſt explicatio nominis, & duplex eſt, quædam quæ cum interpretato conuertitur, vt Phyloſophus eſt amator ſapientię, & amator ſapientiæ eſt Phyloſophus; Altera, quę non conuertitur, vt lapis interpretatur lædens pedes, multa tamẽ pedes lædunt, quę non ſunt lapides; in præſenti loquimur de primo.

Locus à definitione ad definitũ eſt habitudo identitatis, ſeu conuertibilitatis ipſorum ad inuicem, & quatuor maximæ eliciuntur, duę affirmatiuæ, & duæ negatiuæ, Prima eſt: *De quocumque prędicatur definitio, prædicatur, & definitum*: Vt: Petrus eſt animal rationale, ergo eſt homo. Secũda: *Quicquid prędicatur de definitione, prędicatur de definito*, vt: Animal rationale eſt admiratiuum, ergo homo eſt admiratiuus. Tertia Negatiua: *A quo remouetur definitio, remouetur, & definitum*, vt: lapis non eſt animal rationale, ergo lapis nõ eſt homo. Quarta negatiua: *Quicquid remouetur à definitione, remouetur à definito*, vt: Animal rationale non eſt planta, ergo homo non eſt planta. Idem dicendum eſt de deſcriptione, & deſcripto, de interpretatione, & interpretato, & quia definitio, & definitum conuertibiliter dicuntur, poſſunt etiam aliæ quatuor maximę formari à definito ad definitionem, ſcilicet: *De quocumque prædicatur definitum, prædicatur etiam, & definitio*, &c. ſic etiam de deſcriptione, & interpretatione.

Eſt tamen aduertendum, quòd vt iſtæ maximę verificentur, requiritur, vt termini nõ ſupponant materialiter, aut ſimpliciter, ſed abſolutè, vel perſonaliter; vnde non valet: animal rationale eſt oratio, ergo homo eſt oratio; animal rationale eſt definitio, ergo hõ eſt definitio. Neque accipi debent in propoſitionibus, in quibus inuoluitur actus intellectus interior, & ita nõ ſequitur: ſcio Petrum eſſe hominẽ,

ergo

Digitized by Google

ergo ſcio Petrum eſſe animal rationale, fit enim tranſitus ab eſſe rei, ad ſcientem rem, & ab eo, quod eſt, ad id, quod ſcitur.

Locus à concomitantibus ſubſtantiam deſumitur ab illis terminis, qui inter ſe non conuertuntur, ſed potiùs vnus in alio includitur aliquo modo eſſendi in, & ſunt Octo, ſcilicèt à Toto, à Parte, à Cauſa, ab Effectu, à Generatione, à Corruptione, ab Vſibus & à communiter Accidentibus; Pars enim eſt in toto, & totum dicitur eſſe in parte, Effectus dicitur eſſe in cauſa, Generatio dicitur eſſe in re genita quia eſt via in formam, & generatio vnius, eſt corruptio alterius, Vſus dicitur finis rei, & res eſt in ſub fine, & tandem accidẽtia communia ſunt in ſubiecto.

Et quia totum relatiuè refertur ad partes, quot modis dicitur totum, tot etiam dicitur pars; totum autem multiplex eſt, ſcilicet Vniuerſale, Integrale, Quantitatiuum, in Modo, ſeu modale, in loco, ſeu locale, & in tempore, ſeu temporaneũ, & eodẽ modo diuiditur pars.

Totum Vniuerſale eſt omne ſuperius reſpectu inferioris in linea prædicamentali, & pars huius totius eſt eius inferius, & minus commune, & dicitur pars ſubiectiua. Hinc ponitur maxima: *A quocumque remouetur totum vniuerſale, quælibet eius pars remouetur*; quod idem eſt ac dicere: valet arguere deſtructiuè à negatione ſuperioris, ad negationem inferioris, vt non eſt animal, ergo non eſt homo, non eſt equus, &c. Et ratio eſt, quia ſuperius includitur eſſentialiter in inferiori, & ideò vbi non eſt ſuperius, nec inferius poterit eſſe. A toto vniuerſali ad partem ſubiectiuam affirmatiuè non valet, niſi in propoſitionibus per ſe, ſiuè ſit ſubiectum, ſiuè prædicatum, in alijs autẽ non, niſi ſub disiũctione, vt animal eſt corpus, ergo homo eſt corpus, aquila eſt corpus; animal currit, ergo vel homo, vel leo currit, &c. Hinc patet, quòd à toto vniuerſali ad partẽ ſubiectiuã non poſſumus habere regulã niſi primã, quòd ſcilicèt valet arguere à negatione ſuperioris, ad negationẽ inferioris. Aliæ verò regulæ limitantur, ſignũ manifeſtum quòd non tenet gratia formæ, ſed gratiâ materiæ.

A parte ſubiectiuà ad totum vniuerſale, tenet affirmatiuè, non deſtructiuè, vnde sũt duæ maximæ: *Quicquid prædicatur de inferiori, prædicatur de ſuperiori*, vt homo eſt ſenſibilis, ergo omne animal eſt ſenſibile: *De quo dicitur inferius, dicitur ſuperius*, vt Petrus eſt homo, ergo eſt animal; ratio huius eſt, quia ſuperius ſemper continetur in inferiori, itàut inferius ſine illo reperiri non poſſit, ſuperius autẽ poteſt ſine inferiori reperiri, & ideò nõ valet, nõ eſt homo, ergo nõ eſt animal, cũ animal ĩ alijs ſpecieb' ſaluari poſſit.

Dices, hęc valet: eſt ens, ergo eſt Deus, ergo à ſuperiori ad inferius tenet conſequentia affirmatiuè. ℞. quòd ſi ens ſupponat pro ente in vni-

vniuerſali, tenet gratia materiæ propter ſummam Dei neceſſitatē in eſſendo, non gratia formæ.

Totum integrale eſt corpus cōſtans ex partibus quantitatem habentibus, quæ ſunt duplicis generis, aliæ principales, ſine quibus totum conſiſtere nequit, vt Caput, Cor, reſpectu hominis, paries, tectum, fundamēta reſpectu domus. Aliæ minus principales, ſine quibus totum conſiſtere poteſt, vt digitus in homine, feneſtra in Domo &c. A toto ad partes principales tenet affirmatiuè in prædicatis de eſt ſecūdo adiacente, vt: eſt domus, ergo eſt paries, ergo eſt tectum, nō tamen ſequitur: domus valet centum, ergo paries valet centum, qa non eſt de ſecundo adiacente; Vndè eſt maxima: *Poſito toto integrali, ponitur quælibet eius pars principalis*, non tamen tenet negatiuè non eſt domus, ergo non eſt paries, ratio eſt, quia eſtò ad poſitionem poſterioris requiratur poſitio prioris, non tamen ad deſtructionem poſterioris, ſequitur neceſſariò deſtructio prioris.

A parte integrali ad totum tenet negatiuè de partibus principalib⁹ vt nō eſt paries, ergo nō eſt domus, maxima eſt: *Deſtructa parte principali integrali, deſtruitur, & totū*, nam ad deſtructionem prioris, ſequitur deſtructio poſterioris, affirmatiuè autem non valet, niſi ponantur partes omnes principales, & vnitæ, vt ſunt tectum, parietes, fundamentum, ergo eſt domus.

Totum in quantitate, eſt terminus communis cum ſigno vniuerſali, vt: omnis homo, nullus lapis, &c. pars in quantitate eſt ille terminus cū ſigno particulari, vt: aliquis homo, vel inferiora contenta ſub illo termino communi. A toto in quantitate ad partes tenet conſequentia, tàm affirmatiuè, quàm negatiuè, ſiuè ſit ſubiectum, ſiuè prædicatum, hoc enim totum diſtribuit pro omnibus, & ſingulis inferioribus, & formantur hæ maximæ: *Quicquid affirmatur, vel negatur de toto in quantitate, affirmatur, vel negatur de omnibus, & ſingulis partibus*, vt: omnis homo currit, ergo Petrus currit, Paulus currit, &c. Alia maxima: *De quo affirmatur, vel negatur totum in quantitate, affirmantur, vel negantur eius partes*, vt: lapis nullum habet ſenſum, ergo nec habet viſum, nec auditum, nec guſtum, &c.

A partibus in quantitate, tenet conſequentia, tàm affirmatiuè, quā negatiuè, tàm à parte ſubiecti, quā à parte prædicati, ſi omnes ſimul ſumantur, & ſunt duæ maximæ in genere, & quatuor in ſpecie, ſicut diximus de toto, ſcilicèt: *Quicquid affirmatur, vel negatur de omnibus partibus ſimùl ſumptis, affirmatur, vel negatur de toto in quantitate*, vt: Petrus currit, Paulus currit, & ſic de alijs, ergo omnis homo currit. Secunda: *De quo affirmātur, vel negantur omnes partes ſimùl ſumptæ, affirmatur, vel negatur totum in quantitate*, vt: Petrus habet viſū, auditum, &c. ergo habet

bet omnem ſenſum.

Totum in modo, eſt terminus communis ſine aliqua determinatione ſumptus, vt: homo, Theologus, Philoſophus, &c. Pars in modo eſt terminus communis cũ aliqua determinatione acceptus, vt: homo albus, homo dicitur totum, quia ad plùs ſe habet, quàm modificatus per albũ. Hinc totum vniuerſale diſtinguitur à totò in modo, quia illud reſpicit inferiora eſſentialia, iſtud verò inferiora accidentalia, &c. eſt tamen ſciendum, quòd determinatio modificãs terminũ communẽ triplex eſt, alia eſt diſtrahens, quæ repugnat ſuo terminabili, & tollit rationem ſui terminabilis, vt: homo mortuus, pict⁹, &c. alia eſt diminuens, quæ nõ tollit omninò rationẽ illius, cui apponitur, ſed diminuit partem, vt homo cognitus, albus ſecundum dentes, &c. Alia eſt contrahens, ſeù reſtringens, & hæc non tollit, vel diminuit ſignificatum termini cõmunis, facit tamen ſtare pro paucioribus ſuppoſitis, vt: homo alb⁹; vt rectè inferatur à toto in modo ad partem, & è contra, modus ſumi debet in tertio ſẽſu; & tenet negatiuè, tã ex parte ſubiecti, quàm prædicati, vt: Plato non eſt lignũ, ergo non eſt lignum album; homo non eſt lapis, ergo homo albus nõ eſt lapis; nõ tamen affirmatiuè, vt: Plato eſt homo, ergo eſt albus, homo currit, ergo homo alb⁹ currit, niſi quo ad prædicata primi, & ſecundi modi, vt: homo eſt riſibilis, ergo homo albus eſt riſibilis, quæ conſequentia tenet gratia materiæ, hinc maxima: *Deſtructo toto in modo, deſtruitur quælibet eius pars.*

A parte in modo ad totum tàm in ſubiecti, quàm in prædicari tenet affirmatiuè, ſeù conſtructiuè, vt: homo albus currit, ergo homo currit: Paulus eſt homo albus, ergo eſt homo, maxima: *Quicquid prædicatur de parte in modo, prædicatur de ſuo toto; & De quocumque prædicatur pars in modo prædicatur, & ſuum totum.*

¶ Totum in loco, eſt dictio comprehendens aduerbialiter omnem locum, vt vbiquè, nullibì, &c. pars totius in loco, eſt dictio comprehendẽs aliqnem locum aduerbialiter, vt hìc, illìc; ſic etiam totum in tempore, eſt dictio aduerbialis comprehendens omne tempus, vt ſemper, nunquàm; pàrs totius in tempore eſt dictio aduerbialis denotans aliquam partem temporis, vt hodiè, heri, &c. ab iſtis totis ad partes tenet conſequentia tã affirmatiuè, quã negatiuè, vt: Deus eſt vbiquè, ergo eſt hìc: Antichriſtus nullibì eſt, ergo non eſt hìc: Deus ſemper eſt, ergo eſt hodiè, &c. & ſunt duæ maximæ: *Cuicumque conuenit totum in loco, vel in tempore, conuenit etiam pars: A quocumque remouetur totum in loco, vel in tempore, remouetur etiam pars.* A partibus verò in loco, & in tẽpore ad totum, valet negatiuè, vt: Plato nõ eſt hìc, ergo non eſt vbiquè, nõ eſt hodiè, ergo nõ fuit ſemper, maxima: *A quo remouetur pars in loco, vel in tempore*

*remouetur totũ in loco, vel in tempore.*

Locus à cauſa ad effectum, vel ab effectu ad cauſam eſt habitudo, quam hi termini ad inuicẽ habent, & quia cauſa quadruplex eſt, ſcil. Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis, ſic etiam quatuor loca ſumi poſſunt à cauſa, & ab effectu, &c. primo à cauſa efficiente ad effectũ arguitur reſpectu horum prædicatorum, ſcil. eſt, fit, bonum, & malũ, proportionaliter arguendo iuxta exigentiam habitudinis cauſæ ad effectum, & è contra; nimirum ſi eſt ſermo de cauſa in potentia, arguitur ad effectum in potentia, vt poteſt eſſe Philoſophus, ergo docere poteſt; ſi de cauſa in actu, ad effectum in actu, docens actu eſt, ergo addiſcens actu eſt; domificãs eſt bonus, ergo domus eſt, vel erit bona; eſt malus, ergo domus erit mala, quod tamen non eſt intelligendum de bonitate, vel malitia morali, vel entitatiua, ſed de bonitate, & malitia cauſæ, & effectus, ſcil. quatenùs cauſa efficiens eſt, & ex alio capite non adſit impedimentum, & dantur duæ maximæ à cauſa efficiente ad effectum, & duę ab effectu ad cauſam efficientẽ. ſ. *Poſita, vel remota cauſa efficiente in potentia, vel actu, ponitur, vel remouetur effectus in potentia, vel actu.* Secunda: *Poſita cauſa efficiẽte bona, vel mala, ponitur effectus bonus, vel malus;* & ex parte effect⁹: *Poſita, vel remoto effectu in potentia, vel in actu, ponitur, vel remouetur cauſa efficiens in potentia, vel in actu:* Secunda: *Poſito bono effectu, vel malo, ponitur cauſa efficiens, bona, vel mala.*

Cauſa materialis duplex eſt, vna permanens, vt ęs in ſtatua, alia trãſiens, vt ſemen in arbore, farina in pane, &c. & ſumũtur duæ maximę, Prima: *Poſita cauſa materiali, ponitur ſuus effectus poſſibilis*, vt poſito ferro, poſſibilis eſt gladius, & poſita farina poſſibilis eſt panis. Secũda: *Remota cauſa materiali, remouetur effectus*, vt remota farina, remouetur panis. Ab effectu etiam ad cauſam materialem, duæ ſumuntur maximæ, vna affirmatiua, vt: *Poſito effectu ponitur materiam permanentem eſſe, & transeuntem fuiſſe.* Secunda, negatiua, vt: *Remoto effectu remouetur cauſa materialis in actu, non tamen in potentia.*

A cauſa formali in actu ſumũtur duæ maximæ ad effectum, & è cõtra, quia ad inuicem infeгũtur, vt: *Poſita, vel remota cauſa formali, ponitur, vel remouetur effectus formalis.* V. g. albedo eſt, ergo album eſt, albedo non eſt, ergo album non eſt. Ab effectu quoque deſumitur ſimilis maxima; vt: *Poſito, vel remoto effectu ponitur, vel remouetur cauſa formalis*, vt album eſt, ergo albedo eſt. Dixi à cauſa formali in actu, quia poteſt eſſe aliqua forma ſeparata, quę nullũ effectum cauſet, vt accidẽtia in ſacramento Altaris, & anima ſeparata, à qua cauſa non valet effectum inferre.

A cauſa finali ad effectum accipitur locus in ordine ad iſta prædicata, bonum, & malum, & valet af-

firma-

Digitized by Google

firmatiuè, & negatiuè, & idem aſſerendum de loco ab effectu ad hanc cauſam, & ſumuntur iſtæ maximæ: *Cuius finis eſt bonus, vel malus, effectus eſt bonus, vel malus; Et ſi effectus eſt bonus, vel malus, finis eius erit bonus, vel malus;* Eſt tamen hìc aduertendum, quòd effectus finis præcipuè ſunt media ad ipſum finem conſequendum, quæ duplicia ſunt, alia quæ ex ſua natura proportionem ad finem habent, & ſecundum rectum dictamen rationis aſſumuntur; vt ſunt V.g. actiones meritoriæ ad conſequendam beatitudinem, deambulatio ad acquirendam ſanitatem, &c. Alia, quæ per accidens, & non ſecundùm rectum dictamen prudentiæ ad finem ordinãtur, vt ſi quis furtum committeret propter elemoſinam &c. regulæ aſſignatę valent de primis, non de ſecũdis.

Locus à generatione, eſt habitudo generationis ad genitum, & generatio hìc accipitur pro inceptione cuiuſcumque eſſe, ſiuè ſubſtantialis ſit, ſiuè accidentalis, & arguitur reſpectu prædicatorum boni, & mali, vndè eſt maxima: *Cuius generatio bona eſt, genitum bonum eſt; & cuius generatio mala eſt, genitum malum eſt,* vt generatio hominis eſt bona, ergo homo eſt bonus &c. & è cõtra argui poteſt à genito ad generationem, vt aurum eſt bonum, ergo generatio auri bona eſt, generatio furis eſt mala, ergo fur malus eſt, generatio, & origo eſt ipſum fieri rei, & forma fluens.

Corruptio, eſt deperditio alicuius eſſe, & quia non terminatur ad eſſe rei, ſed ad non eſſe, ideò ſumitur talis maxima: *Cuius corruptio eſt bona, corruptum eſt malum; & cuius corruptio eſt mala, corruptum eſt bonum;* ſi enim entitas rei eſt bona, carentia ipſius eſt mala, ſi entitas eſt mala, carentia erit bona; & eodem modo tenet à corrupto ad corruptionẽ, vt hæretici ſunt mali, ergo eorum corruptio eſt bona; Viri docti Eccleſiæ ſunt boni; ergo eorum corruptio eſt Eccleſiæ mala.

Sed dices: Mors Chriſti fuit bona Eccleſiæ, ergo Chriſtus fuit malus Eccleſiæ, quod falsũ eſt, & ideò falſa talis regula. Reſpondetur hoc ſolùm ſequi ratione materiæ, & ab extrinſeco, in tantùm enim mors Chriſti fuit bona, quatenùs fuit à Deo ad noſtram ſalutem ordinata; Sic etiam Sancti ſunt boni, & tamẽ ipſorum mors prætioſa eſt, quatenùs ad merendam vitam æternam ordinatur.

Vſus, eſt exercitiũ alicuius rei, quę res vſitata dicitur, & ab vſu ſumitur locus, vt à cauſa finali reſpectu mediorum in ratione boni, & mali, nam cuius vſus bonus eſt, ipſum bonum eſt, &c.

Et tandèm communia accidentia ſunt duplicia; alia, quæ nõ ſemper ſe cõſequuntur, vt eſſe calidũ, eſſe album, &c. alia, quæ ſaltèm, vt plurimum ſe inferunt, & hoc dupliciter, vel pro eodem tempore, vt eſt interpoſitio terræ, & Eclipſis Lunæ, vel pro alio tempore, vt ſunt vita, & mors, conceptio, & partus, &c. à

&c. à primis non deſumitur locus, ſed à ſecundis, & ſi pro eodem tẽpore inferuntur, tenet conſequentia ab vno ad aliud, tàm affirmatiuè, quàm negatiuè, vt interpoſitio terræ eſt inter Solem, & Lunam, ergo Eclipſis eſt; & è cõuerſo, Eclipſis eſt, ergo interpoſitio terrę inter Solem, & Lunam eſt; Si verò pro diuerſis temporibus ſe inferunt, tunc tenet affirmatiuè à poſitione poſterioris, ad poſitionem prioris, & non è contra, vt peperit mulier, ergo cõcepit, mortuus eſt, ergo vixit; negatiuè autẽ arguitur à deſtructione prioris, ad deſtructionem poſterioris, vt non concepit, ergò neque peperit, &c.

### *De locis Extrinſecis.*

### *Caput III.*

LOcus extrinſecus eſt, cùm terminus inferens non eſt in illato ſecundùm aliquem modum eſſẽdi in, ſed eſt prorſus extra aliũ, & ſunt ab Oppoſitis, à Maiori, à Minori, à Simili, à Proportione, à Transũptione, & ab Auctoritate.

Locus ab Oppoſitis, eſt habitudo vnius oppoſiti ad aliud; & quia ex dictis, oppoſitio quadruplex eſt, ſ. Relatiua, Contraria, Priuatiua, & Contradictoria, ab his omnibus ſumuntur maximæ. De Oppoſitis tamẽ in communi aſſignãtur duæ maximæ, omnibus conuenientes. Prima: *De quo tempore affirmatur vnum, negatur alterum reſpectu eiuſdem, & ſecundum idem*, & hoc ponitur, quia idem poteſt eſſe Pater, & Filius reſpectu diuerſorũ, & idẽ poteſt eſſe mouẽs, & mobile reſpectu eiuſdem formæ, vt cùm V. g. aqua redit ad priſtinam frigiditatẽ, ſed nõ ſecundum idem, quia aqua eſt mouens, vt eſt in actu virtuali, & actiuam habet potentiã, eſt autẽ mobilis, vt eſt in potentia paſſiua. Secunda maxima: *Oppoſitis oppoſita conueniunt*; vt ſi virtus eſt bona, vitium eſt malum, &c. quæ tamen regula intelligi debet, vt antecedẽs ſit per ſe, non per accidẽs, vnde non valet, album eſt dulce, ergo nigrum eſt amarum, &c.

A relatiuè oppoſitis tenet, tàm affirmatiuè, quàm negatiuè, quo ad verbum eſt de ſecundo adiacẽte, & aſſumitur maxima: *Poſito, vel remoto vno relatiuo, ponitur, vel remouetur alterum*, vt ſi Pater eſt, Filius eſt, ſi Pater nõ eſt, Filius nõ eſt.

Cõtraria, alia ſunt mediata, alia immediata, prima ſunt, quę mediũ habẽt ſecundùm formam, vt albũ, & nigrum, inter quæ mediant colores medij, vt viridis, rubeus, &c. ſecũda ſũt, inter quæ nulla forma mediat per participationẽ extremorũ, vt ſanitas, & ægritudo, &c.

A mediatis arguitur affirmatiuè, & eſt maxima: *Poſito vno contrario in ſubiecto, remouetur alterum*; vt eſt album, ergo non eſt nigrum, non tamen è conuerſo, non eſt nigrum, ergo eſt album, &c. ab immediatis tenet etiam negatiuè, vt remoto vno in ſubiecto exiſtente, & capaci ponitur alterum, vt non eſt ſanus, ergo ægrotus. Diximus in ſubiecto exiſtente, quia non ſe-

quitur

quitur Antichriſtus non eſt ſanus, ergo eſt æger. Diximus in ſubiecto capaci, quia non valet, lapis non eſt ſanus, ergo eſt æger, &c.

A priuatiuè oppoſitis, cõſequẽtia tenet affirmatiuè, vndè maxima: *Poſito vno in ſubiecto, remouetur alterum*; non tamen tenet negatiuè, niſi ſit conſtantia ſubiecti, eius capacitas, & tempus determinatum, quia Catulus ante nonũ diem non eſt videns, non tamen eſt cæcus, quia adhuc non habet tempus determinatum à natura ad videndum; & ſumitur maxima: *Remoto vno priuatiuè, ponitur alterum*; vt Aër non eſt lucidus, ergo eſt tenebroſus, &c.

Contradictoriè oppoſita, alia ſunt incomplexa, vt ſunt termini, quorum vnus eſt finitus, alter infinitus, vt homo, non homo; Alia complexa, & ſunt propoſitiones, quarum vna eſt affirmatiua, alia negatiua de eisdem terminis. In primis poteſt dari medium in propoſitionibus, ſumptis cum aliqua determinatione, vt inter album, & non album datur homo, qui in quantùm homo, nec eſt albus, nec non albus, & ideò non valet arguere ſemper à poſitione, vel negatione vnius, ad poſitionem, vel negationem alterius; in ſecundis nullũ poteſt dari medium, atquè ideò poſſumus in ipſis arguere tàm affirmatiuè, quàm negatiuè reſpectu horum prædicatorum, ſcilicèt veri, & falſi, vndè eſt maxima: *Si vnũ contradictorium eſt verum, alterum eſt falſum*, vt verum eſt me legere, ergo falſum eſt me non legere.

Oppoſita Diſparata ſunt, quæ ad inuicem non poſſunt verificari, vt homo, & leo, & ab iſtis argui poteſt affirmatiuè, vt eſt homo, ergo non eſt leo, non tamen negatiuè, vt non eſt homo, ergo non eſt leo. Eſt tamen hìc aduertendũ ex Tatar. quòd hæc diſparata non debẽt ſubijci in propoſitione, quia ſic nõ rectè argueretur, vt homo eſt animal, ergo leo nõ eſt animal; & quãuis in ſubſtantijs argui poſſit in terminis concretis, non tamen in accidentibus, niſi in abſtractis, vt eſt albedo, ergo non eſt nigredo, non eſt rubedo, &c. non autem valet, lac eſt albũ, ergo non eſt dulce.

Locus à maiori ad minus, & à minori ad maius, eſt habitudo horum terminorum; vbi per maius intelligi debet id, quod maiorem habet apparẽtiam, & probabilitatem eſſendi, & conueniendi alicui ſubiecto; per minus verò intelligitur illud, quod habet minorem apparentiam, & conuenientiam, & fit tripliciter; Primò comparando ſubiectum duobus prædicatis, vt nõ poteſt Rex expugnare Ciuitatem, ergo non poteſt Regnum; Secundò comparãdo vnum prædicatum ad duo ſubiecta, vt non poteſt Rex expugnare Ciuitatem, ergo neq; miles; Tertiò comparando duo prædicata ad duo ſubiecta, vt non poteſt Dux expugnare Ciuitatem, ergo nequè miles Regnum; & quomodocumquè fiat à maiori, ad mi-

nus tenet negatiuè, & aſſumitur hæc maxima: *Si id, quod magis videtur ineſſe, non ineſt, neque quod minus videtur ineſſe, inerit.*

Locus à minori ad maius tenet affirmatiuè,& fit tripliciter, vt ſupra; Primo comparãdo ſubiectum duobus prædicatis, vt poteſt Rex expugnare Ciuitatem munitam, ergo & præſidio deſtitutam; Secũdò comparando vnum prædicatũ duobus ſubiectis, vt poteſt miles expugnare Ciuitatẽ, ergo & Rex; Tertiò comparando duo prædicata duobus ſubiectis, vt poteſt miles expugnare Ciuitatem munitã, ergo & Rex Ciuitatem præſidio carentem; & datur iſta maxima: *Si quod minus videtur ineſſe, ineſt ergo quod magis videtur ineſſe, inerit.* Eſt tamen aduertandum, quòd hæc nõ tenet, miles poteſt ferre decem, ergo & Rex; quamuis enim videatur argui à minori ad maius ob maiorem Regis potentiam, reuerà tamẽ arguitur à maiori ad minus, quia probabiliùs eſt militem poſſe maiorem ſuſtinere laborem, quã Rex, & per maius, & minus intelligimus maiorem, & minorem probabilitatem, vt diximus.

Locus à ſimili confunditur cum loco à proportione; ſi ſimile accipiatur non pro conuenientia ſolũ in qualitate, ſed pro quacumque, & ſi arguatur quo ad illa, in quibus eſt ſimilitudo, & proportio, tenet tàm affirmatiuè, quàm negatiuè, & eſt maxima: *De ſimilibus, & proportionalibus eſt idem iudicium*, vt V. g. ſicut ſe habet Rex in Regno, ità Epiſcopus in ſua Diœceſi, & Generalis in Religione, ſed Rex debet eſſe prudens, & ſapiens, ergo &c.

Ab hoc loco deſumitur modus arguendi à commutata proportione, & aſſignantur duæ regulæ ex Doct. in 1. d. 36. lit. K. & in 4. d. 34. q. 3. G. prima, quòd accipiantur quatuor termini, & primus cõparetur cum ſecundo, tertius cum quarto, deindè commutãdo, vt primus comparetur cum tertio, & ſecundus cum quarto, vt ſicut ſe habent duodecim ad ſex, ita octo ad quatuor, modò commutando ſic, ergo ſicut ſe habent duodecim ad octo, ità ſex ad quatuor, ſed inter ſex, & quatuor, eſt proportio ſexquialtera, ergo inter duodecim, & octo eſt proportio ſexquialtera. Proportio ſexquialtera eſt, quandò continet totum, & medietatem ipſius, & in numeris ſemper valet.

Secunda regula eſt, quòd quandò fit in alijs rebus, fieri debet in terminis conuertibilibus, & contradictorijs, nec vnum ſit ſuperius, alterum inferius, in alijs verò non neceſſariò tenet; hinc non valet, ſicut ſe habet ſuperficies ad hãc ſuperficiem, ità color adhũc colorẽ, ergo cõmutando, ſicut ſe habet ſuperficies ad colorem, ità hæc ſuperficies ad hunc colorem; ſed ſuperficies nõ poteſt eſſe ſine colore, ergo neque hæc ſuperficies ſine hoc colore; non valet, quia termini nõ ſunt contradictorij, ſed poſitiui: Neque hęc valet, ſicut ſe habet homo ad

mo ad non hominem, ità animal ad non animal, ergo commutãdo, ſicut ſe habet homo ad animal, ità non homo, ad nõ animal, ſed quod eſt homo, eſt neceſſariò animal, ergo quod eſt non homo, eſt neceſſariò non animal, non valet; & ratio eſt, quia licèt termini contradicãt, ſe habent tamen vt ſuperius, & inferius, & ideo ait Scot. quòd in tali caſu non debet comparari ſecũdus ad quartum, ſed quartus ad ſecundum, nam ab inferiori ad ſuperius non tenet deſtructiuè, ſed benè à ſuperiori ad inferius; quandò verò ſeruantur datæ regulæ, valet commutata proportio, vt ſicut ſe habet homo ad non hominem, ità rationale ad non rationale, ergo ſicut ſe habet homo ad rationale, ità non homo ad nõ rationale, ſed Bucefalus eſt non homo, ergo eſt non rationalis, vndè eſt maxima: *De ſimilibus, & proportionalibus idem Iudicium ferendum eſt.*

Locus à tranſumptione dupliciter aſſumi poteſt, vno modo quandò aliqua vox ſumitur ad ſignificandum ſignificatum alterius vocis, ob quandam ſimilitudinem, & analogiam in illis repertam, & dicitur methaphora, vt cùm riſus attribuitur prato florido; Altero modo, quandò vnum nomẽ minus notum declaratur per aliud magis notum, & in hoc ſenſu ſumitur hic; & non eſt idem cum nominis definitione, quia definitio nominis conuertitur cum definito, vt Philoſophus cum Amatore ſapientiæ, In tranſumptione autem ſolùm decipitur nomẽ notius, vt ſiquis Philoſophum vocaret ſapiẽtem, & tenet affirmatiuè, & negatiuè, vndè eſt maxima: *Quicquid alicui conuenit, vel diſconuenit ſub nomine magis noto, conuenit, vel diſconuenit illi ſub nomine minus noto*, vt ſapiens ſtudet, ergo Philoſophus ſtudet, &c.

Et tandèm, Authoritas eſt iudicium ſapientium in propria ſcientia, vndè locus ab auctoritate hanc habet maximam: *Cuicumque experto in ſua ſcientia eſt credẽdum, & quo magis expertus eſt, eo minus falli poteſt*; Et perconſequens, maiorẽ infert probabilitatem; hinc quia Deus falli nequit, aut mentiri, idcircò authoritas diuina maximã inducet certitudinem, & tenet affirmatiuè, vt Aſtrologus aſſerit Cælos eſſe mobiles, ergo ſunt mobiles; negatiuè non valet ab Authoritate negata, vt Ariſt. non ait expreſsè animam rationalem eſſe immortalem, ergo non eſt immortalis, non valet, tenet autem ab Authoritate negatiua, quandò ab aliquo ſapiente expreſsè aliquid negatur, vt Ariſtot. negauit dari infinitum, ergo non datur.

## De locis medijs.

### Caput IV.

Locus medius eſt, quandò termini inferens, & illatus partim conueniũt, & partim differũt, vel ſe habent, vt membra diuidentia, & ſunt tres, ſcilicèt à Coniugatis, à Caſibus, à Diuiſione. Coniugata dicuntur à iugo, & ſunt quaſi-

ſi ſimul iugata, ideſt habētia idem iugum ſignificationis, idem enim habent ſignificatum principale, licèt differant in modo ſignificandi, & ſunt denominantia, & denominatiua, à quibus parum differunt caſus, quia coniugata ſunt nomina ab vno prouenientia, vt ſapiens à ſapientia: Caſus verò ſunt ſiuè nomina, ſiuè verba, ſiuè aduerbia, ab vno deriuantia, vt bonum, & benè à bonitate; & ſapiens, & ſapienter à ſapientia; à Coniugatis igitur, & Caſibus arguitur affirmatiuè, & negatiuè, & datur maxima: *Quidquid conuenit, vel repugnat vni coniugatorum, & caſuum, ineſt, vel non ineſt reliquum*, vt album eſt coloratum, ergo albedo eſt color, iuſtum eſt bonum, ergo quod iuſtè fit, benè fit.

Vt autem relata maxima verificetur, plures ſolent aſſignari regulæ. Prima, quòd non fiat in terminis vltimatè abſtractis, ideò nō valet, albedo eſt color, ergo albedineitas eſt coloreitas, homo eſt animal, ergo humanitas eſt animalitas. Secunda, quòd valet in prædicatis per ſe, maximè ſi affirmatiuè procedatur, ideò non valet, albū eſt dulce, ergo albedo eſt dulcedo, neque valet negatiuè ab abſtractis ad concreta, vt albedo non eſt dulcedo, ergo album non eſt dulce; à concretis ad abſtracta negatiuè ſemper tenet, vt iuſtum non eſt malum, ergo iuſtitia non eſt malitia. Tertia regula, quòd circa formam non ſit factum aliquod miraculum, vt ſi albedo eſſet à ſubiecto ſeparata, ideò non valeret, albedo eſt color, ergo album eſt coloratum.

Locus à diuiſione tenet tàm cōſtructiuè, quàm negatiuè, & aſſignantur iſtæ maximæ: *Ab affirmatione diuiſi de aliquo, cum negatione alterius membri de eodem, tenet conſequentia*; vt eſt animal, ergo vel rationale, vel irrationale, nōn eſt irrationale, ergo rationale. Diximus ab affirmatione diuiſi de aliquo, quia ſubiectū debet contineri ſub diuiſo, & ſub illo genere, & ideò nō valet, lapis non eſt animal rationale, ergo eſt animal irrationale. Si etiam ſubiectum diuiſum habet plura membra, à negatione vnius non ſequitur affirmatio alterius, vt eſt canis, & non eſt celeſtis, ergo marinus. Alia maxima: *Poſito vno membrorum diuidentium in aliquo ſubiecto, remouetur alterum*: Vt homo eſt rationalis, ergo non eſt irrationalis, multa alia hìc adduci ſolent à Doctoribus, ſed pro noſtro inſtituto hæc ſufficiant.

# TRACTATVS Sextus.

## *De Syllogiſmo Sophiſtico.*

## *De fallacijs in dictione.*

### Caput Primum.

PRo complemento harū inſtitutionum logicalium, remanet tandèm, vt de Syllogiſmo Sophiſtico, ſeu Litigioſo aliquid agamus, non vtiquè, vt eo vtendo in arguendo poſſimus aliquem decipere,

pere, hoc enim indignum eſt vero Philoſopho, ſed vt inſidias, & ſophiſtarum captiones euitare poſſemus; Hinc dignè Ochã 4. p. partis tertiæ ſuæ logicę c. 1. ait, Nemo ſiuè naturalem Philoſophiam, ſiuè Moralem, Ius Ciuile, aut Canonicum, Methaphyſicam, aut Theologiam perfectè acquirere poteſt ſinè notitia fallaciarum, imò neceſſè eſt hæc ignorans in multos errores prolabi; nullus enim euitare poteſt malum, quod nõ cognoſcit; eſt igitur ſyllogiſmus Sophiſticus, deceptorius ex apparentibus veris concludens errorem, quæ tamen vera non ſunt, hinc ſi daretur ſyllogiſmus patentèr falſus, vt iſte, omne animal eſt lapis, ſed homo eſt animal, ergo eſt lapis; talis ſyllog. non diceretur ſophiſticus, ſed falſus formaliter.

Fallacia in cõmuni diuiditur in fallaciam in dictione, & extra dictionem. Fallacia in dictione eſt, cuius cauſa apparẽtiæ ſumitur ex parte dictionis, quatenus eiſdẽ ſignis non ſignificatur vnũ, ſed plura; Vndè Dictio in præſenti accipitur tàm pro termino complexo, ſeu oratione, quàm pro incõplexo, & huius ſex ſunt ſpecies, ſ. fallacia Æquiuocationis, Amphibologiæ, Compoſitionis, Diuiſionis, Accentus, & Figurę dictionis. Fallacia extra dictionẽ eſt, quæ ſumit cauſam apparentiæ ex parte rerũ, propter ignorantiam plurium habitudinum, quas habent ad inuicẽ; Hinc prima ſumit cauſam apparẽtiæ ex parte multiplicis ſignificationis; ſecunda verò ex parte multiplicis habitudinis rerum ſignificatarum, & huius ſeptem ſunt ſpecies, ſ. Accidens, Secundum quod ad ſimpliciter, Ignorantia Elẽchi, Petitio principij, Conſequens, Nõ cauſa, vt cauſa, & Secundum plures interrogantes, vt vnam.

Prima igitur fallacia in Dictione, eſt fallacia Æquiuocationis, & eſt idoneitas decipiendi ex vnitate vocis, diuerſa omninò ſignificantis; hinc cauſa apparentiæ eſt vnitas vocis; Cauſa deceptionis eſt pluralitas ſignificatorũ, & poteſt contingere triplicitèr; primò ſi aliquis terminus eſt æquiuocus à caſu, & eſt cùm plura immediatè ſignificat abſq; aliqua Analogia, & in vna præmiſſarum ſupponit pro vno, & in altera pro altero, vt patet de cane cæleſti, terreſtri, & marino, vt, omnis canis latrat, ſed lydus cæleſtis eſt canis, ergo latrat, vt iſtæ præmiſſæ ſint veræ, ly canis in maiori ſupponere debet pro cane terreſtri, in minori pro cæleſti, & in hoc ſenſu argumentum conſtat ex quatuor terminis; vel ſi pro vno tantùm ſupponit, vna illarum eſt falſa. Secundò accidere poteſt cùm aliquis terminus eſt æquiuocus à Conſilio, & cum Analogia admixtus, plura ordine quodam ſignificans, quatenùs propriè vnũ ſignificat, alterum verò per methaphoram, & per tranſumptionem, vt quod ridet habet os, prata ridẽt ergo habent os. Tertiò quandò

vna

Digitized by Google

vna dictio per ſe accepta vnum ſignificat, ſed ſumpta cum alia, plura ſignificat, vt V.g. mortale ſignificat quòd poteſt mori, at ſumptū cum præpoſitione in, poteſt ſignificare; vel quòd poteſt non mori, in quo ſenſu negat actum moriendi, vel quòd nō poteſt mori, in quo sēſu negat actum, & potentiam ad moriendum; Vndè ſi arguatur omne immortale eſt æternum, ſed Adā fuit immortalis, ergo ęternus, eſt fallacia, nam maior eſt vera de immortalitate ſimpliciter, quę negat actum, & potētiam, minor verò intelligitur de immortalitate, quæ ſolùm negat actum, quatenùs Adam ex ſpeciali Dei priuilegio poterat non mori, ſi non peccaſſet; Hùc ſpectat æquiuocatio prouenięns ex ampliatione, vt qui curabatur ſanus eſt, ęgrotus curabatur, ergo ęgrotus ſanus eſt, ſanari, ſeù curari in maiori ampliatur ad fieri, & factum eſſe, in minori reſtringitur ad fieri tantùm, vel ęger in minori pro præterito, in concluſione pro præterito, & præſenti.

Amphibologia, quòd idem ſonat, quòd dubium, & bolè .i. dubia ſententia, differt ab æquiuocatione, qnia æquiuocatio dicit vnitatem vocis cum multiplicitate ſignificati; Amphibologia verò dicit vnitatem orationis cum pluralitate ſignificati; propter vnitatem orationis habet apparentiā, propter multiplicitatem ſenſuum eſt cauſa deceptionis; vt quicquid eſt Ariſt. poſſidetur ab Ariſt. hic liber eſt Ariſt. ergo poſſidetur ab Ariſt. maior eſt cum habitudine ad poſſeſſorem, minor ad Authorem, &c. contingit ſilentem loqui, vos omnes nunc ſiletis, ergo loquimini, maior non eſt ad ſimul, minor, & concluſio ſunt pro eodem nunc, & ſimul. Quicqd aratur, aratro ſcinditur, cùm quis in vanum laborat, litus arat, ergo cùm quis in vanum laborat, litus aratro ſcindit; in maiori ſtat propriè, in minori tranſūptiuè. ſ. operā perdere, ſicut enim qui litus arat, operam perdit, ità q in vanum laborat. Qui ſunt Domini habent ſeruos, Aſini ſunt Domini, ergo habent ſeruos; in maiori propriè, in recto, & in plurali; in minori in obliquo, genitiui ſingularis, & poſſeſſiuè. Sciens falſum eſt ignarus, ſed Socrates ſcit verum, & falſum, ergo eſt ignarus, in maiori ignar⁹, quia ſcit actu falſo obiectum, in minori ſcit falſum, vt obiectū cognitionis, in vna eſt ſciētia falſa, in alia ſcientia falſi &c.

Compoſitionis, & diuiſionis fallaciæ procedunt ex falſa vnione eorum, quæ deberēt diuidi, aut diuiſione eorum, quæ deberent vniri; fallacia compoſitionis eſt, cùm ex oratione vera in ſenſu diuiſo, infertur concluſio falſa in sēſu cōpoſito; Fallacia diuiſionis eſt, cùm ex oratione vera in ſenſu compoſito, infertur falſa in ſenſu diuiſo. Cauſa apparentiæ materialis eſt identitas propoſitionis, ob quā videtur vera in quolibet ſenſu; Cauſa deceptionis eſt multiplicitas sēſuum;

ſuum, quorum vnus eſt verus, alter falſus.

Poteſt autē Propoſitio hos ſenſus admittere tripliciter; vel quia eſt modalis, & de iſta iam diximus quomodò explicari debent modales in ſenſu compoſito, & diuiſo, & in iſtis committi poteſt fallacia compoſitionis, vt ſedentem poſſibile eſt ambulare; ſi modus determinat totum dictum ſedere, & ambulare, ſēſus eſt compoſitus, & falſus; Si partem, eſt diuiſus, & verus, & eſt ſenſus, quòd qui nunc ſedet, poſſibile eſt vt ambulet. In ſenſu diuiſo ſunt duæ propoſitiones, vna de dicto, altera de modo; at in ſenſu compoſito eſt vna de dicto, & modo; hinc fallacia Diuiſionis eſt, impoſſibile eſt ſedentem ambulare, Petrus ſedet, ergo impoſſibile eſt Petrum ambulare, procedit à maiori vera in ſenſu compoſito, ad concluſionē falſam in ſenſu diuiſo.

Poteſt ſecundò aliqua propoſitio hos admittere ſenſus in ſenſu compoſito, & diuiſo, quandò eius partes copulantur his coniunctionibus, & particulis, ſcilicèt vel, aut, &, &c. V.g. omne animal rationale, vel irrationale eſt homo, ſi ly vel cadit ſupra ſubiectum, ſumitur copulatim, & facit ſenſum compoſitum, ſcilicèt omne animal, ſiuè ſit rationale, ſiuè irrationale eſt homo, & propoſitio eſt falſa; ſi cadit ſupra totam propoſitionem, ſumitur diſiunctiuè, & generat ſenſum diuiſum, .i. vel omne animal rationale eſt homo, vel omne animal irrationale eſt homo, & propoſitio eſt vera. Similitèr duo, & tria ſunt quinque; ly &, ſi ſumatur coniunctim, facit ſenſum compoſitum verum, quia eſt ſenſus, quòd duo, & tria ſimul ſumpta faciunt quinque, ſi ſumatur diſiunctim, facit ſenſum diuiſum falſum; nam eſt ſenſus, tam duo eſt quinque, quàm tria eſt quinque; ſic etiam duo, & tria ſunt par, & impar, quinque ſunt duo, & tria, ergo quinq; eſt par, & impar, maior eſt vera copulatiuè, minor vera diſiunctiuè.

Et tandèm poteſt aliqua propoſitio vtrumque ſenſum admittere, & tunc eſt, quandò aliquod aduerbiū, vel dictio poteſt cum diuerſis coniungi, & ſi vnitur cum illo, cum quo aptiùs videtur vniri, facit ſenſum compoſitum, ſi cum illo, cum quo minus conuenientèr, facit ſenſum diuiſum; aptiùs tamen vnitur cum præcedenti, quàm cum conſequenti, vt quidquid viuit ſemper eſt, ſi ly ſemper vnitur cū ly viuit, facit ſenſum compoſitum, & propoſitio eſt vera, ſi cum ly eſt, facit ſenſū diuiſū, & propoſitio eſt falſa.

Fallacia Accentus contingit ex dictione vna in literis, & materia, diuerſa tamē in modo proferendi, & ſignificandi. Deceptio proueniens ex identitate materiali dictionis eſt cauſa apparentiæ, diuerſitas ſignificati talis dictionis, ex modo diuerſo proferendi, vel ſcribendi, eſt cauſa erroris. Variatur ergo Dictio, vel ex variatione aſpirationis vt Ara ſine aſpiratione ſignificat alta-

altare, Hara cũ aſpiratione ſignificat porcorum ſtabulum; ideò nõ valet, ara eſt in templo, ſtabulum porcorum eſt hara, ergo &c. vel accidit ex variatione diphtongi, vt æquus ſignificat iuſtum, equus verò ſine dipthogo ſignificat animal innibile, hinc non valet, equus eſt innibilis, verus Iudex eſt æquus, ergo eſt innobilis. Itèm ex variatione accentus, & quantitatis ſyllabarum, vt populus, qui ſi habet primã longam ſignificat arborem, ſi breuem denotat gentem; ideò nõ ſequitur, omnis populus eſt arbor, gens Itala eſt populus, ergo eſt arbor. Et tandèm euenit, cùm eadem dictio modò profertur, vt vna, modò vt plures, vt, inuitè, vt eſt vna dictio ſignificat coactè, vt duæ dictiones ſignificat arborem vitis; hinc non ſequitur, nihil fit à Deo inuitè, racemi fiunt in vite, ergo non fiunt à Deo, &c.

2. Fallacia figuræ dictionis, eſt deceptio oriens à ſimilitudine appparenti dictionum, vel in voce, & deſinentia, vel in modo ſignificandi, vel in ſignificato, vel in aliquo alio, & tripliciter cõtingere poteſt; Primò quandò quis crederet omnes dictiones ſimiles in voce, vel deſinẽtia, eſſe eiuſdem generis, ſcilicèt vel maſculini, vel fæminini, vel neutri; vt omnis ſubſtantia eſt bona, Papa eſt ſubſtantia, ergo eſt bona, quia enim tam ſubſtantia, quàm Papa deſinunt in a, poſſet inexpertus credere, eſſe eiuſdem generis fæminini.

Secundò euenit, quãdò ſub termino diſtributiuo vnius prædicamenti, ſubſumitur terminus alterius prædicamẽti, vel alterius ſpeciei, vt quidquid emiſti, comediſti, carnem crudam emiſti, ergo carnẽ crudam comediſti, ly quidquid eſt diſtributiuum ſubſtantiæ, at id, quod ſubſumitur, ſcilicet caro cruda eſt terminus ſignificans rem, tam per modum ſubſtantiæ, quàm qualitatis. Similiter quidquid Deus facit medijs cauſis ſecundis, poteſt ſe ſolo efficere, Deus cum cauſis ſecundis facit actum meritorium, ergo ſe ſolo poteſt efficere actum meritorium, ſed hoc eſt falſum, quia Deus non meretur, nõ enim habet legem ſuperiorem, cui conformetur, idcircò committitur hæc fallacia, quia facit tranſitum à diſtributiuo prædicamenti ſubſtantiæ ad ad terminum de prædicamento relationis, qualis eſt actus meritorius; Sic etiam quandocunque fuiſti Romæ, fuiſti homo, ſed bis fuiſti Romæ, ergo bis fuiſti homo, nõ valet, quia fit tranſitus à prædicamento quandò, ad quantitatem diſcretam.

Tertiò, tãdèm committitur hæc fallacia, quandò qualequid mutatur in hoc aliquid, ſcilicet commune, quod dicitur quale quid, mutatur in ſingulare, quod eſt hoc aliquid, & è contra, vt animal eſt, ergo Petrus eſt; Petrus currit, ergo omnis homo currit; non intelligitur tamẽ hæc regula vniuerſaliter, non enim ad variationem cuiuſli-

bet ſuppoſitionis committitur hęc fallacia, nam hic Syllogiſmus eſt rectus, ſcil. omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo eſt animal; vbi homo in maiori ſupponit diſtributiuè, ſolùm igitur intelligitur quãdò variatur ſuppoſitio materialis in formalem, vt homo eſt dictio bisſyllaba, vel ſimplex in perſonalem, vt homo eſt ſpecies, Petrus eſt homo, ergo eſt ſpecies; vel cõfuſa in determinatã, vt Petr<sup></sup>us eſt alius ab homine, Petrus eſt hõ, ergo hõ eſt alius ab homine, &c.

*De fallacijs extradictionem.*

*Caput II.*

Fallaciæ extradictionem cõtingunt ex parte rei ſignificatæ; cum enim res plures habeant reſpectus, ex vno non rectè infertur aliud; & Prima eſt Accidentis, cæteris re vera efficacior ad decipiẽdum. Accid. autem hìc non accipitur prædicamentaliter, ſed pro extraneo, nam poteſt etiam ſubſtantia in hoc ſenſu vocari accidens, vt ſunt omnia inferiora reſpectu ſuperiorum, quia ab eis extraneãtur; Vnde Ariſt. primo Elenc. ait ꝙ extraneũ eſt in parte idẽ, & in parte diuerſũ, & hoc eſt mediũ, ꝙ in hac fallacia aſſumitur, ideò cauſa apparentię eſt vnitas extremorũ cum medio, cauſa falſitatis eſt diuerſitas extremorum inter ſe, & poteſt tribus modis cõmitti. Primò quãdò ex coniunctione extremitatum cum medio in præmiſſis, infertur coniunctio ipſorum in cõcluſione, affirmando vnum de altero, vt eſſentia Diuinã eſt Pater, Filius eſt eſſẽtia Diuina, ergo Filius eſt Pater; committitur fallacia Accidentis, quia maior identitas infertur in concluſione, quã fuerit aſſumpta in præmiſſis, in quibus ſermo erat de identitate eſſentiali, quæ ſi in cõcluſione inferretur eſſet vera, nã filius eſt idem eſſentialiter cum Patre, ſed infertur identitas perſonalis, & ideò falſa concluſio; Et hac de cauſa (ait Scot.) illa propoſitio, quæ conueniunt vni tertio ſunt eadem inter ſe, explicanda eſt de eadem identitate, qua in tertio conueniunt. Nec etiam hæc valet, aurum eſt naturale, hęc ſtatua eſt aurea, ergo naturalis, naturale dicitur de auro per ſe, de ſtatua per accidens, &c.

Secundò euenit, quando ex non identitate extremitatum cum medio in præmiſſis, infertur maior nõ identitas ipſorum in concluſione, vt cũ arguitur ex puris negatiuis, nullum animal eſt lapis, nullus homo eſt lapis, ergo nullus homo eſt animal, arguitur maior diſtinctio in concluſione inter extremitates, quãm ſit in præmiſſis, cum medio.

Tertiò contingit, cùm ex aliquibus diuiſim acceptis in præmiſſis, cõcluditur indebita coniunctio ipſorum in concluſione, vel cùm ab aliquibus coniunctim ſumptis in præmiſſis, infertur indebita diuiſio in concluſione, vt hic eſt albus, & monachus, ergo eſt albus monachus; in Antecedente albedo in eſt ſubſtantiæ ſecundum ſe, in conſe-

quenti quò ad habitum. Iſte canis eſt Pater, & eſt tuus, ergo eſt Pater tuus, canis in antecedenti denotat habitudinē poſſeſſionis, in concluſione habitudinem effectus ad ſuā cauſam efficientem. Iſte eſt bonus faber, ergo eſt bonus, & faber, in antecedente bonitas ineſt ab arte, in conſequente, vt ſubiecto in ſe.

Fallacia ſecundum quid, ad ſimpliciter, parum diſtat à præcedenti, & committitur cùm arguitur à dicto ſecundum quid, ad dictū ſimpliciter, vt iſte homo eſt mortuus, ergo eſt homo; mortu' diſtrahit ab homine. Etiops eſt albus ſecūdùm dentes, ergo eſt albus, ſecundū dētes eſt diminuens. Diuitiæ nō ſunt bonæ malè vtenti, ergo non ſunt bonæ; in antecedenti diuitiæ ſumuntur in abuſu, in cōſequenti ſumuntur abſolutè. Roſa cognita eſt in intellectu, ergo roſa eſt in intellectu; in vna propoſitione, vt in ſubiecto, & ſecundùm quid, in alia, vt in eſſe ſimpliciter.

Dices: homo eſt albus, ergo homo eſt, à ſecundùm quid ad ſimpliciter, & tamen valet. Reſpondetur valere in caſu, quia prædicatum tertij adiacentis ſupponit neceſſariò exiſtētiam ſecundi adiacentis. Sed contra: Antichriſtus eſt poſſibilis, ergo ē, quod eſt falſum. Reſpondetur conſequentiam non valere, quia illud prædicatum de tertio adiacente, non ſupponit neceſſariò exiſtentiam, ſed ſolum poſſibilitatem.

Ais: Petrus eſt Simus ſecundum naſum, ergo eſt verè Simus, tenet à ſecundùm quid ad ſimpliciter R. antecedens non eſſe verè diminuens, nam determinatur pars, quæ eſt propriū ſubiectum illius conditionis. Vndè talis prædicatio cōpetit toti per partem, ſic homo totus dicitur intelligēs per animam, & totus quantus per quantitatem.

Fallacia ignorantiæ Elenci, oritur ex deceptione, qua quis putat, Elēcum ſyllogiſmum habere omnes cōditiones. Elencus eſt ſyllogiſmus Contradictorius, .ſ. oſtendens contradictorium eius, quod eſt à reſpondente conceſſum, vndè requiritur, quòd conſtet ex propoſitionibus verè contradictorijs, ad quas quinque conditiones requiruntur, videlicèt; quòd ſint ad idem ſecundùm idem ſimiles, eodem tēpore, & eodem loco, V.g. duo ſunt duplum vnius & non ſunt duplum trium, ergo ſunt duplum, & nō duplum; non valet, quia non eſt ad idem; hæc tabula eſt alteri æqualis ſecundùm longitudinem, in æqualis ſecundum latitudinem, ergo eſt & non eſt æqualis, non valet, quia non ſunt ſecundùm idem; homo eſt ſpecies, nullus homo eſt ſpecies, ergo homo eſt, & non eſt ſpecies, non tenet, quia nō eſt eadem, & ſimilis ſuppoſitio, nā in maiori ſupponit pro natura communi, in minori pro ſuppoſitis. Magiſter hodie legit, cras non leget, ergo legit, & non legit, non ſequitur, quia deeſt identitas tēporis. Paulus audit ſacrum in templo, & nō in do-

mo,

mo, ergo audit, & non audit facrum; non valet defectu identitatis loci, &c.

Fallacia Petitionis principij, eſt deceptio ex falſa, aut apparēti diuerſitate concluſionis à præmiſſis proueniens, & eſt cùm aſſumitur idem ad probādum idē, vel iiſdem omninò verbis, vel alijs, vt quandò quis vteretur ſynonymis, &c. V. g. gladio cædiſti, ergo enſe cædiſti; vel cùm particularis probatur per vniuerſalem, & è contra; vt omnis homo eſt capax ſcientiæ, ergo Plato eſt capax ſcientiæ, nō valet, quia non eſt alia ratio ſciendi in Platone, & homine. Petrus currit, Paulus currit, & ſic de alijs, ergo omnis homo currit, nō valet quia vniuerſale iam æquè acceptum eſt, vt ſinguli ſimul. Neque valet, cùm definitum oſtenditur per definitionē, & è cōtra, vt animal rationale mouetur, ergo homo mouetur; & ita vniuerſaliter, quandò id, quod debet probari oſtēditur per ignotius, vel æq; notum cōmittitur hæc fallacia. Verùm tamen eſt, quòd propriè loquendo in his caſibus non ſemper petitio principij committitur, nam definitio notior eſt in ſe, definito, & totum partibus, aut è contra; poteſt tamen hæc fallacia committi ad hominem, ſi reſpondenti æquè nota ſunt definitio, & definitum, totum, & pars, &c.

Fallacia cōſequentis, eſt deceptio proueniens ex apparenti conuertibilitate, cùm credimus conſequens conuerti cum antecedenti, quod tamen non conuertitur, vt cū à ſuperiori ad inferius non rectè procedimus, vel ab inferiori ad ſuperius; vt ſi mel eſt, rubeum eſt, ergo ſi rubeum eſt, mel eſt, non valet, quia eſt à ſuperiori ad inferius affirmatiuè; ſi homo eſt, animal eſt, ergo ſi homo nō eſt, animal nō eſt; non valet, quia à deſtructione inferioris, ad deſtructionem ſuperioris. Qui dicit te eſſe animal, dicit verum, qui dicit te eſſe Aſinum, dicit te eſſe animal, ergo qui dicit te eſſe Aſinū, dicit verum, nō valet, quia arguitur à ſuperiori ad inferius poſitiuè, ac ſi diceretur, tu es animal, ergo es Aſinus. Duæ relationes paternitatis in Petro, ergo duo Patres, non valet, quia à pluralitate antecedētis, ad pluralitatem conſequentis, à multiplicitate formarum, ad multiplicitatem ſuppoſitorum, &c.

Fallacia non cauſæ vt cauſa, eſt deceptio proueniens ex apparentia, quam habet vna propoſitio ad inferendam aliam, ac ſi eſſet verè illius cauſa, cùm re vera non ſit; vt vinum ebriat, ergo eſt ebrium, nō ſequitur, nā vinū eſt cauſa ebrietatis in alieno ſubiecto, non in ſe ipſo, cùm igitur medium aſſumitur, vt cauſa, quæ nihil facit ad effectū, tunc non cauſa dicitur eſſe cauſa, & committitur hæc fallacia.

Et tandèm vltima fallacia eſt ſecundum plures interrogationes vt vnam, & accidit cùm interrogatio ſit multiplex, vna detur Reſpōſio, vbi reuera plures dare opus eſſet.

Qua-

Quadrupliciter fieri poteſt interrogatio, primò quandò vnum de vno quæritur, vt eſt ne Petrus homo. Secundò quandò vnum quæritur de pluribus, vt eſt ne Paulus, & brunell' rationales. Tertiò quãdò plura quæruntur de vno, vt eſt ne homo animal, & hac. Quartò quandò plura de pluribus quætũtur cõiunctim, vt an homo, & talpa ſint videntes, vel cæci? excepto primò modo, in his omnibus committitur hæc fallacia, & fit cũ vnica reſpõſione ſatis fit pluribus interrogationibus apparentibus, vt ſi eſſent duo homines, vnus cæcus, alius videns, & quæreretur, an eſſent cæci, vel videntes, ſi reſponderetur, quòd ſunt cæci, ergo videns eſſet cæcus, & ideò duplici reſponſione huic quæſito ſatisfieri debet, ſcilicet iſte eſt cæcus; & ille eſt videns, & ſic de reliquis. Et hæc ſufficiant pro breui, & rudi quadam ſummularum notitia; quæ vſu, & exercitio melius (Deo Duce) infra patebunt.

# DE QVÆSTIONIBVS PROEMIALIBVS,

## Diſputatio Prima,

*Ad Vniuerſam Ariſtotelis Logicam.*

### DE NATVRA LOGICÆ.

1 SCOTVS, cuius mentis ſapiētia velùt auriferū Heſperidū nemus, poma aurea doctrinæ producit 1. Meth. ſumu. prima cap. 2. refert olim philoſophiã, ſapiētiam vocari; & qui in reb. cognoſcendis incumbebãt, appellari ſapientes, ſed quia nomẽ hoc iactantiam, & tumorem præſeferre videbatur, noluit Pytagoras ſe ſapientem vocari, ſed Phyloſophum, ſcilicèt ſapientiæ amatorem. Vndè nomen ſapientis in nomen philoſophi eſt mutatum, & doctrina, quæ ſapientia dicebatur, philoſophia cæpit nũcupari. Et definitur ab Ariſt. 1. meth. 13. quòd ſit cognitio rerum, vt ſunt, ſiuè per ſuas cauſas; & philoſophum eſſe, qui rerum cognitionem per ſuas cauſas acquiſiuit.

2 Quæ facultas in tota ſua latitudine ſumpta diuiditur cum Ariſtot. 2. Met. c. 1. in Speculatiuam, & Practicam, quæ diſtinctio ſumitur ex fine: Speculatiua eſt, cuius finis eſt veritas; Practica verò cuius finis eſt opus. Speculatiua diuiditur primò in realem, & rationalem, ſpeculatiua realis diuiditur ab eodem Ariſt. 6. Met. c. 1. in phyſicam, ſiuè naturalem, mathematicam, & methaphyſicam. Phyſica eſt, quæ de rebus corporeis mutationi ſubiectis tractat, vt de animalibus, plantis, arboribus, & ſimilibus; ſub qua medicina collocanda videtur, quæ corpus humanum, & eius affectiones conſiderat. Mathematica eſt ſcientia, quę verſatur circa quantitatem, quæ duplex eſt, vna permanens, alia ſucceſſiua. Permanẽs adhùc duplex eſt, alia continua, alia diſcreta; Quantitas cõtinua eſt magnitudo, de qua Giometra diſſerit, cui annectitur perſpectiua, quæ eſt de linea viſuali; Diſcreta eſt numerus, de qua Arithmetica agit; quantitas ſucceſſiua eſt illa, quæ verſatur circa motum, & tempus, quæ maximè in corporibus Cæleſtibus conſideratur, & pertinet ad Aſtrologiam, quæ & Aſtronomica dicitur. Methaphyſica eſt, quæ de ente communiſſimo agit, & de rebus incorporeis, vt de Intelligentijs, & Deo Optimo Maximo, quæ proinde Theologia naturalis, ſeù prima philo-



Digitized by Google

philoſophia ab ipſo Ariſt. & alijs philoſophis appellatur, in quantū ſcilicèt naturali lumine à nobis, ab effectu cognoſci poteſt. Speculatiua Rationalis amplectitur etiam Logicam, vt declarabimus.

3 Practica verò ſcientia eſt, quę circa operationes verſatur, & diuiditur in Actiuam, & Factiuam; actiua eſt actionum immanentium; factiua actionum externorum, ſeù tranſeuntium, quæ diſtinctio deſumitur ex eo, quia operationes, alię sūt internæ, aliæ externæ; Internæ, & in manetes sūt, quæ in ipſo operante permanent, vt intellectio, recordatio, Amor, &c. quæ dicūtur actiones, ſaltèm grammaticalitèr; & triplicis ſunt generis, ſcilicèt Intellectus, memoriæ, & voluntatis. Circa operationes intellectus dirigendas, verſatur Dyalectica vtēs, vt dicemus, quæ eſt rectè intelligēdi ſcientia, & modus, ſeù inſtrumētum ſciendi vocatur. Circa actiones memoriæ verſatur ars rectè memorandi, quæ & memoria localis dicitur, quam Cicero, cū alijs Rethoribus tradidit per fictas imagines, figuras, loca, &c. Circa voluntatis operationes verſatur moralis philoſophia, quæ deſcribi ſolet: *ſcientia rectè volendi*, & in tres partes diuiditur .ſ. in Ethicā, quæ vnius ſingularis hominis mores, & actiones cōponit: in Oeconomicam, quæ actiones domeſticas, domus, & familiæ rectè diſponit. Et in Politicam, ſeù ciuilē, quę publicas actiones ad Reipublicæ gubernationem ſpectantes amplectitur, ſub qua etiam magna pars Iuris ciuilis continetur.

4 Factiua eſt actionū externorum, cuius operationes, vel ita trāſeunt, vt nullos effectus poſt opus relinquant, vt ſunt vox, ſaltus, &c. vel aliquod opus poſt ipſas apparet, vt poſt ædificationem, domus remanet. Circa vocis actiones, ad congruè loquēdum verſatur Grāmatica; ad ornatè loquendū Rethorica, cui etiam adnecti ſolet Poetica ad carmina componenda, & Hiſtorica ad hiſtorias, & relata ſcribenda. Ad externas operationes quæ opus poſt ipſas relinquūt regulandas, inſtitutæ ſunt omnes artes Mechanicæ, vt Agricoltura, Piſtoria, Militaris, Nautica, Lanifica, cum alijs, &c.

5 Huc etiam reducuntur ſeptē artes liberales, ſic ab antiquis dictè, vel quia liberum hominem faciunt, vel quia magis per eas homines ratione vtantur; & horum quatuor ſunt reales, quia in rebus verſantur, vt Geometria Aſtrologia, Arithmetica, & Muſica; Aliæ tres ſermocinales, ſeù rationales dicuntur, quæ in ſermone, vel ratione conſiſtunt, licèt diuerſo modo, & vna dicitur Grammatica, alia Rethorica, altera Logica. Sed quia hæc via, & ianua eſt toti' Philoſophię, tàm naturalis, quàm moralis, quæ non niſi diſſerendo, & diſcurrēdo acquiritur per inſtrumētum ab ipſa Dialectica traditum; ideò operæpretium duximus, de ipſa

Digitized by Google

ipſa prius agere, & diſputationem prœmialem de ipſa inſtituere, eius naturam in plures articulos diuiſam breuitèr indagando.

## ARTICVLVS PRIMVS.

### *An Logica ſit neceſſaria ad alias Scientias capeſſendas.*

SCotus re vera cultioris literaturæ per quã ſtudioſus, quæſt. 1. Prædicam. loquendo de Logica quò ad eius Etymologiam, quæ à logos voce græca deriuatur, & ſermonem, & rationem ſignificat, docuit, meliùs logicam ſcientiam rationalem dici, quàm ſermocinalẽ, ne circa voces, & ſermones tamquam eius obiectum verſari dicatur, vt infrà patebit. Quæ facultas etiam Dialectica dici conſueuit, ſcilicèt Diſputatrix, vel diſceptatrix, quatenùs diſputare, & differere docet; cuius nomen à vocabulo græco Dialogome deriuatũ eſt, quo d latinè diſputare, & differere ſignificat; & licèt Ariſt. Dialecticæ nomen vſurpauerit pro ea tantùm logicæ parte, quæ dicitur Topica, & de Syllogiſmo probabili agit; modò tamen pro tota logica accipitur, quatenùs ſcientia rationalis eſt, & docet quocumque modo diſcurrere, & ex notis ad ignota procedere; & ſic à nobis in præſenti accipitur.

2 Altera vox, quę in titulo quęſtionis aſſumitur, eſt neceſſarium, quod duplex eſt ex Ariſt. 5. Met. c. 5. vnum abſolutum, alterũ ex ſuppoſitione: Primum eſt illud, quod ex natura ſuã nullo ordine ad aliud habito, non poteſt alitèr ſe habere, vt neceſſariò Deus eſt, neceſſariò homo eſt animal &c. Secũdum eſt, quod ex ſe alitèr ſe haberi poteſt, tamen altero extrinſeco poſito, nõ poteſt alitèr ſe habere. V.g. eſſe calorem non eſt neceſſarium, tamen poſitio igne neceſſe eſt, vt ſit calor; quod neceſſariũ dicitur ex cauſa, ſiuè cauſa ſit efficiens, vt in exemplis allatis, ſiuè ſit finalis. Hoc autem neceſſarium, quod à fine dicitur, duplex eſt, id. ſ. ſine quo talis finis obtineri non poteſt, & dicitur neceſſarium ſimplicitèr, vt cibus eſt homini neceſſarius ſimplicitèr ad vitam ſeruandam: alterum eſt id, ſine quo finis commodè haberi nõ poteſt, quamuis ſimplicitèr haberi poſſit, ſic Equ' eſt neceſſarius ad iter agendum; hoc dicitur neceſſarium ad bene eſſe, & vtile. In preſenti loquimur de neceſſario ad finem, & quærimus, an iſta ars diſſerendi, quæ logica dicitur ſit neceſſaria ſimpliciter ad alias ſcientias adipiſcendas, an ſit tantùm vtilis, & ad benè eſſe. Hæc quantum ad Tituli declarationem.

3 Procuius determinatione, aduertimus, logicam in prima ſui diuiſione diuidi in naturalem, & artificialẽ; logica naturalis eſt ipſummet lumen congenitum, quo ducimur ad rectè apprehendendum, iudicandum, & diſcurrendum, ſiuè hoc ſit nuda potentia intellectus, ſiuè cum habitu principiorum imbutus, quæ principia ſunt naturali-

ter nota, vt cũ multis philoſophis tenẽt Complut. diſp. 1. logicæ, q. 1. Vndè ſolo lumine naturali poteſt aliquis conſequẽtiam neceſſariam in Barbara elicere, & principia per ſe nota cognoſcere, vt omne totũ eſt maius ſua parte; de quolibet verum eſt dicere, eſt, vel non eſt, ſicut etiã in Mathematica, vt ſi ab ęqualibus ęqualia demas, ea quæ remanẽt sũt ęqualia. Hinc Ariſt. 1. Meth. c. 1. ait: homines à natura Dialecticos, & Rhetoricos eſſe videntur, quam aliqui logicam naturalem vocant; patet etiam experientia, nam ante logicam multi extiterũt philoſophi magni nominis, & multi etiã modo reperiuntur in Theologia, in Iure, & alijs ſcientijs verſati ſine logica.

4 Verùm ad has ſcientias totalitèr & perfectè acquirendas, cenſetur ab omnibus neceſſaria logica artificialis, quæ eſt quidam habitus ſtudio comparatus, quo intellectus inſtruitur; & dirigitur, nè in ſuis operationibus erret. Vndè Auic. in ſua logica, cap. 2. natura, inquit, & prima inchoatio hominis non fuit ſufficiens ad verum cognoſcendũ; & Ariſt. 6. Ethicorum c. 11. ait: neminem eſſe à natura ſapiẽtem. Fuit ergo neceſſaria aliqua ars, qua modus procedendi in cognitione haberetur, vt tali modo perſpecto ad rectam ſpeculationem intellectus perueniret; nõ poteſt n. quiſquam perfectè ſcientiã adipiſci, ſi neſciat concluſiones omnes reſoluere vſq; ad prima principia, bonitatem illationum percipere, neceſſitatem, & cõditionem pręmiſſarũ cognoſcere, & deceptiones, quę in argumentatione contingere ſolent, penetrare; hæc autem ſola logica artificiali traduntur, & licèt aliqui ſine logica videantur docti, non tamẽ consũmati, & perfecti probãtur; hinc Philoſophus primo phyſi. cap. 3. & 1. Meth. 8. & alibi, teſtatur veteres philoſophos ob Dialecticæ ignorantiam in multos, & turpes errores prolapſos fuiſſe, Et Plato 7. de republ. inquit: impoſſibile eſt intellectum ſine dialectica exactè rem aliquam attingere; Et Boëtius ait: Dialectica eſt ſcientia diſcernens verum à falſo; Et ex Diuo Auguſtino, Logica eſt Ars artium, & ſcientia ſciẽtiarum, qua aperta, omnes aliæ aperiũtur, & qua clauſa, omnes aliæ clauduntur, viam enim cognoſcendi oſtendit. Meritò igitur ab hac quæſt. incipimus, nã inter alia, quæ in principio alicui ſcientiæ quæri ſolent, eſt: An talis facultas ſit neceſſaria, qua neceſſitate, vel ſaltẽ magna vtilitate percepta, ad eam capeſſendam, magis diſcipulorũ animi accenduntur, quibus habitis ℞. ad Articulum vna Concluſione.

*Concluſio.*

5 D*Icimus, Logicam artificialem neceſſariam eſſe ad alias ſcientias comparandas, non quidem ſimpliciter, & abſolutè; ſed tantùm ſecundum quid, & ad bene eſſe.* Concluſio eſt cõtra multos Recentiores ſcilicet Auers. q. 1. ſect. 4. Moriſan. prologo. 1.

go. 1. Roceh. q. 4. prœm. Complut. diſp. 1. q. 7. Sanch. lib. 1. q. 2. Didac. diſp. 2. q. 1. Ioan. de S. Thom. q. 1. art. 2. & alios. Et probatur primò experientia, multi enim Theologiam, & ius ciuile, & Pontificium ſine cognitione logicalium regularum acquirunt; ſicuti, & multi antiqui philoſophi, ex notis ad ignota differentes, magnā partem ſciētiæ compararunt, ergo nō videtur abſolutè, & ſimplicitèr neceſſaria.

6 Reſpondent Aduerſarij, concedendo poſſe vtique lumine naturæ ducti homines multas adipiſci ſcientias, ſed non totaliter, & perfectè, atque ideò ad illas ſic cōparandas, logica cenſetur neceſſaria ſimplicitèr; Sed ſanè hæc reſponſio ſe ipſam deſtruit, vt manifeſtè apparet; & Bellutus, & Maſtrius benè aduerterunt; illud enim cenſetur ſimplicitèr neceſſarium, ſine quo finis abſolutè obtineri non poteſt; Illud verò neceſſarium ſecundum quid, ſine quo licèt res obtineri poſſit, non tamen certo aliquo modo, ſcilicet non ità citò, non ità cōmodè, non ità perfectè; ſi ergo aliæ ſcientię ſine logica adipiſci poſſūt, licèt non ità benè, & perfectè, logica non erit neceſſaria ſimplicitèr. Tum quia, quod pertinet ad acquiſitionem finis, hoc, vel illo modo, non cenſetur ſimplicitèr neceſſariū ad talem finem, cùm non pertineat ad ſubſtantiam acquiſitionis eius, ſed tantùm ad modum; ſed Logica etiam per Aduerſarios pertinet ad modum talis acquiſitionis, ſcilicèt vt totalitèr, & perfectè, & citò acquiratur, ergo &c.

7 Dices: ſaltèm, vt perfectè, & completè aliæ ſcientiæ acquirantur, Logica eſt neceſſaria ſimplicitèr. Hoc poſſit admitti, ſed locutio eſſet impropria; Illud enim quod aſſumitur vt benè, & perfectè aliquis finis habeatur, nō dicitur ſimplicitèr neceſſarium, ſed ſecundum quìd, & ad benè eſſe, vt patet de iter agendo ſine Equo, &c. at alitèr dicendum eſt de neceſſitate cibi reſpectu hominis, ſine quo abſolutè, & ſimplicitèr nullus homo conſeruari poteſt.

*Obiectiones.*

8 Obijcitur primò, quòd Logica ſit neceſſaria ſimpliciter ad alias ſcientias comparandas. Nulla ſcientia haberi poteſt, niſi per demonſtrationem, ſed ſola logica artificialis eſt illa, quæ docet demoſtrationem, & ex notis ad ignota procedere, ergo, &c. Reſpondetur negando Minorem, nam in ſcientijs ſunt aliquæ concluſiones, quæ ità proximè innitūtur primis principijs lumine naturali notis, vt explicatis terminis, ſine difficultate demonſtrationes cōficiuntur; hinc communiter refertur, Hippocratem logica artificiali caruiſſe, qui tamē doctiſſimus fuit, & perfectè, & completè medicinam acquiſiuit. Sed contrà, licèt poſſet aliquis ex principijs proximè naturali lumine notis, alicui concluſioni aſſentiri, ille tamen aſſenſus non eſſet ſcientificus, ergò Logica arti-

ficialis eſt neceſſaria ad ſcientias acquirendas. Probatur Antecedẽs, quia ad aſſenſum ſcientificum requiritur certitudo conſequentiæ, nam etiam in prima figura poteſt error contingere, & ideò oportet reflectendo cognoſcere, ſi ſeruatæ ſint regulæ bonæ conſequentiæ, ad quod lumen naturale non ſufficit, ergo, &c. Reſpondetur negando Antecedens cum ſua probatione; nam ex principijs lumine naturali notis, optimè poteſt ſine arte, & refleſſione certitudo conſequentię haberi, & præcipuè in prima figura, quo ad primum modũ, vbi certitudo conſequẽtiæ eſt neceſſaria, & infallibilis, quæ certitudo priùs fuit à philoſophis lumine naturali cognita, & deindè ad artẽ redacta.

9 Obijcitur ex Ariſt. 1. poſt. ca. 2. vbi docet, neminem veram ſciẽtiam acquirere, niſi ſciat illam vſq; ad prima principia reſoluere, ſed hoc fieri non poteſt ſine Logica artificiali, ergo, &c. Reſpondetur negando minorem, nam poteſt eſſe in ſcientijs aliqua reſolutio vſq; ad prima principia ità per ſe nota, ſicut, & aliqua illatio conſequentiæ, vt ſine aliqua arte, certè, & euidentèr attingi poſſit.

10 Sed contra, ad euidentiam illationis requiritur, vt cognoſcatur, Cõcluſionem ex præmiſſis inferri; ſed ſola Logica artificialis docet, quandò concluſio rectè ex præmiſſis infertur, ergo, &c. Reſpondetur negãdo minorem, ſicut enim naturale lumen propria virtute ſe extendit ad principiorum aſſenſum, ſic etiam ad vnam, vel alteram Concluſionem ex principijs proximis; licèt ad remotiores cõcluſiones ſe extendere nequeat ſine reflexione, & arte.

11 At cõtra, ergo fruſtra Ariſt. 2. Meth. 15. Logicam modũ ſciendi appellauit, ſi ſine ipſa ſcientia cõparari poſſet. Reſpondetur negando ſequelam, nam ad perfectè, & facilitèr ſcientias adipiſcendas ſatis iuuat, & ſic fuit philoſophus loquutus.

12 Ob. ſecundò ex oppoſito, quòd Logica Artificialis nullo prorſus modo ſit neceſſaria ad alias ſcientias: Ad ſcientiæ acquiſitionem duo requiruntur; ſcil. principia per ſe nota, quibus præbetur aſſenſus; & vt ex illis certa inferatur Concluſio, ſed ad hæc omnia ſufficiens eſt lumen naturale, ergo, &c. Maior patet, Minor probatur: Intellectus aſſentiri poteſt principijs per ſe notis, ergo etiã & concluſioni, patet cõſequentia, neceſſitas .n: conſequentiæ fundatur in principijs per ſe notis, & prout regulantur per dici de omni, & dici de nullo. Reſpondetur Minorem eſſe veram cum ſua probatione de Cõcluſionibus fundatis in principijs proximè, & immediatè per ſe notis, non autem de concluſionibus remotioribus, pro quibus requiritur reflexio ad regulas artis, &c.

13 Obijcitur tertio, Si logica eſſet neceſſaria ad alias ſcientias, ergo neceſſaria etiam foret ad ſe ipſam

ipſam perfectè acquirendam, ſed hoc eſt abſurdum, nullũ enim dicitur ad ſe ipſum neceſſarium, nec ipſum ſe præcedit, ergo, &c. Sequela patet, nam logica eſt ſcientia, vt videbimus. Reſpondetur admittẽdo ſequelam, ſaltèm quo ad partẽ. Illa enim pars, quæ agit de terminis ſimplicibus, quæ ad directionẽ primæ partis attinet, iuuat ad cognitionem alterius partis, quæ agit de Enuntiatione; & hæc ad illã, quæ agit de diſcurſu, &c. neque ex hoc ſequitur inconueniens, nã etiã lumẽ, licèt ſit neceſſariũ ad quodlibet videndum, eſt etiam ſibi ipſi neceſſarium, vt videatur.

14 Obijcitur tandẽ: ſi Logica eſſet neceſſaria ad alias ſcientias, hoc maximè eſſet propter definitiones, & diuiſiones, ſed quælibet ſcientia habet ſuas definitiones, & diuiſiones, ergo, &c. Reſpondetur concedendo min. quantum ad materiæ applicationẽ, non tamẽ quãtũ ad modum, & certitudinem, quę ex regulis logicis cognoſcuntur.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Logica docente, & vtente.*

1 Scotus, qui velut Sol inter aſtra fulgentiſſimis methaphyſicaliũ ſpeculationibus fulget q. 4. Prologi in ſolut. ad ſecundũ, & tertium lit. Bb. docet, quòd vbi cognitio aliquorũ non eſt propter ſpeculari ſimplicitèr, ſed etiã aliquo modo propter operari, tunc reſpectu eorũ duplex eſt neceſſarius habitus in intellectu noſtro conſtituendus, vnus vniuerſalium, alter particularium, ex particularibus actibus genitus; ſic de rebus moralibus habemus ſcientiã, quæ eſt quædam cognitio vniuerſaliũ; & prudentiam, quæ eſt quidã habitus particularis ex pluribus egiſſe genitus, quo mediàte cognoſcimus in particulari, quomodò talis actio fieri debeat, ità in propoſito, quia cognitio regularũ logicalium non eſt propter ſe ipſam ſimplicitèr, ſed ad dirigendas intellectus operationes, & alijs ſciẽtijs in particulari applicanda, ideò duplex etiã erit in intellectu noſtro habitus ponendus, vnus vniuerſalium, quo cognoſcimus generales regulas definiendi, diuidendi, & demonſtrandi; alter particulariũ, genitus ex frequenti applicatione illarum regularum ad determinatas materias in particulari, vndè promptus reddatur intellectus ad vſum, & exercitium talium regularum.

2 Supponimus pro tituli declaratione, famoſam, & antiquam eſſe diſtinctionem hanc logicæ artificialis in Docẽtem, & Vtentem, tum apud latinos, tũ apud græcos, licèt ſub alijs terminis, quidam enim logicam Docẽtem vocant logicam à rebus auulſam; Vtentem verò, Logicam ipſis rebus coniunctam. Alij per logicam Docentem intelligunt ipſam doctrinam logicam, quæ modum ſciendi docet, & certas regulas in quacumq; ſcientia obſeruandas tradit; per

Vten-

Vtētem verò ipſum vſum, & exercitium regulatum &c.

3 Communis opinio Thomiſt. eſt, quòd logica docens, & vtens ſit vnus, & idem habitus realitèr, diſtinguūtur verò ex diuerſis muneribus, & conſiderationibus, ità vt idē numero habitus quatenùs tradit præcepta definiendi, diuidendi, & diſcurrendi, dicatur Logica Docens, quatenùs verò applicatur alijs ſcientijs per vſum ſuarum regularum dicatur Vtēs. Ità Sot. quæſt. 2. proœm. Ioannes de S. Thoma p. 2. log. quæſt. 1. art. 5. Complut. diſp. 1. log. q. 4. §. 11. Maſius ſect. 1. q. 4. Didacus à Ieſu. quæſt. 5. Ruuius q. 3. proœm. Auerſa q. 1. log. ſect. 2. & ſequuntur etiam aliqui Scotiſtę, vt Faber Theor. 1. c. 1. Fuenres q. 4. difficult. 2. art. 1. & nouiſſimè Ioānes Poncius diſ. 2. de natura Logicæ q. 6. num. 59. qui cōcedit ad ſūmum eſſe duos habitus diſtinctos formalitèr.

4 Mauritius verò q. 1. vniuerſalium §. 6. difficultas, Tatar. q. 1. proœm. §. primò ſciendum, tertia propoſitio lit. H. Caberus tract. 1. Proœm. diſput. 2. dub. 1. Maſtr. & Bellut. q. Proœm. art. 1. diſtinguunt logicam Vtentem, ità vt vno modo accipiatur pro habitu ſciētifico logico per demonſtrationem acquiſito, quo in ſingulis ſciētijs vtimur, definiendo, diuidendo, argumentando: Alio modo pro habitu acquiſito ex frequenti exercitio definiendi, arguendi, &c. ex quibus actibus frequentatis generatur in intellectu quędam facilitas, & prōtitudo ad ſimiles actus eliciendos, iuxta doctrinam Doctoris Subtiliſſimi in 3. ſent. d. 33. vbi docet ex omni actu intellectus, vel voluntatis poſſe generari habitū, vel prōptitudinem ad producendos ſimiles actus; ſi igitur logica vtens primo modo accipiatur, non videtur diſtinctus habitus à logica docēte, ſed eſt ipſamet Logica docens in vſu poſita, in quo ſenſu impropriè dicitur Vtens, cum potiùs dici debeat vſitata, & in vſu poſita, vt Toletus, Mauritius, & alij aduertunt, & in hoc ſenſu poteſt admitti opin. Thomiſt. & aliquorum Scotiſt. ipſos ſequentium, at ſi in ſecundo ſēſu accipiatur cū Tatar. &c. eſt habitus realitèr diſtinctus ab ipſa logica Docente; nam hæc eſt habitus ſpeculatiuus, & cōtemplatiuus; Vtens verò eſt habitus practicus, & operatiuus; vndè propriè dicitur Vtēs actiuè, quatenus eſt talis habitꝰ, quo inſtructi facilitèr, & prōptè regulis Logicæ vtimur. Quæ diſtinctio coincidit cum illa, quam alij tradunt in contemplatiuam, & factiuam, & per contemplatiuam docentem, per factiuam verò vtentem intelligunt.

*Concluſio.*

5 *Dicimus, Logicam Vtentem propriè, & actiuè ſumptam, importare habitum realiter diſtinctum, ab habitu Logicæ docentis.* Concluſio eſt ad mentem Scoti q. 4. Prologi citata; vbi enim cognitio non eſt tantū propter ſpeculari, ſed etiam propter

ter

ter operari aliquo modo, eſt neceſſarius duplex habitus cõſtituẽdus, vnus vniuerſaliũ, alter particulariũ ex particularib⁹ genitus, ſed Logica eſt huiuſmodi, vt patet ex dictis, ergo &c. Probatur ſecundò à ſimilide facultatib⁹ omnib⁹ organicis, nẽpè freneſactiua, ſcriptoria, medicina, & alijs; in quib⁹ habitus docẽtis diſtinguitur realiter ab habitu vtentis, ſed logica eſt facultas organica, & Organum ab Ariſt. appellata, ergo & eius habitus docẽs, diſtinguitur realiter ab eius habitu vtente, mi. eſt euidẽs, maior probatur: Vbi priùs, & poſteriùs tempore, ibi diſtinctio realis, idem .n. non poteſt eſſe priùs, & poſteriùs ſe ipſo duratione, ſed inter habitũm docẽtẽ, & vtentem intercedit prioritas, & poſterioritas temporis, ergo huiuſmodi habitus diſtinguuntur realiter, ma. patet, minor probatur: Lectio, & cognitio regularum præcedit exercitium, & actum regularũ, ſed habitus docens, ſeu logica docens verſatur circa cognitionem regularum, vtens verò generatur ex frequenti vſu, & exercitio ipſarum, ergo habitus docentis eſt prior habitu vtente. Pr. ma. habitus docẽtis acquiritur ex lectione Magiſtri, habitus vtentis ex frequentatis actibus diſcipuli; ergo prior eſt habitus docentis, quàm vtẽtis. Hoc etiam videtur Ariſt. innuere primo priorum cap. 28. vbi ait: nõ ſolùm oportet Logicam generationem Syllogiſmorum conſiderare, ſed etiam poteſtatẽ habere faciendi; primus eſt habitus Logicæ docentis, ſecundus eſt habitus Logicæ vtentis.

6 Confirmatur, datur caſus, in quo intellectus (percepta iam regularum notitia) nõ adhuc ſcit regulas applicare, ſed cum aliquali difficultate componit, definit, arguit; poſtea verò ex continuo vſu, & exercitio promptus, & facilis ad huiuſmodi munia redditur, ergo tunc nouum habitum ab illo realiter diſtinctum acquiſiuit; probatur Conſequentia, hoc eſt enim inditium noui habitus acquiſiti; cùm aliquod expeditè, & facilitèr operatur, quod pri⁹ ineptè, & difficultèr operabatur. Antecedens patet experientia, nam tyrones benè aliquando ſciunt regulas rectè argumentandi, vt quòd V.g. in prima figura, medius terminus debet ſubijci in maiori propoſitione &c. & tamen in applicatione aliquam difficultatem ad efformandos Syllogiſmos ſentiunt, ergo vt talis applicatio adhuc malè, vel benè fieri poſſit, requiritur ſpecialis habitus ad eos rectè, & facilitèr componẽdos, qui logica vtens appellatur. Patet ẽt in moralib⁹ vbi p̃ter ſciẽtiam vniuerſalem, quæ dictat in communi quomodò agendum eſt, datur ẽt prudentia, quæ eſt particularis quidam habitus, genitus ex pluribus egiſſe, quo in particulari cognoſcimus, quomodo talis actio fieri debeat, ergo ſic etiã in logica.

7 Reſpondent Aduerſarij negãdo aſſumptum, nam cognitis regulis,

gulis,& præceptis logicis, ſine difficultate (aiunt) intellectus prodit in vſum,& exercitium earum;& ad illud exemplum in moralibus de prudentia &c. Negant paritatem, quorũ ratio eſt, quia in moralibus poſt iudiciũ, & cognitionem obiecti, reſtat præcipua difficultas in applicãda voluntate, propter eius indifferentiam, vel reſiſtentiam ad bonum ſic regularum amplectendum; atque ideò præter ſyneſim,& Eubuliam, quæ benè iudicant, & conſiliant,requiritur adhùc diſtinctus habitus, qui imperet, & exequatur, qui habitus eſt prudentia; hoc autẽ non militat de intellectu, qui eſt potentia naturalis, & naturalitèr tendit ad obiecta. Sed ad hanc reſponſionem euertendam, non alia vrgente ratione vtimur, quam experientia; patet enim ſenſui,quòd Tyrones poſt habitam cognitionem regularum in conficiẽdis ſyllogiſmis,non ſtatim itả facilitèr, & promptè illos efformãt in diuerſis figuris, & imperfectos ad perfectos reducendo, ſed ſucceſſiuè,& ex frequenti vſu, & exercitio ex quibus repetitis, generatur habitus,quo facilitèr,citò,& delectabilitèr illos efficiãt; Et quòd intellectus ſit cauſa naturalis, parũ vrget,nam habitus non ponuntur ſolùm propter indeterminationem potentiæ;ità vt ſolis potentijs liberis conueniant, ſed etiam ob difficultatem, quam aliquando in operationibus exercendis inueniũt, vt in libris de Anima patebit. Et quia Intellectus duplicem sẽtit difficultatẽ,ideò duplici indiget habitu.

8 Reſpondent ſecundò, ꝙ illa difficultas in exercitio ſyllogizandi,non tollitur per nouum habitũ, ſed per ſolam impedimenti remotionem; ſicut in Cytaredo (aiunt) poſt apprehẽſionem artis, illa difficultas mouendi digitos, & applicandi inſtrumenta,paulatim exercitio tollitur,non per generationẽ noui habitus in digitis,ſed per ablationem impedimenti, quod in digitorũ neruis reperiebatur. Sed neque hæc reſponſio vrget;tum quia iam modò confitẽtur,poſt perceptionem regularum, adhùc eſſe difficultatem in applicatione, quæ exercitio tollitur, quod priùs negabant; tum quia & ſi multi negant in membris externis habitus, facilitas tamen ad operãdum in intellectu,& voluntate ſecundum communiorem ſententiam importat habitum; Et ſi ad tollendam difficultatem,& faciliorem vſum introducendum, ſufficeret ſola impedimenti remotio,in nulla potentia erit habitus conſtituendus ad delectabilitèr, & facilitèr operandũ, ſed ſolùm ſufficeret ablatio impedimenti, quod falſiſſimum in omnium ſententia cenſetur.

9 Reſpondet Ruuius, negando paritatẽ de Logica, & artibus Mechanicis, Artes enim quæ per externa membra exercentur, duplicẽ difficultatem ſentiunt, vnam in intellectu, in quo ſubiectantur, alteram in membro externo,per quod

exer-

exercentur, & cõſequenter duplex erit ponendus habitus; at logica, ſicut non exercetur per membra externa, ſed per ſolum intellectũ, ità nõ niſi facilitatem in intellectu petit, quæ eſt vnus, & idẽ habitus realitèr, & quo regulæ cognoſcuntur, & vſu, & exercitio applicãtur. Sed facilè ex dictis refellitur; quãuis enim logica tantùm per intellectum exerceatur, & non per aliã potẽtiam, quæ diſponi petat, attamen quia intellectus adhùc duplicem ſentit difficultatem, vnam in addiſcendis Logicæ regulis, aliam in applicatione, & vſu illarũ; ideò duplex in in eo eſt habitus conſtituendus, primus, & ſecundus, primus eſt Logicæ docentis, ſecũdus eſt logicæ Vtentis.

10 Ioannes Poncius recẽs Scotiſta, vtitur eadem reſpõſione, qua Ruuius, negando conſequentiam, de artibus mechanicis, & logica quatenùs in illis actibus nõ eſt eadem potentia ſola, quæ cognoſcit quomodò actus illi ſunt faciendi, & quæ illos efficit, ideò plures habitus ponuntur, vnus ad determinandum vnam potentiam, alter ad alteram, ſecus autem eſt in propoſito, quia eſt eadem potentia, nempè intellectus, qui cognoſcit quomodò faciendus eſt ſyllogiſmus, & qui ipſum facit; nec habet difficultatem aliquam in confectione ſyllogiſmi quando cognoſcit quomodò fieri debeat, præter difficultatem, quæ oritur ex defectu cognitionis materiæ, quam difficultatem tollit ſcientia. Sed hæc ſolutio nulla eſt, falſum enim eſt, ideò in illis artib⁹ generari habitus docentis, & vtentis, quia non eſt eadem potentia, quæ regulas cognoſcit, & quæ illas exequitur, vt Poncius aſſerit, quia medicina diuiditur in docentem, & vtentem, & tamen eſt idem intellectus, qui regulat, & medica pręcepta cognoſcit, & ea exequitur, & applicat ad opus; hoc vel illo modo pharmaca ordinando, & idem aſſerendum eſt de Rhetorica, & Grammatica; & ratio eſt, quia nõ eſt diuerſitas potentiæ, quæ requirit diuerſitatem habitus, ſed noua difficultas, ſiuè in eadem, ſiuè in diuerſa potentia reperiatur; quarè cum intellectus etiam præceptis Logicis ad conficiendos ſyllogiſmos ſufficiẽter imbutus, adhùc ſentiat in principio difficultatem in applicandis illis regulis, vt experientia conſtat, alter habitus diſtinctus erit illi concedendus ad hanc nouam difficultatem tollendam. Conuincitur etiam hic Auctor experientia Prouectorum, nã peritus Philoſophus, vel Methaphyſicus promptè, & expeditè conficit argumenta, & hoc potiùs ex frequenti vſu ſyllogizãdi, quàm ex doctrina regularum, quia nec diſtinctè, nec exactè multotiès recordatur præteptorum Logicæ, & ſummularum, & ſi de illis examinetur, non ità promptè, & expeditè reſpondebit, vt recentiores logici; quod etiam apparet de Grammatica, quia prouectiores

res meliùs latinè loquuntur, quàm Tyrones, & tamen iſti meliùs recordantur regularum Grammaticalium, quàm illi; quod euenit, quia illi habent intenſiorem Grammaticam vtentem, quàm iſti; & exemplum illud de arte pictoria, & ſimilibus, quod adducit in confirmatione ſuæ opinionis, nihil ei ſuffragatur; nam ideò in illis artibus nō geminatur habitus docens, & vtēs in intellectu, quia directio, & executio non ſpectāt ad eamdem potentiam, ſed ad diuerſas, ergo cùm in propoſito hæc munera ad eamdem potentiam pertineant ſcilicèt intellectum, erunt in eo geminandi habitus docens, & vtens; vnitas enim, & generatio habituum, non ex vnitate, vel diuerſitate potētiæ attenditur, ſed ex diuerſitate munerum, & difficultatum, quas eadē potentia patitur.

Tandem fatetur ibi Poncius, quod & ſi habitus docētis, & vtentis Logicæ nō diſtinguūtur realitèr actus tamē huius & illius ſūt realitèr diſtincti, & ſpecie diuerſi: ſed ex hac doctrina velit nolit, noſtram confirmat opinionem, quia habitus ſpecificantur ab actibus, & ideò actus ſpecie diſtincti ab eodem habitu prouenire nequeunt, quo argumento ipſe vtitur in eadem diſputatione 2. nu. 100. fol. mihi 169 vbi Concluſione ſecūda ſic ait: *Logica totalis includit plures habitus diſtinctos ſpecie.* & probat hoc medio, *quia actus Logicæ ſunt diſtincti ſpecie. V. g. actus quo cognoſco, quæ ſit natura ſyllogiſmi, & quæ ſit natura Generis, ergo & habitus Logicæ, qui inclinant ad iſtos actus ſunt diuerſæ ſpeciei.* Confirmat concluſionem, dicens: *Quia quotieſcumque actus ſunt diſtinctæ ſpeciei, vt quandò quis non facilitatur ad vnum, per hoc quod facilitatur ad alterum, tunc habitus, qui inclinatur ad vnum, eſt diſtinctæ ſpeciei ab habitu, quo inclinatur ad alterum: ſed actus prædicti Logicæ ſunt diſtinctæ ſpeciei; & per hoc, quod quis facilitatur ad primum, non facilitatur ad ſecundum, & è cōtra, ergo plures habitus diſtinctæ ſpeciei dandi ſunt, qui in ordine ad eos facilitēt potentiam.* Hæc Poncius. Obſeruent quæſo eruditi Philoſophi ſi poſſet ille Auctor clarioribus verbis noſtram confirmare ſētentiam? Si ergo duplicem experimur in Logica difficultatem, vnam, qua regulas diſcimus; alteram, qua actu exercito ſyllogiſmos componimus, qua ratione duplicitatem habitus negat? iam ipſe fatetur huiuſmodi actus eſſe ſpecie diſtinctos, ex quib⁹ in citata concluſione infert habitus diſtinctos ſpecie, & in eadem potentia intellectiua nam admittit diuerſitatem habituum, quod prius negabat.

Confirmatur Concluſio, ex eo quia actus vtētis Logicę multiplicati generant aliquem habitum in intellectu, & non Logicæ docentis, cùm non ſint actus ſcientifici, nec ſcientiam cauſent, vel augeāt; ergo alium habitū, diſtinctum ab illo Logicæ docentis. Reſpondent aliqui cum Ruuio, quòd ipſamet

Logi-

Logica docẽs perficitur per exercitiũ efformandi Syllogiſmos, non vt ſcientia, ſed vt Ars; volunt enim iſti quòd idem numero habit' Logicæ quatenùs docet regulas, & præcepta dicitur ſcientia, & Logica docens; ſed quatenùs ſingulares ſyllogiſmos efficit, dicitur Ars, & Logica vtens. Sed tãtum ab eſt, ꝙ vnus, & idem habitus dicatur ſimùl practicus, & ſpeculatiuus, cũ hæ ſint differentiæ eſſentiales; habitus eſſentialitèr diuidentes. & Logica docens ſit habitus ſpeculatiuus, vtens vero habitus practicus. Tum quia per ſecũdam regulam ante prędicamentalem, diuerſorum generum, & non ſub alternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ, ſed ſcientia, & Ars diuerſa genera conſtituunt, ergo &c.

Reſpondet Ioẽnes de S. Thoma cum alijs, quòd per actus Logicæ vtentis, non generatur nouus habitus, ſed quædam facilitas per modum diſpoſitionis in applicatione materiæ. Sed inanis labor, & ad sũmum videtur reducere litem de ſolo nomine; an ſcilicèt illa facilitas de nouo genita, ſit appellanda noua diſpoſitio, an nouus habitus, ſed ſufficit nobis, quod noua qualitas generetur, qua intellectus promptus, & facilis reddatur ad ſyllogizandum, quod prius negabant.

Et tandèm euidentiſſimum ſignum diſtinctionis realis eſt ſeparatio, ſed habitus log. docentis, & vtentis poſſunt ſeparari, vt patet in Tyronibus regulis logicæ docentis benè imbutis, ſed adhùc difficultatem ſentientibus in applicatione regularum, ergo &c.

*Obiectiones.*

Obijcitur auctoritate Scoti, q. 1. vniuerſalium, vbi inſinuare videtur, Logicam docentem, & vtentẽ non diſtingui, niſi penès diuerſas conſiderationes. ℞. facilitèr, vel ibi Doctorem loqui de Logica vtente primo modo accepta, quomodò à docente non diſtinguitur; ſed eſſe ipſammet in vſu poſitã; vel quòd per Logicam docẽtem accepit habitum procedentem ex neceſſarijs, & per vtentem habitum procedẽtẽ ex probabilibus, qualis eſt Topica, & ità poti' eſt pro nobis &c.

Arguit Auerſa: habitus vtẽs idẽ ſonat, quòd habitus regulãs, & dirigens, vel quo intellectus per modum regulæ vtitur, ergo Logica vtens non eſt habitus ſecundum rẽ diuerſus à docẽte. ℞. negando antecedens, propriè enim loquendo, logica vtens non eſt habitus, quo vtimur ſed potiùs qui nos facilitat ad vſum Logicæ docentis. Neque eſt habitus regulans, cum potiùs hoc ſit munus docentis.

Arguit Didacus: habitus Logicæ docentis inclinat ad definiendum, argumentandum &c. & intellectum facilitat ad vſum inſtrumẽtorum logicalium, ergo eſt vnus, & idem habitus, qui quatenùs tradit regulas, & præcepta logicalia, dicitur docens, quatenùs verò docẽdo ad vſum facilitat, dicitur vtens.



Digitized by Google

Antecedens patet, nam faciliùs Iuuenes adaptantur ad ſyllogiſmos componendos, poſt quàm cognouerũt quid ſit ſyllogiſmus, & quomodò effici debeat, quàm antea, ergo &c. Reſpõdetur diſtinguẽdo de actibus, quidam enim actus sũt quibus addiſcimus regulas Logicæ, alij verò quibus vtimur logicę præceptis, definiendo &c. Actus primi generis ſunt ſpeculatiui, ſecundi ſunt operatiui; Primi ſunt generatiui ſcientiæ, ſecundi Artis; quarè Logica docens ſolũ inclinat, & facilitat ad actus primi generis, .ſ. ad regulas addiſcendas; ad actus verò ſecundi generis ſolũ facilitat idealitèr, & directiuè, quatenùs intellectus, quo magis præceptis logicę docẽtis imbutus eſt, eo minus eſt erroribus expoſitus in definiẽdo, arguendo &c. ſed quantum vis regulas logicales calleat, ſemper tamen aliquam difficultatẽ patietur, donec per exercitium tollatur; & hæc erit logica vtens, & ideò negatur conſequentia.

Arguunt alij: quandò incipiunt Tyrones definire, arguere &c. & applicare regulas logicæ docentis tunc illi primi actus ſunt logicæ vtentis, & tamen non adhùc eſt in illis genitus nou' habitus, ergo logica vtens non eſt habitus diſtinctus à logica docente. ℞. neg. conſequentiam, nam illi primi actus ſunt logicæ vtentis, non quia producti ab habitu logicæ vtentis, ſed quia ſunt productiui illius, quod patet in moralibus; vbi actus ad aliquam ſpectant virtutem, vel quia illam generant, vel quia ab illa generantur; vndè illi primi actus Logicæ vtentis producuntur ab intellectu cum auxilio regularum logicæ docentis, quæ tantùm regulatiuè ad eos concurrit, & ideò producũtur cum difficultate, quæ ſucceſſiuè tollitur per habitum logicæ vtentis, quę illis actibus frequẽtatis, paulatim acquiritur.

Ob. vltimò: Ad benè arguendũ in aliqua ſcientia particulari V. g. in phyſica non videtur alius habitus neceſſarius, niſi logica dirigens actum arguendi, & phyſica eliciẽs actum circa ſuam materiam, ergo fruſtrà ponitur alius habitus diſtinctus logicæ vtentis. ℞. neg. aſſumptum, licèt enim illi duo habitus ſufficiant, vt benè in phyſica arguatur, non tamen facilitèr, & promptè &c. & ideò tertius habitus logicæ vtentis requiritur.

Dices: ſi in logica sũt duo habitus diſtincti, ergo duo obiecta in logica, quod nullus Philoſophorũ hucuſque admiſit. ℞. negando ſequelam, & ratio eſt, quia in facultatibus organicis, denominatio ſubiecti deſumi debet à fine principaliori; & quia finis, & ſcop' principalis in logica eſt ſcientia, & veritas, quæ acquiritur per Syllog. ideò hic ſufficit pro ſubiecto in tota logica; quod etiam patet in medicina, quæ licèt contineat habitũ ſpeculatiuum, & practicum, quia tamen finis eius principalis eſt ſanitas corporis ſanabilis, eius obie-

ctum

ctum ponitur abſolutè corpus vt ſanabile, & non ponuntur duo obiecta, quæ doctrina valere poteſt pro oĩbus facultatib' organicis.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An hæc diſtinctio Logicæ docentis, & vtentis conueniat omnibus partibus Logicæ.*

SCotus, quem pertiſſimi viri Decus, Lunam, Solem faciunt, & ſplendidiſſimis titulis ornant, licèt q. 1. Vniuerſalium videatur aſſerere, ſolam partem Topicam Vtentem appellari; tamen q. 1. & 2. Elenc. disertè docet, diuiſionem hãc toti logicæ cõuenire, quem ſequitur Anglicus q. 1. Vniuerſalium, & paſſim à recentioribus recipitur. Supponendum eſt pro deciſione articuli ex Doct. q. 1. Elench. quòd licèt tota logica ſit communis quo ad doctrinam, vſus tamen doctrinę diuerſus eſt in parte Topica, ſeu Dialectica, & in parte demonſtratiua: Dialectica procedit ex communib ad proprias cõcluſiones demonſtrandas in ſingulis ſciẽtijs, .ſ. à definitione, à diuiſione, à coniugatis, à toto, à ſimilibus, ab oppoſitis &c. Vult v.g. probare logicus, quòd amor, & odium ſunt in eodẽ ſuſceptibili, ſi vult Dialecticè procedere, non aſſumit pro medio adhoc probandũ proprietatem amoris, vel odij ſed vtitur illo medio communi, quòd contraria natæ sũt fieri circa idem; quod medium poteſt alijs ſcientijs, & cõſimilibus applicari; Pars verò demonſtratiua, licèt ſit de ſyllogiſmo demonſtratiuo, & de attributis ad ipſum, quæ cuilibet ſcientiæ communia ſunt, tamen in ſingulis ſcientijs arguit per proprium medium, quòd non poteſt alijs ſcientijs adaptari; & hac de cauſa inquit Scotus, peculiari quodã modo pars Topica dicitur vtẽs; tunc enim propriè dicimus aliqua re vti, quandò eam in hanc, & illam rem conſumere poſſumus, vt multi hìc cum Didaco à Ieſu aduertunt quibus præhabitis.

*Concluſio.*

*Dicimus, diuiſionem hanc logicæ in docentem, & vtentem toti logicæ, & ſingulis eius partibus conuenire, licèt peculiari quadam ratione pars Topica logica vtens appellari poſſit.* Concluſio eſt Scoti loc. cit. quę multi ex Recentiorib. ſequuntur, vt Auerſa, Ioannes de S. Thom. Ru. Did. & alij. Eſt contra D. Tho. 4. Met, lect. 4. vbi ex profeſſo negauit in parte demonſtratiua, logicam vtentem eſſe, quẽ ſequuti ſunt Complut. qu. 4. proœm. Conimb. q. 4. art. 2. Fonſeca 2. Met. c. 3. q. 1. ſec. 6. & alij. Et quòd logica docens in omni parte logicæ reperiatur, nulla eſt inter Doctores altercatio, non ſolùm .n. logica docet ſcientifico modo ſyllogiſmum demõſtratiuum cognoſcere, ſed etiam ſyllogiſmum probabilem, & apparentem; Et quòd etiam logica vtens in omni eius parte reperiatur, patet facilitèr, ex eo, quia omnes aliæ ſcientiæ non ſolùm vtũtur medio probali ad concludendum

à par-

Digitized by Google

à parte Topicâ tradito, ſed etiam medio, quod in lib. Poſt. docetur. Ergo etiam in parte demonſtratiua datur Logica vtens. Tum quia in parte demonſtratiua, non ſolùm datur doctrina de demonſtratione, ſed etiam facilitas, & promptitudo ad demonſtratiuè concludendum ex frequentatis actibus demonſtrationum reſultãs, ergo etiam in hac parte datur habitus logicæ vtentis. Tum tandèm, quia ex Scoto q. 2. vniuerſalium, & 2. meth. tex. 15. logica ſecundum ſe totã dicitur ſciẽtia communis, quia in omnibus ſcientijs exercemus partem demõſtratiuam diſputatiuam; ergo logica vtens per omnes eius partes vagatur, in vtroque ſenſu diſtinctionis vtentis, primò quia omnibus partibus logicæ in alijs ſcientijs vtimur, ſecundo quia ex frequenti vſu definitionis argumentationis &c. prompti, & faciles reddimur ad demonſtrandum, vel probabiliter diſſerendum &c. quod deinde peculiari quodam modo nomen vtentis parti Topicæ applicatur, patet ex dictis; Hæc enim pars vtitur locis communibus ad quamlibet concluſionem inferendam in alijs ſcientijs, quod in demonſtrabilibus non inuenitur, cùm per proprium medium demonſtrari debeant.

*Obiectiones.*

Ob. 1. auctoritate Scoti qu. 2. Vniuerſalium, vbi in corpore quæſiti apertis verbis affirmauit, ſolam partem Topicam eſſe vtentem. Sed iam reſponſum eſt, quo ſenſu Scotus partem Topicam vtentem vocauit &c.

Ob. 2. pro Thomiſtis. Si logica haberet vſum reſpectu partis demonſtratiuæ, vel hoc eſſet in materia propria, vel in materia aliarũ ſcientiarum, ſed nullo modo ergo &c. Probatur minor, non in materia propria, quia vſus à quo logica denominatur vtens, debet eſſe diſtinctus à doctrina, itã vt logica p ipſum vſum non doceat formalitèr ſed potiùs doctrinam recipiat, & iuxta illam operetur, ſed vſus logicæ in materia demonſtratiua, non diſtinguitur à doctrina, cùm poti' per talem vſum formalitèr doceamur, ergo, à tali vſu illa pars non poteſt vtens appellari; Neque talis dici poteſt in materia aliarũ ſcientiarum, nam quælibet ſuas demonſtrationes conficit non per directionem logicam, vndè tales demonſtrationes non procedũt à logica, ſed ab ipſis ſcientijs, aliàs ſequeretur quòd ipſa ſola eſſet ſcientia, ſi ſola ipſa demonſtrationes efficeret, ergo &c.

Reſp. facilitèr negando min. & ad probationem pro prima parte, minor eſt vera, ſi logica vtens paſſiuè accipiatur, ſicut.n. logica vtẽs in hoc ſenſu non diſtinguitur à docente, itã hic vſus non diſtinguitur à doctrina, ſed potiùs per ipſum formalitèr docemur: At ſi logica vtens actiuè accipiatur, ſic falſa eſt minor, logica .n. vtens in hoc ſenſu eſt habitus operatiuus, & realitèr diſtinctus ab habitu logicæ docentis,

eentis, nec per ipſum vſum formalitèr docemur, ſed potiùs per ipſū operamur, & prompti, & expediti ad ſyllogizādum efficimur, in quo sēſu propriè logica vtēs apellatur.

Quo ad aliam partem etiam Aduerſarij fallūtur, aliæ enim ſciētię in ſuis demonſtrationibus logica vtente, in vtroq; ſenſu vtuntur; paſſiuè, dum per præcepta logicæ in libris Poſt: procedūt; actiuè, dū per exercitium, & vſum arguendi habitum operatiuum acquirunt, quo facilitèr ſuas demonſtrationes conficiunt; quarè falſum eſt quod demoſtrationes aliarum ſcientiarum non procedant à logica vtente elicitiuè, & à logica docēte idealitèr. Neque ex hoc ſequitur, quòd ſola logica eſſet ſcientia, quia etiā aliæ ſcientiæ concurrunt phyſicè, & elicitiuè ad proprias demoſtrationes, quantum ad materiam; ità vt illæ demonſtrationes ex parte materiæ ſpectant ad illam ſcientiā particularem, ex parte formæ ad logicam, directiuè, quidem ad logicā docentē, Elicitiuè ad vtētem.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### De Fine Logicæ.

SCotus, cuius ingegij ſublimitas præſtat, vt oſibus sēper in corde, & in ore chariſſimus ſit. q. 2. Prolog. ſupra T. duplicem finem ſciētiæ intrinſecum diſtinguit, formalem .ſ. & obiectiuum, vel vt alij dicunt, Quo, & Qui; finis formalis, & quo, eſt ipſamet cognitio obiecti; finis verò obiectiuus, & qui, eſt ipsūmet obiectum. Pro maiori notitia huius Scoticæ doctrinæ. Not. eſt primò, quòd in organicis diſciplinis, alijſque facultatibus adminiculatiuis, cuiuſmodi eſt Logica, duplex finis diſtinguitur internus .ſ. & externus: primus eſt, qui ab ipſis facultatibus attingitur, ſecundus, qui non ab ipſis attingitur, ſed ab alijs facultatibus, quibus ipſæ diſciplinę organicæ inſeruiūt. V.g. eſt ars frænefactiua, quę famulatur equeſtri; finis internus frænefactiuæ eſt frænum; finis verò externus eſt directio equi, ad quam frænum ordinatur, quæ directio attingitur ab equeſtri. Sic in propoſito, finis logicæ internus, eſt inſtrumentum ſciendi cognoſcere; dirigere verò intellectus operationes in actu exercito, eſt tantùm eius finis extrinſecus, licèt n. logica ſit directiua, hoc tamen non facit eliciendo operationes, ſed hoc pertinet ad particulares ſcientias, ſimul cum logica vtente, ſed eſt tantùm directiua exēplaritèr & idealitèr quatenùs contēplatur ideas, vel inſtrumenta, ad quorum imitationem, ipſæ operationes fieri debent, vt rectæ euadant.

Et quia finis internus adhùc duplex eſt ex Doctore loc. c. formalis .ſ. & obiectiuus, finis formalis, & quo in arte fręnefactiua, eſt cognitio fræni; finis verò internus obiectiuus, & qui, eſt ipſum frænum; ſic in propoſito; finis, quo ſeù formalis intrinſecus logicæ in tota ſua latitudine, eſt cognitio modi ſciēdi, ſi-

di, finis qui, & obiectiuus, eſt modus ipſe cognitus ad quē talis notitia terminatur; quod etiam proportionalitèr dicendum eſt de logica ab Ariſtotile tradita, quòd .ſ. finis internus eius quo, & formalitèr ſit cognitio ſyllogiſmi; finis verò internus qui, & obiectiuus, eſt ſyllogiſmus.

Finis igitur log. extrinſecus eſt intellectum in ſuis operationibus dirigere; iuſtum ſi quidem erat, vt ſicut ad dirigendas voluntatis operationes, inſtituta fuit Ethica, ſcientia moralis; ità alia inſtitueretur ad dirigendas operationes intellect', ſpeculatiua, quæ logica dicitur, cum pro ſtatu iſto non minùs errori expoſitus ſit, quàm volūtas. Vndè rationabilitèr ab Ariſtotile, Modus ſciēdi appellata fuit, & definitur quòd ſit ſcientia rationalis diſcretiua veri à falſo. Et quia tres sūt intellectus operationes, .ſ. ſimplicium Apprehenſio, Iudicium, & Diſcurſus; oritur dubitatio, an hæc directio, quæ à logica intenditur, ſit omnium intellectus operationum, an tantùm tertiæ, ad quam prima, & ſecunda ordinantur. Et quia hæc directio fieri poteſt tàm in materia demonſtratiua, quàm probabili, adhuc quæritur, an hæc directio ſit intenta in omni materia tàm demonſtratiua .ſ. quàm probabili. Quantum ad primū dubium, multi affirmant, finem logicæ adæquatum eſſe dirigere tantū tertiam intellectus operationem, ità ſentire videntur Faber. lib. 1. de natura logicæ c. 18. & omnes illi, qui tenent obiectum logicæ in tota ſua amplitudine, eſſe ſyllogiſmum. Quantum ad ſecundum, aliqui tenent, logicę finem eſſe noſtrā cognitionem in materia, tātùm demonſtratiua dirigere; ità docere videntur. Auic. p. 1. logicæ c. 2. Ammonius præfat. in prædic. Alex. ph. & alij.

*Concluſio.*

*Dicimus, ſi logica in tota ſua amplitudine accipiatur, finem eius extrinſecum adæquatum eſſe, omnes, & ſingulas operationes dirigere, & in quacumque materia, tàm neceſſaria, quàm probabili; ſi verò ſermo fiat de logica ab Ariſt. tradita, finis eius extrinſecus adæquatus eſt, tantùm tertiam operationem dirigere.* Eſt Scoti .1. priorum q. 2. §. quantū ad tertium, & quoàd primam partem, ità facilè probatur; Omnes tres intellectus operationes ſunt in quacumque materia dirigibiles, ergo logica in tota ſua amplitudine ad omnes illas dirigendas, & in quacūque materia ordinatur. Antecedens patet, nam quælibet operatio ab alia independenter poteſt errorem participare, & ſi per impoſſibile tertia operatio implicaret, adhùc darentur præcepta de ſecunda operatione, V.g. quòd vniuerſalis negatiua ſimpliciter cōuertitur in ſe ipſam &c. & ſi implicaret hæc, darentur regulæ pro directione primæ, quòd v.g. ad perfectè, & diſtinctè eſsētiam rei percipiendam, concipere oportet genus, & differentiam obiecti &c.

Reſ-

Reſpondent Aduerſarij, poſſe vtique alias operationes directionem recipere, ſed tãtùm indirectè, & reductiuè, quatenùs ad tertiam reducuntur; ſed licèt hoc verum ſit tamen per ſe, omnes habent ſuas rectitudines, & ſunt directionis capaces per ſuas regulas, & præcepta diſtincta. Quòd deindè vna operatio ſit magis capax directionis, quàm alia, nõ efficit, quin ſint omnes ab ipſa logica dirigibiles, ſed ſolùm, quòd directio vnius magis principalitèr attendatur, quàm alterius. Verum eſt tamẽ, quòd licèt logica ſit adæquatè inuenta, ob directionem omnium intellectus operationum, & in quacumque materia, principalitèr tamen inuenta eſt propter directionem tertiæ; & in materia neceſſaria, cũ inter omnes operationes illa ſit difficilior, licèt talis finis non ſit adæquatus.

Probatur quoad aliam partem ex Scot. loc. cit. vbi ait: Ariſt. parũ curaſſe de diuiſione; & de definitione egiſſe quatenùs argumentationi inſeruit &c. Vndè ſic loc. cit. Doctor diſcurrit: quicquid Ariſt. tractat in ſua logica, in gratiam argumẽtationis, ſeù ſyllogiſmi, tractat, ergò adæquatus eius finis eſt directio ſolius tertiæ operationis. Probatur aſſumptum, principia enim eius tàm remota, quàm proxima declarauit in libris Prædic. & Perhier. rationẽ eius in communi, & qditatem in libris Prior. manifeſtauit; & tãdèm partes ſubiectiuas in libris Poſt. Topiſt. & Elench. expoſuit, quibus tota Ariſtot. logica abſoluitur; Hinc Ariſtot. ipſe in fine Elench. dixit ſe da Syllogiſmo tractaſſe, quaſi diſcurſ. de ſyllogiſmo fuerit totus eius ſcopus, & finis. Vndè etiam colligitur, quòd & ſi Ariſtot. logica ſit inſtituta pro directione diſcurſus in quacumque materia; vt patet in fine Elench. principalitèr tamen, ob directionẽ eius in materia neceſſaria inſtituta eſt, vt cõſtat ex 1. poſt. c. 5. vbi proponit ſe primum, i. præcipuè de Demonſtratione tractaturum.

*Obiectiones.*

Ob. 1. probando, quòd finis logicæ non ſit operationes intellect. dirigere; operationes rectas in rerum cognitione efficere, ac verum à falſo diſcernere, ad ſingulas ſciẽtias in particulari ſpectat, ergo nõ poteſt eſſe hic finis præcipuus logicæ. Reſponſio patet ex dictis; operationes rectas elicitiuè, & in actu exercito efficere, ad alias ſcientias in particulari, circa propriam materiam pertinet; ſed exemplaritèr, idealitèr, & in eſſe quaſi ſignato, ad ſolam ſpectat logicam; ſicut etiam diſcernere verum à falſo ad ſolam logicam inſtrumẽtalitèr ſpectat, quæ ſola dat regulas errores dignoſcẽdi in qualibet intellectus operatione, ſic Zabarella lib. 1. de natura logicę c. 3. Baſſol. q. 8. Prol. Art. 2. & alij.

Sed contrà, ſi hæc doctrina eſſet vera, ſequeretur, quòd logica eſſet etiam directiua ſuarum operationum, ſed hoc eſt falſum, ergo &c.

prob. minor, ex hoc enim ſequeretur proceſſus in infinitum; nam peteré de illa, per quã recta fuit talis operatio, & deinde de illa alia, & ſic in infinitum: Rñ. negando minoré; nec ſequitur proceſſus in infinitum, quia per eadem, n. præcepta quibus intellectus dirigit actus aliarũ ſcientiarum, dirigere poteſt actus logicæ habita, n. regula, quòd ſyllogiſmus conſtet ex tribus terminis &c. ſufficiens eſt ad dirigendas operationes intellectiuas, tam in logica, quàm in alijs ſcientijs.

Ob. 2. quòd finis logicę ſecundũ ſuam latitudinem ſit directio tertiæ operationis tantùm: Prima operatio intellectus eſt apprehẽſio obiecti repræſentati per ſpeciem, quæ neceſſario repræſentat, quia ratione negat Ariſt. in prima operatione falſitatem reperiri; ergo nõ eſt dirigibilis. Neque ſecunda operatio; nam vel eſt circa obiectũ notum ex terminis, ita vt ſit propoſitio per ſe nota, & tunc ſufficit lumé intellectus, & apprehenſio terminorum; vel eſt circa obiectũ ignotum, & tunc notificari poſtulat ex vi tertiæ operationis, & conſequẽter vt tertia dirigitur, non vt ſecunda, & tandem, quòd tertia operatio in materia tantùm neceſſaria dirigi debeat, patet ex eo, quia logica dicitur inſtrumentũ ſciendi, & ſciẽtia per ſolam demõſtrationem habetur, ergo &c. Rñ. ad primum negando aſſumptum, licet in prima operatione non reperiatur falſitas complexa, poteſt tamen falſitas incomplexa reperiri, quod patet quando intellectus cõcipit res aliter quàm ſint, vt Angelum corporeum &c. vel tùm indiſtinctè & confusè rem aliquam apprehendit non conſiderando omnes & ſingulos eius gradus eſſentiales, propter quos defectus indiget intellectus etiam in prima operatione ſua directione; Et cùm dicitur, quòd obiectum tunc repræſentatur per ſpeciem neceſſario repræſentãtem, admittitur, ſed negatur ſemper rectè repræſentare; ſæpè. n. ex mala conſtitutione ſenſuum, tàm interiorum, quàm externorum prouenit mala repræſentatio ſpecierum intelligibilium, vnde fit, vt veritas, vel falſitas incomplexa in hac operatione attẽdatur ex obiecto in ſe, non vt repræſentato.

Ad illud de ſecunda operatione, dicimus, quòd intellectus ſaltem in enunciationibus non per ſe notis, indiget directione logica, quæ dat præcepta ordinatè connectendi prædicatum cum ſubiecto, & ſi modò talis connexio ſit nota, ſiue incognita parum refert, nã talis connexio non fit intuendo obiectum, ſed regulas logicales. Et ſi obiectũ notificetur per tertiam, adhuc tamen directio ſecundæ operationis diſtincta eſt à directione tertiæ, cũ poſſit ſine ea rectificari. Ad vltimũ de tertia operatione negatur, quòd in materia tantùm neceſſaria dirigi debeat, & ad id quòd logica appellatur modus, ſeu inſtrumentum ſciendi, Rñ. ly modus ſciendi, non

accipi in illo rigore, quòd tantùm ſignificet notitiam per demonſtrationem acquiſitam, ſed pro quacumque notitia, quocumque modo habita.

Ob. 3. quòd finis logicæ Ariſt. ſit directio cuiuſcumque operationis, non ſolius tertiæ, nam Ariſt. vt intellectus in apprehenſione rerũ, diſtinctè, & ſine errore apprehenderet, li. Predicam. edidit. Ad euitandos errores, qui committi poterant in coniunctione terminorũ, conſtituit regulas, & præcepta in lib. Perhierm. Et tandèm ad euitãdos errores, qui contingere poterant circa diſcurſus, lib. Prior. Poſt. Topic. & Elench. compoſuit; ergo &c. ℞. poſſe vtique Ariſt. logicam ſic dipartiri, vt Antonius Andr. cũ alijs aduertit, ſed quia terminos, & propoſitiones ibi non propter ſe, ſed vt partes ſyllogiſmi conſiderauit; ideò finis logicæ eius adæquatus erit tãtùm directio tertiæ operationis, non aliarum.

Ob. 4. quòd finis logicæ tàm intrinſecus, quàm extrinſecus ſit operationes intellectus dirigere; Finis intrinſecus habitus eſsẽtialitèr directiui, eſt directio ipſa, ſed logica eſt eſſentialitèr habitus directiuus, ergo &c. Nec dicere ſufficit, logicã eſſe habitum directiuum tantùm idealitèr, & in eſſe ſignato, non autem in actu exercito, & eliciuè, ad cuiꝰ inſtar operatio fieri debet, vt recta ſit; non iuuat (inquiunt) nã etiam logica elicit operationes rectas in ſua propria materia, ergo etiam in actu exercito illam directionem attingit. ℞. ſolutione data in argumẽto. Ad probationem dicimus, logicam tantùm per accidens directionem illam in actu exercito attingere, ſed tale munus exercet, ac ſi eſſet diſtincta facultas; Vndè tantùm idealitèr ſuas operationes dirigit, ſicut ſe habet in alijs ſcientijs; eliciuè autem ſpectat ad logicam vtentem, tàm in propria, quàm in aliena materia. Nec directio intellectꝰ eſt finis logicæ, ſed potiùs finis logici, & Inuentoris logicæ.

Ob. 5. Contra exemplum adductum, de frænefactiua, quæ Ars nõ ſolùm intrinſecè reſpicit cognitionem faciẽdi frænum, ſed etiam ipſamet fræni directionem, qua frænum rectè fiat; & parum refert, q directio equi non reſpiciatur intrinſecè à frænefactoria, nam hæc directio pertinet ad equeſtrem, q̃ eſt alia facultas; ſed logica eſt directiua operationum intellectus; ergo ad eam tota directio pertinet, tàm intrinſeca, quàm extrinſeca. ℞. negando aſſumptum de frænefactiua docente, hæc n. tantùm docet regulas rectè faciendi frænum, directio verò in actu exercito attingitur ab alio habitu in externis potentijs exiſtente, qui frænefactoria vtens appellatur, quæ conficit frænum iuxta regulas, & ideas præſcriptas ab ipſa frænefactoria docente. Ità Maſtr. & Bellut. cum alijs Hac doctrina habita de fine logicæ, facilis erit deciſio de eiꝰ obie-

Sto, finis illi intrinſecus ſcientiæ, ſolet cum eius obiecto coincidere, vt rectè Faber Theor. 1. aduertit.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*De Obiecto Logicæ ab Ariſt. tradita.*

Scotus, cui' doctrinę Scuto (ſubtiliſſimo quidem ſed tranſuerberari difficillimo) aſſectæ in literarum prælio vtentes, ſecuti victoriam promittunt. 1. Prior. q. 2. ſupponit nomen ſubiecti multas habere acceptiones. Et vno modo accipitur pro ſubiecto inhæſionis, alio modo pro ſubiecto in propoſitione, & alijs modis. Nos in præſẽti cũ ipſo Doctore accipimus pro eo, circa quod qualibet ſcientia verſatur, & quomodo Ariſt. accepit. 1. poſt. tex. 2. & 25. cùm ait vna ſcientia dicitur eſſe vnius generis ſubiecti. Dicitur etiam obiectum, quod potentię, vel facultati obijcitur cognoſcendum, vel cõſiderandum, & appellatur obiectum conſiderationis; quod etiam dupliciter accipi poteſt, vno modo largè pro omni re in ſcientia, vel arte cõſiderata; alio modo magis propriè, pro illa re, quæ primò, & principaliter in tali ſcientia conſideratur; Et hoc adhuc dupliciter, nam vel ſumitur pro ſubiecto adæquato, & totali, vel pro ſubiecto partiali, quod deinde diuiditur in partiale principale, & partiale minus pricipale, quæ ſub totali continentur. Nos hic loquimur de ſubiecto adæquato & totali, quod eſt primò intentum, & in ſcientia conſideratum, & circa quod tota artificis cura, & diligentia poſita ſit, & ad quod omnia, quæ in ſcientia ſunt reducuntur, & habent attributionem, vndè meritò ſubiectum attributionis appellari conſueuit, quamuis à quibuſdam Neotericis ſubiectũ principalitatis nominetur.

Eſt primò aduertendum, quòd licèt ſubiectum tali modo acceptũ multas habeat cõditiones, & proprietates, omnes tamen reduci videntur ad illas, quas Scot. q. 3. vniuerſalium enumerat .ſ. quòd de ſubiecto præſuponatur, quia eſt, & quid eſt; & per eius quod quid eſt demonſtrentur proprietates, & affectiones de eo in illa ſcientia; & tandem, quòd omnia, quæ in illa ſcientia traduntur, reducantur ad ipſum, & propter ipsũ conſiderẽtur, vel tãquã ei' principia, vel tãquã partes, vel vt ſpecies, vel vt proprietates, vel alia conſimili ratione. Quas conditiones recipiunt Complut. diſp. 1. proœm. q. 2. Didacus à Ieſu, & alij ex Recentioribus. Et deducuntur ab Ariſt. 1. poſ. tex. 2. & 25. vbi inſinuauit, ſubiectum eſſe illud, cuius principia, partes, & paſſiones in ſcientia inquiruntur; de quibus conditionibus infra in diſputatione de ſcientia fusè agemus. Et quia obiectum adæquatũ ſcientiæ conſtat ex parte materiali, & formali, re, ſ. conſiderata, & modo conſiderandi, ex quibus vnũ ſubiectum totius ſcientiæ in eſſe ſcibili componitur, in præſenti de vtraq; parte ſubiecti logicę agem'.

Eſt

Eſt aduertendum ſecundò pro tituli declaratione, logicam dupliciter accipi poſſe: vno modo fusè in tota ſua latitudine, ſecundum quam inſtitui poteſt, & vt comprehendit omnem modum ſciendi, ſ. Definitionem, Diuiſionem, & Demonſtrationem, vel alium modum ad inſtrumentum ſciendi reducibilem: alio modo preſsè, & prout fuit ab Ariſt. tradita. In præſenti inquirimus de ſubiecto logicæ Ariſtotelicæ, circa quod variæ, & multæ ſunt doctorum opiniones, quarum tantùm celebriores recenſemus, quæ ad duas poſſunt claſſes reuocari: Vna eſt illorum, qui aſſerunt, logicam eſſe ſcientiam realẽ, & conſequenter obiectum reale ei attribuunt: Altera eſt eorum, qui ſcientiam rationalem eam faciunt, & aliquod ens rationis pro eius obiecto aſſignant.

Eorum, qui tenẽt, obiectum logicæ eſſe Ens reale, prima opinio ſtatuit pro eius ſubiecto res omnes ſiuè entia omnia, non quatenùs entia ſunt, ſic .n. ad Met. ſpectant, ſed quatenùs intelligibilia ſunt. Secunda opinio affirmat, non res, ſed voces, verum ſignificatiuas eſſe obiectum logicæ, quæ Nominalibus attribui ſolet. Tertia eſſerit modũ, ſeù inſtrumentum ſciendi reale, eſſe logicæ ſubiectum; ſed quid per hoc inſtrumentum intelligatur, magna eſt inter huius ſcientiæ Sectatores altercatio; Alij .n. per tale inſtrumentum, intelligunt demõſtrationem propriiſſimè ſumptã, ſcientiæ Demonſtratiuæ productiuam; Alij latiùs, pro ſyllogiſmo quocumq; modo accepto intelligunt, ſed pro prima intentione, quo ſenſu inſtrumenta realia cenſentur; Alij tandẽ latiſſimè, pro vt inſtrumentũ cõplectitur definitionẽ, diuiſionẽ, & argumẽtationẽ, ſed pro prima intentione, ſeù cõceptibus, obiectiuis, ita Conimbr. q. 2. proœmiali, qui tamẽ proteſtantur ſe loqui de logica ſecundum ſe, non pro vt ab Ariſt. tradita, nam ſic, ſolam Argumentationem pro ſubiecto adæquato logicæ aſſignant.

Quarta ſententia communis inter Recentiores ſtatuit pro ſubiecto logicæ, non inſtrumenta ſciendi, ſed operationes intellectus, quatenùs dirigibiles ſunt. Ita Suar. 1. tom. Meth. diſp. 1. ſect. 4. ſequũtur Ruu. q. 6. Moris; prol. 4. Blãch. diſput. 1. q. 5. Didacus q. 3. proœm. Arriaga diſp. 2. log. n. 34. Amicus in log. tract. 1. q. 5. dub. 4. Auerſa q. 2. ſect. 5. vbi ſpecialiter ait, cognitionem intellectiuam comprehendentem tres actus noſtri intellectus, quatenùs dirigibilem, eſſe obiectũ logicæ Ariſt. ita vt cognitio intellectiua ſit materiale, vt dirigibilis, ſit formale.

Illi verò, qui ſubiectum ens rationis ponunt, adhuc diuidũtur; quidam .n. ens rationis in tota ſua cõmunitate ſumptũ, pro ſubiecto logicæ conſtituunt; Alij verò, hanc opinionem magis coarctantes, ens rationis logicum, & ſecundam intentionem pro ſubiecto ſtatuunt;

qui

quæ in logica ſignificari ſolet per terminos logicales, Genus, Species, Subiectum, Prædicatum, &c. ita Thomiſtæ omnes, Caiet. cap. de genere p. 2. Sot. q. 5. proœm. Maſius ſect. 1. qu. 13. Iauelli tract. 1. log. c. 2. Sanchez lib. 1. q. 17. compl. diſp. 1. q. 2. Ioan. de S. Thomi p. 2. log. q. 1. Art. 3. Niger, Petronius, & Alij Thomiſtæ communiter, tam Veteres, quam Recentiores. Alij tandem logicæ ſubiectum ſtatuerunt ens rationis, quod per ſyllogiſmum importantur, quæ fuit ſententia Scoti, & ſequuntur communiter Scotiſtæ Sarnan. Maurit. Anglicus, Braſauol. Rocc. Faber Theor. 6. Fuentes, & Alij, non tamen ſatis ſe declarantes, an de obiecto logicæ Ariſtotelicæ, vel logicæ in ſe loquantur.

*Concluſio.*

*Dicimus, obiectum logicæ ab Ariſt. traditæ, non eſſe aliquod reale, ſed ens rationis; non quidem in tota ſua latitudine; neq; vt ad ens rationis logicũ vel ſecundam intentionem limitatum, ſed quatenus ſylogiſmũ importat.* Eſt Scoti q. 3. vniuerſalium, & 1. Prior. q. 1. vbi aliud ſtatuit ſubiectum in logica, vt ab Ariſt. tradita, & aliud vt in ſe, & in tota ſua amplitudine, quem Faber loc. cit. cap. 3. & Bell. & Maſt. hic q. proœm. ſequuntur art. 3. & Probatur quoad ſingulas partes; & primò quòd non ſit aliquod reale logicæ ſubiectũ; patet ex eo, quia quæcumq; in logica Ariſt. traduntur ſunt entia rationis, & ſecundæ intentiones logicales, vt genus, ſpecies, ſubiectum, prædicatum, vniuocum, analogum, prædicabile, prædicamentum, propoſitio, conuerſio, æquipollentia, Antecedens, conſequẽtia, ſyllogiſmus &c. ergo nõ eſt q d reale. Prob. etiam auct. Boëtij, qui dixit, logicam eſſe de ſecundis intentionibus applicatis primis; quia Ariſt. totam ſuam logicam ſub terminis ſecundarum intẽtionum tradidit: Tum quia hac ratione dicta fuit ſcientia rationalis, & à ſciẽtia reali ſecluſa, vt Scotus q. 3. Prologi lit. I. docuit. quod auctoritate omnium Peripatheticorũ confirmatur, aſſerentium logicam eſſe ſcientiam rationalem, & cõtra diſtinctam à ſcientia reali, qui ens rationis pro eius ſubiecto aſſignarunt. & tandem eadẽ ratione Grãmaticam, & Rhetoricam à ſcientia reali diſtingunt, quia ſub terminis ſecundarum intentionum traduntur, vt ſunt Nomen, Verbum, Participium &c. ergo &c.

Reſpondent Aduerſarij, negantes aſſumptum, cum potiùs Ariſt. logica in omnibus tractatibus de entibus realibus agat; in lib. 1. Perhier. & Prior, & ſequentibus agitur de actibus noſtri intellectus ſ. de enunciatione, & diſcurſu &c. In lib. Prædicament. diſponuntur in recta linea naturæ reales, vbi nõ agitur de ſecundis intentionibus. In lib. Prædicab. quamuis tractetur de genere, differentia &c. quæ ſecundæ intentiones videntur, tamẽ de illis tractatur quatenus entia

tia

tia realia important, & de entibus realibus verificantur: ibi, in docetur Genus prædicari de ſpeciebus, ſpeciem de indiuiduis &c. at non valet prædicatio, dicendo, ſpecies eſt genus, indiuiduum eſt ſpecies, ſed homo eſt animal, Petrus eſt homo &c.

Sed meritò hæc reſponſio communitèr reijcitur; nam falſum eſt, quòd in lib. Periherm. & Prior. &c. per ſe agatur de actibus noſtri intellectus, diſcurſu, enunciatione &c. cùm potiùs ibi agatur de regulis, & præceptis, quibus tales operationes dirigantur, quæ regulæ traduntur per terminos ſecundarũ intentionum, V. g. quòd in prima figura maius extremum prædicetur de medio termino &c. Neque in Predicamentis per ſe agitur de naturis realibus, Subſtantia, Quantitate &c. cùm hæc ad Meth. ſpectent; ſed de illis agit logicus ſecũdum rationem ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis, quod etiam dicẽdum eſt de naturis communibus, quas Genus Species &c. importãt, quas logicus conſiderat nõ vt naturæ sunt, ſed vt ſecundæ intentiones vniuerſalitatis, quæ in ipſis naturis cõmunibus fundantur. Neq; oportet illas prædicationes de illis ſecundis intentionibus verificari prædicatione exercita, cùm ſatis trita ſit illa regula logicalis, quòd, quæ ſignantur in ſecundis exercẽtur in primis; Vndè patet vanam, & nullam eſſe aduerſariorum ſolutionem contra antiquam, & conſtantiſſimam ſententiam Peripath. communitèr logicam, ſcientiam rationalem ab obiecto rationis appellantium.

Prob. 2. quòd ens rationis in tota ſua latitudine, non ſit obiectum logicę Ariſt. nam etiam Grammatica, Rhetor. Poëtica ſua habent entia rationis; Nec Thomiſtæ ens rationis in tanta amplitudine accipiunt, cùm ſubiectum in logica aſſignant, vt videre eſt apud ipſos; nec relationes rationis quib' Deus ad creaturas refertur ad logicam ſpectant, ergo &c.

Prob. 3. Quòd neque Ens rationis logicũ, ſeù ſecũda intẽtio veritatis manifeſtatiua ſit ſubiectũ in logica: Tùm quia diſtinguẽdum eſt in qualibet ſciẽtia ſubiectũ cõmunitatis, à ſubiecto attributionis, ſed ſecunda intentio in logica eſt ſubiectum communitatis, quia eſſentialitèr prædicatur de ſubiecto, prædicato, genere, ſpecie, differentia, propoſitione, ęquipollẽtia &c. ergo nõ erit ſubiectum attributionis. Tùm quia ſecundum hanc ſententiam, nõ diſtinguerentur in logica, principia, paſſiones, & ſubiectum, vt Ariſt. 1. poſt. 25. docuit, quia omnia hæc conſiderantur vt ſpecies, cùm includant intrinſecè conceptum entis rationis, & ſecundę intentionis. Tùm tandèm, quia, & ſi ſecundas intentiones Ariſt. cõſideraſſet, vt veritatis oſtenſiuas, non tamen per ſe, & directè, vel vt ſpecies obiecti, ſed indirectè & reductiuè; conſiderauit n. terminos,

ll 8 & pro-

Digitized by Google

& propoſitiones, vt principia ſui ſubiecti, & aliquas ſecundas intentiones, & eius paſſiones.

Nec conditiones ſubiecti ſupra relatæ à Complutenſibus, & pluribus Thomiſtis receptę, ſecundę intentioni conueniunt; quarum vna eſt, quòd debet continere omnia illa, quæ in tali ſcientia tractantur, ità vt ad ipſum omnia reducantur, vel tamquam principia, vel partes, vel vt eius proprietates; Altera cōditio eſt, vt ſubiectum ſit illud, de quo potiſſima cura eſt in illa ſcientia. Prima conditio ſecundæ intētioni non conuenit; nam omnia, q̄ in logica conſiderantur non reducuntur ad ipſam, vt principia, partes; & proprietates, ſed vt ſpecies: neque ſecunda, quia tota Ariſt. cura (vt patet) fuit agere de ſyllogiſmo, vt ipſemet c. vltimo Elēchorū proteſtatus eſt, eius regulas, & pręcepta accuratè, & ſpecialitèr tradendo, quod de ſecundis intentionibus non fecit, nec de ipſis peculiarem tractatum habuit, nec aliquas paſſiones de ipſis demonſtrauit, quod neceſſarium erat, ſi ſecūda intentio pro ſubiecto erat conſtituenda. Tùm tandèm quia Ariſt. nō egit ex profeſſo de definitione, & diuiſione, quæ ſecundæ intētiones ſunt. Nec ſecundam intentionem definiuit, ergo ſecunda intentio non erit obiectum adæquatum in Ariſ. log.

Reſpondent Cōplutenſes, quòd licèt Ariſ. ex profeſſo de diffinitione, & Diuiſione, non egerit, ex hoc tamen nō ſequitur quòd ſub obiecto logicæ nō contineantur, ſed de illis nō curauit, quia dę Definitione iam egerat Socrates, & de Diuiſione Plato, ſed nullus ità perfectè de arte Syllogiſtica, ſicut ipſe egit; Vel quia, vt ait Laërtius libr. 5. in vita Ariſt. de definitione, & diuiſione nonnulla ediderat volumina, quæ temporis iniuria perierunt de logica. n. 150. libros edidit; ait Laërtius. Sed hæc reſponſio ſolum oſtendit, Definitionem, & Diuiſionem ad logicæ obiectum ſpectare in tota ſua amplitudine, quod gratis concedimus; Sed Nos in præſēti loquimur de obiecto logicę quo modò nunc extat, & in ſuo organo apparet.

Et tadèm, quòd ſubiectum adæquatum in logica Ariſt. ſit ſyllogiſmus, patet; Tùm, quia finis logicæ Ariſ. intrinſecus eſt tradere inſtrumentum ſciendi ſpectans ad tertiā intellectus operationem, quod eſt ſyllogiſmus, de quo pręcipuam curam habuit, qui finis cum obiecto coincidit, vt ſupra diximus; Tùm, qa in Ariſ. logica ſyllogiſmus gaudet omnibus, & ſingulis conditionibus, quæ in obiecto ſcientiæ cōſiderātur, gaudet prima, nam ſupponitur in ea ſyllogiſmum eſſe; & poſt tractatum de principijs remotis, & propinquis in lib. Prædicam. & Perhier. ſtatim in lib. Priorum præmittit eius definitionem; Gaudet ſecunda, nam in lib. Prior. multę paſſiones per eius definitionem demōſtrantur, vt eſſe in modo & fi-

& figura, conſtare ex tribus terminis, concludere vniuerſalitèr, particularitèr &c. Et tandèm gaudet tertia, quoniam, quæ in eius logica tractātur, vel ſunt principia ſyllogiſmi, & ſic habētur lib. Prædicam. & Perhier. vel ſunt proprietates eius, & ſic habentur lib. Prior. vel ſpecies, & ſic habentur lib. Poſ. Topic. & Elech. & eſt diſcurs Scoti 1. Prior. quæſt. 2. ex qua ratione etiam concluditur ſubiectum in logica non eſſe ens reale, cùm hic nec definiatur, nec eius paſſiones probentur, nec eius principia inquirantur &c.

*Obiectiones.*

Obijciunt Neoterici, probando, quòd ens reale, non rationis in logica pro ſubiecto poni debet: quælibet ſciētia realitèr cauſatur à ſuo obiecto partialitèr, à quo etiam in perfectione mēſuratur, dicit enim relationem ad illud, vt ad menſuram, ex philoſopho cap. de relatione, ſed nullum ens rationis poteſt cauſare ſcientiam, quæ eſt qualitas realis, nec eius perfectionem menſurare, cùm ſit illa imperfectius, ergo &c.

Reſp. Logicam poſſe conſiderari duplicitèr intrinſecè, & extrinſecè; primo modo eſt in genere qualitatis, & dicitur realis, ſecūdo modo conſideratur in ordine ad obiectum, quod conſiderat, & dicitur rationalis; vt realis eſt, cauſatur à fundamento entis rationis logici, quod eſt reale; vel quòd eius caulitas tota refundi poteſt in intellectum, licèt .n. in actu recto obiectum ſit cauſa partialis ſcientiæ, in actu tamen reflexo totalis caulitas tribui poteſt potentiæ, vt verò rationalis eſt, ità ſpecificatur ab obiecto, quod conſiderat, non motiuè, ità vt ex tali obiecto partialitèr efficiatur, ſed terminatiuè, quatenus ad illud terminatur. Et ad illud de menſura. Reſpond. quòd licèt ens rationis non poſſit eſſe menſura ſcientiæ quantùm ad perfectionem entis, poteſt tamen eſſe menſura ſui actus, quoàd veritatē, quatenus notitia in tantùm vera eſt, in quantùm obiectum exprimit ſicut eſt, & hoc ſufficit ad rationem obiecti, quo ſenſu de relatione mēſurabilis ad mēſurā loquutus fuit Scot. quol. 13. lit. M. & O. & propriè dici ſolet relatio conformitatis actus ad obiectum, vt benè hic Bellut. & Maſtr. aduertunt, & reſponſio colligitur ex Mauritio q. 3. vniuerſalium §. *6. dubitatur.*

Ob. 2. Obiectum ſcientiæ debet eſſe ſcibile, & per ſe intelligibile, ſed ens rationis nō eſt huiuſmodi, cùm intelligibilitas ſit prima paſſio entis realis, ergo &c. ℞. negando minorem, nam licèt intelligibilitas ſit prima paſſio entis realis reſpectu obiecti primarij, eſt etiam paſſio entis rationis, reſpectu obiecti ſecundarij; ſicut .n. ens rationis entitatem ad modum entis realis habet, ità etiā ſcibile eſt ad modum eius &c.

Ob. 3. Si logica ageret de ente rationis, ideò eſſet, quia tractat de

ſubiecto, prædicato &c. ſed etiam hæc dicũtur entia realia, ergo &c. probatur minor, quia in hac propoſitione, homo eſt animal, ly homo nõ repręſẽtat naturã humanã præciſè, ſed vt animali ſubijcitur, ergo etiam quantum ad modũ repræſentandi, dicit quid reale. ℞. neg. min. cũ ſua probatione, licèt .n. repræſentatio hominis in illa propoſitione ſit realis, ea tamẽ ſubiectio in propoſitione eſt quædã extrinſeca denominatio ab actu recto intellect⁹ derelicta, q̃ ſit ens rationis, & ſecunda intentio formalitèr per actũ reflexum intellectus.

Ob. 4. Si logica eſt de ſecundis intentionibus, hoc non erit de ipſis in abſtracto, ſed in concreto, vt applicatis primis, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. prob. min. quia tunc logica haberet pro obiecto aggregatum per accidens. ℞. neg. min. cum ſua prob. quia res primæ intentionis non ingrediuntur in cõceptum ſecundarum, veluti partes, ſed vt reſpectus terminãtes, & eodem modo, quo accidens, quandò intelligitur à ſubiecto dependere, non intelligitur, vt vnum per accidens, & vt aggregatum ex vtroque ſed vt ad ſubiectum terminatum.

Ob. 5. Demonſtratio, quæ eſt ſubiectum principale in logica, eſt quid reale, ergo etiam ſubiectum adæquatum, ſub quo continetur, reale erit. Probatur antecedens, q. a demonſtratio conſideratur à logica, vt effectrix eſt ſcientię, quod nõ poteſt enti rationis conuenire. ℞. demonſtrationem poſſe accipi dupliciter, vno modo materialitèr, & pro prima intentione, vti eſt illa materialis collocatio propoſitionum, qua medius terminus ità ordinatur &c. Alio modo formalitèr & pro ſecunda intentione, & eſt relatio ficta ab intellectu antecedentis, & conſequentis, maioris, & minoris &c. occaſione ex illa reali ordinatione deſumpta; primo modo cauſat ſcientiam realitèr, & in actu exercito, ſecundo modo in actu ſignato, & hoc modo in logica Ariſt. accipitur, & ab eo definitur, quòd ſit inſtrumentum faciens ſcire ſcil. ſignatè.

Ob. vltimo. Subiectũ debet virtualitèr continere notitiam ſuarũ paſſionum, quæ ipſum formalitèr conſequuntur ex Doct. q. 3. Prologi, ſed ens rationis non poteſt notitiam ſuarum paſſionum cauſare, cùm talis notitia ſit qualitas realis, ergo &c. Reſpondet Maurit. loc. c. quòd continentia virtualis, cuius Scot. meminit, conuenit ſubiecto ſciẽtiæ realis, de quo ibi loquitur, non ſubiecto ſcientiæ rationalis; ſed non placet, quia talis continẽtia omni ſubiecto tàm reali, quàm rationis competit ſuo modo. Ideò reſpondetur maiorem eſſe veram, quoad eſſe cognitum, quia ſubiectum ipſum, vt ſic non cauſat notitiam paſſionum, ſed ſubiectum, vt cognitum, quòd eſt dicere, notitia ſubiecti cauſat notitiam paſſionũ, ꝙ enti rationis competere poteſt, cùm .n. eius cognitio ſit ens reale,

ens

ens reale cauſare poteſt.

Secundò obijciunt Thomiſtę logica dicitur ſcientia rationalis nõ intrinſecè, cùm ſic ſit ſcientia realis, ergo ab obiecto, quod ens rationis eſt. ℞. Logica dicitur rationalis ab obiecto quod ens rationis eſt, non in tota ſua amplitudine, quia ſic eſt obiectum communitatis, ſed prout ſupponit pro ſyllogiſmo, de quo fuit ſpecialis cura Ariſtot.

Ob. 2. Quæcumq; in logica traduntur ſunt entia rationis, & ſecũdæ intentiones, ergo ens rationis erit logicæ ſubiectum. ℞ concedẽdo de ſubiecto communitatis, & prædicationis, non de ſubiecto attributionis, quomodò accipi ſolet ſubiectum in ſcientijs.

Ob. 3. Sicut datur vna ſcientia, quæ in vniuerſum de ente reali agit, quæ eſt Meth. ſic dari debet alia ſcientia, quæ de ente rationis in communi agat, quæ eſſe nõ poteſt niſi logica ℞. nega. conſeq. nam ens rationis reductiuè ad Methap. pertinet, eiuſdem enim ſcientię eſt conſiderare id, quod tale eſt, & quod videtur tale ex 4. meth. tex. 4. directè verò ad nullam ſcientiam ſpectat; Et quando etiam ad logicam ſpectaret, ſolùm infertur ens rationis eſſe ſubiectum communitatis, non attributionis Ariſt. n. nec ens rationis deſiniuit, nec eius principia, & paſſiones inueſtigauit.

Ob. 4. Enti rationis, & ſecundæ intentioni conueniunt cõditiones ſubiecti, quia prædicantur de omnibus, quæ in logica tractantur, & alia ad ipſum reducuntur, vel vt principia, vel vt partes, vel vt paſſiones, ergo &c. ℞. neg. aſſumptũ, non. n. eſt de ratione ſubiecti quòd ſit commune omnibus in ſcientia conſideratis per prædicationem, ſed per attributionem; at omnia, quæ in logica conſiderantur, reducuntur ad ſecundam intentionem, vt ſpecies ad ſuum genus, quod nõ ſufficit ad ſubiectum attributionis, ſed ſolùm ad ſubiectum communitatis, quo ſenſu in Medicina nõ ſolùm corpus humanum, vt ſanabile dici poteſt ſubiectum communitatis in tali facultate, ſed etiam omnia medicamenta, & præcepta, circa quę Ars medica verſatur; At nos loquimur de ſubiecto attributionis, quomodo agimus in Phyſica, Mech. & Teolog.

Ob. 5. Complut. omnes ſecundæ intentiones, de quibus logica tractat, ſunt veritatis oſtenſiuæ, & per ſe ad dirigendas operationes intellectus conducunt, ergo omnes ſub obiecto adæquato eius continentur, quod eſt ens rationis logicum, ſiuè ſecunda intentio veritatis manifeſtatiua. ℞. neg. conſequ. & ratio eſt, quia vna ex præcipuis cõditionibus obiecti eſt, vt etiam ipſi Complut. fatentur, vt ſit id, de quo potiſſima cura eſt in tali ſciẽtia, & de quo traduntur regulæ, & præcepta, at potiſſima cura Ariſt. in ſua logica fuit de ſyllogiſmo agere, & de eodem regulas, & præcepta tradere, vt 2. Elench. c. vltim.



Digitized by Google

ſe declarauit, quod non fecit de ſecunda intentione in communi &c. quam nec definiuit.

Ob. Quòd obiectum adæquatũ in log. Ariſt. non ſit ſyllog. nam nõ ſolùm Ariſt. egit de ſyllog. ſed etiã de cæteris Argumentationis ſpeciebus, .ſ. Inductione, Enthymemate, & Exemplo, ergo potiùs Argumentatio in communi erit obiectum in eius logica. ℞. negando conſequentiam, ratio eſt, quia Ariſtoteles egit de Inductione, Enthimemate, & Exemplo reductiuè, quatenùs vt imperfectæ argumẽtationes reducuntur ad ſyllogiſmũ perfectum, à quo totam vim inferendi habent, prout docuit 2. lib. Prior. in vltima parte; Argumentatio autem in communi non poteſt poni ſubiectum attributionis in logica Ariſtotelis, quia argumentatio in communi, nec inuenitur definita ab Ariſtotile, nec paſſio illi adæquata, nec propria cum ipſa conuertibilis inuenitur. Ità Scotus quæſt. 3. Vniuerſ. §. *Ad rationem poſitionis*. folio mihi 3. & quandò Scotiſtæ dicunt Doctorem confũdere Argumentationem cum Syllogiſmo, hoc ſolùm verũ eſt quæſt. 2. lib. Priorum, vbi loquitur de Syllogiſmo, in communi ſecũdum cõtinentiam virtualem; hic verò loquitur de Syllog. ſecundum continentiam virtualem, & potentialem ſimul; & benè excludit Argumẽtationem, quia nec definita fuit ab Ariſt. nec eſt Genus ad inductionẽ exemplum &c. cùm iſtæ non ſint per nos veræ ſpecies Argumentationis, ſed potiùs modi argumentandi imperfecti ad ſyllogiſmum rudicibiles.

Ob. 2. Non ſolùm Ariſt. egit de Argumentatione, ſed etiã diſtinctos libros cõpoſuit pro directione primæ, & ſecundæ intellectus operationis, vt patet in lib. Prædicam. & Pheriem. & in ſecundo Poſt. de definitione diffusè egit, ergo potiùs modus ſciendi in cõmuni in ſua amplitudine, erit in ſua logica ſubiectũ. ℞. Scot. neg. Conſeq. nam in citatis libris, terminos, & propoſitiones in ordine ad ſyllogiſmũ conſiderauit, vt partes remotas, vel proximas, & de definitione egit, vt medium demõſtrationis eſt, &c.

Ob. 3. Licèt Ariſt. terminos, & propoſitiones, non propter ſe, ſed propter ſyllogiſmum conſideraſſet; non tamen obſtat, quin etiam per ſe, & directè conſiderentur, ſicut patet in Phyſica, vbi licèt elementa ad componendum mixtum concurrant, tamen phyſica non agit per ſe ſolum de mixtis, neque Corpus mixtum eſt adæquatum obiectum eius; ſed per ſe agit etiã de Elementis, & corpus commune mixtis, & elementis eſt obiectum phyloſophiæ naturalis, ſic in propoſito, licèt ſecundæ intentiones concurrant ad productionem ſyllogiſmi, non tamen ſequitur, quin per ſe, & directè à logica intendãtur. ℞. potuiſſe vtique Ariſt. ſic ſuã logicam conſtituere, vt termini, & propoſitiones per ſe conſiderentur, & in obiecto logicæ, veluti ſpecies

cies

cies eius includerentur, ſicut elementa in philoſophia naturali cõſiderauit; at non fecit, ſed potiùs ea indirectè, & reductiuè per ordinem ad ſyllogiſmum cõſiderauit, quem conſtituunt; vt ex progreſſu operis patet, nã ſolùm de directione diſcurſus ſollicitus fuit. Tũ quia ipſi ſic dicendo, ſolùm aſſignant principia alicuius obiecti partialis, ſicut eſt mixtum reſpectu elementorum; ſed non poſſunt aſſignare principia reſpectu ſecũdæ intentionis in cõi, at nos ſicut aſſignamus principia corporis naturalis in cõi, quæ ſunt materia, & forma, ſic etiam aſſignamus principia de ſyllogiſmo in communi. Tùm quia mixtum nõ poteſt prędicari in recto de ipſis partibus componentibus; Secunda verò intentio prædicatur in recto de omnib, ſecũdis intentionib' ſignũm, quòd de illis non prędicatur, vt de principijs, ſed de ſpeciebus.

Ob. 4. Nihil poteſt eſſe ſubiectum totius, & partis, ſed ſyllogiſmus eſt ſubiectum in lib. Prior. ergo non poteſt eſſe ſubiectũ totius logicæ. Ariſt. Reſp. Doct. q. 3. vniuerſalium maiorem eſſe verã eodẽ modo, at diuerſo modo nihil obſtat; ſic in propoſito, ſyllogiſmus eſt ſubiectum in lib. Prior. quoad continentiam tantùm virtualem, ideſt quantum ad proprietates ipſum formalitèr conſequentes; Eſt verò ſubiectum totius quoad continentiam virtualem ſimul, & potentialem, quatenùs etiam ſupponit pro ſuis ſpeciebus, & non pro ſe ipſo in communi tantùm.

Ob. 5. Nulla ſcientia ſuũ ſubiectum conficit, cũ potiùs illud ſupponat, ſed logica conficit ſyllogiſmum, ergo, &c. ℞. non eſſe logicã docentem, quæ ſyllogiſmũ conficit, cùm hæc tantùm regulas tradat rectè conficiendi, ſed logicam vtentẽ. Nec ſemper opus eſt, quòd ſubiectum ſit priùs ſcientia, quantum adeſſe actuale, ſed ſufficit, vt præcedat quoad eſſe poſſibile.

Ob. 6. Complut. Si quilibet ordo vnius ad aliud in obiectis particularibus ſcientiæ ſufficeret ad excludendũ illud, quod habet rationẽ obiecti per ſe, & immediatè, ſequeretur, quòd in qualibet ſcientia obiectum principale partiale eſſet adæquatum, & ità dicere poſſemus, Deum, vel Intelligẽtias eſſe obiectum adæquatum in Meth. & Hominẽ in phyloſophia naturali, illa .n. quæ tractantur in Meth. dicunt ordinem ad Deum, ſicut quæ in philoſophia ad hominem, & ità quæ in logica ad demõſtrationem, quæ eſt præcipuum inſtrumentum ſciẽdi, ſed hoc eſt falſum etiam in ſentẽtia Scotiſt. qui non ponunt demõnſtrationem potiſſimam pro ſubiecto logicæ, ſed ſyllogiſmum in cõmuni, ergo &c. quarè licèt intentio generis, & differentiæ deſeruiant definitioni, & intentio ſubiecti, & prædicati propoſitioni, non ideò excludi debent à ratione ſubiecti logicæ per ſe, & immediatè, Reſp. admittendo, non

quem-

quemlibet ordinem vnius obiecti partialis ad aliud, excludere illud, q. ſic ordinatur à propria ratione obiecti; ſed ſolùm quandò ita vnũ ad aliud ordinatur, vt nullo modo propter ſe, & directè conſideratur, ſed penitùs indirectè, & in gratiam alterius, quod ex progreſſu ſciẽtiæ, & intentione Auctoris attendendũ eſt; quòd autem termini, & propoſitiones in gratiam ſyllogiſmi penitùs conſiderentur in logica Ariſ. omnes eius expoſitores fatentur, vt ipſemet in 2. Elench. ſe declarauit in fine, & qñ ẽt tñ, q concurrũt ad compoſitionem ſyllog. p ſe cõſiderarentur, non adhuc intentum habent, q a aſſignare debẽt princ. ſecundæ intentionis in cõi, ſed non poſſunt, cùm oẽs ſint in recto ſecundæ intentiones. Neque ex hoc confunduntur ſubiectum adæquationis, & ſubiectũ principalitatis, nã illud ſemper erit, ad quod omnia reducuntur in ſcientia conſiderata, vel vt principia, vel vt partes, vel vt ſpecies; ſubiectum verò principalitatis erit, quod eſt nobilius ſub obiecto adæquato contentum, quod quidem in logica eſt demonſtratio potiſſima, quæ eſt ſyllogiſ. in materia neceſſaria, & ſcientiæ productiuus.

Ob. 7. Nullum complexum põt eſſe ſubiectum ſcientiæ, nam de ſubiecto præſupponitur, q eſt incõplexum, ſed ſyllog. eſt quid cõplexum; ergo &c.

Reſp. Minorẽ eſſe veram, ſi ſyllogiſmus accipiatur pro ſe, ſi pro illo aggregato plurium propoſitionũ, nõn autem ſi accipiatur pro ſecunda intẽtione in illo aggregato fundata, in quo ſenſu eſt quid incomplexum, & ſic in præſẽti accipitur.

Dices: ſubiectum in ſcientia nõ tantùm ex parte materiali, ſed etiã formali conſtare debere, at ſyllogiſmus, quãdò etiam eſſet ſubiectum in logica, eſſet tãtùm quoad partẽ materialem, tùm nulla aſſignetur ei ratio formalis, ergo nõ erit adæquatum in logica obiectum. Reſp. neg. Minor. benè. n. aſſignatur in ſyllogiſmo ſua ratio formalis, quæ alia nõ erit, niſi quatenus ſyllogiſmus eſt, .i. quatenus habet vim ex notis ignota manifeſtandi per diſcurſum, ſicut in philoſophia naturali pro ſubiecto ponitur corpus naturale, vt naturale, In Meth. Ens, vt ens, & in Theol. Deus, vt Deus, iux. Maſtr. & Bell. lo. cit. Syllog. pro materiali accipi poteſt pro ente rõnis, pro 2. intent. pro 3. operatione intellectus, & primò etiam intentionaliter, ideoq; reſtringitur per abſtraẽ ratione formalem, &c.

## ARTICVLVS SEXTVS.

*De Obiecto Logicæ in ſe, in tota ſua latitudine.*

SCotus, qui in theatro literario primis ſubſellijs eſt meritò collocãdus lib. 1. Prior. q. 2. diſtinguit de logica in ſe, & prout in tota ſua latitudine inſtitui poteſt; & prout fuit ab Ariſt. contexta. Vndè aliud ſubiectum in logica Ariſt. aſſignauit ab illo, quod pro tota logica in ſua amplitudine aſſignari poteſt.

Verum

Digitized by Google

Verùm Faber Theor. 6.c. 3.& aliq; Scotiſtæ contendunt libros Prior. Doctoris non eſſe, quorum fundamentum eſt, quia plura continent, quæ dictis eius conſona non ſunt in libris vniuerſalium, in Meth. & in lib. ſent. ſed Fuentes, & alij Scotiſtæ ex oppoſito, Doctoris illos libros eſſe fatentur, aliter eadem ratione inferre poſſemus, nec librum vniuerſalium Scoti fuiſſe, cùm ibi q. 12. neget ens vniuocum eſſe. Et q. 3. ad ſecũdum principale, ponat ſubiectum philoſophiæ naturalis Corpus mobile; Hinc Recentiores Scotiſtæ admittũt omnes libros, ſ. Prior. Vniuerſalium, & quæ in eius logica, lib. de Anima, & Meth. Doctoris fuiſſe, licèt firmam fidem nõ faciãt, niſi quatenus l. ſent. & quol. conformentur; quòd ſi iſti opponant, quòd fidem non faciunt; hoc non erit quia Doctoris nõ fuerint, ſed potiùs, quia res maturiùs, & didiligentiùs conſierando, ſententiã mutauerit, quod Claſſibus Doctoribus nouum non eſt: quia igitur allata doctrina loc. c. 1. Prior. ſatis plauſibilis, docta, & rationabilis ẽ, & quã plures ex Neothericis recipiunt, ideò ad eius mẽtem, ſic ad propoſitum articulũ reſpõdemus.

*Conclusio.*

Dicimus, *ſubiectum logicæ in ſe, & in tota ſua amplitudine, ſecũdum quam inſtitui poteſt, eſſe modum, ſeu inſtrumẽtum ſciendi in communi, vt nimirum comprehendit definitionem, diuiſionem, & argumentationem, & ſi quæ alia inſtrumenta ad hoc minus idonea ſunt.* Ita Scot. cit. quem ſequũtur ex Recentioribus Fonſeca, 2. Meth. c. 3. q. 1. ſect. 4. Conimb. q. 2. proẽm. log. Tolet. q. 5. & alij, & ex Scot. Tatar. q. 3. & probabilem putant Faber. c. 5. & Fuent. & nixè temporibus iſtis tuentur Maſtr. & Bell. & Poncius; & ita primò probatur: Modus, ſeu inſtrumentum ſciendi in logica ſecundum ſe conſiderata, habet omnes cõditiones, quæ ad obiectum ſcientiæ requirũtur, ergo &c. Prob. Antec. per ſingulas particulas; habet quod eſt, nam 2. Meth. tex. 15. dicitur facultas de modo, & inſtrumento ſciendi; habet quid eſt, nam talis modus rectè definitur; quòd ſit ratio faciẽs deuenire de notitia noti, ad ignotum, & verum à falſo diſcernere, vt communitèr cum Tatar. habetur Art. 1. in Summulis, & q. 3. præambul. ar. 2. dub. 1. eſt etiam tale, ad quod omnia, quæ in logica in ſe ſunt, reducuntur; oñia .n. inſtrũmenta logicalia adhoc tẽdunt, vt per ea de notitia noti ad ignotum deuenire, & verum à falſo diſcernere poſſimus, tàm in prima, & ſecũda, quàm in tertia operatione, ad hoc .n. ordinata ſunt. Item habet partes, principia, & paſſiones, cùm inſtrumẽtum in communi diuidatur in definitionem, diuiſionem, & argumentationem; & ſi alia ſunt inſtrumenta tamquàm in partes ſubiectiuas; habet ſuam adæquatam, & primariam paſſionẽ, quæ eſt eſſe directiuum operationum intellectus; habet medium, ex quo poſſet ſuas paſſiones demonſtrare;



Digitized by Google

ſtrare; habet ſua principia tàm remota, quàm proxima, ergo &c.

Prob. 2. Per excluſionem aliarũ opinionum; Nam tale ſubiectum non poſſunt eſſe res omnes, quatenus intelligibiles ſunt; quia vt Sco. qu. 3. prædicab. docuit omnes aliæ ſcientiæ ſuperfluerent; nihil .n. poteſt eſſe ſubiectum alicuius ſciẽtię, niſi ratione ſcibilis. Tùm quia ad Methaphyſicam ſpectat ſpecialitèr conſiderare res, quatenus intelligibiles ſunt, cùm hæc ſit prima paſſio entis, quæ in Meth. ponitur.

Neque voces poſſunt eſſe ſubiectum logicæ, quia ſi nulla vox eſſet, vel eſſe poſſet, adhuc eſſet operatio noſtri intellectus dirigibilis, quæ regulari poſſit ab aliqua ſciẽtia, quæ logica eſſet. Tùm quia logica etiam ab Angelis poſſidetur; ſed ſine vocibus. Tum tandem, quia voces non pertinent ad logicam, niſi per accidens, & quatenùs per illas, conceptus mentis noſtræ manifeſtantur.

Neque operationes intellectus, vt dirigibiles ſunt, aut congitio intellectiua, vt dirigibilis, vt Neoterici autumant, quia Artifex in ſua ſcientia exploratam habere debet naturam ſui obiecti, tàm quoad rẽ conſideratam, quàm quo ad modũ conſiderandi, at cognitio intellectiua non ſupponitur, neque explicatur in logica, cùm ad ſcientiam de Anima ſpectat, vt omnes fatentur. Neque etiam quo ad modum cõſiderandi hæc opinio veritatem attingit, quia ex ea ſequeretur, logicam aliquo modò ſcientiæ dó Anima ſubalternari, quia addit ſupra eam differentiam accidentalem, ſ. dirigibilitatem.

Tùm tandem, quia obiectum facultatis inſtrumentariæ, vti eſt logica non eſt opus, ad quod inſtrumentum ordinatur, ſed inſtrumentum ipſum, & ſi in ipſa logica, operationes intellectus conſiderantur, quatenùs dirigibiles ſunt, hoc erit in gratiam inſtrumentorum ſciendi, vt .ſ. cognita eorum dirigibilitate, & indigentia, apta conficiantur inſtrumenta pro tali directione; quod patet exemplo artis frænefactiuæ, cuius finis intrinſecus eſt conſiderare frænum, quòd ſi aliquando etiam directionem æqui conſiderat, hoc erit vt aptiùs frænum efficiat, quo faciliùs poſſit Equus dirigi.

Petes: quodnam eſt obiectum formale logicæ in ſe conſideratæ? Reſ. aliqui, eſſe directiuũ; ita vt inſtrumentum ſciendi, vt directiuum ſit obiectum materiale, & formale logicæ in ſe. Non placet. & ratio eſt quia confundere non debemus rationem formale ſubiecti cum paſſione eiuſdem, cùm propria paſſio per talem rationem de ſubiecto demõſtrari debeat; qua etiam ratione nõ recipimus opinionem Thomiſtarum ponentium pro obiecto in philoſophia naturali Corp' mobile, vt mobile, cùm igitur directiuitas ſit propria paſſio inſtrumẽti ſciendi, nõ benè coniungitur cum eius ratione formali ſubiecti. Vndè

dicen-

Digitized by Google

dicendum eſt, ſicut de obiecto logicæ Ariſtot. diximus, vt .ſ. ſubiectum logicæ in ſe ſit inſtrumẽtum ſciendi pro materiali, eius verò ratio formalis ſit, quatenùs tale, ſcil. quatenus virtutem habet faciendi ſcire.

*Obiectiones.*

Ob. 1. Quòd res oẽs ſint obiectum logicæ, & hoc Auct. Ariſt. 1. Elench, c. 11. & 1. Rhet. c. 1. & 2. vbi docet, logicam non verſari circa rem aliquã determinatam, ſed circa res omnes. ℞. faciliter, ibi philoſophum docuiſſe, Dialecticam quantum ad vſum verſare circa res omnes, & ad nullum certum genus conſtringi, cùm in omnibus ſcientijs ſyllogiſmi exerceantur, vndè ſcientia communis appellatur, vt benè Sco. aduertit q. 2. vniuerſaliũ.

Ob. 2. Quòd vox ſit obiectum in logica; ratio eſt, quia omnes lib. logicæ à vocibus inchoantur. lib. Pr. incipiũt ab æquiuocis, & vniuocis; libri de interpretatione à nomine, & verbo, & oratione; libri reſolutorij à definitione ſyllogiſmi per orationem, ergo logica eſt de vocibus quatenùs cõceptuũ expreſſiuæ ſunt. ℞. Meritò Ariſt. à vocib⁹ inchoaſſe, nam voces ſunt inſtrumenta, quibus cõceptus noſtri manifeſtantur; hoc autem non eſt agere de vocibus per ſe, ſed per accidens, & in ordine ad aliud.

Ob. 3. ex Auerſa, quòd operationes intellectus, quatenùs dirigibiles sũt, obiectum conſtitui debeat in logica, ſicut operationes intellectus, quatenùs tales ſpectant ad phyſicam. .ſ. quatenùs dirigibiles ſpectant ad logicam, ergo tales operationes, vt dirigibiles erunt ſubiectũ in logica, non ipſum inſtrumentum directiuum. Patet conſequentia, nõ enim operationes ſunt bropter inſtrumẽta, ſed inſtrumẽta propter operationes, & media reducuntur ad finem, non finis ad media, ſi ergo operationes, vt dirigibiles ad logicam ſpectant, hæ erunt ſubiectum, non inſtrumenta dirigentia.

Confirmatur experiẽtia de alijs facultatibus organicis, vbi non inſtrumentum eſt obiectum, ſed operationes, ad quas inſtrumentum ordinatur, ſic in arte ſcribendi, non calamus eſt obiectum, ſed ſcriptura, ad quam calamus ordinatur. In arte pingendi nõ penicillus, ſed pictura, ad quam ordinatur, eſt obiectum; In Medicina non pharmaca, ſed ſanitas, vel homo ſanabilis eſt obiectum, ergo pariter in logica.

℞. ad Argumẽtum, admiſſo etiam operationes intellectus, quatenùs dirigibiles ſunt, poſſe a logica conſiderari, negatur, adhuc non poſſe, vt ſic ad inſtrumenta, per quæ dirigãtur reduci, vnde in forma argumenti, negatur conſequentia, & ad probationem, concedimus inſtrumenta eſſe propter operationes in eſſe phiſico, negamus tñ in eſſe ſcibili, vt in præſenti loquimur, ſic. n. potiùs operationes propter inſtrumenta conſiderantur, vt patet in lib. poſt. vbi Demõſtratio eſt prop-

ter ſcientiā in eſſe phyſico, & ſcientia eſt finis demonſtrationis; nec propterea ſequitur, quòd ſcientia ibi ſit obiectum, ſed potiùs demōſtratio; & ratio eſt, quia ibi cōſideratur natura ſcientiæ, vt rectè conficiatur inſtrumentum productiuū eius, quod eſt demonſtratio; hinc Ariſt. ex quod ſcire, eſt rē per cauſam cognoſcere, cōcludit, quòd demonſtratio debet conſtare ex primis, veris, immediatis &c. ſignum, quòd ſcientiam, in gratiam demōſtrationis conſiderauit.

Ad Confirmationem diſtinguitur de facultatibus organicis; quędam enim ità de inſtrumentis arguunt, vt etiam attingant opus, ad quod ordinantur, quæ propriè miniſtræ dici non poſsūt, cum alijs facultatibus non famulentur, nec ſimpliciter inſtrumētariæ, cum eiſdem inſtrumētis ad illud opus perficiendū vtantur, vt ſunt Ars ſcriptoria, pictoria, Medicina &c. & de iſtis [illegible] aliæ verò ità circa inſtrumenta verſantur, vt non attingant opus, ad quod illa ordinantur, [illegible] reſpectu equeſtris, ferraria [illegible] nautica &c. in quibus facultatibus inſtrumēta ſunt obiectū, [illegible] nes, [illegible] tatibus [illegible] logica.

Obi. 4. Ethica tradit regulas, & præcepta directiua operationum voluntatis, & tamen [illegible] non habet talia præcepta, ſed operationes ipſas voluntatis; ergo ſimiliter in logica dicendum eſt. Ri. poſſe negari obiectum in Ethica eſſe operationes voluntatis, vt dirigibiles, cū potiꝰ ſit homo quatenus Beabilis ex Scot. q. 3. prolog. quo tamē cōceſſo, negatur paritas aſsūpta; nam Ethica etiam elicitiuè attingit operationes voluntatis quod non efficit logica, cū tantùm operationes conſideret ſignatè, & idealiter, cū ſit facultas organica.

Obi. 5. Logica docet definire, diuidere, argumentare, ſed hæc ſunt operationes intellectus, imò aſſerere definitionem, diuiſionem, argumentationem eſſe ſubiectum in logica, eſt ponere ipſas operationes intellectus, ſ. apprehendendi, & diſcurrendi, ergo &c.

Reſ. Quod logica docet, definire, diuidere, & ratiocinari tantùm idealiter, quatenus ſ. inſtrumēta tradit directiua apprehendendi, iudicandi, diſcurrendi, vndè potiùs ſequitur quòd talia inſtrumenta ſint eius obiectum, [illegible] operationes. Cum dicitur, ſed illæ ſunt operationes intellectus; diſtinguitur, poteſt enim hoc dupliciter intelligi, vno modo formaliter, & quatenus ſunt actus, quibus definimus, diuidimus, diſcernimus; alio modo inſtrumentaliter, quatenus ſunt inſtrumenta ſciendi directiua actuum intellectus, [illegible] ſecundo modo conſiderantur, [illegible] obiectum [illegible] inſtrumenta ſciendi directiua operationum, [illegible] bendi [illegible]

Dices, Inſtrumentum non eſt ex

ſe appetibile; ergo non poteſt rõnem obiecti, & finis habere. R. negātec. duplex enim eſt finis. ſ. honeſtus & vtilis, quare ſi inſtrumentum nõ eſt bonum honeſtum, eſt ſaltem bonum vtile, vel ut eſt medicina ad ſanitatem ordinata, quæ & appetibilis eſt. Hinc datur finis cuius, & finis cui, medicina eſt finis cuius, ſic logica. Item finis operantis, & finis operis; finis operantis eſt extrinſecus, vt patet de faciente eleemoſinam, ob vanam gloriam, vel vt alij ad ſimile excitentur; finis operis eſt intrinſecus, & ſic finis eleemoſinæ eſt ſubleuare miſeriam pauperum; ſic diſcurrendum eſt de logica; quæ pro fine intrinſeco habet Syllog. pro fine extrinſeco, intellectus operationes dirigere, q eſt finis logici, & operantis.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

*An Logica ſit ſcientia vel Ars.*

S. Cotus, cuius ſcripta tam limata ſunt, vt nũquam tranſuerſi calami ſignum metueris ad illud, q ſcientia debet eſſe de obiecto neceſſario, & æterno reſp. in p. diſp. 3. quæſt. 4. hoc non eſſe intelligẽdum de neceſſitate incomplexa, nec de ea loquitur Ariſt. aliter nec philoſophia, nec vlla cognitio de rebus naturalibus poſſet rationem ſcientiæ habere, cum res omnes naturales ſint corruptibiles, ſed tãtum eſſet ſciẽtia de Deo, quod falſum eſt, ſufficit igitur neceſſitas complexa ſ. neceſſitas connexionis ſubiecti cum prædicato; quæ doctrina eſt valdè adnotanda in propoſito, cũ talis neceſſitas etiam entibus rationis, & ſecundis intentionibus cõueniat, quatenus de ipſis propoſitiones æternæ veritatis formari poſſunt, coniungendo cum eis prędicata, quæ ipſis neceſſariò competunt, vt quòd genus prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, quòd ſyllogiſmus conſtet ex tribus terminis &c.

Pro deciſione eſt primò ſupponendum, ſex eſſe genera notitię intellectualis; loquendo præcipuè de habituali, ex Ariſt. 6. Eth. cap. 3. vt ſupra diximus: Primum gen⁹ eſt Intellectus, qui eſt notitia quędam primorum principiorum, quibus intellectus aſſẽtitur ex ſola apprehenſione terminorum abſque diſcurſu: Secũdum genus eſt Scientia, quæ eſt notitia certa, & euidens de obiecto neceſſario, habita per diſcurſum ſyllogiſticum, & de ea loquitur Ariſt. 1. Poſt. c. 2. Tertia eſt Sapientia, quæ eſt notitia rerum preſtantiſſimarum, & maximè vniuerſalium, & eſt Meth. quę propriè ſapientia appellatur 1. Meth. c. 1. Quartum, eſt Prudẽtia, quæ eſt notitia directiua actionum humanarum, vt benè, & laudabiliter fiant in genere moris. Quintum, eſt Ars, quæ eſt habitus cum recta ratione actiuus, vel factiuus: & Sextum, eſt Opinio, quæ non eſt notitia certa, & euidens, ac de ſubiecto neceſſariò, ſed eſt notitia probabilis, obſcura, ac de re contingenti.

Supponim⁹ 2. ex Doct. quatuor condi-

condictiones ad ſciẽtiam propriè dictam requiri; Prima, quòd ſit notitia certa; Secunda, quòd ſit de obiecto neceſſariô; Tertia, quòd ſit cauſata à cauſa euidẽte intellectui; Quarta, quòd ſit applicata ad cognitum per diſcurſum ſyllogiſticũ quæ cõdictiones colliguntur ab Ariſtot. 1. poſt. tex. 5. in definitione ſcire, vbi Philoſophus ſic ait: *Scire autem opinamur vnumquodque ſimpliciter, ſed non ſophyſtico modo, qui eſt ſecundum accidens, cùm cauſam arbitramur cognoſcere propter quam res eſt, quod illius cauſa eſt, & non contingit hoc aliter ſe habere*: Prima particula à Scoto aſſignata, quòd .ſ. certa, habetur per illa verba (& non ſophyſtico modo) per quam excluditur omnis incertitudo, & cognitio apparens, & ſecundum quid. Secũda particula, quòd ſit de obiecto neceſſario, habetur ex vltima particula .ſ. (& non contingit aliter ſe habere) vbi vt Sarn. ibi aduertit notatur neceſſitas connexionis prædicati cum ſubiecto: Tertia conditio quòd .ſ. ſit cauſata à cauſa euidenti, colligitur ex illa particula (cùm cauſam arbitramur cognoſcere) & tandem 4. conditio, quòd .ſ. ſit applicata per diſcurſum ſyllogiſticum, habetur per illam particulam (quoniam illius eſt cauſa) quas cõdictiones etiã Doctor. repetit in 3. ſentent.

Supponimus 3. ex Reuerendiſſimo noſtro P. Marcantonio Calatio de Carpenedolo in ſua Dialectica lib. 1. cap. 3. quamdam regulam generalem ad cognoſcendam quænam ſit ſcientia ſpeculatiua, & quę practica, vbi ſic ait: Quoties error dimanans ex habitus carentia, eſt falſitas intellectus, & in ipſo intellectu præciſè, veritatiſque ſoli opponitur, habitus ille cenſetur ſpeculatiuus, & non practicus V. g. qa error, qui contingit ex ignorantia philoſophiæ verſatur circa falſitatem intellectus, & eſt in ſolo intellectu, ideò philoſophia eſt habitus ſpeculatiuus. Quòd ſi error non ſit ſolùm falſitas intellectus, ſed magis defectus circa opus, erit ſciẽtia practica, vt qui errat in medicãdo, non tantùm fallitur in cognitione, quantùm in opere, ideò medicina eſt practica. Ratio eſt, quia ſpeculatiuus habitus verſatur circa obiectum ſpeculabile, practicus verò circa operabile. Quòd ſi ad practicam ſcientiam conſtituẽdam ſatis eſſet ſciẽtiam dirigere intellectum circa veritatem, quælibet ſcientia eſſet practica, cùm quælibet dirigat potentiam intellectiuam circa actus ſui obiecti, & circa notitiam veritatis. Hęc & benè pręfatus Doctor. Circa hanc quæſtionem quatuor ſunt Philoſophorum opiniones, duæ extremæ, & duæ mediæ: prima extrema abſolutè negat tàm Logicam docẽtem, quàm vtentem eſſe ſcientiam, pro qua opinione referũtur Simplic. Ammon. Philop. & alij veteres, quos ſequitur Villalo. q. 5. proœm. Secunda extrema affirmat vtramque eſſe ſcientiam, & docentem, & vtentem, ita Dida-

cus

cus à Ieſu,q.5.Murica q.3.proœm. Cauero diſp.2.dub.4.& alij.Tertia media ſuſtinet logicam docentem non eſſe ſcientiam, vtentem verò eſſe ſcientiam, non quidem diſtinctam ab alijs ſcientijs, ſed eſſe varias ipſas ſcientias,ità Zabarell. 4. Media,que eſt latinorum communior aſſerit logicam vtentem non eſſe ſcientiam,ſed potiùs Artem, logicam verò docentem eſſe ſciẽtiam;ita Scot.q.1.Vniuerſalium, quem ſequuntur Scotiſtæ communiter, Angl.Maurit.Sarn.Braſauol. Faber.Theor.1. Fuentes quæſtion. 5.difficul. vn. art. 3. Tatar. quæſt. 1.præamb.artic.1.§.3.Propoſitio. Rocc.Bellut.& Maſtr.& alij. Eſt etiam ſententia D.Thó.4.Meth.lec. 4.quem ſequuntur Thomiſtæ Sco. Sanc.Complut.Maſius,& alij.inter quos etiam verſatur lis, an logica docẽs quoad oĩes partes ſit ſcientia,& multi excludunt Topicam, ex eo quia ex communibus procedit,quia ratione eam vtentem appellant,non docentem,quos etiam aliqui Scotiſtæ ſequuntur, eo fundamento ſuffulti, quod Scot. qu.1. Vniuerſalium dixit, logicam vtentem non eſſe ſcientiam,quia ex cõmunibus procedit ; ità Sarn. Faber. & alij.

*Concluſio.*

*Dicimus, Logicam Docentem quo ad omnes ſuas partes eſſe ſcientiam,non artem;Vtentem verò eſſe artem,non ſcientiam.* ità Scot.q.1.vniuerſ. & qu.3. Elench. vbi eum ſequuntur Scotiſtæ citati. Aduertimus autem quòd eſtò logica vtẽs appellatur ars, nõ tamen per hoc aſſerimus eſſe rigoroſè practicam cenſendam,& ratio eſt, quia cùm ipſamet effectio ſyllogiſmi &c. ſit ad veritatem ordinata,& vt per eã ſciamus, ſemper, ſequitur, quòd ſit abſolutè ſpeculatiua,& ſolùm practica largo mundo, quatenꝰ ſuum obiectum, quod contemplatur, etiam efficit, quod de alijs ſpeculatiuis non euenit, & idcirco ars ſpeculatiua appellari conſueuit. Quòd igitur logica docens ſit ſcientia quoad omnes partes, ità probatur: logica docẽs demonſtratiuè procedit ad ſuas probandas concluſiones, non ſolùm in parte Analytica, ſed etiam in Topica, & Sophiſtica,nam ità probabilitas de ſyllogiſmo Topico,& apparẽtia de Sophiſtica per propria principia demonſtrãtur, ſicut procedere ex neceſſarijs de ſyllogiſmo demonſtratiuo,ergo quoad omnes partes eſt vera ſciẽtia, aſſumptum eſt Doct. 3. Elench. vbi ſic probatur: apparentia de ſyllogiſmo Sophiſtico, ità benè oſtenditur tamquã eius paſſio per vnitatem vocis in fallacia Æquiuocationis, tãquam per Proprium medium,ſicut riſibile de homine, ſicut etiam per proprium medium demonſtrantur probabilitas de Syllogiſmo Topico, & neceſſitas de ſyllogiſmo demonſtratiuo;omnis.n.ſyllog.conſtans ex vocibus æquiuocis natus eſt inferre concluſionem æquiuocam, ſicut ſyllog. conſtans ex probabilibus natus eſt inferre concluſionem

ſionem

ſionem probabilem, ſicuti conſtãs ex neceſſarijs neceſſariam. Si ergo doctrina, quam logica tradit de ſyllogiſ. apparenti, & Topico, ſit certa, & euidens, ſicut illa, quam de demonſtratiuo in parte Analytica tradit, conſequens eſt, vt logica docẽs quoad omnes eius partes ſit ſcientia propriè dicta.

Confirmatur ex illa regula generali: Quicquid dicitur de ſuperiori, etiam & de inferiori dici debet, ſed de ſyllog. in communi dicitur, quòd ſit ſcientiæ generatiuus, ergo & de eius ſpeciebus. Zabarell. lib. 1. de natura logicæ c. 3. ait, ꝙ licèt doctrina logica ſciẽtia dici poſſet, capiendo ſcientiam pro cognitione certa, & euidenti ex vi ſyllogiſmi euidentis, nõ tamẽ poteſt propriè, & rigoroſè ſcientia appellari, & ratio eſt, quia deficit in illa neceſſaria cõdictione, quòd .ſ. debet eſſe de obiecto neceſſario, & æterno, ex 1. poſt. c. 2. logica autem eſt de ſecundis intentionibus, quæ merè contingentes ſunt, & tãdiu durant, quamdiu intellectus operatio permanet. Sed Rx. faciliter ex dictis, neceſſitas .n. quæ in obiecto deſideratur, ſufficit, vt ſit cõplexa, quæ conſiſtit in neceſſaria connexione prædicati cum ſubiecto, quæ etiam in ſecundis intẽtionibus reperitur.

Alij Reſp. ad ſcientiam non ſufficere, quòd ſit notitia certa, & euidens &c. ſed adhuc eſſe debere ob ſolam veritatem obiecti, in qua ſiſtatur, logica autem ordinatur ad opus .ſ. ad rectas intellectus operationes efficiendas. Non valet, nã talis condictio nõ eſt ſcientiæ ſimpliciter ex 1. poſt. cit. ſed tãtũ ſciõtiæ ſpeculatiuæ puræ, nec aliqua ordinatio ad aliud impedit quin aliqua cognitio ſit ſciẽtia, alioquin nulla ſcientia practica daretur, ſ nec talis ordinatio competit logicæ intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè ex dictis. Quòd deindè logica docẽs non poſſit dici Ars, patet ex Ariſt. 6. Eth. c. 4. vbi docet rationem artis repugnare ſciẽtiæ, nam ars verſatur circa ſingularia .ſ. circa generationem rerum, quæ eſt ſingularium, ſcientia verò eſt vniuerſaliũ. Item. Ars agit de contingentibus, ſcientia de rebus neceſſarijs, ergo ſi logica docens eſt ſcientia, non poterit eſſe Ars.

Probatur tandem, quòd logica vtens non ſit ſcientia, ſed Ars. logica vtens propriè loquendo, eſt habitus, quo inſtructi, facilè conficimus Argumentationem, Definitionem, & Diuiſionem iuxta regulas logicæ docentis, ergo erit ars, non ſcientia; probatur conſequentia, quia ars eſt habitus cum rectà ratione actiuus, vel factiuus, & verſatur circa ſingularia à nobis operabilia, ſed logica vtens eſt huiuſmodi, cùm ſit illa, quæ actu exercito efficiat, & cõponat ſyllogiſmos, definitionem &c. ergo &c. quòd autem non efficiat opera externa, ſed interna, ſolùm ſequitur, quòd non ſit Ars Mechanica, quæ externis operibus conſumitur, ſed liberalis



Digitized by Google

ralis in bonum animi ordinata, vt Suar. in Met. diſp. 44. docet cũ alijs.

Reſp. aliqui ad rationem artis requiri, quòd producat opus externum; quod inſinuare videtur Ariſt. 6. Eth. c. 4. & cõſequenter logicam vtentem non poſſe rectè artem appellari. Sed parũ euaſio valet; ratio enim operis artificialis in eo ſita eſt, vt ſit conformis regulis artis, quæ conformatio tam in opere externo, quàm interno recipi poteſt. Tum quia ex allato fundamento tollerentur de medio artes liberales, quæ ad bonum animi, nõ corporis ordinãtur, & interius cõſummantur. Quòd ſi Ariſt. tribuit rationem artis habitui factiuo ſpecialiter, hoc fecit, vt nobis manifeſtiori, magis enim nobis innoteſcit regula directiua operationis in opus externum, quàm internum ob id tamen negari non debet ratio artis habitui actiuo, & immanenti, vti eſt logica vtens, cùm ipſemet Philoſ. 6. Meth. diuidat artẽ in artem actionis, & effectionis.

An autẽ logica docens alijs ſciẽtijs per vſum applicata poſſet dici ſcientia, ℞. affirmatiuè, in hoc enim ſenſu non eſt habitus diſtinct. à logica docente, & hac potiſſimũ ratione dicitur ſcientia communis à Scoto q. 2. Vniuerſalium, nec ratio ſcientiæ, & vſus pugnant in eodem habitu, vt benè hic Maſtr. & Bellut. aduertunt.

*Obiectiones.*

Ob. 1. quòd logica docens non ſit ſcientia, pluribus Ariſt. Auctoritatib. ex 1. Eth. c. 4. vbi ait: Tollũt naturam logicæ, qui eam nõ vt facultatem, ſed vt ſcientiam tradunt ℞. Non negare ibi Ariſt. abſolutè logicam eſſe ſcientiam, ſed qualem aliqui eam faciebant, negabant enim eſſe diſciplinam organicam, alijs ſcientijs præmittendam, quos Philoſophus reprehendit, & monet eam debere alijs ſciẽtijs præmitti.

Ob. 2. ex 1. Topic. c. 9. vbi Ariſt. enumerans tria problematum genera, docet, quòd alia per ſe reſpiciunt electionem, & fugam, vt ſunt problemata actiua: alia per ſe tendunt ad veritatem, & ſcientiam, & ſunt ſpeculatiua: alia, ait vtriq; auxiliari, & ſunt problemata logica. Ex quibus verbis videtur excludere logicam de conceptu ſcientiæ. ℞. ex illis verbis potius colligi logicam eſſe ſcientiam organicam, non autem gratia ſui abſolutè, vt ſunt aliæ ſciẽtiæ merè ſpeculatiuæ.

Ob. 3. ex 2. Meth. tex. 15. vbi Ariſt. ait abſurdum eſſe quærere ſimul ſcientiam, & modum ſciendi, vbi per modum ſciendi, ſecundum omnes expoſitores logicam intellexit, ſi ergo Ariſt. ſcientiam à modo ſciendi diſtinxit, logica non erit ſcientia. ℞. ex Scoto q. 1. Vniuerſalium, logicam dici modum ſciẽdi materialiter tantùm & in obliquo, quatenus eſt de modo ſciẽdi, tamquam de proprio obiecto, non formaliter, & in recto; per ſcientiã verò intellexit alias ſcientias principales, quæ ſũt de rebus realibus, & non de modis ſciendi; quia igi-

tur

Digitized by Google

tur priùs debemus cognoſcere modum, ſeù inſtrumẽtum ſciendi, quã res, ideò rationabilitèr dixit Ariſ. abſurdum eſſe quęrere ſimul ſcientiam, & modum ſciendi.

Ob. 4. Ariſt. 6. Meth. c. 1. enumerans ſcientias ſpeculatiuas, recenſet naturalem .ſ. Phyſicam, Mathematicã & Methaphyſicam, ſeù Diuinam, nullam de logica mentionẽ faciẽs, ergo logica non eſt ſciẽtia. ℞. 1. logicam ad primum membrũ reduci accipiendo ſcientiam naturalem, non præſsè, vt ſolam contemplationẽ de natura ſignificat, ſed largè, quatenùs comprehendit res omnes intra ordinem naturæ ſpeculabiles, quomodo logica limites naturæ non excedit, vt benè Paſqual. p. 1. ſuæ Meth. diſp. 4. ſec. 3. cũ alijs aduertit. ℞. 2. ibi Philoſophum enumerare ſcientias reales, logica eſt ſcientia rationalis ex obiectis realibus. ℞. 3. argumentũ ab Auct. negatiua non valere.

Ob. 5. Ariſt. 4. Meth. 5. & in principio Rhet. ait, logicam non tractare de aliqua re determinata, ergo nõ eſt ſcientia; probatur cõſequentia, quia ſcientia circà obiectum proprium, & determinatum verſatur. ℞. Ariſt. ibi locutum fuiſſe de logica quantũ ad vſum, quomodo circa omnia indeterminatè verſatur, quatenùs omnibus ſcientijs applicatur, & dicitur ſcientia communis; cæterum quantùm ad doctrinã eſt de determinato obiecto, quod eſt ſyllogiſmus in Ariſt. logica, vel inſtrumentum ſciendi logicæ in ſe.

Ob. 6. Rõne. Scientia eſt de neceſſarijs & perpetuis ex 1. poſt. ſed logica docens non eſt huiuſmodi, cùm ſit de ſecundis intentionibus, quæ ſtatim euaneſcunt, ergo &c. ℞. vt ſupra, ad ſcientiam ſufficere neceſſitatem complexam .ſ. neceſſariam connexionem prædicati cũ ſubiecto, quæ etiam in ſecundis intentionibus reperitur.

Sec contra, extrema propoſitionum logicalium ſunt corruptibilia, ergo etiam, & connexio, quæ ſuper illa fundatur; patet conſequentia, nam deſtructo fundamento, deſtruitur etiam, & fundatum. ℞. negando cõſequentiam cum ſua probatione, & ratio deſumitur ex Sco. in 1. d. 3. q. 4. vbi duplicem diſtinguit immutabilitatem, & neceſſitatem connexionis, vnam ſimpliciter quæ competit extremis defitioni non obnoxijs, alteram ſecundum quid, quę cadit inter extrema quæ licèt in ſe ſint curruptibilia, habitudo tamen inter ea, nunquam mutari poteſt in falſam, & hæc neceſſitas ſufficit ad ſcientiam, & in propoſitionibus logicalibus reperitur, aliter nec Phyſica, nec Math. eſſent ſcientiæ, cum earum extrema ſint etiam corruptibilia.

Ob. 7. Quòd ſaltem quoad aliquam partem logica docens nõ ſit ſcientia, nam Topica docet modũ procedendi probabiliter ex cõmunibus ad concluſiones probandas in ſingulis ſcientijs; Vndè Scot. q. 1. Vniuerſ. negat eam eſſe ſcientiam. Pars Elencha docet modum deci-

piendi,

piendi, & efformandi ſophiſmata, vndè ars deceptoria appellatur, ergo ſaltem quo ad partes, logica docens non erit ſcientia, quæ procedere debet ex neceſſarijs. ℞. ex Doct.q.3. Elench.quòd licet logica doceat modū,quo procedi poſſit ad concluſiones probabilitèr; & ſophiſticè oſtendendas,hoc tamen demonſtratiuè,& ex proprijs principijs efficit, oſtendendo de ſyllogiſmo Topico probabilitatem, ſicut de ſophyſtico apparentiam, & licèt Topica dicatur ex communibus procedere,quia quando applicatur ad alias ſcientias, ſuis locis communibus vtimur.ſ à definitione,à contrarijs, à coniugatis &c. quo ſenſu non eſt ſcïētia,& ſic Sco. loquitur;At quando demonſtratiuè procedit talem probabilitatem de ſuis principijs probando, ſic vtique erit ſcientia; Quarè pars Topica,erit Scientia, & Topica,Sciētia, quia probabilitatem de ſuis principijs demonſtrat; Topica, qa eius medijs vtimur in alijs ſciētijs.

Ob. 8. Multi actus procedentes ab habitu logicæ docentis potiùs generant falſitatem, quàm ſcientiam, ſi enim cōficiatur hic ſyllog. in Barbara, omnis Aquila eſt Leo, omnis Homo eſt Aquila,ergo omnis Homo eſt Leo, logicus fatetur diſcurſum eſſe bene diſpoſitum in prima figura, & tamèn produceret falſitatem, ergo &c. ℞.quòd in ſimilibus ſyllogiſmis conſiderari debet conſequens,& conſequentia,& licèt in eis non detur actus ſcientię conſequentis, quod concernit materiam,datur tamen vera ſcientia conſequentiæ,quæ reſpicit formā, ſecundum quam generat ſciētiam, & ad actus ſcientificos inclinat.

Ob.9. Logica nō acquiritur per demonſtrationē, ergo non eſt ſciētia, conſequentia eſt clara, antecedens patet, quia ante logicam dāda eſſet alia logica, per quam talis demonſtratio notificaretur, & ità proceſſus in infinitū. ℞. Logicam artificialem acquiri per aliquam demōſtrationem regulatam, & directam à logica naturali, vel à logica artificiali imperfecta.

Auerſa q. 2. ſect. 5. Ioan. de S. Tho.p.2.log.q.1.art.3.&Alij aſſerentes etiam logicam docentem eſſe artem, ſic arguunt: Ars eſt recta ratio agendorum, ſed logica docens eſt huiuſmodi in ordine ad operationes intellectus, ergo &c. ℞.maiorem eſſe diminutam,ad cōpletam .n.rationem artis, requiritur,quòd ſit habitus cum recta ratione cōiuctus ad efficiendum idoneè, vt 6.Eth.cap.4.definitur; vndè colligitur ad artem requiri, quòd ſit habitus integratus ex habitu cognitiuo intellectus,& operatiuo in potentia exequente. Et ratio eſt, quia finis intrinſecus artis non eſt ſola cognitio modi,quo opus operari debet, ſed etiam opus ipſum, logica autem docens in ſola contemplatione ſuarum regularum ſiſtit, nec rectas operationes efficit, cùm hoc ſit munus logicæ vtentis, quæ ideò à nobis ars appellatur.

Ob. 10. duo requiruntur ad artem, vnum ex parte materiæ, quòd .ſ. ſit capax regulationis, alterũ ex parte formæ, quæ ſe habeat vt regula dirigens, ità vt directio fiat per certas, & determinatas regulas ſed vtrũq; in propoſito reperitur, nã intellectus operationes capaces ſunt regulationis, & logica rectas, & determinatas regulas dirigendi docet, ergo nihil deficit, quin vera ars liberalis cenſetur. ℞. præter illa duo requiri ẽt, vt ars phiſicè per potentiam exequentẽ exercitè introducat formam in materiam capacem regulationis, ſiuè hęc potẽtia ſit aliena ab habitu cognitiuo intellectus, ſiuè non, logica autem docens non exequitur, ſed tantùm docet.

Ob. 11. Ratio artis non pugnat cum ſcientia, ergo etiam logica docẽs poteſt dici ars; probatur aſſumptum, licèt .n. ars ex parte applicationis hic, & nũc ſit de ſingularibus, & contingentibus, ex parte tamen regularum eſt de neceſſarijs, & vniuerſalibus, illę enim in vniuerſali ſunt certæ, & determinatæ. ℞. negãdo antecedens cum ſua probationę, ars enim præſcindere non poteſt ab applicatione ad opꝰ hic, & nunc exercendum; & ratio eſt, quia ars eſt habitus natura ſua actiuus, vel effectiuus, cuius intrinſeceꝰ finis eſt opus, hinc Ariſ. 6. Eth. ait: artem verſari circa generationem rerum.

Ob. 12. Præter notitiam vniuerſalem logicæ, datur etiam particularis, & determinata ad hoc opus efficiendum hic, & nunc, ergo ſaltẽ talis notitia directiua, quæ ad logicam docentem ſpectat, erit propriè ars. ℞. negando conſequentiã; nam etiam illa notitia particularis non attingit phyſicè opus, quod de ratione artis eſt, ſed tantùm directiuè, & idealiter, exercitè verò à logica vtente attingitur, & ideò hæc dicitur ars, & D. Tho. 2.2. q. 47. art. 2. vocat eam artẽ ſpeculatiuã.

Ob. Tandem, quòd logica vtẽs ſit ſcientia, quia ſecundum cõmunem opinionem eſt idem habitus cum logica docente, ergo ſi logica docens eſt ſcientia, ſimiliter, & vtens. ℞. hoc argumentum vrgere ponentes logicam docentem, & vtẽtem eumdem numero habitum, hinc Didacus à Ieſu q. 5. proœm. vt conſequenter loquatur, concedit logicam vtentem eſſe ſcientiã; nobis autem nihil faceſſit negotij, q a duos habitꝰ realiter diſtinctos importare aſſerimus.

## DVBIVM.

*An Logica ſit ſcientia realis, vel rationalis.*

Difficultas eſt de logica intrinſecè, & formaliter conſiderata, cũ enim hoc ſenſu ſit vera qualitas de prima ſpecie qualitatis, clarum eſt realem eſſe ſcientiam, ſed dubium eſt de logica extrinſecè, & obiectiuè conſiderata. Recẽtiores illi, qui logicæ obiectum aſſignabant intellectus operationes, defendunt logicam eſſe ſcientiam rea-

Digitized by Google

realem. Illi verò, qui obiectum ens rationis faciebant, conſequenter tuentur eſſe ſcientiam rationalem. Et quidem ſi logica conſideratur prout ab Ariſt. inſtituta fuit, ſcientia rationalis abſolutè dicēda erit, cùm tota ſecūdis intētionibus ſcateat; ſi autem ſub terminis primarum intentionum inſtitui poteſt in ſua latitudine, quod tamen mihi difficilè videtur, ſic admitti poſſet; Logicam ſcientiam realem appellari, vt quamplures Recentiores etiam ex noſtratibus defendunt.

## ARTICVLVS OCTAVVS.

### *An Logica ſit ſcientia Practica, vel ſpeculatiua.*

SCot. q. Philoſophiæ nauis Moderator clauū veritatis, & anchorā doctrinæ tenet. 1. Meth. q. 1. *ad primum principale*, diſertis verbis ait, quòd licèt logica dici poſſet practica, quatenùs non eſt tantùm propter ſcire proprium, ſed directiua in aliquo actu, extendendo nomen practicæ, quia tamē actus, in quo dirigit, non eſt niſi ſpeculatio, ideò logica propriè nō eſt practica, ſed ſpeculatiua. Sequuntur Antonius Andreas, Mauritius, Sarnanus, Tatar. Braſauol. & Scotiſtæ communitèr. Magis exacta cognitio huius veritatis pendet ex dicēdis infrà diſp. de ſcientia, vbi fusè declarabimus naturam, & quidditatem habitus practici, & ſpeculatiui, & an dari poſſit praxis in intellectu. Hic tantùm breuiter tangemus, quæ pro deciſione articuli neceſſaria ſunt, & plures ſunt circa hūc Art. opiniones; Quidam enim aſſerunt logicam neque practicam eſſe, neque ſpeculatiuam, ſed eſſe instrumentum ad vtramque eſſe quendam; ità Petrus niger. q. 14. art. 6. Gerard' de Odonis in prol. Eth. qu. 3. Zabarel. lib. de natura log. cap. 11. & alij. quæ opinio meritò ab omnibus reijcitur, nam Ariſt. 6. meth. c. 1. diuiſit ſcientiam in practicam, & ſpeculatiuam. & 3. de anima cap. 10. adæquatè intellectum in practicum, & ſpeculatiuum diſtinxit. Tum quia cognitio practica, & ſpeculatiua rationes contradictorias præſeferūt; vel. n. cognitio in ſola contēplatione veritatis ſiſtit, & eſt ſpeculatiua, vel non ſiſtit in tali contemplatione, ſed ordinatur ad op', & ſic eſt practica. Hinc Ariſt. met. c. ait: ſpeculatiuæ finis eſt veritas, practicæ verò eſt opus, ergo inter tales habitus non datur medium, neque per participationem extremorum, neque per abnegationem, vt ſubtiliſſim' Doctor innuit q. 4. prol. art. 1.

Alij verò ex oppoſito defendūt, logicam eſſe ſimul practicā, & ſpeculatiuam, ità Suar. diſp. 44. Meth. in fine, Vaſq. p. 1. diſp. 8. c. 5. & diſp. 9. c. 3. Hurtardus diſp. 2. ſec. 2. Tolet. hic. Ruiuus, & alij, quæ opinio refellitur eiſdem rationibus quibus præcedēs; practicum. n. & ſpeculatiuum, vel ſunt differentiæ eſſentiales ex Scot. loc. cit. vel certè eas nobis circumſcribunt, & implicare videtur eamdem cognitionē

eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam; & quia rationes contradictorias præſeferunt, ſicut non admittunt medium per abnegationem extremorum; ità neque per participationem, vt ſuo loco probabimus. Hinc communior ſenſus Doctorum eſt, quòd logica ſit abſolutè practica, vel ſpeculatiua. Nominales, vt Ocham in prol. ſentẽ. Gabriel. qu. 1. art. 1. Greg. Ariminenſis. Aureol. & alij priſci, & quos etiam ex modernis ſequuntur Conimb. q. 4. proæm. art. 5. Auerſa q. 1. ſec. 6. Fonſe. 2. trac. c. 3. q. 2. ſec. 4. & alij affirmãt logicam eſſe ſciẽtiam practicam. D. Thom. cum ſuis vt videre eſt apud Compl. diſp. 1. qu. 6. & Scotus cum Scotiſtis ſuſtinent eſſe ſpeculatiuam.

Sciendum eſt, quòd ratio diſcriminis inter hos Doctores ortum duxit ex nomine praxis, & notitiæ practicæ; Aliqui .n. volũt omnem operationem dirigibilem eſſe praxim, & notitiam directiuam eius eſſe practicam; Et fundamentum eſt, quia practica notitia non ſiſtit in ſimplici cõtemplatione obiecti, ſed verſatur circa illud modo operabili, & tendit ad illud efficiendũ; & q. a logica verſatur circa inſtrumenta ſciendi, quæ efficit, ſequitur quòd ſit notitia practica. Alij verò contendunt non omnem operationem dirigibilem eſſe praxim, nec omnem notitiam directiuam eſſe practicã. ſed ſolùm operationem dirigibilem per dictamen prudentiæ, vel artis, vndè volũt conſequẽter praxim eſſe operationem ab electione voluntatis pendentem, alioquin non eſſet laude, aut vituperatione digna; & omnẽ cognitionẽ directiuam talium operationum practicam appellant, quia per ipſã remouetur error practicus. Quia igitur logica, ità operationes intellectus dirigit, vt ſolùm intendat ab eis remouere errorem ſpeculatiuum, qui eſt falſitas, & tota eius directio circa verũ verſatur, quod eſt obiectum intellectus, ideò potiùs ſpeculatiua appellanda erit; & hic reuera videtur germanus ſẽſus Ariſt. Met. c. 2 cùm ait, finem ſpeculatiuæ eſſe veritatem; practicæ verò opus, vbi commẽt. tom. 3. exponit, per ſpeculatiuam ſcimus, vt ſciamus, per practicam verò ſumus ſcientes, vt operemur, quia practicæ finis eſt opus. Licèt ergo per logicam aliqualiter operemur; operationes intellectus dirigendo, q. a tamẽ pro fine veritatem habemus, & operamur vt ſciamus, abſolutè ſpeculatiuam appellare debemus. quibus poſitis, ſic reſoluimus.

*Concluſio.*

*Dicimus, quòd, eſtò logica ſecundum quid, & per quamdam analogiam, practica dici poſſet; abſolutè tamen, & ſimpliciter ſpeculatiua cenſenda eſt*. Concluſio eſt Scoti locis cit. & ſequuntur Lych. Barg. Viger. Ant. Andr. & Scotiſtæ communiter. Et ità explicatur, & probatur. Cognitio practica poteſt dupliciter accipi, vno modo largè. ſ. pro notitia cuiuſcumque operationis contingẽtis,



Digitized by Google

quæ ſit erroris capax, ſiuè practici, ſiuè ſpeculatiui, & non eſt purè cõtemplatiua naturę proprij obiecti, ſed etiam effectrix illius, & ità logica dici poteſt ſcientia practica, quæ reuera non ſiſtit in hoc, vt tãtùm naturam ſillogiſmi cognoſcamus; ſed etiam tradit præcepta, & regulas illum efficiendi; ſed quia hoc non ſufficit ad rationem notitiæ practicæ propriè dictæ, ſed requiritur etiam, vt ſit directiua praxis .ſ. operationis ab electione pẽdentis, & conſequenter imputabilis ad laudem vel vituperium, ideò rigorosè loquendo, logica non poteſt dici practica, ſed ſpeculatiua, cùm totus eius finis ſit veritas, & ipſamet conſtructio inſtrumenti non eſt vt operemur, ſed vt rectè ſciamus. Et licèt actus intellectus in ordine ad bonitatem moralem directus, rationem praxis habere poſſit, vt ſuo loco oſtẽdemus, quatenùs tamen dirigitur ad veritatẽ, nõn habet rationem praxis, quia tunc finis illius directionis eſt veritas, nõ opus, & hoc eſt fundamẽtum præcipuum, cui hæc ſententia innititur.

Reſpondet Auerſa cum alijs, nõ ſufficere, quòd cognitio ſpeculatiua, quæ per logicam dirigitur, ſiſtat in contemplatione veritatis, nam ipſa logica non ſiſtit in contemplatione veritatis de ipſo ſuo obiecto, ſed ordinatur ad illud efficiẽdum, atquè adeò nõ eſt propter ſe ipſam, & gratia ſui, quod neceſſariò requirit natura ſcientiæ ſpeculatiuæ. Sed hæc reſponſio falſo innititur fundamento, vt benè Complut. & Didacus à Ieſu aduertunt, falſum ſiquidem eſt, de ratione ſpeculatiuæ eſſe, ità in ſimplici, & nuda contemplatione ſui obiecti ſiſtere debere, vt nequaquã ad illius effectionem dirigere poſſit, quod manifeſto patet exemplo; nã Geometria, Aſtrologia, & Mathematica ſcientiæ ſpeculatiuæ ſunt, & tamen non eſt contra ſpeculationem earum aliquid operari nimirũ Sphęram, Triãgulum, Aſtrolabium &c. ſicut etiam opus numerandi, & menſurandi, ad illas ſciẽtias ſpectat, & tamẽ à ratione ſpeculatiuæ eas non extrahit; non alia ratione, niſi quia effectio, & conſtructio horum inſtrumentorum ordinatur ad cognitionem veritatis, non ad ipſum opus iam factum; ita aſſerendum eſt de logica, quæ non ſolùm omnia ad cognitionem veritatis ordinat, ſed ipſum opus, quod efficit, & dirigit, veritas eſt. Qua etiam ratione propter ſeipsã, & non propter aliud dicitur, nam & ſi dirigat in opus, in hac tamen directione, & effectione operis, nõ opus, ſed veritatem intendit.

Item logica habet propria principia ſpeculatiua, ꝑ quæ ſuas probat cõcluſiones, & illas in ſua principia reſoluit, ergo ẽ abſolutè ſpeculatiua. Rñt principia ſpeculatiua, quib' vtitur logica, ſunt potiùs methaphyſicæ, quib. vtitur ad probandas ſuas concluſiones. Nõ placet, ſi namque logica probare vel-

let,

let, talem Syllogiſmum eſſe pfectū, vel impfectum, concludere indirectè, vel directè, eſſe demonſtratiuum, vel probabilem, aut ſophiſticum, non pōt ad Meth. recurrere, nullum .n. inde auxilium recipiet, cum huiuſmodi regulas nō tradat, ſed poti' ad ſua principia, & regulas in Summulis tradita, recurrere debet ex quib. perfectè cognoſcet, ex quib. regulis talem, vel talem concluſionem elicere debet. Tum qa ſi nō poſſet logica ex ſuis principijs proprias concluſiones deducere, vitia oſtēdere, & ad ſua principia reſoluere ſine Meth. ergo pri' hæc facultas addiſcenda eſſet, quā logica, quod falſum eſt. Tum tandem, quia ſi logica ex eo quia operationes dirigit intellectus, per Aduerſarios, practica cēſenda eſt, ergo qa Meth. tunc intellectum dirigeret, & inſtrueret ad ſua principia mutanda pro deductione taliū cōcluſionū, iam ipſa Met. eſſet ſciētia practica, nihil.n. p ipſos ampli' requ tur ad rationem practicæ ſciētiæ, niſi quòd opationes dirigat intellectus, quomodò in caſu Metha. dirigeret.

Quòd deindè logica ſit abſolutè cenſenda ſpeculatiua, eſt expreſſa auth. D. Tho. opuſc. 70. fol. 128. q. 57. art 3. ad 3. vbi docet. logicā eſſe facultatem ſpeculatiuam; & rōcius eſt, qa ex fine colligitur an ſcientia ſit practica, vel ſpeculatiua ex Ariſt. 1. meth. tex. 3. vbi ait: *ſpeculatiuæ autem finis veritas, practicæ aūt opus.*

D. Bonau. de Reductorio artiū ad Theologiam, & de Principio ſac. Scrip. docet logicam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam, cuius intētum eſt, vt certum modum præſcribat, quo veritas cuiuſcumque rei ſine errore quæri, & inueniri poſſit. at hoc ad ſpeculatiuam ptinet, ergo &c. Subdit Seraph. Doctor: *Nec obſtat logicam eſſe directiuam operationis intellectus, quia non dirigit eas circa aliquod opus, ſed potiùs circa ipſam veritatem*. Dirigere ergo in ordine ad veritatem eſt ſpeculatiuum ex .S. Doct. non practicum. Item habet Scot. 4. Prol. q. 1. & in quinque prędicabilia. Quarè ſaltem extrinſecè ex tot Claſſicis Doctorib. qui propriam Scholam inſtituerunt, deciſio noſtra eſt verior. quòd verò Aduerſarij praxi attendant ad quamcumque dirigibilitatem, eſt prorſus voluntarium, & ad libitum.

*Obiectiones.*

Ob. 1. habitus dirigens actiones voluntatis eſt practicus, ergo & habitus dirigens actiones intellectus. Nec valet (inquiunt) negare paritatem, quia operatio volūtatis eſt praxis, non autem operatio intellectus, nam prudentia eſt habitus intellectus, & tamen eſt practicus, & dirigit operationes aliquas intellectus, quæ ad virtutes pertinent: ergo quòd logica dirigat operationes intellectus nō obſtat, quò minus ſit practica ſciētia. Nec etiam dicere valet, operationes intellectus, vt à prudentia directas habere rationem praxis,

xis, quia vt ſic pendent ab electione voluntatis, & ſunt capaces erroris practici, ac proindè imputabiles in genere moris, non autem itá ſe habere, vt diriguntur à logica, quia non cadunt ſub directione logica, niſi vt capaces erroris ſpeculationes .ſ. falſitatis, & ideò nō ſunt praxes, ſed merè ſpeculationes; nam contra hoc vrgent cum Vaſquez, quòd etiam in operibus logicæ principium eſt electio; tales .n. operationes liberè fiunt, & voluntas mouet intellectum ad illos actus, ſicut cæteras potentias, ergo logica verè eſt ſciētia practica actiua; quatenùs verſatur circa opera, quorū principium eſt electio.

Reſp. Negando paritatem, nam etiam ſi in intellectu datur praxis, vt ſuo loco admittemus, hoc erit quatenus à voluntate pendet, & capax erit erroris practici, & imputabilis in genere moris, quod nō euenit, vt à logica dirigitur, & impugnatio Vaſquez parum valet, vt benè Complut. aduertunt, ſi enim vim haberet, probaret etiam nullam dari ſcientiam ſpeculatiuam, cùm omnes actus cuiuſcumq; ſciētiæ fiant, vel ſaltem fieri poſſent liberè à noſtro intellectu, media motione voluntatis. Et quando Ariſt. 6. Met. cap. 1. ait ſcientiam actiuam verſari circa ea, quorū principium eſt electio, intellexit de operationibus, quibus per ſe conuenit procedere ab electione, & tales ſunt actus virtutis moralis, qui sūt eliciti, vel ſaltèm imperati à volūtate; operationibus autem intellectus, vt à logica diriguntur, cōpetit libertas merè per accidens; nā etiam antecedenter ad quaſcumq; operationes voluntatis poteſt intellectus in ſuis actibus errare, & per regulas logicales dirigi, & cōſequenter tales actus nō erunt praxes, ſed merè ſpeculatiui, & ab electione, vel imperio voluntatis independentes.

Ob. 2. Logica eſt de obiecto operabili, & circa illud verſatur modo operabili, & compoſitiuo, non merè ſpeculabili, non .n. contemplatur tātùm materiam definitionis, argumentationis &c. ſed dat regulas benè illa conſtruendi; ergo eſt ſcientia practica. ℞. verum eſſe de obiecto operabili, & operari, & dirigere, ſed quia in ipſa operatione, & directione non quæritur, niſi veritas, ideò negatur conſequentia; directio .n. practica non ordinatur adhoc, vt rectè cognoſcamus, ſed vt boni efficiamur, vt Ari. diſertis verbis docet 2. Eth. c. 2.

Ob. 3. Logica agit de operationibus intellectus, quatenùs illius ſunt naturæ, vt benè, vel malè fieri poſſint, & tradit modum quomodò benè fiant, & detegit vitia, quæ contingere poſſunt in earum exercitio, quæ ſunt munera ſciētiæ practicæ, ergo &c. ℞. vtiquè logicam agere de operationibus intellectus, quatenus benè, vel malè fieri poſſunt, ſed ſpeculatiuè, non practicè, & detegit vitia ſpeculatiua, quæ in ipſis cōtingere poſſunt,

non

non ſic ſciētia practica, cuius proprium eſt tradere regulas ad euitanda vitia in genere moris, logica autem ad fugandam ignorantiam.

Ob. 4. Ille habitus, qui non tātùm eſt cognitiuus, ſed etiam operatiuus, eſt practicus, ſed Logica eſt huiuſmodi, hoc patet, cùm in Docentem, & Vtentem diuidatur. Ergo &c. ℞. Maiorē eſſe falſam, quando operatio eſt propter ſcire. & licèt Logica vtens, habeat rationem artis, & vt talis habere poſſit rationem practici; attamen, quia etiam opus ipſum, quod efficit, eſt ſpeculatio, non praxis, & ad veritatem tendit, ideò abſulutè dicēda eſt ſpeculatiua. Et ideò rationabiliter D. Thom. loc. cit. artem ſpeculatiuam eam appellauit.

Ob. 5. Habitus ſpeculatiuus eſt propter ſe ex 1. Meth. cap. 2. at logica non eſt propter ſe, ſed propter alias ſcientias, ergo &c. ℞. Maiorē eſſe veram de ſpeculatiuis principalibus, logica eſt etiam ſpeculatiua, ſed miniſtra, & inſtrumentalis.

Ob. 6. Si logica eſſet ſciētia ſpeculatiua, eſſet nobilior ſciētijs practicis, ſed hoc eſt falſum; cùm ipſa ſit de Ente rationis, illæ de Ente reali, ergo &c. Sequela patet ex Ariſt. 1. Met. c. 2. vbi docet quācumque ſpeculatiuam nobiliorem eſſe quacumque practica. ℞. Maiorem poſſe eſſe veram, ſi non ex obiecto, ſaltèm ex modo procedendi circa illud, quomodo minor eſt falſa, vel negatur ſequela, & ad probationē dicimus, quòd Ariſt. fuit loquutus de ſpeculatiuis principalibus, quomodò non eſt logica.

Dices: logica non cōſiſtit in ſimplici ſui obiecti ſpeculatione, ergo non eſt ſpeculatiua, ſed adæquatè practica. Pr. antec. eſt adæquatè directiua opationum intellectus, ergo non conſiſtit in ſui obiecti ſpeculatione. ℞. 1. tenent Aduerſarij, quòd obiectum logicæ ſint omnes intellectus opationes, & has habet logica pro fine intrinſeco, ergo in ſimplici ſui obiecti ſpeculatione conſiſtere pōt, & ità negatur antec. & ad probationem, negatur cōſequētia, ſi .n. logica eſt intrinſecè directiua opationum intellectus, vndè deducitur, quòd ſiſtere non poſſit in talis obiecti ſpeculatione? ſi in eorum ſententia, intellectus operationes ſunt obiectum? ℞. 2. neg. antec. ſicut .n. logica habet pro fine intrinſeco Syllog. ità in talis obiecti ſpeculatione ſiſtere pōt, finis .n. intrinſecus cum obiecto coincidit, patet exemplo artis frænefactiuæ, quæ eſt facultas organica, & famulatiua ſicut logica, vndè ſicut pro fine intrinſeco habet rectū frænū efficere, ſic in eius contemplatione ſiſtit, hoc eſt .n. quod adæquatè cōſiderat, & contemplatur, non directionē equi, quæ ad aliam ſpectat facultatem, & ex hoc patet ēt falſitas probationis, logica nāq; eſt directiua operationū intellectus tantùm extrinſecè, vt art. 4. & 5. diximus. Tùm quia ōnis ſcientia eſt directiua operationum intellectus; ergo omnis ſcientia eſſet adęquatè pra-

practica Pr. antec. Phyſic. .n. dirigit operationes intellectus, ne circa res naturales errem⁹, & ad hoc inſtituta fuit: ſic & de Meth. & Mathematica diſcurrẽdum eſt; & ſi logica ad has omnes inſeruiat, ſubminiſtrando modos rectè arguendi, ex hoc ſolùm infertur ex Scot. eſſe ſcientiam cõem, organicã, & famulatiuam; non practicam, vt Ipſi prætendunt.

Ob. 7. Logica non ſolùm dirigit ſyllogiſmos ſpeculatiuos, ſed etiã practicos, ergo ſaltèm ex hac parte practica eſt. Reſp. negando conſequentiam, nam licèt logica regulet etiam ſyllogiſmos practicos, ſed in ratione veri, ſicut prudentia in ratione boni, & ideò hæc dicitur habitus practicus; logica verò ſpeculatiuus.

Et per hoc ſatisfit Baudunio; ex hoc enim, quòd logica ſit ſcientia cõis & vniuerſalis & regulet Syllogiſ. practicos, & ſpeculatiuos, non ſeqtur eſſe partim practicã, partim ſpeculatiuam, vt ipſe prætẽdit; nec eius exempla de Sole, de Anima, & cauſa efficienti æquiuoca, quæ põt plures effectus ſpecie diſtĩctos producere, aliquid ei ſuffragãtur, nam ex hoc non ſequitur, quòd Sol, vel Anima poſſunt in plurib. ſpecie diſtinctis conſtitui, propter repugnãtiam differẽtiarum eſſentialium in eadem re, ſic practicũ, & ſpeculatiuum sũt habitus ſpecie diſtincti, ergo non põt idem habitus partim practicus eſſe, partim ſpeculatiuus, ſicut non põt idem homo eſſe partim homo, & partim brutum. Quãuis igitur logica ſpeculatiuos, & practicos Syllogiſmos regulet, nõ inde ſequitur eſſe facultatem mixtam, ſimul practicã, & ſpeculatiuã ſed in vtriſq; ſuum finem exercere, qui eſt veritas, & hæc eſt ſententia ipſius, iuxta Doctrinam Seraph. Doct. dicentis, *logicæ intenture eſſe, vt certum modum præſcribat, quo veritas cuiuſque rei ſine errore inueniri poſſit*. vbi notandum eſt illud, *cuiuſque rei*, ideſt tàm practicæ, quã ſpeculatiuæ, ſed ſemper ad veritatẽ indagandam. *quo veritas cuiuſque rei ſine errore inueniri poſſit*; ergo licèt logica & ſyllogiſmos practicos regulet, & dirigat, non ob id extrahi debet à ſuo intento, & fine vltimato, ſed in qualibet directione, ſuum finẽ intendit, q. eſt veritas, nõ op⁹.

Ob. Vltimo, Auctoritate Ariſtotelis, nam primo Rhet. 1. ait: Dialecticam eſſe inuentam ad dirigenda opera, quæ benè, vel malè fieri poſſunt. & 6. Meth. c. 1. diuidit ſcientias ſpeculatiuas, in Phyſicam, Mathematicã, & Metaphyſicam, nullam mentionem faciens de logica, Ergo &c. Reſp. ad primam, vt ſupra, quòd ſcilic. logica dirigit, vt opera benè, vel malè fiant ſpeculatiuè, vt veritas rerum attingatur.

Ad ſecundam auctoritatẽ. ℞. ibi Philoſophum diuidere ſpeculatiuas principales, inter quas non eſt logica.

*Dubium.*

Hic dubitari ſolet, an Logica ſit

ſit ſcientia communis. Ad quod breuiter reſpondemus cum Scoto q. 2. vniuerſalium, aſſerente eſſe ſcientiam communem, communitate videlicet vſus, & applicationis, quatenùs ea quæ tractantur in logica, ſunt omnibus ſcientijs applicabilia, vndè communis cenſetur quoad omnes partes; licèt ſpeciali quodam modo, Topica dicatur communis, quatenùs locos quoſdam arguendi communes ad quodlibet probandum indifferenter tradit.

Et quia tota logica Ariſt. plena eſt entibus rationis, & ſecundis intentionibus, nè in æquiuoco laboremus, operę prętium duximus, non amplius immorari ad notitiā entis rationis tradendam, & tantò magis, quia quam prius ad explicationem libri Porphyrij accedemus, qui totus de Vniuerſalibus, & prædicabilibus eſt, quæ formaliter non niſi entia rationis, & ſecundę intentiones ſunt.

## DISPVTATIO SECVNDA.

*De Ente Rationis, & Secundis intentionibus.*

POtius Methaphyſici hæc res eſt, quam Logici, cùm n. obiectum in Methaphyſica ſit Ens reale, ad eumdem ſpectat de illo agere, & de eo quod ad modum eius percipi poſſit; quia tamen vſus inualuit, vt in logica natura entis rationis examinetur, ea potiſſimum ratione, quia tota logica Ariſtotelis, entibus rationis, & ſecundis intentionibus conſtat; Nos etiam rationabilē hunc vſum amplectētes, poſt diſcuſſionem quæſtionū Procemialium, de Ente rationis, & Secundis intentionibus Diſputationem præſentem inſtituimus.

### ARTICVLVS PRIMVS

*An detur Ens rationis.*

SCotus, cuius aſſertionum probationes, veluti enſis vtrâque parte acutus, aduerſariorū cauillationes trucidāt, pluribus in locis ſupponit dari Ens rationis, vt videri poteſt in 1. ſent. d. 36. q. vn. lit. F. & G. Vbi Ens rationis, Ens in anima appellat, vt contradiſtinguitur ab Ente extra animam, tam in eſſe actuali, quàm in eſſe poſſibili, & in 2. d. 1. q. 5. art. 2. diſertè docet Ens rationis non habere eſſe actuale, & formale, niſi cùm intelligitur, & quolib. 3. lit. A. inquit: *Ens rationis habere eſſe præciſè in intellectu cōſiderate*. Et in 4. d. 1. q. 2. vocat ens rationis, *Ens tantùm diminutum*; & ſæpè alibi; ex quibus benè deducitur, eius intellectum ſatis circa hanc rem verſatum, & eruditum fuiſſe, & ideò iure meritò à nobis in reb. Methaphyſical. vt Dux, Lux, Doctor, ac Magiſter ad omnes difficultates enodādas promouetur. Et nè in æquiuoco laboremus, ſupponimus ex Doctore in 4. d. 1. qu. 2. §. *Hinc primò videndum*, Ens rationis trifariam accipi ſ. effectiuè, ſubiectiuè, & obiectiuè. Ens rationis effectiuè dicitur illud, quod à ratione, ſiuè intelle-

Digitized by Google

tellectu efficitur, & cauſatur, vt sũt ſcientiæ omnes, & notitiæ rerum, & de his non loquimur in præſenti, omnis enim notitia eſt Ens reale: Ens rationis ſubiectiuè eſt id, quod in ratione, ſeù intellectu ſubijcitur, vt sũt ijdem actus intellectus, habitus omnes ſcientiarum, & multi etiam infuſi, vel acquiſiti, qui intellectui inhærent; & neque de his controuertitur in præſenti, cùm hæc omnia ſint accidẽtia realia. 3. modo Ens rationis ſumitur obiectiuè, & eſt id, quod intellectui conſiderandum obijcitur, quod adhuc duplex eſt, vel.n. ità intellectui obijcitur, quòd etiam nullo intellectu conſiderante, ad huc in ſuo eſſe permaneat, & exiſtat; quomodò ſunt omnia entia realia, vt homo eſt Animal rationale &c. aut ità intellectui conſiderandum obijcitur, vt tandiù duret, quandiù talis operatio permaneat, & illa ceſſante ceſſet; vt ſunt Chimera, Augelus alatus, Iuuenis Pulcher, &c. quæ dicuntur entia fictitia, vel genus, ſpecies, differentia, ſubiectum, prædicatum &c. quæ dicuntur entia rationis fundata, & de omni enti rationis in communi quęritur an ſit, vel dari poſſit.

Duæ ſunt opiniones, prima eſt negatiua, quam docuerunt Ioan. Gandau. lib. 2. Meth & lib. 4. qu, 6. Bernardus Mirandulanus in expoſit. prædic. Valleſius controuerſia 10. Phyſicæ, & Alij. Secũda opinio communiter eſt affirmatiua, & cẽſetur Græcorum, Arabum, & Latinorũ, vt Cartarius de primis principijs Vniuerſ. log. lect. 7. docuit, & quos vniuerſaliter ſequũtur Peripatetici, ſecũdas intentiones admittẽtes, quorũ veſtigia nos quoq; ſequẽtes, per duas Cõcluſiones ad pręſentẽ Articulũ Reſpondemus.

*Concluſio I.*

*Dicimus 1. Ens rationis omninò admittendum eſſe, iuxtà ſenſum Tituli explicatum.* Prob. 1. Auctoritate Præcipuorum Phyloſop. Auicen. 1. ſuæ Meth. c. 2. & 3. Auer. 4. Meth. cõm. 2. & in Epitom. log. c. vlt. Logicam eſſe de ſecũdis intẽtionibus aſſerẽtium. Sequuntur Ammonius, Porphyr. & famoſiores latini, D. Tho. Scotus, Egidius. Alenſis, Albertus, Suar. diſp. vlt. Meth. ſec. 1. & alij Recentiores communiter. Et colligitur clarè ex illa famoſa Ariſt. sẽtentia in 6. Meth. in fine. & lib. 11. vbi diuidit Ens in anima, & extra animã; vbi p ens in anima pręcipui Expoſitores, & peculiariter Scotus in 1. diſt. 36. q. vnica, intelligunt Ens rationis; ſicut per ens extra animam, intelligunt Ens reale. Vndè antiquitas ipſa ſola ſufficere videtur ad huius concluſionis veritatem oſtendendam.

Probatur etiam ratione. Tũ qa multa intelligimus, & imaginamur, ac ſi eſsẽt, cũ reuerà nec ſint, nec eſſe poſſint, vt Chimeram, Hircoceruũ, Angelum iuuenem, alatũ &c. ergo cũ aliud eſſe non habeant quàm imaginari, & tandiù durent, quamdiù ipſa cognitio, & imaginatio perſeuerat, clarum eſt, Entia ratio-

rationis eſſe. Tùm quia ſæpè priuationes, extrinſecas denominationes, & negationes admodum entiũ concipimus, per modum ſ. quarũdam formarum ſubiectis inhærentium; concipimus enim tenebram in Aere, ad modum nebulæ nigri coloris extenſam, & cęcitatem in oculo ad modum cuiuſdam formæ contrariæ potentiæ viſiuæ &c. quæ cùm non ſint, nec eſſe poſſint, Entia rationis dicuntur. Tùm tandem quia tota Ariſtotelis Logica plena eſt entibus rationis, & ſecundis intentionibus, vt ſunt genus, ſpecies, Vniuerſale, Singulare, Subiectum, Prædicatum &c. ergo &c.

Reſpondent Aduerſarij, negando intellectum concipientem Angelum corporeum, Hircoceruum, &c. aliquid fictum concipere, ſed concipere veram corporeitatem, veramq; & realem naturam Hirci, quam in alijs rebus cognoſcit, & eas intentionaliter connectit cum Ceruo, cum Angelo, ac per conſequens non dari obiectum actui fingenti correſpõdens, ſed verum Ens reale ad ipſum intellectum terminatum. Sed falſum eſt, tunc eamdẽ corporeitatem, vel naturam cõcipere intellectum, quæ in alijs reperitur, ſed aliam ſpeciem differentẽ, & impoſſibilem, quam ipſe Angelo, vel Ceruo applicat, Vt Thomiſtæ aſſerũt de indiuiduo Angelico ſub ſpecie. V. g. Grabielis, quod in eorum ſentẽtia eſt impoſſibile etiã in ordine ad potentiã Dei abſolutam; Sed quidquid ſit de hac reſponſione, quam alij amplectuntur; Rꝫ. faciliter, quòd etiam admiſſa eorum ſolutione, non adhuc euitant ens rationis, licèt enim illa corporeitas Angelo applicata realis eſſet, quia tamen rei inunibile eam vniret, & applicaret, quod eſt impoſſibile, Ens rationis foret, & illa corporeitas realis, ſolũ conſideratur, & pcipitur vt terminus ſimilitudinis, ad cuius inſtar concipitur.

Dices, tunc intellectus talibus extremis non applicat fictam, ſed veram, & realem vnionem, quæ in alijs rebus reperitur, atque ideò ſemper ens reale eſt, id quod cõcipit. Rꝫ. negando conſequentiam, quia adhuc illa obiectiua applicatio, ſeù vnio erit ens rationis, cùm rebus inunibilibus applicetur.

*Concluſio Secunda.*

*Dicimus ſecundò, Ens rationis ſiuè fictum, ſiuè fundatum, ità ab intellectu pendere, vt totum ſuum eſſe actuale, ſiuè eſſentiæ, ſiuè exiſtentiæ ab eo recipiat.* Concluſio eſt contra Medinam 3. p. q. 5. Art. 5. dub. 1. ad primum, vbi aſſerit ens rationis, quod habet fundamentum in re, præcedere omnem actum intellectus, quo ad totum ſuum eſſe formale, & actuale; & contra Fonſecam, qui 4. Meth. c. 2. q. 7. ſect. 9. idem aſſerit loquẽdo de illis entibus rõnis, quæ ex dominationibus extrinſecis reſultare videntur, vt ſunt relationes Creatoris in Deo, prioris, & poſterioris &c. Et contra aliquos, qui & ſi Entia rationis ab actibus intel-

lectus

lectus pendentia admittant, quoad exiſtentiam, non tamèn quòad quidditatem,& & eſsētiam,ſed ſecundum hanc, intellectum præcedere affirmant. Concluſio eſt Scoti pluribus locis, ſed præcipuè in 1. ſentent.diſt.36.q.vnica,lit.F.& G. & in 2. diſt. 1. q. 1. vbi manifeſtè docet, Entia rationis non habere eſſe actuale, & formale, niſi cùm intelliguntur. Probatur etiam ratione: per ens rationis intelligitur illud, quod omninò ab ente reali diſtinguitur, ſed quod præcedit actum intellectus non diſtinguitur ab Ente reali,hæc eſt .n.differentia eſſentialis entis realis, & rationis, quòd illud exiſtit independenter ab intellectus operatione, hoc verò à tali operatione tantùm depēdet, & ideò dicitur habere tantùm eſſe obiectum in intellectu, ergo ſi Ens rationis intellectum præcederet, Ens reale,eſſet ens rationis.

Reſp.Medina cum alijs, per hoc argumentum ſolùm concludi, ens rationis perfectum, & completum ab intellectus operatione pendere, at quantùm ad eſſe imperfectum, & incompletum nihil obſtat, quin actum intellectus præcedat.

Sed contra,quælibet realitas quātumuis imperfecta, ſi præcedat actùm intellectus,realis eſt, non rationis; per hoc .n. dicitur ens rationis, quia tantùm à ratione in ſuo eſſe dependet, ergo vel totum erit ens reale, ſi intellectus actum præcedat, vel totum rationis ſi ab eius actu pendeat; ne admittere cogamur quodam ens compoſitū ex ente reali, & ente rationis in ſuo eſſe formali. Reſpōdent aliqui pro alia ſententia, Argumentum concludere de eſſe exiſtentiæ entis rationis, non de eſſe eſſentiæ.

Sed contra, ergo idem Ens erit compoſitū ex eſſentia reali, & exiſtentia rationis in ſuo eſſe actuali, quod horrendum, & monſtrum in Philoſophia cenſetur. Tùm quia modus rei proportionatur eſsētiæ, cuius eſt modus, ſed exiſtentia eſt modus eſſentiæ; ergo debet ei proportionari, & ſi exiſtētia ab intellectus operatione pendet, hoc ſimiliter de eſſentia aſſerēdum erit, Et ſi eius eſſentia,& quidditas actū intellectus præcedit, ſimiliter de exiſtentia affirmari debet, & conſequenter ens reale, & non rationis erit, exiſtentia .n. non eſt niſi eſſentiæ actualitas. Tū quia ſuo loco oſtendemus, eſſentiam ab exiſtentia non diſtingui. Quoad aliam partem, quæ eſt contra Fonſecam de relationibus ab extrinſecis denominationibus relictis, patebit infra.

*Obiectiones.*

Obijcies contra primam Concluſionem: Nulla videtur neceſſitas, vel vtilitas entis rationis, ergo fruſtra Philoſophi laborant eius eſſentiam, & quidditatem inueſtigando. ℞. negando antecedens, & ratio deſumitur ex noſtro imperfectè concipiendi modo, noſter.n. intellectus ex ſua finita,& limitata virtute non poteſt aliquando con-

cipere

cipere res, vt à parte rei ſunt, & ideò vtitur cõparatione ad aliud, fingendo diſtinctionem, vbi nõ eſt; relationem, vbi non reperitur; attributa rationis, vbi non ſunt, vt manifeſtè apud Theologos apparet, in doctrina de Deo, & miſterijs fidei &c. Ità Maſtr. & Bellut. cũ alijs. Sed quia Bellut. & Maſtr. tenent probabiliter Deum efficere poſſe ens rationis, ideò non benè aſtruunt neceſſitatem entis rationis ex imperfectione intellectus, ſed potiùs dicere debeant, quòd & ſi ens rationis nõ ſit ex ſe neceſſarium ad ſcientificum, multũ tamen conducit ad eius complemẽtum, de cuius perfectione eſt, non ſolùm ſuũ obiectũ attingere, ſed etiã eius vmbrã, & ſimilitudinẽ; & licèt ex alio capite hoc impoſſibile ſit, hoc tamen nõ obſtat, nam etiã Ariſtoteles docet, quantitatẽ infinitã, & eius attributa ad Mathematicum ſpectare, eam in eodem prædicamento quantitatis reponendo, eſtò ſecundum communiorem, & veriorem ſententiam repugnet à parte rei dari quantitatem infinitam; ſic in propoſitio ad perfectionem Metaphiſici ſpectat cõſiderare ens rationis, & eius attributa, tamquam in claſſe entis, cùm ſit eius vmbra, & ſimulacrum, licèt dari à parte rei repugnet, ſpectat enim ad perfectionem artificis, vt etiam de impoſſibilibus diſſerat, ſi in ambitu ſuæ P. ofeſſionis cõtinentur, & hoc dicimus loquẽdo de ente rationis non fundato, ſed fictitio; ſi autem loquamur de ente rationis fundato, ſeu ſecunda intentione, patet eius vtilitas, & neceſſitas, cùm conſtituat vnam ſciẽtiam ſcil. Logicam, diſtinctam ab alijs, & qua aliæ indigent, vt in Proœmialibus dictũ eſt. Hinc Suar. in Meth. ait, non poſſnmus viuere abſq; ente rationis, nam nomina, quib. loquimur, & quibus res primæ intentionis nominamus ſunt entia rationis, & ſecundæ intentiones, cùm non ſignificent naturaliter, ſed ad placitum.

Ob. 2. quod eſt priùs intelligibile, quam actu intelligatur, eſt ens reale, non rationis, intelligibilitas enim eſt paſſio entis realis; ſed hoc, quod ens rationis appellatur, eſt priùs intelligibile, quàm actu intelligatur, actus enim ſecundus ſupponit actum primum, ergo non erit ens rationis, ſed potiùs ens reale. Ma. patet, & Minor probatur, alioquin intellectus intelligeret id, quod non erat intelligibile. R. maiorem poſſe intelligi dupliciter; vno modo formaliter, & actualiter quomodò ſunt entia realia intelligibilia; Alio modo virtualiter, in ordine ad intellectum potẽtem illud producere, maior eſt vera de intelligibili primo modo, nõ de ſecuudo modo, ens .n. rõnis dicitur intelligibile non in ſe, ſed reſpectu intellectus potẽtis illud producere; & intelligibilitas realis eſt paſſio entis realis, ſicut intelligibilitas rationis, eſt paſſio entis rationis, paſſio enim propria non poteſt

ſuum

ſuum ſubiectum excedere.

Ioan. Poncius in Log. diſput. 1. q. 2. nu. 13. fol. mihi 75. hanc reſponſionem, quæ eſt Complut. q. 1. Maſtr. & Bellut. hic & plurium Recent. non approbat, & reddit rationem, nã de illo ipſo ente rationis formaliter loquendo, quod intelligitur in hoc inſtanti, verũ erat dicere in inſtanti antecedẽti, quod erat intelligibile, & non ſolùm id verum eſt de fundamento eius, & intellectu illud potente producere, vt manifeſtum eſt, ergo quo ad eſſe etiã formale priùs eſt intelligibile, quã intelligatur; affert exẽplũ, nã ſicut ex eo, q verũ ſit dicere, hodie Antichr. eſt producibilis, & nõ ſit verum dicere, quod ſit productus, optimè colligitur, quòd ſit priùs producibilis, quàm producatur; ita ſimiliter optimè colligi poteſt chymeram eſſe priùs intelligibilem, licèt non actu intelligatur.

Quæ doctrina quicquid dicat Maſtr. non mihi diſplicet, dũmodo tamen eſſentia accipiatur tantùm pro poſſibili, & nominaliter, & vniformiter loquatur; ſicuti enim quando actu ſunt entia rationis, aliam entitatem actualem non habent, niſi fictam; ità quando ſunt in potentia, aliam realitatem potentialem non habent, niſi illam, qua ſic fingi poſſunt. qua doctrina negata, neſcio, quomodo ſaluari poſſint propoſitiones de entibus rationis in æternitate; ſicut .n. ens reale eſt id, quod exiſtit, vel exiſtere poteſt in rerum natura indepẽdenter ab intellectu; ità ens rationis eſt illud, quod eſt, vel exiſtere poteſt obiectiuè tantùm in intellectu. atque ideò maior argumenti eſt abſolutè neganda, nam etiam ens rationis eſt priùs intelligibile, quam actu intelligatur.

Ob. 3. obiectum intellectus eſt ens reale, ergo quicquid intellectus percipit, ſub ratione entis realis percipit, cùm nulla potentia extra ſuum obiectũ tẽdere poſſit. Reſp. negando conſequentiam, ſufficit .n. vt quidquid percipiat, ad modum entis realis percipiat, ſi .n. per impoſſibile non eſſet ens reale, nec ens rationis eſſet, & ideò dicitur ens diminutum, & vmbra entis realis. vel poteſt admitti cõſequentia, & nihil contra nos, nam reuera, quidquid percipit intellectus, ſub ratione, .ſ. modo entis realis percipit, licèt illud ſic perceptum ens reale non eſſet.

Ob. 4. quod eſt impoſſibile, non poteſt concipi, cùm intelligibilitas ſit paſſio entis, ſed ens rationis eſt impoſſibile realiter, ergo non poteſt concipi. ℞. negando maiorem, & ratio eſt, quia ad plus ſe extẽdit intelligibile, quàm poſſibile, cùm multa impoſſibilia ſæpè cogitam⁹, vt Angelum corporeum, Deũ Patrem veneranda canitie refulgentẽ &c. quæ impoſſibilia ſunt.

Ob. 5. nulla datur cauſa entis rationis, ergo nec tale ens datur, Antecedens probatur, ſi enim haberet cauſam, hęc maximè eſſet intellectus, qui tamen eſſe non poteſt



Digitized by Google

enim ſit cauſa realis, quæ realem etiam poſtulat effectum. Reſp. negãdo Antecedens, & ad probationem dicimus, cauſam quæ influxu phyſico, & per realem actionem producit effectum, terminum quoque realem poſtulare; at ſicut ens rationis, non eſt verum ens, ſed fictum, & vmbra entis, ſic etiam ſecundum quid dicitur produci, & non per phyſicum, & realem influxum, vt ex Scoto colligitur, 1. di. 36. qu. vnica; & quando etiam eſſet verus effectus, ſicuti eſt reuerà dependens, & per intellectum productum, adhuc negatur conſequẽtia, & ratio eſt, quia intellectus eſt cauſa æquiuoca reſpectu entis realis, & rationis.

Ob. 6. Si actui affirmanti Angelum, eſſe corporeum, correſpõderet vnio ficta, tunc actus eſſet verus, quia affirmaret id, quod verũ eſt, ergo vt ſit falſus, debet inter ea concipi vnio realis, & ſic quid reale concipitur, non ens rõnis. Hoc Argumentum magni faciunt Aduerſarij, dixit Arriaga, ſed reuera facilis ſolutionis videtur, quia .n. intellectus concipit vnionem realẽ inter Angelum, & Corpus, ideò reſultat fictio, ſeu vnio ficta; atque ideò conſequentia non eſt contra nos, imò neceſſarium eſt ad ens rationis, vt ſemper admodum entis realis concipiatur. Si deinde intellectus reflectendo concipiat illam vnionem Chimericam fictam eſſe, tunc actus eſſet verus, & vera notitia de tali fictione, ſed non eſt cõtra nos.

Ob. 7. Inter ens, & nihil non datur medium, cùm contradictoriè opponãtur, at ſi daretur Ens rationis, mediaret inter vtrumque nam non eſſet ens reale, vt patet, neque nihil, cum aliquid eſſe haberet ſaltem in appræhenſione, ergo &c. ℞. ex Scoto quol. 3. art. 1. quòd nomen entis poteſt multipliciter accipi, vno modo ſtrictè, & rigorosè pro illo .ſ. quod habet eſſe, vel habere poteſt extra animã. quo modo ſolũ intelligitur ens reale, & nihil accipitur prout tali enti opponitur, & ſic ens rationis poteſt dici nihil: Alio modo ens ſumi põt magis amplè, pro illo .ſ. ꝙ habet eſſe, ſiuè reale, ſiuè in apprehenſione, & nihil prout in iſta amplitudine tali Enti opponitur, & ſic ens rationis non eſt purum nihil, ſed aliquid: vel denique ens ſumitur rigorosè, & nihil amplè accipitur, quatenus omne eſſe negat ſiuè in re, ſiuè in apprehenſione, & ſic ens rationis mediat inter ens, & purũ nihil, ſed non eſt medium inter contradictoria, vt benè conſi conſideranti patet.

*Ob. Contra Secundam.*

Nulla data intellectus operatione, dantur à parte rei priuatio in materia, Cæcitas in oculo, paries viſus, Deus Creator &c. quæ cùm non ſint entia realia, entia rationis ſunt, ergo ſaltẽ aliqua entia rõnis actum intellectus præcedunt. ℞. negando omnia in Argumento aſſumpta, entia rationis eſſe formaliter, ſunt .n. negationes, & priuationes

tiones reales ex Scoto 1.d.30.q.2. in calce, vt ſunt tenebræ, & cæcitas; vel ſunt extrinſecæ denominationes reales, vt paries viſus, Deus Creator &c. Hinc aduertendum ex eodem ibidem, quòd quando negationes, priuationes, vel extrinſecas denominationes reales appellamus, tunc realitas, vel ly reale non determinat aliquod prædicatum reale ſubiecto inhærens, ſed determinat tantùm compoſitionē; quod nihil eſt, niſi affirmare id, ꝙ verè, & à parte rei eſt; vt cùm dicimus, hæc propoſitio eſt realiter, falſa, ſenſus eſt, quòd verè eſt falſa; & quòd Petrus peccauit realiter ſenſus eſt, quòd verè peccauit, abſque eo quòd ponam⁹ aliquod reale in peccato; ſic cùm dicimus, De⁹ eſt realiter Creator, non intelligimus, quòd aliqua realitas de nouo Deo adueniat; nec cùm dicimus, paries eſt realiter viſus &c. Aliꝗ prædicatū reale ipſi parieti inhæreat, ſed affirmamus id, quod verè eſt; verè .n. Deus illam realem dependētiam Creaturæ per creationem terminauit; ſicuti paries viſus terminauit illam relationē attingētiæ potentiæ viſiuę ad ipſum parietem terminatam. Ex quibus ſatisfit Fonſecæ opinioni; & ſecunda Concluſio, quoad hāc particulam, magis probata remanet.

Ob. 2. ex Ariſt. 1. de Anima 33. obiectum eſt priùs actu, in ipſum obiectum tendente, potentię enim cognitiuæ ſupponunt obiectum, non illud earum actibus efficiunt, vt patet de potētia viſiua, quæ ſupponit colorem, non illum ſuo actu efficit; ſed ens rationis eſt obiectū intellectus, ſeù cognoſcitur ab intellectu, ergo ſupponitur intellectui nō ab illo cauſatur. ℞. Auctoritatem Ariſt. intelligendam eſſe de obiecto motiuo, quod natū eſt ſpeciem ſui impræſſam in potētia producere, & cum ea expræſſam, non aut de obiecto terminatiuo, quale eſt ens rationis ex Scoto 4. d. 1. q. 1. lit. S.

Ob. 4. Dantur propoſitiones eſſentiales æternæ veritatis de ente rationis ex parte obiecti, nō ſecùs, ac de ente reali, ergo ſicut veritas illa realis de ente reali fundatur in eſſentia reali præciſa exiſtentia, ità veritas illa realis de Ente rationis fundatur in eius eſſentia, exiſtētia Entis rationis præciſa, & ſic ſaltèm quantùm ad eſſentiam, præcedit intellectum. Antecedens patet, ſicut enim veritas iſta eſt sēpiternæ veritatis, .ſ. homo eſt animal rationale, ſic & iſta, propoſitio conſtat ex ſubiecto, prædicato, & copula, & ſyllogiſmus ex tribus propoſitionibus &c. ℞. negando conſequentiā, cum ſua probatione, veritas enim propoſitionum in entibus realibus non fundatur in aliqua eſſentia, quā res actualiter habeant præciſa exiſtentia; tunc .n. res eſt, quando extra ſuas cauſas exiſtit, ſed fundatur (ex Doctore ſubtili in 1. diſtin. 36. q. vn.) in eo, quòd eſſentia rei ſit poſſibilis actu exiſtere; Sicut igitur veritates en-

tium realium fundantur ſuper poſſibilitates eorum, vt actu extra intellectum exiſtere poſſint, ita veritates propoſitionũ de entibus rationis fundantur in eo, quòd ipſa eſſentia entis rationis poſſibilis ſit, vt actu ponantur in eſſe, per intellectum potẽtem ipſum producere.

Ob. 4. Ens rationis non eſt ſubſtantia, ergo alicui ſubiectiuè eſſe debet, & non in intellectu, vbi eſt tãtùm obiectiuè, ergo in rebus, de quibus prædicatur; & confirmatur auctoritate Scoti q. 9. prædicabilium, vbi affirmare videtur ſecundas intentiones in rebus, de quibus prædicantur, tamquàm in ſubiecto reperiri; ſi ergo in rebus tamquàm in ſubiecto inherens ens rationis reperitur, non eſt per actum intellectus, ſed ipſum præcedit. ℞. negan. conſequentiam, ens enim rationis nullibi ſubiectiuè reperitur, quia tunc accidens reale eſſet; neque ſequitur quòd ſit ſubſtantia, hæc .n. realiter ſubſiſtit, poteſt tamen concipi, vt per ſe ſubſiſtens, ad modum ſubſtantiæ; ſicut, & vt alteri inhærens ad modum accidẽtis, & ita eſt quando de rebus ipſis prædicatur, & dicimus animal eſt genus, homo eſt ſpecies &c.

Ad confirmationem de mente Scoti ſatis Sarnanus laborat ad oſtendendum mentem Scoti eſſe, vt ens rationis ſubiectiuè in rebus reperiatur; ſed inanis labor, nam ipſemet Sarnanus tandem ex Scoto in q. illa fatetur, ſecundam intentionem non eſſe in re abſolutè, neque in re conſiderata, ſed in re cognita, quod idem eſt ac concipi, & cognoſci ad modum formæ inhærentis, cùm reuera nulli ſubiectiuè inhæreat; vel dici poteſt, quòd ſubtilis Doctor locutus fuerit de reb⁹ fundamentaliter, & remotè ex quibus accipit intellectus occaſionem entis rationis efformandi &c. in 3. art. oſtendemus quomodò aliqua entia rationis ſubiectantur in re cognita.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *De Eſſentia, & formalitate entis rationis.*

SCotus, qui Sapientium octauus in ſubtilioribus ſententijs palmam tenet, in 4. diſt. 1. q. 2. quinque conditiones expoſtulauit, vt aliquid propriè, & rigoroſè definiri poſſit, vt patet in quæſt. de definitione, quarum vna eſt, quòd ſit ens reale, definitio .n. explicat veram eſſentiam, & quidditatem rei definitæ, quod ens rationis non habet, cùm tantùm per intellectum eam habere fingatur. Subdit tamẽ Doctor, quòd licèt ens rationis nõ poſſet propriè definiri, quatenùs definitio veram eſſentiam extra animam exprimat; quia tamen genus, & differentiam poteſt habere, per quæ explicatur conceptus in anima per ſe vnus, poteſt ſuo modo definiri, quomodò intentiones logicales definiuntur, & quomodò in preſenti nos agemus.

Pro intelligentia huius difficillimæ reſolutionis, eſt primò aduertendum

Digitized by Google

tendum, quòd multa incoſtitutio-ne entis rationis interueniunt, quibus eius quidditas difficilis cognitu redditur. & Doctores quidam ità ſenſum materialem, & formalē confundunt, vt vix apparere poſſit, in quo eius eſſentia formaliſſimè conſiſtat. Hinc ſupponendum eſt, quòd ens rationis formaliter ſumptum, non ſolùm diſtinguitur ab ente reali, quoad eſſe actuale, & formale, ſed etiam quo ad eſſe poſſibile, quod clarè colligitur ex Philoſopho 5. Meth. tex. 14. & alibi, vbi Ens in anima, quod eſt ens rationis, diſtinguit ab ente vero, & rato, quem Scot. ſequitur in 1. d. 36. q. vn. lit. F. & quol. 3. in principio, vbi ait, ens rationis eſt, quod nec eſt, nec eſſe poteſt extra animā, ens verò reale eſt id, quod poteſt eſſe: nam ad rationem eſſentialem entis realis ſufficit, quod poſſit exiſtere, ſiuè exiſtat, ſiuè non, & ab omni exiſtentia abſtrahendo, verum eſt dicere, homo eſt ens reale, enti verò rationis nō conceditur niſi exiſtētia obiectiua. Ex quo infertur, Montem aureum, non eſſe ens rationis, quia & ſi non datur, poteſt tamen dari abſq; contradictione, & hoc ſufficit, vt ens reale dicatur. quæ doctrina eſt contr. Hortad. & Arriag. putantes ſufficere ad formalitatem entis rationis, vt obiectum actu non ſit, licèt aliàs poſſibile ſit.

Notandum eſt ſecundò, quòd ens rationis formaliter ſumptum diſtinguitur à puro nihilo, hoc enim dicit puram negationem cuiuſcumque entis, ſiuè in re, ſiuè in apprehenſione; ens autem rationis habet eſſe ſaltèm in apprehenſione, & exiſtētiā habet obiectiuā. Tùm quia ens rationis habet formalitèr conceptum poſitiuū, cùm ad inſtar veri entis concipiatur, quod non habet nihil, qua ratione in ſolutione argumentorum ſupra dicebamus, Ens rationis mediare inter ens reale, & purum nihil. Vndè hic etiam reſoluimus dubium illud, an ens rationis diſtinguatur ab ente reali per entitatem obiectiuam, quam habet, an potiùs per negationem entis realis, ità vt talis nihileitas intret rationem formalem entis rationis, ad quod reſpondemus, ens rationis non includere in ſua formalitate talem negationem, ſed ſolùm poſitiuum illud, quod actualiter ab intellectu fingitur; illud verò negatiuum ſcilicet non ens reale, potiùs ſupponitur, vt materiale, & ſubſtratū, quod patet; Tùm quia ens rationis formaliter dicit ens, eſtò à ratione fabricatum; & licèt non ſit ens reale, illā tamèn negationem, non dicit formaliter, & explicitè, ſed tantùm implicitè, & concomitanter; ſicut è contra, ens reale dicit etiam negationem entis rationis, per cuius tamen negationem non conſtituitur. Tùm quia illa nihileitas eſt realis, & ſuo modo datur à parte rei, vt ſupradictum eſt. Tùm tandem, quia ſæpè Entia rationis efficimus, nihil cogitādo, an poſ-

poſſint eſſe, vel non, à parte rei, vt cùm cogitamus Deum ad Creaturas referri; obiectum cognitum ad cognitionẽ &c. quarè ad eius formalitatẽ ſufficit cogitare eſſe ens, quod reuera non eſt, licèt id non cogitetur, vt benè hìc Bell. & Ma. aduertunt.

Tertiò aduertendum eſt, ad formalitatem entis rationis, neceſſariò requiri, vt illud ens fictum, & imaginatum ad modum entis veri concipiatur, quod commune eſt tàm Thomiſtis, quã Scotiſtis. Vndè Faber 4. Meth. diſp. 4. ait in hac materia de ente rationis, nullam quãtùm ad rem ſpectat, verè re diſcrepantiam inter D. Tho. & Scotum, nec opinio hæc eſt noua, ſed vetuſtiſſima in ſententia Scotiſ; vt videri poteſt apud Mayr. quolib. 6. qui iuxta doctrinam traditam à Doctore de relatione reali, & rationis in 1. diſt. 29. q. vn. docuerunt, Ens communiſſimè ſumptum, æquiuocum eſſe ad ens reale, & rationis, non tamèn purè æquiuocum, ſed æquiuocum analogum, vt ex Magiſtro formalitatum Sirecta patet; quæ Analogia fundari nequit, niſi in aliquo ordine attributionis inter ens reale, & rationis; qui ordo non videtur eſſe, niſi imitabilitas obiectiua, quæ cõſiſtit in cognoſcibilitate vnius, ad ſimilitudinem alterius. Poteſt etiã dici Analogia proportionis, ex Meuriſſe, & Vallo, art. 1. formalitatum, vt patet in alijs æquiuocis analogis; ſanum. n. quod principaliter, & per ſe dicitur de Animali, dicitur etiam ſecũdariò de vrina, ob proportionem, & habitudinẽ, quam ad ſanitatem animalis habent; quod etiam dicitur de prato florente, per proportionem ad hominem hilarem; ſic de ente reali, & rationis philoſophandum eſt; cùm. n. ens reale ſit obiectum intellectus principale, & attributionis, ens rationis ad modum eius, & per comparationem ad ipſum concipi poſtulat; & hoc fortè veteres Scotiſtæ intellexerunt, affirmantes omne ens rationis per actum collatiuum fieri; quatenùs ſcilicet aliqua comparatio interuenit, qua ad inſtar entis realis concipitur.

Et tandèm, vt magis titulus quæ pateat, præmittendum eſt, Hic nos non loqui de denominatione formaliter, in quantum. ſ. ipſamet appellationem, & impoſitionem nominis importat, ſic. n. clarũ eſt ens rationis eſſe, cùm impoſitio nominum non pertineat ad ordinem rerum, ſed ad opus rationis, & intellectus; ſed loquimur de denominatione quaſi pro materiali, & quomodò ad ordinem rerum pertineat; quando enim forma denominans eſt realis, denominatio eſt realis, nullo etiam intellectu cogitante; ſic paries denominatur albus ab albedine ſibi inexiſtente, denominatur viſus à viſione exiſtente in animali, denominatione extrinſeca; & licèt communis Doctorum ſententia concedat, illud eſſe ens rationis, quod eſſe habet obiecti-

uum

Digitized by Google

uum in intellectu, adhuc tamen ſatis diſcrepant, quid illud ſit, quod tale eſſe habeat, & in quo eius qdditas, & formalitas conſiſtat.

Prima ſententia ſatis famoſa, eſt Fonſecæ .5. Met. c. 7. q. 6. ſect. 3. Vaſq. 1. diſp. 115. n. 2. & aliorum, qui formalitatem, & eſſentiam entis rationis in extrinſeca denominatione conſtituunt, & hæc à quacumque forma denominante proueniat, ſiuè dicatur res cognita, ſiuè volita, ſiuè viſa &c. imò eam extendunt ad res ſenſibiles, vt columna dicitur dextera, vel ſiniſtra ex vario animalis ſitu &c.

Alij verò magis ipſam extrinſecam denominationem coarctãtes, ad illam ſolam, quæ in obiecto ab actu intellectus deriuatur, extendunt, vt eſt eſſe cognitum; ita Soto q. 2. vniuerſalium, Onna ibidē. Duran. in 1. d. 19. q. 5. n. 7. & ſatis probabilem iudicat Didacus à Ieſu diſp. 3. log. Alij tandem magis eamdem ſententiam reſtringentes in illa ſola extrinſeca denominatione formalitatem entis rationis conſtituunt, quæ ex actu intellectus cognoſcentis rem aliter, quã ſit, coaleſcit; in quam ſententiam trahi ſolet Scotus, qui in primo d. 36. q. vn. dixit, intellectum Diuinum ab æterno creaturas in eſſe cognito produxiſſe, quod ens rationis appellauit, vt ab ente reali diſtinguitur; ſicut etiam eſſe volitum in obiecto à voluntate derelictum, vocauit ens rationis in 1. diſt. 45. q. vn. vt aliqui formliſtę in tractatu formalitatũ aduertũt.

Secunda opinio negat, ens rationis formaliter in extrinſeca denominatione conſiſtere, ſed potiùs in relatione ex illa denominatione reſultante. Circa quam ſententiam adhuc iſti Auctores altercantur; nam alij volunt, ens rationis eſſe relationem reſultantem per actum cuiuſcumque potentię attingentis obiectum, ſiuè intellectiuæ, ſiuè volitiuæ, ſiuè ſenſitiuæ. Quidam limitant ad ſolam relationem, quę per actũ rationis reſultat in obiecto, & hanc dicũt reſultare in obiectum ſtatim, ac ipſum obiectũ terminat actum potentię vitalis, ſine aliqua operatione reflexa ſupra præcodentem operationem. An verò terminus talis relationis obiecti cogniti ſit ad potentiam cognoſcentem; An potiùs ad actum ipſum cognitionis, ex quo reſultat, vel ad aliud obiectum, cui comparatur, Variæ ſunt Auctorum opiniones; huius vltimæ acceptionis videtur eſſe Soncin. 6. Meth. q. 18. cum multis ex Thomiſtis, & ſequuntur etiam quàm plures Scotiſtæ in formalitatibus, tract. de idẽtitate, & diſtinctione rationis, vbi ſolùm ens rationis ex actu intellectus collatiuo reſultans agnoſcere videntur, quibus ſatis Scotus fauet in 4. d. 1. q. 2. art. 1. vbi ait: ens in anima in ſumma non eſſe niſi relationem rationis, quod etiam pluribus in locis confirmat.

Tertia ſententia eſt Recentiorum ferè omnium aſſerentium, ens ratio-

rationis eſſe illud, quod ſolùm habet eſſe obiectiuum in intellectu, quod Suar. diſp. vlt. meth. ſec. 2. ſic deſcribit: *ens rationis eſt illud, quod cùm nihil ſit à parte rei, ab intellectu tamen ad modum entis percipitur*, quæ explicatio deſumpta fuit ex D. Thoma 1. p. qu. 16. art. 3. Ad ſecundum, vbi ait: ens rationis eſſe, quod cùm non ſit in rerum natura, accipitur, vt ens in ratione; & idem habet opuſc. 42. c. 1. quibus præhabitis, Reſpondetur ſequentibus concluſionibus.

*Concluſio prima.*

*Dicimus 1. Ens rationis formaliter non cõſiſtere in extrinſeca denominatione ab aliqua forma reali proueniente, neq; ab actu intellectus exprimentis rẽ, ſiuè ſicuti eſt, ſiuè aliter, quam ſit.* Concluſio eſt contra Auctores primæ ſententiæ, & ſingulos eius dicendi modos, & ad ment. Scot. in 1. ſen. d. 30. q. 2. l. Q. fol. mi. 304. vbi docet denominationes extrinſecas à formis realibus deſumptas, eſſe reales; non quia ſint entia realia, ſed quia verè ſunt à parte rei, eodem modo, quo in eodem 1. d. 25. q. vn. docet dari negationes, & priuationes reales, etiam ſi non ſint entia realia. Sequuntur Recentiores Scotiſtæ Fuentes q. 2. log. diff. 2. art. 4. Faber. 4. Met. diſp. 4. Vulpes t. 1. p. 1. diſp. 17. art. 8. n. 6. & Bellut. & Maſt. diſ. 3. log. q. 6. a. 1. & ex Exteris ſequitur Suar. in Meth. loc. c. Complut. diſp. 2. log. q. 2. Auerſa, Hurtad. Ruuius, & alij.

Prob. Ens rationis formaliter hêt eſſe præcisè per opus intellectus, ſed extrinſecæ denominationes, non ſunt huiuſmodi, ergo &c. Maior patet, & Min. probatur: Deus .n. verè, & à parte rei dicitur Creator per extrinſecam terminationem eſſentialis dependentiæ, quam ad ipſum habent creaturæ, ex Scoto loc. cit. & quol. 12. & in 3. diſt. 8. q. vn. ad quartum: & paries dicitur viſus, à viſione in animali exiſtente &c. Nec Auctores oppoſitæ ſententiæ etiam in sẽſu Durandi, & illorum, qui magis ipſam extrinſecã denominationẽ coarctabant, argumẽti vim euadere poſſunt, licèt .n. vt ab actibus intellectus derelictis, poſſunt potiori ratione denominationes rationis denominari, quã alię ab alijs potentijs, quia tamèn nõ minus actus intellectus, quã aliarũ potentiarũ vitalium reales ſunt, & realẽ habitudinẽ dicunt ad obiectũ, ita pari modo denominationes ab illis prouenientibus reales appellãtur; & licèt per illam extrinſecam denominationem, Angelus alatus concipiatur alitèr, quã ſit, tñ talis denominatio in ſe realis eſt, a forma reali cognitionis deſumpta, nã reuera talis Angelus iuuenis alat' cognit' ab intellectu fuit, & eſſe cognitũ, ſicut alię res cognitę accepit.

Reſp. aliqui, nõ ſufficere ad denominationẽ realem, formam realẽ denominantem, & rem denominatam; ſed requiri adhuc veram vnionẽ formę denominantis cum re denominata, quæ in extrinſecis denomi-

nominationibus non reperitur; dicitur ergo ens rationis, quatenus conſiſtit in illa concomitantia plurium entium inſtar terminatorum, & terminantium. Ita Smiſinch. cui adhæret Ioannes de S. Thom. p. 2. log. q 2. art. 1. vbi ait: licèt ratione formę denominãtis poſſit extrinſeca denominatio dici realis, ratione tamen vnionis, & applicationis ad rem denominatã, eſt rationis, quia nihil reale in ea ponit; ſed reuera negari non poteſt reperiri etiam ſuo modo realem vnionem inter formam extrinſecè denominantem, & rem denominatam, quã Scotus in quol. 3. art. 2. agnouit in actibus vitalibus ad eorũ obiecta tendentibus, quã vnionẽ ibidẽ ſub M. appellat relationem attingentiæ alterius, vel tendentiæ in alterum, vt in terminum, in quo tamẽ nihil reale ponit. Ratio deceptionis in huius ſentẽtiæ Auctorib. eſt, quia nullã aliam vnionem agnoſcunt, niſi inhæſionis, alia tamẽ eſt neceſſariò admittenda, quæ vnio adhęſionis appellatur, qua mediãte, potẽtia vitalis ſuo obiecto vnitur, ex quo denominationes extrinſecæ reſultant; ſicut per illam vnionem inhæſionis extrinſecę denominationes deriuantur, & ſi aliquid per hãc relationẽ ponere velimus in termino per modũ in, hoc aliquid rõnis erit, vt Didacus à Ieſu diſp. 3. log. q. 1. dignè aduertit, vbi ſatis eruditè de realitate extrinſecæ denominationis diſcurrit.

Affirmant alij, dari à parte rei extrinſecas denominationes, at nõ formalitèr, ſed tantũ fundamẽtalitèr, formalitèr verò entia rationis eſſe. Sed cõtra eſt, ſicut .n. oculus per viſionẽ dicitur formaliter videns, ſic etiã paries per terminationem viſionis dicitur formaliter viſus; & ſicut per dependentiam eſſentialem ad Deum res dicuntur formaliter Creaturæ; ità Deus per terminationẽ talis depẽdentiæ, dicitur verè, & formalitèr Creator; & quòd forma denominans nõ ſit in re denominata, ſolũ infert, rem à tali forma denominatam, nõ dici talem intrinſecè, ſed non impedit, quin talis formaliter extrinſecè denominetur. Non poteſt tamẽ negari, quin tales denominationes ſint fundamenta, & occaſiones fingendi mutuas relationes in ipſis obiectis ad potentias, & entia rationis euadere.

Sed dices, ſi paries eſt realiter viſus, ergo eſſe viſum eſt aliquod reale in pariete. ℞. vt ſupra ex Scoto in 1. d. 30. q. 2. l. Q. cit. negando conſeq. cùm .n. dicimus, paries eſt realiter viſus, Deus realiter Creator &c. ly realiter non determinat aliquod prædicatum reale inhærens ſubiecto, ſed determinat compoſitionem; & tunc nihil aliud eſt, quàm affirmare id, quod verè eſt; neq; illæ propoſitiones, æquiualent; ſ. paries eſt realiter viſus, & eſſe viſum eſt aliquod reale in pariete, nam in prima, paries concipitur, vt materia circa quam verſatur potentia viſiua, in ſecunda

verò concipitur, vt materia, in qua aliquod reale ponatur. Priùs igitur eſt res, ſic extrinſeeè denominata, poſteriùs in re ſic denominata concipitur quædam mutua relatio realis, reſultans ad potentiam vitalem terminata, vel ad alium terminum, & tunc fit ens rationis.

Dices, plurib. in locis Scotus affirmare videtur, eſſe cognitum, & extrinſecas denominationes entia rationis eſſe, & præcipuè in 1. diſtin.36. quæſt. vnic. vbi expreſsè illud eſſe cognitum, quod creaturæ ab ęterno per actum intellectus Diuini acceperunt, ens rationis appellauit. ergo &c. Reſp. Fuentes, Scot. non vocare ens rationis illud eſſe diminutum, ſed relationem quamdam in ipſo eſſe cognito fundatam, vt ſe explicuit §. ad ſecundum, G. vbi ait, *ens abſolutum ſecundum iſtud eſſe diminutum concomitatur relatio rationis.*

Et quando etiam loqueretur de illo eſſe diminuto, & extrinſecè denominato, intelligi debet tantùm materialitèr, quo ſenſu, illud dicitur Ens rationis, quod per actum intellectus poteſt formaliter eſſe rationis accipere, vt benè P. Vulpes adnotauit. Nec nouum eſt in Schola Subtilium, ens rationis in materiale, & formale diſtingui, ſeù à ratione derelictum, & à ratione fabricatum: Ens rationis materiale derelictum, ſeù potentiale eſt illud, quod in proxima diſpoſitione eſt, vt ad modum Entis realis concipiatur, & fictam exiſtentiam accipiat: Ens verò rationis formale eſt id, quod fictam exiſtentiam ab intellectu habet; quod eſt dicere, quando extrinſecæ denominationes poſſunt concipi, vt formæ intrinſecæ in obiecto, tunc Entia rationis materialia dicuntur, quando verò ſic concipiuntur, & finguntur Entia rationis formalia ſunt. In hoc ſenſu igitur appellauit Scotus Illud eſſe cognitum creaturarum, ens rationis, quatenùs ſcil. fūdare poteſt per opus intellectus relationem entis rationis. Tùm qa aliquando ſolet ipſe Doctor confundere ens rationis materiale, cū formali, vt patet in 1. ſen. d. 30. q. 2. l. L. vbi ait, Deum fieri Dominum per relationem rationis ab intellectu creato in ipſo cōceptā, vel per terminationem alicuius relationis in Creatura. Hic eſt ſenſus communis Scotiſtarum de mente Scoti, vt ex Recentioribus omnib[9] patet, & Maſtr. & Belllut. mordicus defendunt diſp.3. log. q. 2. Art. 1. & Vulpes tom. 1. p. p. diſp. 28. concl. 2. num. 7. fol. mihi 434.

*Concluſio Secunda.*

*Dicimus ſecundò, neque ens rationis formaliter conſiſtere in aliqua relatione, quæ in rebus reſultat ex extrinſeca denominatione, ſiuè formæ denominantes ſint actus intellectus, ſiuè aliarum potētiarum.* Eſt contra Auctores ſecundæ ſententiæ, & ad mentem Scoti, vt infra patebit, & ità probatur, vel talis relatio rationis reſultat in rebus ante operationem intellectus, vel per ſolam eius operationem: ſi pri-

ſi primò modo, non erit relatio rationis,ſed realis,ſicut omnes alię reales, quæ poſitis extremis in ſubiectis reſultare videntur: ſi ſecundo modo, quæritur per quem actũ intellectus talis relatio fiat; vel enim erit actus ille directus, quo primò obiectũ attingit in ſuo eſſe reali; vel alius reflexus, quo obiectum cognitum apprehẽdit, & cogitat illud, vt intrinſecum obiecto, per quod ad cognitionem referatur. Non poteſt eſſe prior actus, quia ex vi ipſius, non reſultat niſi extrinſeca denominatio in obiecto; ſi ſecundus,ſententia eſt vera, ſed non eſt adæquata, quia non de omni ente rationis, nam dantur etiam entia rationis abſoluta,vt infra patebit. Et licèt Scotus frequẽtiùs ens rationis per relationem explicauerit, hoc fecit quia præcipuè de ſecundis intentionibus loquebatur, vt benè Faber 4. meth. diſp. 4. c.3. aduertit, quæ vtique in relatione rationis conſiſtunt, vt infra oſtendemus,ex qua reſpõſione exploditur etiam illa ſententia, quæ ens rationis in relatione ponit, ſiuè hæc reſultet ex actibus intellectus, ſiue aliarum potentiarũ vitalium; ſi .n.talis relatio reſultare non poteſt, niſi per ſecundum actum reflexum, quo aliæ potẽtiæ carent, vana, & ſine fundamento poſita videtur. Ex his,ſequitur vera deciſio quæſiti, & erit hæc.

*Concluſio tertia.*

*Dicimus tertiò,ens rationis eſſe illud, quod obijcitur, vel obijci poteſt intellectui, ac ſi eſſet ens reale, cùm tamen nec exiſtat in rerum natura, nec exiſtere poſſit.* Quæ concluſio patet ex dictis in notãdis, & per hoc explicatur tàm eius eſſentia, quàm exiſtẽtia, quæ in illo eſſe ficto conſiſtit; quatenùs enim actu concipitur,dicitur exiſtẽtiam habere; quatenùs verò concipi poteſt, vt poſſibile, abſtrahendo à tali exiſtentia, dicitur eſſentiam habere; & ideò diximus, ens rationis eſſe illud, quod obijcitur, vel obijci poteſt intellectui, ac ſi eſſet. Ita doctiſſimè Maſtr. & Bellut. cum Franciſco Mayrone quol. 6. & alijs.

*Obiectiones.*

Obijcitur 1. Contra primam concluſionem: Ens rationis eſt illud, quod obiectiuè tantùm in intellectu eſſe habet, ſed extrinſecæ denominationes ſunt huiuſmodi, ſaltèm de rebus cognitis, quæ nullum aliud eſſe habent, niſi tantùm obiectiuè in intellectu, à cuius operatione ità in ſuo eſſe pendent, vt ipſa ceſſante ſtatim euaneſcant, ergo &c. ℞. ex Scoto in 4.d.1.q.1. & in 1. diſt. 36. G. quem ſequuntur Suar. diſp. 54. met.ſec. 2. nu. 13. Auerſa q. 5. ſec. 2. in ſolut. ad 4. Complut. diſp. 2. q. 2. & alij negando minorem, illa .n.extrinſeca denominatio non eſt obiectiuè,ſed potiùs ſubiectiuè in intellectu, nã realitèr ait Sco. obiectum illud cognitum participat in intellectu illud idem eſſe, quod ipſa cognitio formaliter habet,ad ipſum obiectũ terminata, vndè eſt obiectiuè tan-

tùm in cognitione reflexa, quando apprehendit intellectus tale eſſe cognitum, vt quid intrinſecum obiecto, & tunc eſt ens rationis formaliter, & ratio eſt clara, nam quando intellectus cognoſcit rem, tunc per talem actum, res tantùm cognoſcitur, non illud eſſe cognitum, quod per aliam cognitionem ſequentem petit cognoſci.

Ob. 2. denominatio eſt opus rationis, ergo non datur ante opus intellectus, & conſequenter eſt ens rationis: Reſponſio patet ex dictis in vltimo notand. Anteced. .n. eſt verum de denominatione, ſeu denominato formaliter ſumpto, & vt ſpectat ad ordinem nominum; nō materialiter, & vt pertinet ad ordinem rerũ, vt in præſenti ſumitur.

Ob. 3. Deus dicitur Creator ex tempore, & non per aliquid reale, quod ei de nouo adueniat, ergo p aliquid rationis, quod non poteſt eſſe, niſi extrinſeca denominatio. ℞. negando conſequentiam, Deus .n. dicitur realiter Creator à relatione reali Creaturarum, quas terminat; & quando concipitur per mutuam relationem ad Creaturas referri, tunc reſultat ens rationis.

Ob. 4. ſaltem hoc negari nequit de illa re cognita, aliter quam ſit; tunc .n. nullum eſſe habet niſi obiectiuum in intellectu, in quo cōſiſtit ratio formalis entis rationis, & ita facilè probatur: ens rationis eſt illud, quod habet eſſe in intellectu obiectiuè conceptum, aliter quam ſit, ſed res ſic cognita, & extrinſecè denominata eſt huiuſmodi, ergo &c. ℞. diſtinguendo minorem, cùm enim dicitur ens rationis conſiſtere in obijci intellectui, hoc poteſt intelligi dupliciter: vno modo in ſenſu formali, altero in ſenſu cauſali, in ſenſu formali ſignificat illam paſſiuam attingentiam, in qua cōſiſtit extrinſeca denominatio, quæ attingētia, ſeù cognoſci etiam cùm concipitur aliter quam ſit, verè datur à parte rei: In ſenſu verò cauſali, ſignificat quòd ſic obiectiuè attingi eſt cauſa, vel occaſio eſſendi enti rationis; nam ex eo quòd res attingitur aliter ac ſit, reſultat quoddā eſſe fictum, quod habet rationem obiecti, & termini; & hoc eſt formaliter ens rationis, non illa extrinſeca denominatio.

Ob. 5. totum eſſe entis rationis eſt cognoſci, ergo in ipſa denominatione cogniti conſiſtit. ℞. Antecedens eſſe verum in hoc ſenſu .I. ens rationis eſt illud, quod cognoſci ſolùm poteſt, & reale eſſe non poteſt; falſum verò in ſenſu, quòd ſit ipſa denominatio cogniti, quia hæc etiam applicata enti rõnis realis eſt, ſicut à parte rei verũ eſt dicere q; ens rõnis ab intellectu cognoſcitur. Quando igitur cōcipio Angelũ alatũ, tunc tale obiectũ ens rationis eſt, quādo verò in Angelo ſic cōcepto, & cognito reſultat illa extrinſeca denominatio cogniti, hoc reale eſt, quia verè, & realiter ſic fuit à me cognitum tale obiectum.

Ob.

Digitized by Google

Ob. contra ſecundam, probando quòd relatio rationis reſultat ex directa obiecti attingentia, abſque alia quaſi reflexa operatione; ſicut formata hac propoſitione; homo eſt animal ſtatim reſultat ex illis extremis relatio ſubiecti, & prædicati, abſque reflexione intellectus ſuper illa extrema cognita, & abſque eo, quòd intellectus percipiat talem relationem ad modũ relationis realis, ſic in propoſito, ſtatim ac quòd cõcipio eſſe cognitum, ſtatim ſine reflexione reſultat reſpectus ille rationis, ergo &c. & Confirmatur auctoritate Scoti in 4.d. 1.q. 2. vbi ait, relationem rationis, nihil aliud eſſe, quàm comparationem paſſiuam, quà obiectũ aliquod conſideratum, comparatur ad aliud per actum intellectus comparantis, ergo nihil aliud requiritur ad formalitatẽ entis rationis. ℞. negando Antec. hoc .n. intereſt inter relationem realem, & rationis, quòd illa ſtatim reſultet ex poſitione extremorum, hæc verò per actum intellectus, vt Scot. docuit 5. met. q. 11. & quolib. 6. & in 1. d.31.q.1.& quãdo Doctor indicat ex denominationibus in obiectis denominatis relationem rationis reſultare, vt fecit in 1.diſt.35.ſemper intelligendus eſt, per aliquam operationem intellectus reſultare, & non ex natura rei, vt clarius patebit, quando de ente rationis relatiuo agemus, & ad Cõfirmationem, falſum eſt ibi Doctorem velle relationem rationis eſſe meram extrinſecã denominationem paſſiuæ comparationis, derelictam in obiectis comparatis, ex ſimplici actu intellectus comparantis, vel ex illis ſic comparatis reſultãtem immediatè, abſque alia intellectus operatione, cùm ibi potius directè doceat, fieri relationem rationis quando per alium actum ſequentem apprehenditur illorum paſſiua comparatio, veluti quædam relatio inter ipſa reſultans, & ideò dixit ens rationis eſſe ens in anima tamquam primo conſideratum: & quãdo Subtiliſſimus Doctor videtur innuere, quòd relatio rationis fiat per actum comparatiuum, quo duo obiecta ad inuicem comparentur, debet intelligi (vt Barg. in 1.d. 23. q.vnic. expoſuit) quòd nõ poteſt ens rationis produci, niſi preſuppoſito actu comparatiuo, quo habito, intellectus nouo actu illam relationẽ rationis producit: quæ doctrina expreſſis verbis Scoti confirmatur in 3.ſent.d.26.q.1. E. vbi ait. *Omnis potentia collatiua poteſt obiectum ſuum comparare ad aliud, & in eo ſic comparato cauſare reſpectum rationis, quia non ineſt ex natura rei, ſed ex actu potentiæ*. Ergò ſemper Doctor ſupponit alium actum ſequentem, quo relatio rationis reſultat.

Sed obijces ex Scoto 5. met. q. 11. ab initio, vbi Doctor clariſſimis verbis oſtendit, nullum alium actũ requiri ad relationem rationis, niſi tantùm comparationem obiectorum &c. hæc ſunt eius verba.

*ba: falſum eſt quod actu reflexo intelligendi fiat relatio rationis, ſit.n. 1. actus ſcilicet directo intellectus comparantis hoc ad aliud, quando autem reflectit intelligendo comparationem illam, vt obiectum, Tunc non cauſatur relatio rationis, ſed conſideratur illud iam factũ.* quaſi idẽ habet in 2. d. 1. q. 5. B. q. bꝰ in locis videtur Doctor inſinuare, per primũ omninò actũ, quo obiecta cõparãtur, ſtatim relationẽ rationis reſultare, ſine alio actu.

Ad tollendam æquiuocationem actus recti, & reflexi, quæ circa hanc rem, maximam ingerit difficultatem, & Scot. obſcurũ reddit, eſt hic valdè adnotãda doctrina Maſtr. & Bellut. diſp. 3. log. q. 2 ar. 2. vbi tres actꝰ intellectꝰ diſtinguũt. Primus eſt, quo duo obiecta realia comparantur ad inuicem, ex quo in ipſis reſultat tantùm quædã extrinſeca denominatio cõparationis paſſiuæ. Secundus eſt, quo intellectus concipit talem comparationem paſſiuã in obiectis per modum cuiuſdam relationis. Tertius eſt, quo relationem ità confictam in obiectis intelligit ſicuti eſt, ſ. relationem confictam, & rationis. Primus actus eſt omninò directus, ſicut è contra, Tertius eſt omninò reflexus. Secũdus verò poteſt dici quodam modo reflexꝰ reſpectu primi, & directus reſpectu tertij, vndè oritur, vt aliquando dicatur directus, aliquando reflexus; ſed quia reuerà eſt prima cognitio, quam directè de ente rationis habemus, in ordine ad tale ens, hic ſecundus actus directus dici debet. Cùm igitur Scot. loc. cit. ait, ens rationis fieri cognitione directa, non reflexa, quia iſta habet tãtùm rationem obiecti, non effectus, nõ loquitur de primo actu abſolutè, per illum. n. non attingitur niſi ens reale, ſed loquitur de ſecũdo actu, quo directè, & primò attingitur ens rationis, quia per ipſum accepit eſſe, & intelligitur, & habet rationem tàm obiecti, quàm effectꝰ; in Tertio verò actu, qui verè eſt reflexus in ordine ad ens rationis, habet præciſè rationem obiecti. hæc citati Doctores, tàm doctiſſimè, quàm fideliſſimè verba Scoti interpretantes.

Ob. Contra Tertiam Didacus à Ieſu. Smiſing. & alij, qui volunt ens rationis fieri non ſolùm fingẽdo illud per modum veri entis, & aliter quã ſit, ſed etiam concipiendo illud per modũ entis rationis, & ſicuti eſt, quod contingit quando conſideratur ſecundum ſuam eſſentiam, & quidditatem, quod.n. tunc concipitur, ens rationis eſt, non reale, & ità intellectus Diuinꝰ (aiunt) concipit, & efficit ens rationis, vndè ſic arguunt: Ens rationis poteſt intelligi ſecundum ſuam eſſentiam, & quidditatem, ergo nõ eſt neceſsè, vt fingatur ad modum entis realis. Anteced. eſt clarum, aliter ens rationis non poſſet definiri. Conſequentia probatur, quia conceptus eius eſt omnino diuerſꝰ à conceptu entis realis, nec in eius definitionem ingreditur.

Con-

Confirmatur, quia ſi in formatione, & cognitione entis rationis opus eſſet illud concipere alitèr ac ſit, .i. per modum veri entis, ſemper intellectus falleretur, & nunquam cognoſci poſſet ſicuti eſt. Reſponſio patet ex dictis, & colligitur ex Scoto in 2. d. 1. quol. 5. B. Duplex eſt cognitio entis rationis, vna directa, altera quaſi reflexa, prima eſt, qua concipimus ens rationis, fingendo quod non eſt, ac ſi eſſet. Secunda, qua concipitur ens rationis, ſicuti verè eſt, & cognoſcitur verè eſſe cognitum, alitèr quàm ſit. Hinc Scot. 5. meth. loc. cit. & etiam aduertit Cauell. docet ens rationis fieri per cognitionem directam, non reflexam, quã per hanc potius recogitatur factũ; Vndè eſt quòd prima cognitio vocatur practica, quatenùs non tantùm eſt expreſſiua, ſed etiam effectiua entis rationis, in quo ſenſu poteſt dici practica, ait Scot. 6. meth. q. 1. ad primum Argumentum, quia per eam practicè, & in actu exercito verſatur intellectus circa ens rationis, fingendo quod non eſt, ac ſi eſſet. Secunda cognitio dicitur ſpeculatiua, quia per eam veluti in actu ſignato cõſideratur obiectum illud iam factum per priorem cognitionem, quæ ab alijs dicitur contemplatiua. quæ diſtinctio in hac materia eſt valdè notanda, & à Recentioribus recepta, vt eſt videre, apud Auerſam q. 5. log. ſec. 5. Concl. 3. Blancum, & alios, & ſi de more Scotum non memorent.

Ad formam igitur Argumenti. ℞. Anteced. eſſe verum de cognitione reflexa; qua cognoſcitur illud ens ſicuti eſt; per primam verò attingitur alitèr quàm ſit, quia per modum entis realis cõcipi poſcit, cùm ens reale ſit obiectum intellectus, & tunc recipit eſſe, inde negatur cõſeq. nam cognoſci ad modum alterius ſpectat ad cõplementum ſuæ eſſentiæ, ſaltem terminatiuè. Per ſecundam igitur non recipit eſſe, ſed ſupponitur ei, vt vilum de genere intelligibilium, vt Scot. ait in 2. ſent. loc. cit. & hoc modo ens rationis à Deo cognoſcitur, licèt non efficiatur. Ad Cõfirmationem, ℞. eadem diſtinctione, & quando intellectus etiam per actum directum ens rationis efformat, non propriè fallitur, & ratio eſt; quia tunc non iudicat, ens rationis, eſſe ens reale, quia hoc ad ſecundam operationem intellect⁹ ſpectat, in qua propriè falſitas reperitur, ſed tantùm ſimplici apprehenſione ad modum entis realis illud percipit; & quãdo etiã intellectus falleretur, quid mirum, ſi tunc fingit chimeram? & ſi ens reale nõ ingreditur in conceptũ entis rationis in recto, ingreditur faltẽ in obliquo, vt terminus ſimilitudinis, ad cuius inſtar concipitur.

Ob. 2. Si ens rationis eſt id, quod percipitur ad modum entis realis, ergo nõ fit fingendo aliquam formam, quæ ſecũdum ſe tota ſit merè obiectiua, & apparens, ſed potiùs per falſam applicationem vnius

nius entitatis realis, cum altera incompoſſibili; vndè entitas obiecta intellectui erit ſecundum eſſentiam realis, & ſolùm rationis ſecundum exiſtentiam; conſequentia probatur; quia iuxta hunc ſenſum, quando concipimus Deum, vt relatum ad Creaturas, concipimus ibi verā relationem realem; quam concipere ſolemus inter cauſam creatā, & effectum; ſed dicitur eſſe relationem rationis, quia applicatur Deo, cui eſt inapplicabilis. R. totum Argumentum poſſe concedi, nam opinio illa, quæ docet ens rationis conſiſtere in falſa applicatione vnius entitatis realis cum alia incompoſſibili, quam Mayron. quolib. 7. inſinuauit, ſatis probabilis cenſetur apud Amicum tract. 3. quæſt. dub. 9. concl. 6. & alios Auctores; & videtur priſcorum Scotiſtarum ſententia; aſſerentiū ens rationis non fieri niſi per actū collatiuum intellectus comparantis vnū obiectū ad aliud, & inunibilia inter ſe vniendo. Attamē quia hæc ſētentia videtur admittere omnia entia rationis fieri ſolùm per copulam, & per modum inhærentiæ, & non per prædicata, & ſubiecta, quòd tamen eſt falſum, cùm etiam ex parte prædicati aliquando correſpondeat aliquid fictum, vt cùm dicimus animal eſt genus &c. in qua propoſitione ita prædicatum eſt forma ficta, ſicut copula, & vnio; & quia etiam hic modus dicēdi non ſaluat ens rationis, niſi in concreto, quatenus ſcilicet intellectus applicat homini, vel illi ſubiecto entitatē realē, ideò præſtat potiùs negare conſequentiam; & ratio eſt, quia aliud eſt in productione entis rationis concipere ens reale falsò alteri applicatum, & aliud eſt concipere id, quod non eſt ens reale, ad ſimilitudinem entis realis. Primum fieri non poteſt ſine actuali conceptione entis realis; Ad ſecundum ſufficit, vt cognitio entis realis ſupponatur, ad cuius ſimilitudinem ipſum ens rationis efficitur; & ſi in formatione entis rationis accidit, vt ens reale actu cognoſcatur, id non erit vt obiectum cognitionis, ſed vt terminus ſimilitudinis, ad cuius inſtar ens rationis efficitur. Et per hoc etiam patet ad probationem; Cùm n. concipimus in Deo relationem realē ad creaturas, hęc relatio concepta eſt tota apparens, & obiectiua, & ſolùm realis eſt illa, quę ad eius ſimilitudinem effingitur, vt terminus talis ſimilitudinis; & mod⁹ ille dicendi in argumento, quem inſinuauit Mayr. licèt ſit probabilis, eſt tamen inadæquatus.

Hinc Not. quòd ſimilitudo entis rationis cum reali, non eſt ſimilitudo vniuocationis, ſeu communicationis, qualis eſt albi ad albū, ſed eſt ſimilitudo proportionis, & imitationis, tàm in exiſtentia, quā in modo exiſtendi; quia ſicut ens reale exiſtit à parte rei, ità ens rationis obiectiuè in intellectu; & ſicut ens reale duplex eſt, aut per ſe exiſtens, aut in aliquo inhærens;

ità

ideò ens rationis dupliciter concipi poteſt, vel per modum per ſe exiſtentis, vel per modum alteri inhærentis; non eſt tamen neceſſarium, vt pro illo tunc cognitio entis realis explicita, & actualis habeatur, ſed ſufficit habitualis, & implicita, & ſi interueniret, non eſſet inconueniens, nam in æquiuocis Analogis conſuetum eſt, vt ſecunda analogata per primum definiantur, vt patet de ſano reſpectu animalis, & medicinæ.

Ob. 4. entitas ficta, quam præſefert ens rationis, eſt formaliter impoſſibilis, ergo non poteſt habere ſimilitudinem cum ente reali poſſibili. Probatur conſequentia, quia oppoſita non habent ad inuicem ſimilitudinem, ſed potiùs diſſimilitudinem. R. negando conſequentiam, & ad probationem dicimus, oppoſita in eſſendo, habere poſſe aliquam ſimilitudinem in repræſentãdo, vt de ſpecie impreſſa ſubſtantiæ patet; quæ illi in repræſentando aſſimilatur, licèt oppoſita ſit in eſſendo; ſic ens reale, & rationis opponuntur in eſſẽdo, ſed quia ens rationis eſt vmbra entis realis, aſſimilatur illi quodammodò in repræſentando, & imitando, eo modo, quo vmbra eſſe corporis imitatur.

Ioannes Poncius diſp. 1. Progm. de Ente rationis q. 1. plures affert entis rationis deſcriptiones, quas omnes impugnat, & tandem num. 7. ſuam ſtatuit, dicens: *Ens rationis eſt, quod nequit aliquid efficere, neque inexiſtere alicui potenti efficere, niſi per conſideratione potentiæ potentis aliquid conſiderare*, quam deſcriptionem ait colligi ex Scoto quol. 3. dicente: *Ens rationis eſſe, quod præciſè habet eſſe in intellectu cõſiderante*. Quod autem hæc deſcriptio ſit bona, probat explicãdo ſingulas particulas. Dicitur, quòd nequit aliquid efficere, quia ſolis entibus realibus conuenit aliquid efficere. Dicitur neque inexiſtere alicui potenti efficere, niſi per conſiderationem, quia non ſolùm illa, quæ poſſunt aliquid efficere, ſunt entia realia, ſed quæ omnibus talibus abſque conſideratione inexiſtit. Vndè ens rationis oppoſitum enti reali neque debet poſſe aliquid efficere, neque inexiſtere alicui potenti aliquid efficere, niſi per conſiderationem; additum autem eſt, niſi per conſiderationem, quia per conſiderationem poſſunt entia rationis inexiſtere enti reali potenti aliquid efficere, quia poteſt intellectus conſiderare aliquid impoſſibile in tali ente V. g. omnipotẽtiam in creatura. Dicitur denique potentiæ potenti aliquid tale cõſiderare, vt abſtrahatur à controuerſia, an ſ. alia potentia, quàm intellectus poſſit facere, aut conſiderare ens rationis. Scot. autem, & Ceteri, qui deſcribunt ens rationis eſſe id, quod habet eſſe obiectiuũ in intellectu, propterea illud deſcribunt per ordinem ad intellectum, quia exſtimant nullam aliam potentiam poſſe ens rationis efficere,

ni'i

Digitized by Google

aliſt per ſolum intellectum. hæc Poncius.

Sed bona pace tanti Auctoris, hæc deſcriptio inter alias mihi videtur ineptior, & ratio eſt, quia iuxta illud axioma Philoſophicū, cõtrariorū eadem eſt diſciplina, q̃ eſt dicere, vnum oppoſitorum explicari debet per oppoſitionem ad aliud, ergo cùm ens rationis enti reali opponatur, per oppoſitionem ad illud deſcribi debet, Ens autem reale non dicitur eſſe illud, quod poteſt aliud efficere, vel inexiſtere alicui potenti aliquid efficere citrà conſiderationem intellectus, ſed deſcribitur eſſe illud, quod eſt in rerum natura citrà operationem intellectus cõſiderantis, vel ſaltèm, quòd ſit illud, cui non repugnat verum eſſe, ergo ens rationis oppoſito modo deſcribi debet, .ſ. vt ſit illud, quod nec eſt, nec exiſtere poteſt, niſi per intellectum conſiderantem, quomodò de facto idem Poncius deſcribit 3. part. curſus diſp. 18. q. 2. num. 6. nempè per oppoſitionem ad ens reale. Tum quia ens reale ſecundum ſuam eſſentiam, & quidditatem optimè oſtendi poteſt ſine ordine ad effectum realem alicui potenti realiter efficere, vt conſideràti patere poteſt, ergo in cõceptū entis rationis nõ oportebit exprimi, quòd nequeat aliquid efficere, nec inexiſtere alicui potenti efficere. Multæ aliæ poſſent rationes adduci ad talem deſcriptionē eliminandam, quas viris eruditis inueſtigãdas relinquò, & quòd talis deſcriptio ſit ad mentem Doctoris quol. 3. iudicent omnes ex formalibus verbis ab ipſo Auctore relatis.

Deinde impugnat illud, quòd ens rationis ſit id quod concipitur ad modum entis realis, & affert rationem, quia entia rationis ſæpius cogitantur non per modū entium realium, ſed per modum omninò oppoſitum, .ſ. per modum proprium entis rationis, alias intellectus non poſſet ea diſtinguere ab entibus realibus. Sed iam reſponſum eſt de cognitione recta, & reflexa; fundatur autem hæc neceſſitas concipiendi ens rationis ad modum entis realis, quia ens reale eſt obiectum adæquatum intellectus, vel ſaltèm primarium ex Doct. in 1. d. 3. q. 3. & quem omnes ſequuntur, ergo ens rationis intelligi non poteſt, niſi quatenùs concipitur, vt imitatio quædã eſt entis realis, obiectum enim potentiæ ſecundarium debet aliquo modò participare rationem formalē obiecti primarij, & adæquati: at ens rationis nequit participare intrinſecè, & formaliter entitatem realem, ergo participare ſaltèm eam debet ſecũdum aliquam proportionem, & ſimilitudinem.

Ad inſtantiam Poncij, quòd poteſt intellectus aliquid concipere, & nõ per modum obiecti adæquatis, ſi hoc ità intelligat, quòd poſſit potẽtia ferri in aliquod, quod nullo modo participet rationem ſui pri-

primarij obiecti, hoc eſt omninò falſum, quia nec oculus aliquid attingere poteſt, quod ſub colore nō contineatur, nec aliquo modo rationem eius participet; nec auditus, quod non habeat rationem ſoni, & ſic de alijs potentijs: ſi autem id intelligat, vt non ſolùm ratio generica obiecti primarij, & adæquata ſit motiua potentiæ, ſed etiam ratio ſpecifica, ſic benè dicit, alitèr albedo, & nigredo ſecundū ſuas rationes ſpecificas non perciperentur à viſu; at nō excludit qn obiecta ſecundaria, & inadæquata non participēt aliquo pacto rationem communem obiecti adæquati, & primarij, & ita res de facto ſe habet in obiectis ſcientiarum, nam quicquid logica conſiderat, vt partem ſubiectiuā ſyllogiſmi, & philoſophia vt partem ſubiectiuam corporis naturalis, omnia conſiderant, vt participant rationem communem illius obiecti adæquati; quamuis per proprias rationes contractam. v.g. cælū, corpus mixtum &c. vt corpora naturalia, ſicut ſyllogiſmus demonſtratiuus, Topicus, Elenchus, vt ſyllogiſmi. Sūt etiam alia in ſcientia conſiderata, quæ non participant directè rationem communem obiecti primarij, qa nō omnia, in ſciētia cōſiderātur, vt ſpecies adæquati obiecti, ſed quedā, vt eius partes eſſentiales, quædā vt principia, quædā vt paſſiones, & affectiones &c.

In propoſito de ente rationis, videtur etiam ſuo modo participare rationē communem adæquati obiecti, Ens. n. reale in communi eſt obiectum adæquatum intellect^9, quod ſicut per rationes quaſi ſpecificas deſcendit in infinitum, & finitum in decem prædicamenta, ita etiam ſuo modo per quamdam Analogiam proportionis, vel imitabilitatis ad ens rationis; & ideò diximus, ens in communi ad reale, & rationis conuenire analogicè cum Antonio Sirecta, Meuriſſe lib. 1. ſuæ Meth. q. 2. concluſ. 3. qui aſſerit hanc eſſe communem doctrinam in ſchola noſtra, quæ analogia fundari non poteſt, niſi in aliquo ordine attributionis, inter ens reale, & rationis, qui ordo non videtur eſſe, niſi imitabilitatis obiectiuæ, quæ conſiſtit in cognoſcibilitate vnius ad ſimilitudinem alterius. Quarè, & ſi ens rationis non poteſt ſub ente reali directè contineri, reducitur ad illud ſaltèm per accidens, vt vmbra ei^9. Legat Poncius Mayron. in quolib. q. 6. Fuent. q. 2. log. diff. 2. art. 2. & 3. Fabr. 4. Meth. diſp. 4. cap. 4. ab initio. Vulp. tom. 1. part. 1. diſ. 28. art. vlt. n. 4. Meuriſſe loc. cita. Smiſing. tract. 3. de Deo vno diſp. 2. num. 177. vbi ait, hunc dicendi modum eſſe probabilem etiam in ſententia Doctoris, legat Formaliſtas omnes, quos ſequitur torrēs totus Neuthericorum, & deſinat Maſt. & Bell. carpere, qui in hoc ad mentem Scoti, & omnium ferè Veterum, & Recentiorum Scotiſtarum, benè, & eruditè loquuntur.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An ens rationis habeat cauſas ſui eſſe?*

Scotus, pro cuius Sophyæ documentis expoſitionũ congruentijs, neminem habeo quem præferam. in 1. d. 3. q. 7. Arguens contra Gotfredum docet, ens rationis cauſari, quomodò etiam ibidẽ d. 36. queſt. vnica docuit ens rationis produci. Supponendum eſt pro quæſiti reſolutione, nos hic non loqui de cauſa propriè dicta, cùm enim entia rationis non ſint propriè entia, ſed ſolũ ad modũ entiũ concipiantur, vtique proprias cauſas habere nequeunt, vt Tatar. 4. d. 1. q. 2. quæſtiuncula 4. & Barg. 1. d. 14. q. vn. aduertunt. qua igitur ratione dicuntur entia, eadem proportione de ipſis quæritur, an habeant cauſas ſui eſſe.

Variæ ſunt Doctorũ opiniones, quidam .n. abſolutè negarunt, ens rationis ſui eſſe cauſas habere, pro qua opinione citantur Mayr. quol. 6. Harueus tract. de ſecundis intentionibus, Soncin. 6. met. q. 18. Niger, & alij. Alij verò admittunt cauſas enti rationis, ſed non omnia genera cauſarum. Suar .n. diſp. 4. met. ſect. 1. concedit ens rationis, eo modo quo eſt, cauſam effectiuam ſui eſſe habere, quod tñ de alijs cauſis, & maximè de finali negat. ſequitur Amicus q. 3. dub. 1. art. 3. cum aliquibus Recentioribus. Alij concedunt cæteras cauſas, præter formalem, vt Compln. diſp. 2. qu. 2. n. 6. Blancus diſput. 1. ſec. 3. & alij.

*Concluſio.*

*Dicimus, ens rationis eo modo quo eſt, etiam cauſas ſui eſſe habere. & quidem in omni genere cauſæ.* Concluſio eſt Scoti loc. cit. & probatur 1. in communi: omne exiſtens per aliquam causã ſibi proportionatam, tale eſſe recipit, ſed ens rationis accipit eſſe, & exiſtere, quod iam antea non habebat, ergo &c. ma. patet, tùm quia hoc ſolius cauſæ primæ priuilegium eſt, ſui eſſe causã non habere; tùm quia alitèr idem de non exiſtente ad exiſtens per ſe ipſum deduceretur. Confirmatur, quia entia rationis modò sũt, modò non ſunt, ergo in aliquam cauſam huiuſmodi varietas refũdi debet, ne cogamur dicere, idem ſe ipſum producere. Tùm tandèm, quia cũ ens rationis ſit illud, quod ad modum entis fingitur, etiam ad modum cauſatorum cõcipi poſtulat. Probatur ſecundò in particulari: & quòd habeat cauſam efficientem, quæ præcipuè ſit intellectus, patet ex ipſius nominis impoſitione; hac enim potiſſimum de cauſa, ens rationis dicitur, quia opus rationis, & intellectus eſt, & quòd nullũ eſſe habeat, niſi obiectiuum in intellectu.

Dices, cauſæ reali correſpondere debet effectus realis, ſed intellectus eſt cauſa realis, ergo. Reſponſio patet ex dictis, tùm in notando tùm in ſolutione Argumentorum primi Articuli; Maior .n. eſt vera de cauſa, quæ producit effectum per actionem phyſicam, & realem,

quo-

quomodò intellectus producit intellectionem, per actionẽ intellectualem, quæ dictio à Scoto appellatur pluribus in locis; non quando agit actione methaphorica, & quaſi grammaticali, qualis eſt cognitio, quæ non eſt actus productiuus, & vera actio, ſed tantùm operatiuus, ac proindè affert tantũ eſſe obiectiuum. Vndè ſi in obiecto, quod intelligitur, nullũ aliud eſſe reperitur, niſi illud obiectiuũ, quod ab intellectu recipit, erit ens rationis, & dicitur productio methaphorica, & ſecundum quid, non realis. ità Scot. in 1. d. 36. q. vnic. vel dic quòd maior eſt vera de potentia obiecti motiui, & primarij, nõ reſpectu obiecti tantùm terminatiui, & ſecũdarij, vt in 1. art. &c.

Quòd habeat cauſam finalem ſuo modo, patet. Tùm quia intellectus noſter ſæpè ens rationis efficit, vt res certè, & ſine errore cognoſcat, ad hunc enim finem intentiones logicales ordinatur, vt certam ſcilicet Regulam ſibi præſcribat, quam in vnam plures propoſitiones cognoſcere valeat. non poteſt v.g. intellectus in primis intẽtionibus in vnum plures propoſitiones cognoſcere, quia vna propoſitio exercita non continet aliã, vt cùm dicimus, homo eſt animal, leo eſt animal &c. at poſtquàm plura ad inuicem comparauerit, & conſimilem modum eſſendi extrinſecæ denominationis inuenerit, format ſecundas intentiones, quod .ſ. animal ſit genus, quòd homo, leo &c. ſint ſpecies, &c. ſic ſignatè prædicando, ſibi præſcribit regulam, dicendo genus prædicatur de pluribus ſpecieb⁹, ſub qua propoſitione ſignata omnes prędicationes exercitæ continentur, dicendo hõ eſt animal. leo eſt animal &c. vna .n. propoſitio ſignata, plures exercitas continet.

Tùm quia ſi entibus rationis ſuo modo conceditur cauſa efficiens, à fortiori concedi debet cauſa finalis, Tùm quia hæc maximè deficit à phyſico cauſandi modo, cùm tãtùm methaphoricè cauſet; atque ideò enti rationis magis proportionata, quàm cauſa efficiẽs. Tùm quia ob generalem conńexionem, quam inter ſe cauſæ habent, non debet enti rationis hęc cauſalitas denegari, cùm maximè omne agẽs agat propter finem.

Quòd habeant etiam ſuo modo cauſam materialem, & formalem, patet ex eo, quia ſi ſumantur velut cauſæ intrinſecæ cõponentes, tunc materia, & forma entis rationis erunt omnia illa, quæ fingi poſſunt ad inſtar ſubſtantiæ materiatæ, & corporeæ, ſicut .n. Hircoceruus ex materia, & forma intelligitur conſtare, ſic illa cenſetur eiuſdem materia, & forma. Si materia ſumatur non vt ex qua, ſed vt in qua, & cauſa formalis non pro forma partis, & phyſica, ſed pro forma toti⁹, & metaphyſica, ſicut eſt eſſentia, & quidditas, ſic ẽt ẽtia rationis habẽt ſuo modo cauſam materialem in qua, vt ſunt illa entia, quæ ad mo-

dum accidentis realis concipiuntur ſiuè vt formæ abſolutæ, ſiuè vt relatiuæ; habent etiam cauſam formalem in hoc ſenſu, quatenus eſſentiam, & quidditatem ſibi proportionatam habent.

Sed quæres, quænam ſit cauſa materialis, in qua entia rationis p modum inhærentiæ ſubiectiuãtur. ℞. non eſſe intellectum, vt aliqui exiſtimant, ſed rem ipſam quaten᷒ cognitam, & ab intellectu apprehẽſam, eſt ſententia Scoti in 4. d. 1. q. 2. B. & in 1. d. 23. q. vn. & quæſt. 9. vniuerſalium. patet, quia entia rationis, eo modo, & eadem proportione, qua dicuntur entia, eadem dicuntur cauſata, & habere ſubiectum, ergo ſicut entia dicuntur quia ad modum entis concipiuntur, & cauſari dicuntur, quia ad modum cauſatorum concipiuntur, ità pariter illud eorum ſubiectum cenſetur, quod à nobis per modum ſubiecti concipitur, in quo illa reperiuntur; Sed cùm concipimus intentionem generis in animali, concipimus non vt ſic ſimpliciter, ſed in animali vt cognito, ergo animal ſic cognitum, eius ſubiectum cenſetur. Tùm quia formæ denominant res, quibus inſunt, vt patet de albedine reſpectu parietis, ſed ens rationis non denominat intellectum, ſed rem, nam natura humana V. G. dicitur vlis, dicitur ſpecies &c. non intellectus, ergo &c. hinc dignè Boet. ait, logicam eſſe de ſecundis intentionibus, applicatis primis, quia reuera rebus, vt cognitis applicantur.

*Obiectiones.*

Ob. ex D. Tho. opuſc. 48. tract. 2. c. 1. vbi habet, ſi ens rationis eſſet in rebus ſubiectiuè, eſſet accidens, & per conſequens ens reale, ergo &c. ℞. ſequelam eſſe veram ſi ens rationis poneretur in rebus, vt extra intellectum ſunt, & ità intelligendus eſt D. Thom. non in rebus vt cognitis, propriè. n. nõ eſt in reb. ſed cõcipitur, vt accid. in reb᷒.

Ob. ex Scoto 7. met. q. 18. vbi dixit, vniuerſale non ſolùm obiectiuè, ſed etiam ſubiectiuè in intellectu eſſe, non autem in rebus extra. ℞. vt quinto met. q. 1. ſe explicuit, quòd ſ. vniuerſale inhæreat rei, non quomodocumq; ſed vt res habet eſſe cognitum in intellectu. Pro clariori notitia huius diſtinctionis ſupponendum eſt, rem poſſe tripliciter conſiderari; vel ſecundum ſuum eſſe quidditatiuum abſtractum, & pertinet ad Methaphyſicum; vel ſecundum eſſe materiale, & pertinet ad Phyſicum, vel ſecundum eſſe cognitum, & comparatum, quod habet beneficio intellectus, & pertinet ad Logicum. Vle non ineſt rebus ſimpliciter, ſed vt cognitis, & ideò ens rationis non eſt in intellectu ſubiectiuè immediatè, ſed mediatè, mediãtibus, ſ. rebus vt cognitis.

Ob. ens in præcipua ſui diuiſione, diuiditur per ens in anima, & ens extra animã; ſed per ens in anima intelligitur ens rationis, ergo nõ in reb᷒ ſed in anima ſubiectiuè reperitur. ℞. ens in anima, ens rationis dici obiectiuè, vel ſi ſubiectiuè id

uè id intelligi debet mediatè, vt dictum eſt, nō immediatè, ſicut intellectio in intellectu ſubiectatur ſic enim eſſet accidens reale, ſicut ſcientiæ, &c.

Ob. vltimo Chymera, Hircocervus, &c. nequeunt eſſe in rebus ſubiectiuè, etiam quatenus cognitis, cùm non concipiantur per modum alteri inhærentis, ſed ad inſtar ſubſtātiæ, ergo ſaltē entia rationis ſic cōcepta in intellectu ſubiectari dicuntur. ℞. talia entia rationis nullibi ſubiectiuè reperiri, ſed eſſe tātùm in intellectu obiectiuè, &c.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De Potentia effectrice entis rationis.*

SCotus, quem ob excellentem doctrinam omnes maximè faciunt, honorant, & obſeruant, in primo ſent. d. 43. q. vn. ad *Argumēta*, & 3. d. 26. q. vn. §. *Ad quæſtionē*, & 4. d. 16. q. 2. §. *Reſpondeo*, & quol. 17. & alibi docet, Voluntatem poſſe ſuo modo relationem rationis in obiectis cauſare, vt quando v. g. vnum obiectum ad aliud ordinat, ad quod à parte rei ordinabile nō eſt; vt ſi qs Deum amaret in ordine ad Creaturas &c. Vndè ſupponere videtur ens rationis poſſe ēt à voluntate cauſari. Pro cuius reſolutione eſt ſciendum, quòd ens rationis poteſt dupliciter accipi primo modo pro eo, quòd ſolùm ex vi rationis eſſe habet; ſecundo pro ente proportionali, & æquiualenti enti, quod fit à ratione. In præſenti non eſt quæſtio in primo ſenſu, quia ſic ſolus intellectus dicitur ratio, & potentia ratiocinatiua; ſed eſt lis in ſecundo ſenſu, quatenùs voluntas dicitur etiam potentia intētionalis, & prout ratio comprehendit intellectum, & voluntatem, iuxtà phraſim Ariſt. in Met. vbi eas appellat potentias rationales; vel quia hoc nomen ratio, extendi etiam ſolet ad quamcumque potentiam collatiuam ex Tromb. in formalit. art. 1. §. *notādum vlterius &c.*

Titulus quæſt. eſt de omni potentia vitali, non ſolùm intellect', & voluntatis, ſed etiam ſenſuum, tā internorum, quàm externorū. Et quantū ad intellectū, nulla eſt inter Auctores antiquos cōtrouerſia, ſed tota lis eſt, an hoc etiam alijs potētijs competere poſſit. cōis Thomiſt. ſententia eſt, ſolius intellectus munus eſſe entia rationis efficere, non aliarum potentiarum ità Caiet. Complut. Auerſa Ioan. de S. Tho. Amic. Blanc. & alij. Scotiſtæ verò hoc munus etiam voluntati attribuunt, quatenùs ſicut intellectus, ēt potentia collatiua eſt, ità Formaliſtæ cōiter tract. de formalitatibus, & ſequuntur Faber c. 5. Fuentes, Smiſing, Meuriſſe, & alij ad mentem Doctoris Subtiliſ. imò aliqui Scotiſtæ vlteriùs procedentes, etiam phātaſiam, ſeù imaginatiuam poſſe ens rationis efficere affirmarunt, ea ratione ſuffulti, quia phantaſia habet virtutem coniungendi, & conferendi obiecta ad inuicē, vt patet de Chyme-

ra, Hircoceruo &c. quæ in ſomnis effingit, harum naturarum ſpecies à parte rei ſimul vniendo, quam ſententiam tamquàm probabilem amplectitur Suar. & Ruuius: Alij tandèm adhuc progredientes vlteriùs, etiam ad ſenſus externos hoc munus extenderunt, nam ipſi quoquè percipere, & repræſentare videntur id, quod non eſt, ad modũ veri entis, vt cùm oculus V.G. percipit remum fractum in aqua &c. ita Iandun. & Arriaga quod etiam de voluntate magis aſſerit.

*Concluſio.*

*Dicimus, nullam potentiam vitalem, præter intellectum, & voluntatem efficere poſſe ens rationis; & de intellectu quidem certiſſimum eſt, de voluntate tantùm probabiliter.* Pr. primò, quòd nulla potentia vitalis ſenſitiua tàm interna, quàm externa hoc poſſit efficere: omne eſſe ſenſibile eſt ens reale, ab ente rationis contradiſtinctum; ſed potentia ſenſitiua nõ fertur niſi in ſenſibile, cùm ſit eius obiectum, ergo percipere non poteſt, niſi ens reale. Tùm quia obiectum præſertim ſenſus externi eſt aliqua qualitas ſenſibilis, exiſtens à parte rei, vndè cõiter affirmatur, ſenſationem externam pendere nõ ſolùm ab obiecto exiſtente, ſed etiam in ſe pręſente, ergo nõ poteſt ſenſus externus dare eſſe obiectiuũ rei non exiſtenti, cùm ſemper terminetur ad eius eſſe reale.

Pr. etiam de imaginatiua, & æſtimatiua, quæ potentiæ licèt non neceſſariò pendeant ex pręſentia obiecti in ſeipſo, vt ſenſus externi, adhuc tamẽ determinatum poſtulant obiectum ſenſibile; non enim percipiunt ſubſtantias, & eſſentias rerum, vt intellectus, ſed tantùm qualitates, & accidentia externa, quę entia realia ſunt. Hinc Sco. cõtra Henricum in primo d. 3. qu. 2. F. docuit, quòd quãdo agn' fugit lupum, non apprehendit rationem inimicitiæ, ſed accidentia lupi, vt ſibi materialiter diſconuenientia, à quorum apprehẽſione mouetur ex inſtinctu naturę ad fugam, vt in libris de anima fuſiùs probatur.

Sed dices: experientia comperimus, imaginatiuam ſæpè impoſſibilia inter ſe vnire, & imaginari, vt cùm montem aureum, mare vitreum &c. imaginamur, quę cùm nullum eſſe niſi obiectiuum habeant, entia rationis dicuntur. ℞. negando illa in argumento allata, entia rationis eſſe, cùm enim nõ habeãt impoſſibilitatem ad exiſtendum, quod eſt de eſſentia entis rationis, talia non ſunt.

Sed contra, non ſolùm imaginatiua hominis machinatur mõtem aureum, ſed etiam alia quæ impoſſibilia ſunt, vt Hircoceruum, Angelum alatum &c. quæ cùm aliud eſſe non habeant, niſi obiectiuum, euidentiſſimum eſt, Imaginatiuam ens rationis efficere, quod præſertim de imaginatiua hominis verificatur, ait Suar. propter cõnexionem, quàm cum potentia intellectiua habet. Sed ℞. faciliter, quòd quando imaginatiua, imaginatur

Chy-

Chymæram, Hircoceruũ, Angelũ alatum &c. tunc ex vi talis imaginationis, non vniuntur naturæ, aut eſſentiæ incōpoſſibiles, vt benè aduertunt Doctores, quia nec imaginatio, nec alius ſenſus poteſt vſque ad ſubſtantiam ſe profundare, ſed tantùm vniuntur externa accidentia Hirci, & Cerui, ſicut & accidentia pulchri iuuenis, alati &c. quorum vnio non repugnat, ſæpè enim viſa ſunt monſtra ex diuerſis animalium formis conſtituta, & Angeli tali forma, & figura depicti, & effigiati; Vnio autem naturarum incompoſſibilium à ſolo intellectu fit. Ad Suar. &c. quòd etiã imaginatiua humana, extendi non poteſt extra ſuũ adæquatum obiectũ, quod eſt ſenſibile exiſtens, vel exiſtere potens. Tùm quia, vt ait Auerſ. ſi imaginatiua ex ſuo proprio actu, ab actu intellectꝰ diſtincto ens rationis poteſt efficere, ergo fruſtra conſortium intellectus adhibetur.

Quòd fieri poſſit ab intellectu, ab illis qui ens rationis admittunt, probatione non eget, ex ipſo enim nomine entis rationis, euidentiſſimum remanet. Sed aliqua difficultas eſt de voluntate, de qua etiam probabiliter affirmari poteſt. Et ratio eſt, quia voluntati nihil deeſt ex requiſitis ad potẽtiam entis rationis effectricem; ſi enim requiratur, quòd talis potentia ſit collatiua, voluntati non deficit, ità enim poteſt vnum obiectum alteri comparare, ſicut intellectus, cùm hac tamen differentia, quòd intellectꝰ comparat per modum iudicij, & cognitionis, ſed voluntas per modum ordinis, & acceptationis, vt plures Scotiſtæ ex locis Scoti citatis aduertunt, vt cum V.g. voluntas vult media propter finem; & poteſt inuicem ità duo obiecta cõferre, quæ à parte rei non ſint referibilia, vt cùm peruersè agens, vult Deum propter Creaturam, vtendo fruendis, & fruendo vtendis.

Si requiratur, quòd talis potentia ſit reflexiua, vt aliqui exigunt, ob quam rationem, negant ſenſus ens rationis efficere, quia V.G. oculus videns parietem, non reflexè cognoſcit parietem eſſe viſum, nec imaginatio percipit quid ſit illud eſſe imaginatum in obiecto; neque id voluntati deficit, volũtas enim aliquid volens, ſæpiùs per actum reflexum, conſentit ſe velle, vt Sco. quol. 16. D. & in primo d. 47. q. 1. D. manifeſtè docuit, & ratio eſt, quia hæc munera competũt intellectui, & voluntati per rationem illis cõem .ſ. propter harum potẽtiarum immaterialitatem, vt claré quol. 17. C. inſinuauit. Quòd ſi tãdem requiratur, quòd potentia debet dare eſſe obiectiuum rei, quę realiter non eſt, nec eſſe poteſt, quę principaliùs attenditur ad formalitatem entis rationis, neque hoc munere volũtas priuatur; Tùm quã volũtas poteſt impoſſibilia, etiam vt talia ab intellectu oſtenſa appetitu ſaltèm inefficaci appetere, ex Scoto in ſecundo d. 6. q. 1. Tùm quã

poteſt

poteſt voluntas ex ſua libertate bonitatem in obiecto fingere, vbi re uera non reperitur, nec reperiri poteſt, neque vt bonum ab intellectu propoſitum, ergo tale eſſe obiectiuũ poteſt bonitati tribuere, quale ad ens rationis cõſtituẽdum requiritur. Reſp. aliqui ex Recentioribus, neg. Anteced. & ratio ẽ, quia licèt voluntas aliquando tendat in bonum, quod re vera in ſe non eſt, non tamẽ ipſa eſt, quæ tale bonum fingit, ſed ſupponit iam confictum ab intellectu, & ab eodem propoſitum.

Sed contra eſt in ſententia Scoti 1. d. 1. q. 1. art. 3. & 4. D. & E. Vbi à Doctore præter finem verum, & apparentem, datur etiam finis præfixus, ſeu præſtitutus, & tunc eſt, quando obiectum eſt ab intellectu ſub ratione mali oſtenſum, & voluntas ex ſua libertate illud ſibi pfigit, tamquam finem bonum. Nec ſequitur ex hoc, quòd voluntas feratur in malum, tamquam in obiectum; obiectum .n. voluntatis eſt bonum, vt patet ex libris de anima, ſed quia oſtenſo obiecto voluntati ſub ratione mali, ex alia parte oſtenſo ſub ratione boni, vel in ſe, vel in alio obiecto, poteſt voluntas bonitatem tali obiecto effingere, quam tamen non habere prius intellectus oſtenderat, & ſub prætextu illius bonitatis, illud obiectum in ſe malum acceptare, & hoc eſt fundamentum præcipuum ſententiæ Scotiſt. in hac materia.

*Obiectiones.*

Ob. primò probando, quòd ſenſus externi poſſunt entia rationis efficere, multis experientijs; Remus enim repræſẽtatur curuus, vel fractus in aqua; Sol videtur minor, quàm ſit; videmus colores in Iride; concauitates in picturis, &c. quæ cum à parte rei non exiſtant, nullum alium eſſe habẽt, niſi obiectiuum, & conſequenter entia rationis erunt. ℞. neg. ant. in illis enim, & ſimilibus experientijs nihil fingit oculus, non enim vim habet componendi curuitatem cum Remo, paruitatem cum ſole, colores in Iride &c. ſed ſolùm illud exprimit, quod per ſpeciem illi obijcitur, antecedenter ad actum viſionis. Vndè Remus repræſentatur fractus, vel curuus in aqua ab illa ſpecie, quæ transmittitur ad oculum ex immutatione ab aqua facta, per quam tranſit, antequam Remus ſic ab oculo percipiatur, qua mediante, determinatur oculus ad ſic vidẽdum. Sol apparet minor, propter diſtantiam &c. quæ omnia non ſunt obiectiuè tantùm in oculo, ſed verè à parte rei; non quidem ſm̃ eſſe reale, & ſubiectiuum, ſed ſm̃ eſſe intentionale, & repræſentabile, quod variatur ſecundum varietatem ſpecierum, & ipſius organi immutationem; ſic etiam paries, qui à parte rei eſt albus, poſito vitro viridi ante oculos videtur viridis, non quòd ſit talis realiter, ſed ſm̃ eſſe repræſentabile, quatenùs tales ſpecies ob tales me-

medium immutatæ, ſic oculo repræſentantur, & hoc ſufficit pro illis experientijs, explicare deindè in ſingulis, vndè illæ apparentiæ proueniant, ſpectat ad libros de anima, de coloribus Iridis ad libros de cælo. Tùm quia ad ens ſenſibile, vt rationem entis rationis induat, non ſufficit quòd videatur id, quod non eſt, ſed requiritur etiam quòd ſit impoſſibile ſic eſſe, ſed colores apparentes in Iride, in collo columbæ, curuitas in Remo &c. nõ ſunt impoſſibilia, vt manifeſtè apparet; ergo &c. quarè Arriag. hac ratione conuictus, concedit per ſenſus externos fieri entia rationis quæ tamèn poſſibilia ſunt; quod nos ſupra oſtendimus implicare; ſi enim res poſſibilis eſt, ens reale, non rationis erit.

Sed contra, in his, & ſimilibus caſibus falluntur ſenſus, ergo omnia illa ſunt entia rationis, Pr. cõſ. ex Arriaga, ſtatim enim ac quòd actus eſt falſus, eius obiectum non eſt à parte rei, ſed tantùm in illa ipſa cogitatione, ſed in allatis exemplis ſenſus falluntur, ergo &c. ℞. neg. ant. tunc enim reuera ſẽſus non fallitur, quia illa obiecta apprehendit, ſi non vt ſunt a parte rei, ſaltèm vt à parte rei repræſentantur à ſpeciebus, atque ideò nõ fallitur; potiùs poteſt dici, quòd imaginatiua, vel intellect⁹ fallitur, vt conſtat de vua à Zeuſi depicta, quam aues veram æſtimarunt, & de linteo à Parraſio depicto, quem ipſe Zeuſis verum æſtimauit; in quibus caſibus non fuit potentia viſiua decepta, quia verè ad tales ſpecies fuit terminata, ſed tãtùm imaginatiua, vel intellectiua, ob ſimilitudinem accidentium. Imò neq; imaginatiua, & intellectiua fallerentur, ſi eorum iudicium extenderetur non ſupra exiſtentiam obiecti, ſed ſupra ſolam apparentiã obiecti; tunc enim iudicarent id, quod verè apparet à parte rei; & quando etiam fallerentur tales potẽtiæ circa talia obiecta, adhùc ipſa entia rationis non forent, quia obiectum ſenſus non habet impoſſibilitatem ad exiſtendum à parte rei, quod neceſſarium eſt ad ens rationis, atque ideò falſum erat Arriag. fundamentum, per quemcũque actũ falſum, ens rõnis cõſtitui.

Ob. 2. quòd ſaltèm ſenſus interni ens rationis efficere poſſint, & maximè de Imaginatiua, & phantaſia non eſt dubitandum, quæ in ſententia Scoti in primo ſen. d. 45. q. vn. in fine, eſt potentia collatiua, & habet vim, non ſolùm coniungendi quæ poſſibilia ſunt, ſed etiã impoſſibilia, vt cùm ex connexione ſpecierũ hirci, & cerui illas naturas coniungit. Nec dicere valet phantaſiam vnire tantùm accidẽtia externa illarum naturarum, nõ illas naturas, phantaſia enim idem obiectum, quod intellectus ſpeculatur, ſentit, nam quod intellectus intelligit, illud idem phantaſia phantaſiatur; ſed intellectus tunc naturas percipit, ergo etiã & phãtaſia. ℞. non eſſe apud Scotum certum,

rum, phantaſiam eſſe potentiam formaliter collatiuam, & loc. cit. ſub dubio relinquitur, imò ex alijs locis oppoſitum colligitur, vt benè Tatar. Barg. Maſtr. & Belluc. aduertunt, ſed quidquid de hoc ſit, quod fuſiùs in libris de anima exagitatur; Admiſſo etiam phantaſiã potentiam collatiuam eſſe, nõ adhuc intentum Aduarſarij probant, & ratio eſt, quia non adhuc limites potentiæ ſenſitiuæ egreditur; quæ non niſi tantùm ſpecies ſenſatas componere poteſt, vt ex Scoto in primo d. 3. q. 2. §. *Quintò dico*. manifeſtè colligitur; vndè in apprehenſione Chimæræ, hircoceruí, &c. tantum vnionem accidentium attingere poteſt, non naturarum, & quidditatum; & ad inſtantiam de intellectu, ℞. verum eſſe, quòd dũ intellectus operatur, etiam phantaſia phantaſiatur, ſed intellectus circa intelligibile, phantaſia verò circa ſenſibile, quod eſt obiectum intra ſferam ſuæ actiuitatis; & dũ intellectus circa incompoſſibilia ipſarum naturarum verſatur, phãtaſia circa quantitatem, figuram, & accidẽtia externa illarum phantaſiatur.

Ob. 3. imaginatiua poteſt concipere lineam quandam infinitam, quæ implicat, & alia huiuſmodi, ergo &c. qua ratione aſſerunt Dialectici, ens imaginabile amplius ampliari, quàm ens poſſibile. ℞. negando aſſumptum, potiùs enim imaginatiua fertur ad obiectum cũ aliquo termino ex Amico tract. 3. q. 3. dub. 6. art. 2. nam ex modo eius operandi, concipere nequit, niſi in determinato loco, figura, & ſimilibus, vbi etiam addit cit. Doctor, imaginabile ex vi imaginatiuæ nõ latiùs patere, quàm ens poſſibile, cùm dicat quantitatem, figuram, & ſimilia, quæ poſſibilia ſũt; in ordine verò ad intellectum, magis latè patere poteſt, quia cõprehendere poteſt fictitia; & de hoc intelligendum eſt dialecticorum dictum: Vel dicendũ eſt phantaſiam comprehẽdere poſſe lineã, vel ſpatium infinitum ſyncathegorematicè, quod non implicat.

Ob. 4. ex Arriaga: Canis interdum fallitur, reputãs vmbram hominis eſſe hominem illum, à quo vapulauit, & aufugit, imaginando ab eo quod videt, fuiſſe læſum, ſed coniungendo percuſſionem cũ illa vmbra, vt cum cauſa efficiente; profectò impoſſibilia coniungit, quia cùm vmbra ſit nihil, dare ictus non poteſt, ergo &c. Reſpondent, & benè Bell. & Maſtr. aſſumptum ſupponere falſum; quòd ſ. phantaſia poſſit ſuffodere ſpecies non ſenſatas, qualis eſt ſpecies inimicitiæ, quod Scot. loquendo de agno reſpectu lupi negat; falſum eſt etiam canem viſione attingere vmbram, quæ mera priuatio eſt, & cùm ea percuſſionem vnire, ſed id quòd canis percipit eſt ipſum lumen ſecundarium, & figurã hominis effigiatam in ipſo lumine, qua terretur, ob ſimilitudinem, quam habet cum figura hominis, à quo

vapulauit, & cum eâ cōiungit ſpeciem percuſſionis, vndè nunquam, niſi vnionem ſenſibilium accidentium attingit, quæ poſſibilis eſt, ita cit. Doctores.

Ob. 5. ex eodem Arriag. Dùm quis videns a longè ſtatuam, putat eſſe hominem, vtique hanc apprehenſionem habet, quòd illa ſit homo, at impoſſibile eſt hominem eſſe ſtatuam, ergo ſæpè phantaſia apprehendit vnionem, & identitatem rerum impoſſibilium. ℞. vt ſuprà, phantaſiam non apprehendere niſi figuram, & externa accidentia hominis, & ſtatuæ, ea ob ſimilitudinem coniungendo, non verò eſſentiam hominis, & ſtatuæ penetrando, ideò nihil.

Ob. 6. quòd ſaltèm de imaginatiua per modum memoriæ, & reminiſcentiæ hoc negari non poteſt, vndè talis formatur ratio: Ens rationis eſt id, quod percipitur admodum entis, quod non eſt, nec eſſe poteſt, & præcipuè per actum reflexum, ſed imaginatiua reminiſcendo, percipit rem, quæ fuit, ſed non eſt, nec eſſe poteſt, & hoc per reflexionem ad actum præteritum; ergo imaginatiua pōt ens rōnis efficere, ſaltē per modum memoriæ. Complut. probabilem hanc ſententiam putant, ſaltèm de cogitatiua, & rememoratiua hominis, ob cōnexionem quam habet cum intellectu ſupra cæteros ſenſus; ſed præſtat potiùs cum Maſtrio, & Belluto diſtinguere, quòd quãdo imaginatiua per modum reminiſcentiæ cognoſcit obiectum, vt antea cognitum fuit, hoc non efficit per reflexionem eiuſdem generis, quã ens rationis fieri ſolet, ſed illud ſolùm apprehendit quoad anſit, recolendo actum antecedentem cognitionis, per eadem accidentia, quibus primò cognouit, ſeu recolendo q̄d factum eſt per actum reflexum tertij generis, non autem recogitando quid nam fuerit tale eſſe cognitum in obiecto; hoc enim ad potentiam intellectiuam ſpectat, nec cōnexio, quam cogitatiua cum intellectiua potentia habet, noſtram infringit opinionem, per talem enim coniunctionem, non eleuãtur illi ſenſus extra ſphæram potentiæ ſenſitiuæ, quæ cùm habeat pro obiecto ens ſenſibile, & reale, non pōt ens rōnis efficere.

Obijcitur 7. quòd neque volūtas ens rationis efficere poſſit, tali medio: Ens rationis eſt, id, quod habet tantùm eſſe obiectiuum &c. ſed voluntas non poteſt bono apparenti tale eſſe dare, ergo &c. maior eſt clara, mi. Pr. quia & ſi voluntas appetat id, quod non eſt reipſa bonum, ſed tantùm apparens, hoc tamen ab intellectu procedit bonum illud ſic repræſentante; non eſt ergo voluntas, quòd illud bonū fingit, ſed ſolùm fertur in illud, vt ſic ab intellectu confictum. Confi. quia voluntas eſt potentia cæca, quæ ſupponit obiectum, ſiuè verum, ſiuè apparens bonum, non illud efficit, ergo &c. ℞. neg. mi. cum ſua probatione, & ratio de-

ceptionis iſtorum eſt, quia non agnoſcunt in voluntate aliud obiectum motiuum, niſi bonum verum, vel apparens; cùm tamen bonum præfixū, & à voluntate præſtitutū admittendum ſit, vndè cōiter dicitur, quòd quandò voluntas tendit in bonum apparens, peccando ex ignorātia, fictio ſe tenet ex parte intellectus; At quandò tendit in in bonum præfixum, peccando ex merā malitia, fictio non ſe tenet ex parte intellectus, quia ipſe iam oſtendit obiectum malum ſub ratione mali; ſed ſe tenet totalitèr ex parte voluntatis, quæ non obſtāte intellectus oſtenſione, ex ſua libertate applicat obiecto malo bonitatem, & illud tali falſa bonitate indutum, ſibi tamquam finem præfigit, quo caſu dicitur ex certa malitia peccare, per quod patet etiā ad Confirmationem.

Sed dices, ergo voluntas fertur in incognitum, cùm talis bonitas non ſit ab intellectu oſtenſa, ℟. negando conſequentiam, nam licèt intellectus talem bonitatem in illo obiecto non oſtenderit, oſtendit tamèn in alio, quam voluntas obiecto malo propoſito applicat, & hoc ſufficit voluntati, vt non dicatur in incognitum ferri.

Ob. 8. licèt poſſet voluntas vnum obiectū ad aliud ordinare, ad quod non eſt ſua natura ordinabile, non tamen per hoc efformaret nouam relationem ordinis, quæ eſſet ens rationis, ſed ad ſummum reſultaret quædam extrinſeca denominatio ordinatorum, ſicut ex actibus aliarum potentiarum reſultare ſolet, ergo &c. ℟. ant. eſſe verum de actu recto, quo primò vnum obiectum ad alterū ordinat, & comparat, non de actu ſecundo, & quaſi reflexo; vt ex Scoto colligitur in 3.d.26.q.vn.E.

Sed vrget Suar. etiam ſi poſſet voluntas reflectere ſupra ſuas extrinſecas denominationes, in obiectis derelictis amati, voliti, ordinati, &c. non tamè per talem reflexionem afferret illis nouum eſſe rationis, ſicut poteſt intellect⁹ ſuas denominationes apprehendere, ergo &c. ℟. ex Scoto quol. 17. C. quòd ſicut intellectus apprehendendo ſuas extrinſecas denominationes admodùm entium dicitur illas in entia rationis efformare, ſic voluntas idem efficere poteſt, acceptando ſuas; volendo, n. & acceptando illud obiectum, quod à ſe ipſa ità ordinatum eſt, tribuit illi extrinſecæ denominationi quoddam eſſe rationis, quamdam ſ. rōnem boni, & amabilis, qua mouetur ad tale obiectum acceptādum, atque ideò falſum eſt ant.

Ob. 9. intellectus efficit ens rationis affirmando quod non eſt, & negando quod eſt, & ſic efficit obiectum; at voluntas tantùm accedit, vel recedit ab obiecto, ergo non illud efficit. ℟. negando ma. quia non ſolùm per iudicium, ſed etiam per apprehēſionem incomplexam fit ens rationis, quandò ſcilicet obiectum non habet aliud eſſe, niſi

cogni-

cognitum in intellectu, ſic ſufficit voluntati, quòd illud obiectum non habeat talem bonitatem in ſe, ſed tm̃ ab ipſa præſtitutum, licèt circa tale obiectum accedẽdo, vel recedendo operetur.

Ob. tandèm: Ens rationis ideò dicitur, quia à ratione, & potẽtia ratiocinatiua in ſuo eſſe pẽdet, ſed voluntas non eſt huiuſmodi, ergo &c. Rx, ex notando in principio articuli præpoſito, nos in caſu non loqui de ente rationis ſtrictè, & rigoroſè ſumpto, ſic enim tantùm enti rationis ab intellectu fabricato competit, & reſpõſio eſt Scoti in primo d.45. q. vn. C. & quo. 17. C. vbi ait, relatio, quam poteſt voluntas, & quælibet potentia collatiua, alia ab intellectu cauſare in obiectis ab ipſa inuicem comparatis, in quibus ex natura rei non reperitur, non eſt rationis, loquendo ſtrictè de relatione rationis, quia non ſemper potentia illa cõparans eſt ratio; ſed dicitur rationis, vel quia illis obiectis non conuenit ex natura rei abſque actu potentiæ intentionalis, vel prout hoc nomẽ ratio ſe extendit ad intellectum, & voluntatem.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*De actibus, quibus ens rationis efficitur.*

SCotus, cuius ingenij acumen efficit, vt eum in potioribus difficultatibus Pręceptorem habeam. 5. met. q. 17. ab initio, docet actum, quo ens rationis efformatur, debere eſſe directum, & comparatiuum, qua auctoritate forte priſci Scotiſtæ fulſulti, occaſionẽ rapuerunt affirmandi, ens rationis eſſe relatiuum, & fieri per actum collatiuum, quos ex Recentioribus Scotiſtis, ſequitur Fuentes diſ. 3. & ex Thomiſt. Ioann. de Sancto Thom. ſed Scotus ibi loquutus fuit tantùm, & ſpecialiter de relatione rationis, nõ de omni ente rationis, vt benè ibi multi Scotiſtę aduertũt.

Pro cuius reſolutione ſupponẽdum eſt, omnem actum intellectus, vel abſolutum eſſe, vel comparatiuum; abſolutus eſt, quo obiectum abſolutè ſine ordine ad aliud conſideratur; comparatiuus, ſeù collatiuus eſt ille, quo vnum ad aliud cum tali ordine apprehenditur. Itẽ vterque duplex eſt, aut directus, quo primò ſcilicèt, & directè tali actu obiectum attingitur, aut reflexus, quo videlicèt reflectitur ſuper obiectum, vel abſolutè cognitum, vel relatiuè. Rurſus quia tres ſunt intellectus operationes, vt patet ex dictis, vel ſimplicium apprehẽſio, vel affirmatio, & negatio obiecti, vel diſcurſus; Hinc rationabiliter quæritur, qualis eſt actus, quo ens rationis efformatur, & multæ, & variæ ſunt Auctorum opiniones. Suar. diſp. 54. met. ſec. 2. quem multi ex Neothericis ſequuntur, docet, ens rationis fieri per actum comparatiuum, non quod omne ens rationis relatiuũ ſit, ſed quia omne ſiuè abſolutum, ſiuè relatiuum, ſit per comparatio-

nem

nem non entis, ad ens reale, ad cuius inſtar concipitur; hanc verò cognitionem aliqui volunt eſſe directam, alij reflexam, quod de ſecundis intentionib' affirmat Suar. Aliqui volunt cum Meuriſſe, extrinſecas denominationes, quas intra limites entis rationis ponit, fieri per actum directum; relationes rationis fieri per actum cõparatiuum; entia verò rationis fictitia, vt hircoceruus &c. fieri per actionem reflexam. Vulpes tom. 1. p. 1. diſp. 28. art. vlt. nu. 4. ait per actum directum comparatiuum, ſecundas intentiones habere tantũ eſſe derelictum, & per intelligentiam reflexam ſuſcipere verum eſſe rationis. Alij inquiunt omne ens rationis abſolutũ, fieri per cognitionem abſolutam; relatiuum verò per cognitionẽm relatiuam. Item illa entia rationis, quæ habent pro materia extrinſecas denominationes cogniti, &c. fiunt per notitiam reflexam, quandò ſcilicet intellectus reflectendo, concipit denominationes ortas ex priori cognitione in obiecto, ad modum alicuius relationis; cætera verò fieri per notitiam directam, ità Auerſ. Hur. Amic. & alij.

Quantum ad tres operationes intellectus, multæ etiam ſunt ſententiæ, aliqui enim volunt ens rationis ſolùm per primam operationẽ fieri, quatenùs ſcilicèt obiectum ſimplicitèr apprehenditur alitèr quàm ſit, nam quando poſtea adueniunt iudicium, & diſcurſus inueniũt iam ens rationis per primam operationem efformatum. Alij per oppoſitum, volunt ens rationis fieri tantùm per ſecundam operationem, & ratio eſt, quia omne ens rationis eſt quid falſum, & fictũm, veritas autem, & falſitas ſpectãt ad ſecundam intellectus operationem. Tertia opinio admittit ens rationis fieri per omnem operationem intellectus, & fundamentum eſt, quia apprehendi põt aliquod ens, quod nec exiſtit, nec exiſtere poſſit; poteſt etiam affirmari id, quod eſt impoſſibile, & negari id, quod eſt neceſſarium; & tandèm poſſumus cogitare vnum ſequi ex alio, quod verè non ſequitur; quæ omnia ſunt non entia ficta ad modum entium, per ſingulas intellectus operationes, & eſt ſententia communis inter Recentiores, quã ſequũtur Ruuius tract. de ente rationis q. 4. Complut. q. 3. concluſ. 2. Fuentes, Amic. & alij. his habitis ſit prima Concluſio.

*Concluſio prima.*

*Dicimus primò, ens rationis in vniuerſum fieri per actum illum, ex vi cuius ità aliquid exiſtit obiectiuè in ea potentia, cuius eſt actus, vt extra illam nullum prorſus eſſe habeat, vel habere poſſit; qui actus eſſe poteſt abſolutus, vel collatiuus, directus, vel reflexus, iuxta exigentiam entium rationis, quæ efformantur.* & Pr. quo ad ſingulas partes. Quòd talis actus poſſit eſſe abſolutus, patet ex eo, quia intellectus poteſt concipere vnum obiectum impoſſibile, non in ordine

ad a-

ad aliud; vt cùm v. g. concipit tenebram velut formam extenſam per aerem, ſine comparatione ad aliud, vt terminum &c. Quòd fieri poſſit per actū comparatiuum, eſt clarū, omnis .n. relatio rationis fit per actum conferentem, vel ordinantem vnum ad aliud, ſine quo ordine fieri non poteſt; Vndè ſi velimus in Deo relationem Creatoris efficere, neceſſariò erit conferre Deum ad Creaturas, vel relatiuum cum ſuo correlatiuo &c. Et quia adhuc multa ſunt entia rationis, quæ propriè tunc efficiuntur, cùm intellectus reflectendo concipit denominationes ortas ex priori cognitione in obiecto, ad modū cuiuſdam intrinſecæ formæ, vel relationis, vt ſunt intentiones logicales, hæc fiunt per actum reflexū; quia verò alia ſunt, quæ non habēt extrinſecas denominationes pro primo fundamento, ſed immediatè fundat ea intellectus ſupra ipsā entitatem realem, vt sūt hircoceruus, chimæra &c. fiunt per actum rectum.

*Concluſio Secunda.*

*Dicimus ſecundò, entia rationis, quæ pertinent ad materiam propoſitionis, & diſcurſus, fieri poſſe diſtributiuè per tres intellectus operationes, alia .ſ. per primam, alia per ſecundam, alia per Tertiam; illa verò quæ ſpectant ad formam, vt genus, ſpecies, ſubiectum, prædicatum &c. fieri per primam dumtaxat operationem.* Pr. quo ad primam partem: poteſt intellectus apprehendere terminos repugnantes, vt chimæram, Angelum alatum &c. & alios terminos incomplexos repugnantes, quæ entia rationis ſunt, ergo &c. poteſt etiam componere propoſitiones falſas, vt repugnantes, affirmando, quod eſt impoſſibile, & negando quod eſt neceſſarium, vt hominem eſſe lapidem, hominem non eſſe animal &c. poteſt tandèm falſos diſcurſus producere, deducendo ex aliquo antecedente id, quod nullo modo ex illo deduci poteſt &c. ſic igitur apprehendendo, iudicando, & inferendo intellectus, fingit id, quod non eſt, nec eſſe poteſt. &c.

Altera pars concl. eſt contra Recentiores, qui volunt ſecundas intentiones logicales, vt ſunt vniuerſale, genus, ſpecies, prædicatum, ſubiectum, conſequens, conſequētia &c. per ſecundam, & tertiam intellectus operationem fieri. Pr. ſtatim ac intellectus cognoſcit terminum ſimplicem, non eo ipſo fit ens rationis, ſed tunc ſolùm habetur actus extrinſecè denominans illud obiectum cognitum; & ſi res abſtractè cognoſcatur, non ex hoc reſultat ens rōnis, qđ eſt vniuerſale ſed tm̄ extrīſeca denominatio, qua obiectū abſtractè cognitū denominatur; Quādò autē illud eſſe cognitū, ſic abſtractè cōcipitur in obiecto per aliū actū reflexū, per modū alicui' formæ relatiuæ in re, ſic abſtractè cōceptæ, tunc habetur ratio vniuerſalis, quæ eſt formaliter ens rationis. Idē dicēdū eſt de alijs entib' rationis logicalibus ad ſecūdā,

& ter-

& tertiam operationem intellect° materialiter ſpectantibus, fieri ſc. formaliter per primam intellectus operationem; Quandò .n. intellect° affirmat hominem eſſe animal, tunc per talem actum non efficitur ens rationis ſubiectum, prædicatum, propoſitio &c. ſed ſolùm reſultāt denomiuationes extrinſecę, quibus animal denominatur prædicatum, homo ſubiectum, copula connectens &c. quæ denominationes deſumuntur ab actibus intellectus prædicantis, ſubijcientis, & connectentis duo in aliqua oratione; tunc verò entia rationis formaliter efficiuntur, quandò intellectus concipit eſſe ſubiectum in homine, prædicatum in animali &c. per modum quarumdam relationum realium &c. ſic etiam dicendum eſt de antecedenti, conſequenti, & conſequentia; non fieri entia rõnis formaliter per actum illationis, quia tunc ſolùm extrinſecæ denominationes reſultant, quibus vna propoſitio denominatur antecedens, vel inferens, alia verò conſequens, vel illata, ſed tunc fiũt entia rationis formaliter, cùm eſſe inferens in propoſitione, concipitur per modum cuiuſdam relationis ad propoſitionem illatam, & eſſe conſequens concipitur in propoſitione illata per modum alterius correlationis, quæ omnia fiũt per primam intellectus operationem, & per cõceptus ſimplices ad puram relationem rationis terminatos. ità Maſtr. & Bellut. loc. cit. q. 4. art. 2. ſatis rationabiliter.

*Obiectiones.*

Obijces contra primam concluſionem: Ens rationis concipitur ad modum entis realis, ergo ſemper per actum collatiuum, & comparatiuum efficitur. ℞. neg. ſeq. & ratio eſt, quia licèt in efformando ens rationis, aliqualis comparatio interueniat, non tamē illa comparatio, qua refertur vnum ad aliud, tamquam ad ſuum terminum, quæ eſt propria comparatio, & fit per actum collatiuum ex Auerſa qu. 5. ſec. 6. ſed ſolùm concipitur vnum ad ſimilitudinem alterius, quæ potiùs eſt imitatio, quàm comparatio, quia igitur intercedit illa aliqualis cõparatio, dixit Suar. actũ effectricem entis rationis eſſe cõparatiuum.

Ob. 2. actus, quo fit ens rationis, ſēper ſupponit alium actum eiuſdem intellectus; vt enim fiat hircoceruus, ſupponitur cognitio hirci, & cerui; nam cùm fiat ad inſtar entis realis, ſemper ſupponit cognitionem entis realis, ergo neceſſariò per ſolum actum reflexum cõſtituitur. ℞. quòd ſi actus reflexus ſumatur pro cognitione ſupponēte quomodocumque aliam cognitionē, ſic poteſt dici omne ens rationis fieri per actum reflexum, ſemper.n. ſupponitur cognitio entis realis; at ſi accipiatur in proprio ſenſu, quatenùs, ſ. intellect° ſe reflectit, vel ſupra ſe cognoſcentem, vel ſupra actum cognitionis, vel ſupra obiectum à ſe cognitum,

ſic

ſic non concipitur per actum reflexum, & ideò neg. ſeq.

Ob. cōtra ſecūdā, & primò cōtra primā partē: ens rationis fit per actū falsū, quia cōcipitur res aliter ac ſit, ſed in prima intellectus operatione non datur veritas, vel falſitas, ergo &c. ità Hurt. qui vult, ens rationis ſolùm per ſecundam operationem fieri. ℞. negado maiorem; non .n. neceſſe eſt, vt in eiꝰ formatione falſitas intercedat, quę propriè in ſecunda, & tertia operatione reperitur, ſed ſufficit vt res aliter quàm ſit cōcipiatur, non q. dem iudicio diuiſiuo, ſed potius præciſiuo, & abſtractè, vt cùm cōcipimus chimæram, hircoceruum &c. Tùm quia etiam in prima intellectus operatione reperitur falſitas incomplexa ex dictis.

Sed contra, compoſitio ſpectat ad ſecundam intellectus operationem, ſed hircoceruus &c. concipi non poſſunt, niſi per conceptum compoſitiuum plurium naturarū in eodem incompoſſibilium, ergo illa fieri non poſſunt, niſi per ſecūdam intellectus operationem. ℞. neg. mi. intellectus .n. non componit partes illas incompoſſibiles, affirmando vnam de alia &c. ſed apprehendit illa duo, vt vnum per attingentiam incomplexam fictæ vnionis inter talia obiecta; vltrà ꝙ datur etiam in ſententia Scoti ſimplex apprehēſio non ſolùm ſimplicium terminorum, ſed etiam propoſitionis, abſque iudicio, quo caſu apprehenderetur, vt neutra, ait Scot. quolib. 14. art. 1.

Sed contra, ſi per primam intellectus operationem fiunt entia rationis, quæ ſpectant ad ſecundam, & tertiam operationem, ergo falſa eſt concluſio, quòd entia rationis fiunt per omnes tres intellectus operationes, ſeq. patet, quia ex vi primæ operationis, iam facta inuenirētur. ℞o. patet ex dictis, oratio enim, vel argumentatio, poteſt dupliciter conſiderari, vno modo quo ad formam, ſcilicèt pro illa ordinatione prædicati, copulæ, & ſubiecti in propoſitione, & propoſitionum in argumentatione, & ſic fiunt per primam operationem, illa .n. ordinatio eſt quædam ſimplex relatio rationis, quæ in omni propoſitione, & argumentatione reperitur. Alio modo quoad materiam .i. quantùm ad veritatem, & falſitatem connexionis prædicati cum ſubiecto in propoſitione, antecedentis, & conſequentis in argumentatione, & ſic fiunt entia rationis à ſecūda, vel tertia operatione, quando ſunt falſæ, vel affirmando, vel inferendo falſa &c.

Ob. contra ſecundam partem concluſionis: ſtatim ac intellectus affirmat vnum de alio, & vnum ex alio deducit, iam reſultat relatio rationis inter ſubiectum, & prædicatum, inter propoſitionem inferentem, & illatam, ergo per iudicium, & diſcurſum etiam quo ad formā fit ens rationis. ℞. neg. ant. per tales enim actus iudicij, & diſcurſus non reſultant, niſi extrin-

ſecæ denominationes, & fiunt Relationes rationis cùm cõcipiuntur per modum relationis realis. &c.

Sed contrà, licèt in abſtracto, & actu ſignato, prædicatio, & conſequentia ſimplices importent relationes ad primam operationem pertinentes, tamen in concreto, & actu exercito, non fiunt ſine complexione, & conſequenter per ſecundam, & tertiam intellectus operationem. ℞. conc. aſſump. de ipſis complexionibus fundamentaliter ſumptis, ſed ex eis non adhuc reſultat relatio rationis ad primam operationem ſpectans, Fundamenta talis relationis fiunt per ſecundam, & tertiam operationem; relatio, ſeu forma fit per primam.

## ARTICVLVS SEXTVS.

*An quilibet intellectus poſſit ens rationis efficere.*

SCot. cuius doctrinæ pconia toto orbis ambitu honeſtioribus buccinis pleno ore clãgũtur in primo ſent. d. 30. q. 2. §. *Reſpõdeo igitur.* G. oſtendere videtur, Deum ens rationis efficere poſſe, Vbi Licher. d. 30. q. vn. fol. mihi 259. ait, ſaluo meliori iudicio, non intendo aliquo modo cõtradicere dictis Doctoris, imò in omnibus ſibi adhærendo, quòd non haberem per impoſſibile, relationem rationis cauſari ab intellectu Diuino. idem affirmare videtur ſubtiliſſ. Doct. ibidem d. 35. q. vn. §. *poteſt dici ad quæſt.* & in 4. d. 16. q. 2. & quol. 17. & alibi, ex quo Veteres Scotiſtæ liberè aſſeruerunt, ens rationis poſſe ab intellectu Diuino cauſari. ex alia parte Doctor in primo d. 8. q. 4. M. negare videtur, intellectum Diuinum relationem rationis efficere poſſe, & ratio quam aſſignat eſt, quia Deus omnia intuitiuè cognoſcit; vel ſaltem dubitatiuè affirmauit, ens rationis ab intellectu Diuino efformari poſſe, vt fecit in primo d. 35. h. fo. 313. vbi ponendo quatuor inſtantia, in primo (ait) Deum intelligere eſſentiam ſub ratione merè abſoluta, in ſecundo producere lapidem in eſſe intelligibili, in tertio, comparando intellectionem ſuam ad quodcumq; intelligibile, fortè poſſe cauſare in ſe relationem rationis ad lapidem intellectum, in quarto, tandem reflexione cognoſcere illam relationem rationis. Hinc Maurit. q. 8. vniuerſal. dub. 5. hæc Scoti loca interpretans, ait, Doctorem circa hanc rẽ problematicè ſe habuiſſe.

Circa hanc difficultatem variæ ſunt Doctorum opiniones, quidam enim abſolutè negant, intellectum Diuinum ens rationis efficere, imò neque ipſum cognoſcere poſſe ab alio factum, quorum ratio eſt, quia cùm ens rationis in cognoſci conſiſtat, idem eſt facere, ac cognoſcere, ita Vaſquez in primo diſp. 118. c. 2. Cæleſt. & alij. Ex oppoſito alij vtrumque affirmant. & quod Deus ens rationis efficere poſſet, & cognoſcere ab alio factum; Et ratio horum eſt, quia tota illa imperfectio potius ſe tenet ex parte

obiecti intelligibilis, quàm intellectus intelligentis, & huius ſẽtentiæ ſunt multi Scotiſtarum, tã Priſcorum, quam Recentiorum, ex Auctoritatibus Scoti ſupra citatis, vt Lichet. Tatar. Barg. Faber. Fuẽtes, & cõiter formaliſtæ. Sequũtur multi ex Neothericis, & mordicus defendit Arriaga diſp. cit. ſec. 2. Quidam alij, quaſi media via incedentes, aſſerunt intellectum Diuinum vtique ens rationis à nobis factum cognoſcere, nõ autem illud efficere, ità Suar. diſp. 54. met. Auerſa q. 5. ſec. 5. Vulpes tom. 1. p. p. diſp. 28. art. vlt. & diſp. 29. art. 4. Alij diſtinguunt de ente rationis ficto, vt ſunt chimeræ. &c. Et de ente rationis fundato, vt ſunt intẽtiones Logicales, & aliæ multæ relationes rationis, negantes de illo, quod de iſto affirmant, & huius ſẽtentiæ videntur eſſe Amic. trac. 3. q. 3. dub. 5. art. 2. Ioann. de Sancto Thoma. Meuriſſe, & alij; Et tandẽ aliqui admittunt intellectum Diuinum entia rationis facere, ſed tantùm indirectè, & mediatè, quatenùs cognoſcendo entia rationis à nobis facta, dat illis denuò aliud eſſe obiectiuum, quaſi ſecundariũ, & videtur ſententia Didaci à Ieſu, & aliorum.

Vt magis, huius pulchræ, & curioſæ difficultatis veritas eluceſcat, ſupponimus, quæſtionem nõ eſſe de intellectu Angelico, hic .n. cùm in ſententia noſtra diſcurrat, nulla videtur repugnantia, vt ens rationis efficere poſſit, vt cõiter te netur; ſed difficultas eſt de intellectu Diuino, qui cùm ſit perfectiſſimus, magnam difficultatem ingerit, vt poſſit ens rationis efformare. Nec quæſtionem habemus cum illis Auctoribus, qui entia rationis in extrinſeca denominatione ponebant; ſic enim certum eſt, Deum ipſa efficere poſſe, cùm indubitatum ſit, & ſeipſum, & alia à ſe cognoſcere; Neque lis eſt cum Auctoribus, aſſerẽtibus ens rationis per actum falſum cauſari; ſicut enim falſum eſt intellectum Diuinum decipi poſſe, ſic falſum eſt ens rationis poſſe producere; ſed diſputatio eſt cum illis, qui in formalitate entis rationis nobiſcum conueniunt, vt .ſ. ſit illud, quod tantùm eſſe obiectiuum habet, & concipitur ad modum entis realis, cùm re vera tale non ſit, nec eſſe poſſit; qui modus concipiendi videtur imperfectus, & ideò Auctores in diuerſas ſententias, & opiniones diuidit.

*Concluſio Prima.*

Dicimus primò, *Intellectum Diuinũ entia rationis à nobis facta cognoſcere, non tamen ex vi talis cognitionis illa efficere*. Prima pars eſt contra Vaſq; & ſequaces, ſecunda contra Didacum à Ieſu, & ſuæ ſententiæ ſectatores, prima pars probatur primò auctoritate ſapientiæ 8. *ſcit verſutias ſermonũ, & diſſolutiones Argumentorum, ſigna, & monſtra ſcit, antequam fiant*. Pr. et ratione, quia Deus ſcit cordium cogitationes, quæ ſæpè impoſſibiles ſunt, & chi-

matricæ, vt cùm affirmamus Angelum eſſe iuuenem pulchrum, alatum, &c. ergo &c. R. Vaſquez q. illa Dei cognitio, dicit ordinem traſcendentalem tantùm ad illa extrema realia, non ad illam falsã vnionem, ex qua rationis ens reſultat.

Sed contra, ille actus, quo impoſſibilia affirmamus eſt falſus, & vt talis à Deo cognitus; ergo etiã illam vnionem à nobis fictam cognoſcit, conſeq. Pr. quia ſola cognitio extremorum non ſufficit ad falſitatem actus, ſi enim negarem Angelum eſſe corporeum, alatum &c. actus eſſet verus.

Reſp. alij, Deum cognoſcere quicquid eſt in intellectu noſtro, quia hoc ad eius perfectionẽ ſpectat, non tamẽ ſemper eodem modo, quo in intellectu noſtro reperitur, quia cùm aliquando hic modus ſit imperfectus, attingi nõ poteſt à Deo ſine imperfectione; hinc dicere ſolemus, Deum noſtros diſcurſus cognoſcere, ſed ſine diſcurſu. friuola reſponſio, quia ad perfectionem ſcientię Dei infinitę ſpectat, non ſolùm rem, quæcumque illa ſit cognoſcere, ſed etiam modũ, (licèt imperfectiſſimum,) & ratio eſt, quia talis modus iam cognoſcibilis eſt, & licet diſcurſus non poſſit poni in Deo ex parte potentiæ, neceſſario tamẽ poni debet ex parte obiecti, alioquin cognoſceret obiectum aliter quàm eſt. Hinc Pſ. ait: *ipſe cognouit figmentum noſtrum*; & licèt ſic fingere, & machinari imperfectio ſit, pfectio tñ eſt cognoſcere alios falli, & illorum figmenta penetrare, ergo non debet Deo denegari, cùm pelagus ſit omnium perfectionum. Hinc diximus in fallacia amphibologiæ, quòd ſcire falsò, eſt ignorantia, at ſcire falsũ eſt ſcientia. Tùm tandem, quia hęc ſent. noſtram confirmat opinionẽ, nam ſicut Deus diſcurſum cognoſcit ſine diſcurſu, ſic ens rõnis cognoſcit abſque eo, quòd ens rationis efficiat.

Pr. concluſio quoad aliam partem, ex ſupradictis; oſtendimus enim ens rationis non effici per illã cognitionem, qua cognoſcitur, vt terminus cognitionis, & vt quod, quia ſic ſolùm redditur cognitum, vt aliæ res cognitæ, ſed producitur vt effectus per priorem cognitionem, ſic machinatem illud ad modum entis realis, quod re verà non erat; ſed quando Deus cognoſcit ens rationis à nobis factum, cognoſcit illud vt quod, & vt terminus talis cognitionis, vt ſunt aliæ res à nobis cognitæ, & à nobis per aliam precedentem cognitionem iam efformatum, ergo ſolùm reddit illud extrinſecè cognitum, non illud de nouo efficit.

Dices, ſaltèm indirectè Deus efficit ens rationis, ſic enim ſaltèm mediatè cognoſceret aliquid, q. non eſt à parte rei, ſed neq; hoc dici poteſt, vt benè Bellut. & Maſtr. aduertunt; cùm .n. Deus cognoſcit intellectum noſtrum concipere rem aliter ac eſt, eo ipſo cogno-

ſcit

ſcitrem ſicuti eſt, hoc enim modo intellectus conficit ens rationis; vndè ly alitèr ac eſt, eſt modus cognitionis humanæ, & obiectum cognitionis Diuinę. & afferrtur exemplum, ſi quis affirmaret Petrum eſſe mentitum, ille nullo modo mentiretur, nec directè, nec indirectè, nam ità eſt à parte rei ſicut ille affirmauit; ſic Deus cognoſcendo fictionem noſtram &c.

*Concluſio Secunda.*

*Dicimus ſecundò, probabilius eſſe quòd Diuinus intellectus non poſſit efficere ens rationis.* Concluſio eſt aliqualitèr ad mentem Doctoris, & magis cõis, & ex eo Pr. quòd imperfectio, quæ in entis rationis efformatione reperitur, non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte potẽtiæ, quæ ex ſuo imperfecto concipiendi modo ſæpè concipit quæ non ſunt diſtincta, vt diſtincta; quę ſunt negatiua, & priuatiua, vt poſitiua; quę nõ ſunt relata, vt relata; &c. in quibus res extraneo modo concipiuntur, & non quales ſunt; quod perfectioni intellectus Diuini repugnare videtur, qui res cognoſcit, vt in ſeipſis ſunt. Poteſt igitur De⁹ in intellectu creato attingere hunc imperfectum cognoſcendi modum, ſed non eo vti, poteſt entia rationis cognoſcere, fictiones cognoſcendo ab intellectu noſtro poſſibiles, vel futuras, non tamèn illa in ſeipſo attingere, independentèr ab intellectu noſtro, & hoc eſt magis cõforme, communi vſui loquendi de ente rationis, reſpectu intellectus Diuini.

*Obiectiones.*

Ob. 1. contra primam cõcluſionem, quòd, ſ. Deus non poſſit cognoſcere ens rõnis à nobis factum: vel Deus attingeret idem numero ens rationis ab intellectu noſtro machinatum, & hoc non, quia tale ens ità pendet ab actu illo intellectus creati, vt repugnet ab alia cognitione dependere, ne idem effect⁹ à duabus cauſis totalibus depẽdere videatur; vel attingit aliud ens rationis, quod ipſe Deus efficeret ad ſimilitudinẽ illius, & tunc non attingeret ens rationis à nobis factum, ſed aliud ad eius ſimilitudinem. ℞. Deum cognoſcere idem numero ens rationis à nobis machinatum, quod licèt in fieri ità ab intellectu noſtro pendeat, quod nõ poſſit ab alio in fieri dependere, poteſt tamen ab alio actu dependere in cognoſci, modo ſpeculatiuo, & veluti in eſſe ſignato; & hoc modo benè pendere poteſt ab intellectu Diuino.

Ob. 2. ſi intellectus Diuinus cognoſcendo fictiones noſtras, attingeret etiam figmenta, quę ſunt earum obiecta, illa cognoſceret ad modum entis realis, quia ſic in tali fictione reprę ſentantur, ergo tũc efficeret ens rationis. Pr. ſeq. quia ens rationis cõſiſtit in cognoſci ad modum entis realis, cùm nõ ſit ens reale. ℞. quòd Deus cognoſcit illa figmenta noſtra ſicuti ſunt entia rationis, & illa cognoſcit ficta ad modum entis, quia ſic videt eſſe o-

biecta actuum noſtrorum; vel neg. conſeq. & ad probationem, dicimus ens rationis conſiſtere in cognoſci ad modum entis practicè, non ſpeculatiuè, & ſignatè, quomodò ſupponitur iam factum, & ſic Deus cognoſcit.

Ob.3. ſi intellectus Diuinus ens rationis à nobis factum cognoſceret, illud efficeret, ſed hoc falſum cenſetur. ergo &c. Pr. ſeq. quia iam tunc nouum eſſe obiectiuum à Diuino Intellectu reciperet, tamquàm ab integra cauſa, cùm iam intellectus creatus nullam aliam cauſalitatem cum tali ente haberet. ℞. neg. ſeq. & ad probat. dicimus, tunc intellectum Diuinum dare enti rationis eſſe obiectiuum extrinſecũ, & denominatum, quale eſt illud, quod etiam entia realia recipiunt, cùm cognoſcuntur, non illud eſſe formale, quo ens rationis conſtituitur.

Arguitur contra ſecundam, quę aſſerebat, Deum ens rationis efficere non poſſe. Contra arguit Fuẽtes: de ratione comprehendentis eſt, vt obiectum omni modo quo cognoſcibile eſt penetret, ſed priuationes, Angeli alati &c. non ſolùm ſecundum ſe, ſed etiam ad modum alterius ſunt cognoſcibiles, ergo à Diuino intellectu attingi debent, & conſequentèr entia rationis Deus efficere poteſt. ℞. maiorem eſſe veram, dummodò in comprehendente imperfectionem non arguat, quomodò eſſet in formatione entis rationis, alitèr probaret etiam Deum cognoſcere res cum diſcurſu, cùm etiam iſte mod' cognoſcibilis ſit, cognoſcit modum Deus, ſed non operatur eodẽ modo, cognoſcit peccatum, ſed non poteſt peccatum efficere.

Ob. ex Amico: Vis efficiendi ens rationis pertinet ad perfectionem intellectus creati, ergo non eſt Diuino intellectui denegãda. Pr. ant. ex latitudine obiecti, quæ in perfectionem potẽtiæ refunditur, quo enim potentia ad plura ſe extẽdit, eo eſt perfectior; vndè meritò negatur potentiæ ſenſitiuæ vis efficiendi ens rationis, quia obiectum habet coarctatum, & limitatum, ſ. rem tantùm ſenſibilem. ℞. negan. ant. cum ſua probatione, ex tali n. latitudine obiecti, non colligitur in potentia perfectio ſimplicitèr; ſed perfectio quædam ſupplẽs imperfectionem, ſeù potiùs imperfectio, & improprietas in concipiẽdo; cùm n. obiectum eius primũ, & adæquatum ſit ens reale, in virtute eius, & ad modum eius concipit ens rationis, quod ſenſui non conceditur, propter eius materialitatem, qua mediante actu collatiuo caret. Hinc etiam intellectui tribuitur vis reflexiua, ob eius ſpiritualitatem, quæ ſẽſui ob eius imperfectionem negatur, & tamen talis vis non reperitur formalitèr in Deo, in quo & nõ reperitur notitia abſtractiua ſicut in nobis, & tñ in nobis dicit perfectionem, nõ autem in Deo.

Ob. vltimò: Deus cognoſcit priuatio-

uationes, negationes, &c.ergo efficit ens rationis, Pr. ſeq. quia cùm hæc ſint non entia; ad modum entium cognoſci debent, nihil .n. intelligitur ſub ratione non entis, & ſi eſt imperfectio, ſe tenet ex parte obiecti, ſic cognoſcibilis, non ex parte potentiæ. ℞. neg. conſ.cum ſua probatione, nam proprius, & perfectus modus cognoſcendi priuationes, & negationes, non eſt illas per modũ entis directè cognoſcere, ſed potius indirectè iudicio quodam diuiſiuo, quomodò attingitur cæcitas concipiendo in tali organo non eſſe potentiam viſiuã, & ſic cognoſcuntur à Deo, ſicuti ſunt, à parte rei non entia, & ideò non efficit ens rationis.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

*De proprietatibus, & affectionibus entis rationis.*

SCot. q. altiſſimis poſitionib. aureis quidẽ dignis characterib. excudẽdis ſibi laudes inexplicabiles cõparauit, in 4 sẽt. d. 1. q. 2. lit. d. & q. 6. vniuerſalium docet, ens rationis habere ſuo modo proprias affectiones, & proprietates, vbi licèt ſpecialitèr loquatur de ſecundis intentionibus, & vniuerſali logico, doctrina tamẽ eſt communis de omnibus; non enim loquimur hic de fundamentis, ſed de entibus rationis formalitèr, quomodo in eſſentia, & quidditate conueniunt. Pro cuius intelligentia eſt aduertendum, nos hic non loqui de proprietatibus, & affectionibus ab ipſis entibus rationis emanantibus, & pullulantibus; cùm .n. vera entia non ſint, veras proprietates habere non poſſunt; ſed ſicut entia dicũtur per analogiam ad ens reale, ſic & proprietates habere dicũtur, per ſimilitudinem ad proprietates entium realium, ad quarum modum ab intellectu apprehendi poſſunt. quo habito.

### *Concluſio.*

*Dicimus, ens rationis in communi, habere, in ſuo ordine, omnes illas proprietates, quæ enti reali in communi cõueniunt, ad cuius inſtar concipitur, ſicut & in particulari, habere proprietates illorum entium, ad quorum ſimilitudinem formatur.* Duas habet partes, & quo ad primam ſic facilè Pr. entia rationis, non ſolùm habent prædicatum in quid, & prędicatum in quale eſſentiale, ſed etiam in quale accidentale conuertibile, quod eſt proprium, ergo &c. Tùm quia entia rationis habent ſuam eſſentiã, & quidditatem, ergo, & proprietates ſuo modo conuenientes. Pr. ſeq. quia propriæ paſſiones comitãtur eſſentiam. Tùm quia ens reale habet ſuas proprietates ſimplices, vt vnum, verum, bonum; & diſiunctas, vt contingens, & neceſſarium; idem, & diuerſum, finitum, & infinitum &c. ſed omnia hæc ſuo modo enti rationis conuenire poſſunt, ergo. mi. patet, nãm quodlibet ens rationis eſt ſuo modo in ſe vnum, quia in ſe indiuiſum, & diſtinctum à quolibet alio; eſt ſuo modo verum in eſſendo, quatenus

apũ

aptum eſt terminare conformitatem cognitionis ad ipſum, quod accidit quandò iam per priorem cognitionem factum, per poſteriorem reflectimus ſupra illud, & verè ſicut eſt cognoſcimus; habet etiam ſuo modo bonitatem entitatiuam, cui etiam adaptari poſſunt aliquo modo affectiones disiũctiuę, vt multi faciunt. Secunda pars Pr. .ſ. de entibus rationis in ſpecie, ſi enim concipiantur ad modum ſubſtantiæ, ad modum eius proprietates ei applicantur, ſi ad modum accidentis, ſic proprietates, &c. Et eodem modo dicendum eſt, ſi cõcipiãtur ad modum abſolutorum, vel relatiuorum; proprietates .n. entis rõnis correſpondere debent ſuo modo entibus illis, ad quorum ſimilitudinem concipiuntur.

*Obiectiones.*

Ob. cõtrà primam partem: proprietas in ſententia Scotiſtarum identificatur realitèr ſubiecto, à quo ex natura rei diſtinguitur, ab illo immediatè emanat, & minus ens quàm illud reputatur, ſed nulli enti rationis ſic adaptari poſsũt, vt euidentèr patet ergo &c. ℞. aſſignatas cõditiones in ma. eſſe proprietatum realium, non entium rationis, quibus tñ poſsũt ſuo modo tales proprietates adaptari; poſſunt .n. concipi vt ab eſſentia entis rationis fluant, & quòd ab illo ex natura rei diſtinguantur, & eſſe minus entia, quàm ipſum ens rationis &c. neque ex hoc ſequitur, eſſe nihil ait Scot. quæſt. 6. vniuer. ſicut .n. in entibus realibus dãtur gradus, nam accidẽs eſt minus ens ſubſtantia, non tamẽn nihil, ita etiam ſuo modo admitti debet de entibus rationis, cùm ad modum proprietatũ realium concipiantur.

Ob. 2. nihil eſt in intellectu, ꝙ prius non fuerit in ſenſu, ſed ens rationis non cadit ſub ſenſu, vt patet, ergo neque in intellectu, & ita non habet intelligibilitatem, quæ eſt prima paſſio entis. ℞. ex Scoto q. 3. vniuerſ. ad tertium, ma. eſſe veram de illo, ꝙ eſt primum intelligibile pro ſtatu iſto, quod eſt q̃dditas materialis, & ſenſibilis, non de omni intelligibili, multa .n. intelligimus per reflexionem intellectus, vt Deũ, Angelum &c. quę ſub ſenſu non cadunt; vel Authoritas Philoſophi non debet intelligi per ſe, & immediatè, vt benè docent Antoninus Andr. 1. met. q. 5. art. 2. & Maurit. ſed ſufficit, quòd aliquo modo in ſenſu præceſſerit, vel per ſe, & immediatè vt colores &c. vel per accidens, vt ſubſtantia quę medijs accidentibus cognoſcitur, vel ſecũdùm ſuas partes, vt hircoceruus, vel per effectus, vt Deus, & Angeli, vel per ſimilia, vt cùm abſentes cognoſcimus, per ipſorũ imagines; vel per oppoſita, vt aſpera per lenia, tenebras per lucem &c. in quo ſenſu, falſum eſt, quòd ens rationis non fuerit ſub ſenſu; occaſionem .n. illud ſic fingendi, à ſenſibilibus arripimus, ſaltèm per partes, vt dictum eſt.

Ob. 3. intelligibilitas eſt paſſio

entis

Digitized by Google

entis realis ex Scoto in 1. d. 3. q. 3. ergo non poteſt enti rationis conuenire, & ità falſum eſt entibus rationis conuenire proprietates quæ enti reali conueniunt. ℞. neg. ſeq. ſicut .n. ens rationis habet entitatem ad modum entis realis, ità & intelligibilitatem; Vndè Scotiſtæ conſtituunt ens reale obiectum adæquatum intellectus per duplicē primitatem ex Scoto in primo, d. 3. q. 3. ℱ. *Quantùm ad ſecundum Articulum.* .ſ. per primitatem cōitatis, quæ ſub ſe continet omnia de quibus quiditatiuè prædicatur; & virtualitatis, per quam ſub ſe continet omnia, quæ aliquo modo in eo virtualitèr continentur, & ab eo ducunt originem, & in hoc ſenſu entia rationis fundamentalitèr, & inchoatè in entibus realibus contineri dicuntur; vndè cōitèr dici ſolet, quòd intentiones ſecundæ originantur à primis, & hac ratione entia rationis dicuntur per ſe intelligibilia, virtute .ſ. entis realis, in quo fundantur. Quæ doctrina licèt peculiaritèr pro ſecundis intētionibus logicalibus deſeruiat, poteſt tamèn pro alijs deſeruire; omne enim ens rationis aliquale fundamētum habet à parte rei; vel Reſp. poteſt cum Mauritio q. 5. vniuerſalium, quòd licèt intelligibilitas motiua ſit propria paſſio entis realis, terminatiua tamèn eſt cōis vtrique, obiectum .n. adæquatum terminatiuum intellectus noſtri eſt ens communiſſimè ſumptum ad reale, & rationis: vel cum Vigerio, & fortè meliùs, quòd ſicut ens rationis eſt aliud ab ente reali, ità poni debēt duæ intelligibilitates terminatiuæ illis correſpondentes, & vna dicetur ſimplicitèr terminatiua, altera verò ſecundum quid, iuxta illorum entium exigentiam.

Ob. 4. obiectum ſimul cum potentia concurrit ad ſui notitiam producendam, ſed ens rationis nō eſt huiuſmodi, cùm per ſui notitiā acquirat eſſe, ergo nō habet veritatem, & intelligibilitatem. ℞. ex dictis maiorem eſſe veram de obiecto motiuo, quomodò eſt ens reale, non de terminatiuo, quomodò eſt ens rationis.

Sed contra, obiectum ſpecificat ſcientiam, & cognitionem, ſed hęc eſt realis, ergo ſpecificatiuum reale habere debet. ℞. ex Scoto, quòd obiectum ſpecificat cognitionem non intrinſecè, ſed extrinſecè tantùm, quod poteſt etiam ſuo modo enti rationis conuenire; & ideò dicitur ſciētia rationalis ab obiecto, quod eſt ens rationis, & illa cognitio dicitur realis Virtute intellec⁹.

Ob. tandèm, ſi ens rationis eſſet intelligibile, vel cognoſceretur per propriam ſpeciem, vel per ſpeciem entis realis, ſed neutro modo, ergo &c. non primo modo, q̄a cùm ens rationis non ſit obiectum motiuum, propriam ſpeciem cauſare non poteſt; Neque ſecundo, nam ſpecies diſparata non poteſt cauſare notitiam obiecti diſparati vt V. G. per ſpeciem hominis non poſ-

poſſumus in cognitionem equi deuenire. Complu. vtrumque admittunt, quòd ſcilicet cognoſcatur per propriam ſpeciem impreſſam, & per ſpeciem entis realis, ad cui' inſtar concipitur. Scot. verò q. 3. vniuerſ. ad tertium, negat ens rationis per propriam ſpeciem cognoſci, ſed potiùs per reflexionem intellectus; quod ſic debet intelligi ex dictis, ſ. in cognitione reflexa cognoſcitur ens rationis ſicuti eſt, in priori verò cognitione quaſi directa, qua formatur, cognoſcitur alitèr quàm ſit, quia attingitur ad modum entis realis.

Et quòd ens rationis non habeat propriam ſpeciem impreſſam, patet ex eo quia hæc ſpecies non poteſt à phantaſmatibus eſſe producta, cùm enim ens rationis non ſit ſenſibile, proprium phantaſma nõ habet; neque educi poteſt ex ipſo ente rationis, quia cùm talis ſpecies ſit accidẽs reale, nõ niſi ab obiecto reali educi poteſt; Sicut igitur materia prima nõ cognoſcitur per propriam ſpeciem ex 1. phyſ. ſed per Analogiam ad formam; & vniuerſalia, & traſcendentia per ſpecies inferiorum, in quibus continentur; & relationes per ſpecies abſolutorum, in quibus fundãtur, vt Bargius docuit, ſic & entia rõnis per ſpecies entium realium attinguntur, in quibus aliquo modo fũdantur, vt hircoceruus v. g. cognoſcitur per ſpeciem hirci, & cerui, & ſic ſimiliter de omnibus. Vndè in forma argumenti negat. mi. & ad. Probat. quòd ſpecies vnius obiecti diſparati, non poteſt notitiam alterius cauſare, negatur abſolutè, nàm ſpecies repræſentatiua ſubſtantiæ eſt accidens; non ſubſtãtia, & ſpecies albedinis eſt virtualiter repræſentatiua ſimilitudinis, in ea fundatæ, quamuis ſit alterius generis.

Sed dices: magis aſſimilantur homo, & equus, quàm ens reale, & ens rationis, ſed ſpecies hominis non repræſentat equum, ſpecies enim eſt ſimilitudo obiecti, ergo tantò minùs dicendum erit de ente reali reſpectu entis rationis. Rꝫ. ma. eſſe veram in eſſendo, falſam in repreſentando, quomodò magis conueniunt ſpecies entis realis cũ ente rationis, quàm homo cum equo, patet exemplo, nam duę ſubſtantię magis conueniunt in eſſendo, quàm ſubſtantia, & accidens, & tamen in repræſentando magis conuenit accidens cum ſubſtantia, vt patet in exemplo allato de ſpecie. Quia igitur ſecundæ intentiones virtualitèr continentur in primis, poſſumus dicere, quòd eſtò ſpecies entis realis ſit formale repræſentatiuum entis realis, eſt ẽt repræſentatiuum ſaltèm virtualitèr entis rationis & ſecundariò in eius notitiam ducens. Et quòd ſic poſſint ſpecies vnius generis eſſe repræſentatiuum alterius generis, patet de ſpecie albedinis reſpectu ſimilitudinis & c. & tantò magis hæc doctrina in propoſito adaptari poteſt, quia quandò ens rationis



Digitized by Google

in cognitione directa attingitur p ſpeciem entis realis,non cognoſcitur adæquatè,& ſicuti eſt,quia cognoſcitur per ſpeciem alienam, quandò autem in cognitione reflexa attingitur, tunc cognoſcitur ſicuti eſt, ad cuius notitiam non cōcurrit ſpecies entis realis, ſed ſola virtus reflexiua intellectus, ex Sco. loc. cit. quæ doctrina ſuo modo etiam enti chimerico adaptatur.

## ARTICVLVS OCTAVVS.

*De diuiſione entis rationis.*

SCot. qui methaphyſicos nodos mirum in modum ſuo ingenio ſoluit q. *6. vniuerſalium in fine*, docuit, quòd ſicut in ente reali dãtur diuerſi gradus eſſendi, ſic in ente rationis, Et pluribus in locis Subt. Doct. admittere videtur ens rationis abſolutum, vt Scotiſtæ colligũt ex primo ſent.d.36. q.vn. *ſ. contra iſtud obÿcitur*, littera G. quem ſequitur Vulpes tom. 1. p. p. diſpu. 28. artic. vltimo, cum multis ex Recentioribus Scotiſtis, Faber quar. Meth. diſp. 4. cap. 5. & in 1. diſp. 51. num. 26. Rada p.p. contr. 29. Tatar. 4. d. 1. q. 2. Camerarius q. 14. Meth. Nolanus, Bell. & Maſt. hic, Poncius, & Reuerendiſſimus noſter P. Marcantonius de Carpenedolo in ſua Logica, vbi diuidit ens rationis in fundatum, & chimericum, cum alijs; quantùm igitur ad hunc articulum, cōis opinio Recent. eſt, quòd ens rationis in tres ſpecies diuidatur .ſ. in Relationem, Priuationem, & Negationem, iuxta diuiſionem traditam à Diuo Thom. q. 21. de veritate art. primo, & in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. quem ſequuntur Suar. diſp. 54. met ſec. 3. Auerſa ſec. 7. Serna diſpu. 1. ſec. 41. q. 2. art. 3. Amicus trac. 3. q. 5. Didacus à Ieſu diſp. 3. log. q. 5. Ruu. Blanc, Compluſ. Ioan. de Sancto Thom. & alij.

Et quantùm ad priuationem, & negationem falſum eſt, intra limites entis rationis numerari; vt ſæpiùs ſupra dictum eſt, negationes enim, & priuationes verè à parte rei ſunt; non in eo ſenſu, quo aliq Scotiſtæ loquuntur, quòd .ſ. ſint entia realia negatiua, vel priuatiua, vt aſſerunt Fuentes primo phy. Faber 4. met. diſp. 2. & alij, ſed dicuntur reales, quia tales priuationes, & negationes à parte rei ſunt, ſeù verè amotiones reales entium sũt, vt quãdò v. g. Aer eſt priuatus lumine, nullo intellectu cogitante, verè tenebroſus eſt. R. Suar. cum alijs, quòd hic non accipiuntur negationes, &c. vt sũt amotiones entium realium, ſic .n. à parte rei reperiuntur, ſed quatenùs ipſæ priuationes, & negationes ad modum formæ poſitiuæ concipiũtur. Sed hæc reſpōſio ſe ipſam deſtruit, tunc .n. ens rationis non eſt negatio, ſed poti⁹ forma poſitiua ficta; & negatio, ſeu priuatio ſe habent tantùm materialitèr, & veluti ſubſtratum, cui tale eſſe rationis tribuitur. Tùm quia ens rationis eſt id, quod concipitur ad modum entis realis, ſed hæc eſt forma poſiti-

na, ergo &c. quantùm ad aliud mẽbrum de relatione, diuiſio eſt etiã diminuta, nàm datur adhùc ens rationis abſolutum, vt patet de chimera, hircoceruo &c. quæ nequè relationes, nequè priuationes, & negationes ſignificant, hircoceru' .n. dicit quid poſitiuum .ſ. animal quoddam per ſe vnum ex hirco, & ceruo compoſitum, ergo falſa, & diminuta eſt talis entis rõnis diuiſio. At Rx. Suar. ſec. 4. quem alij ſequuntur, quòd omnia figmenta ſub negatione comprehenduntur, quia ſunt ſimpliciter non entia; ſed friuola Reſponſio, vt benè aduertit Auerſa, ſic etiam poſſet dici ꝙ relationes rationis ſub negatione comprehenduntur, quia ſimpliciter ſunt non entia, & ità illud mẽbrum relationis eſſet ſuperfluum.

Pro maiori dilucidatione ſupponimus hìc, ens rationis in tota ſua latitudine diuidi in ens rationis fundatum in re, & non fundatum, ſed à nobis imaginatum & fictum; & dr. ẽt metaphyſicum, qua ratione ſibi vendicauit nomen figmenti, & chimerici, & quidem quòd hoc genus entis rationis ſit admittendum, eſt in confeſſo quaſi apud omnes Recent. tàm Thomiſ. quam Sotiſt. & Neuth. & facilè probari poteſt ex allata definitione, omnes .n. fatentur, illud eſſe ens rationis, quod habet eſſe tantùm obiectiuè in intellectu, at ens fictũ eſt huiuſmodi, ergo &c. imò addit Auerſa, hoc ens chimericum magis participare de natura entis rationis, quàm fundatum, qã minùs reb' innititur, & magis ab ente reali diſtat. Maior contentio eſt de fundamento entis rationis fundati.

Quidam enim pro tali fundamẽto intelligunt imperfectionem noſtri intellectus, ob eius debilem intelligendi modum: ſed hoc falſum manifeſtè videtur, ſic enim etiam entia rationis fictitia, fundata diſcerentur, & tantò magis, quantò præcipuè ab actibus chimericis pendent. Aliqui per fundamẽtum accipiunt illud ens reale, ad cuius ſimilitudinem ens rationis concipitur, ſed hoc confutatur eadem ratione; tunc .n. entia chimerica dicerentur fundamentum habere, cùm ſemper ad inſtar entis realis concipiantur: Alij pro fundamẽto ſumũt illud ens reale, quod ab ente rationis prædicatur, vt forma intentionalis de ſubiecto, vt v. g. animal eſt genus, homo eſt ſpecies &c. Et eſt expoſitio Fonſecæ 5. met. c. 7. q. 1. ſec. 5. ſed nequè hec veritatem attingit, nàm ens rationis poteſt alicui ſubiecto attribui ſine fundamento, vt ſi intellectus tribueret homini intentionem generis, non ſpeciei: Tùm quia accidere poteſt, quòd intellectus ens rationis efformet cum fundamento abſque ſubiecto, vt ſi ſpatium imaginarium cogitaret per modũ cuiuſdam extenſionis, tunc .n. occaſionem à parte rei haberet, ſic illo, & non alio modo cogitandi, & tamèn nullum concipitur ſubiectum

ſtum reale, de quo tale ens prædicetur. &c. ergo fundamentum entis rationis aliquid aliud præter ſubiectum importat, cui ipſum ens rationis tribuitur.

Meliùs ergo dicendum eſt cum Scoto q. 4. Vniuerſalium in fine, quem ſequuntur Scotiſtę. Faber 4. met. diſp. 4. c. 3. Roc. de ſecundis intentionibus, Sarnan. Maurit. & alij, quòd per fundamentum entis rationis, intelligitur quædam occaſio ſpecialis, ac veluti motiuum vrgens intellectum noſtrum ad ſic, & tali modo fingēdū, & nō alio; vndè tunc nō temerè, & gratis fingere dicitur, ſed occaſione deſumpta ex ipſis rerum proprietatibus, vt cùm v. g. vult intellectus intentionem generis, vel ſpeciei concipere, non poteſt ad libitum ſuper quaſcumque res fundare, ſed iuxta rerum proprietates; ſi. n. cognoſcit aliquam naturam aliquibus communicabilem, fundat ſuper eam rationem vniuerſalis; ſi pluribus communicabilem, fundat rationē magis vniuerſalis; ſi nullis, fundat ſuper eam rationem particularis, & indiuidui.

Ens verò rationis non fundatū, ſeu chimericum, ait Scot. loc. cit. dicitur quia nihil tale extra correſpondet; quam doctrinam communitèr Recentiores ſequuntur, & præcipuè Auerſ. q. 5. ſect. 3. qui putat rationabilitèr dictum ex cōſueto modo loquendi, nam illud, ꝙ eſt nobis motiuum, & occaſio aliquid opinandi, dicitur fundamentum noſtræ opinionis, & iudicij, ſicut è contrà cùm quis ſine ratione ſuſpicatur, & ſine talibus inditijs, ſignis, & occaſionibus iudicat, dicitur ſine fundamento, & temerè opinari, ſic in propoſito, &c.

*Concluſio.*

*Dicimus, improbabilem, & mancam eſſe illam entis rationis diuiſionem, in relationem, priuationem, & negationē; ſed potiùs diuidendum eſſe proportionē ad ens reale, ſicut ad inſtar eius concipitur.* eſt Scoti locis cit. Et quantùm ad negationem, & relationem, & priuationem patet ex dictis.

Quo ad aliam partem, ſuadetur ex illo generali principio, quòd, quicquid ſimplicitèr in entib' realibus eſt, ſecundùm quid in entib' rationis reperitur, ergo qualis erit diuiſio ſimplicitèr entis realis, talis erit ſecundùm quid entis rationis. Tùm quia natura entis rationis, & quid ſit, & quotuplex ſit ꝑ Analogiam ad ens reale inueſtigari debet, ergo ſicut in tantùm eſſe habet, in quantùm ad modum entis realis concipitur, ità in tantùm diuiditur, in quantùm ad modum entis realis diuidi apprehenditur. Et quia ens reale diuiditur in ſubſtantiā, & accidens; & hoc in abſolutum, & reſpectiuum, & abſolutum in quantitatem, & qualitatē; & reſpectiuū in intrinſecus, & extrinſecus adueniens, ſic etiam ens rationis, &c.

Probatur etiam in particulari, proportione in ſingulis prædicamentis, vt multi etiam ex Recentio-

tiorib. cum Suar. Vaſq. Auerſa, Molina, & alijs fatentur, quibus præiuit Mayron. quol. 6. nam in ſubſtantia concipiuntur chimeræ, & monſtra ſimilia, quæ in ſe ſubſiſtentia finguntur. in Quantitate, ſpatium imaginarium extra cælũ, vel quantitatem molis in chimera imaginata &c. in Qualitate concipitur fama, & honor, vt diſpoſitio conueniens perſonæ honoratæ &c. in Relatione concipimus extrinſecas denominationes per modum correlationis intrinſecę inter cognitum, & cognitionem. in Actione, & Paſſione cogitamus, ignẽ animas torquere, & in eas actione corporea agere, & dolorem cauſare. in Vbi cogitamus, Deum replere hunc mundum ad modum corporis &c. in Situ imaginamur Deum tamquam in ſede deurata, & ad modum excelſa in cælo ſedere. in Quando, infinito temporis ſpatio durare. in Habitu eſſe amictum lumine, & ſplendore tamquã veſtimento &c. quam concluſionẽ ſequuntur Recẽtiores Scotiſtæ Faber 4. met. diſp. 4. c. 5. Sarnan. de ſecundis intentionibus. Smiſinch. tract. 3. diſp. 2. Rada p. 1. cõtrou. 29. Nolanus. Vulpes loc. c.t. Bell. & Maſtr. Poncius, & alij.

*Obiectiones.*

Ob. 1. probando, quòd negatio, & priuatio ſint entia rationis, auctoritate Ariſt. 4. met. 2. & lib. 5. tex. 14. vbi negationes, & priuationes entia vocat, ſed non poſſunt propriè dici entia realia, ergo rationis. ℞. Ariſt. eas vocaſſe entia rationis fundamentalitèr tantùm, quatenùs intellectus occaſionem arripere poteſt, illas negationes, & priuationes efformãdi in entia rationis, formalitèr eſſe poſitiuum illis tribuendo, vt benè Hurt. diſp. 19. met. aduertit.

Sed contrà, non ſolùm dantur negationes reales, quæ veræ ſunt à parte rei, ſed etiam negationes rationis, quales ſunt omnes illæ quæ à parte rei falſæ ſunt, non .n. tantùm concipimus id, quod non eſt, ac ſi eſſet, ſed etiam id, quod eſt, ac ſi non eſſet; & non ſolùm affirmamus, quod impoſſibile eſt, ſed etiã negamus, quod neceſſarium eſt; ergo non omnia entia rationis ſunt poſitiua, ſed etiam negatiua admitti debent. ℞. negando conſeq. ipſamet .n. negatio rationis à nobis concepta, per modum formæ poſitiuæ apprehenditur; Vndè ſiuè affirmem', quod impoſſibe eſt, ſiuè negemus, quod neceſſarium eſt, hoc ſemper fit fingendo, quod non eſt, ac ſi eſſet; & cùm iudicamus hominem non eſſe animal, tũc fingimus veritatem in hac propoſitione, quæ veritas cùm nulla ſit, ficta eſt, & quid poſitiuum dicit.

Ob. 2. pro Thomiſtis, quòd ſolùm in prædicamẽto relationis ens rationis poni debet: intellect' poteſt vnum alteri conferre, ſed non poteſt facere inhærere, quod re vera non inhæret, & facere ſubſiſtere, quod à parte rei non ſubſiſtit, ergo inter omnia prædicamenta ſola

rela-

relatio poteſt in ſua coordinatione entia rationis admittere. ℞. concedendo aſſumptum de inhærētia reali, negando de inhærentia ficta, & rationis quomodò falſa eſt conſequentia; ſicut.n. intellectus vim habet concipiendi reſpectum inter aliqua, quę non referuntur, ſic vim habet concipiendi accidentia alicui ſubiecto inhærere, cui in eſſe nequeunt, & aliquid in rerum natura ſubſiſtere, quod implicat &c.

Sed contrà ob. licèt aliquid ad inſtar ſubſtantiæ, vt chimera &c. fingi poſſit, vel ad inſtar quantitatis, vt vacuum &c. non tamèn ex hoc ſequitur, quòd dari poſſit ſubſtantia rationis, quantitas rationis &c. ergo falſa concluſio, probatur conſequentia, quia non eſt ſubſtantia, vel quantitas id quod per rationem formatur ad inſtar entis realis, ſed negationes ſubſtātiæ, vel quantitatis ſunt quæ ad modum ſubſtantiæ, vel quantitatis concipiuntur.

Et confirmatur ex cōi vſu loquendi, quia non admittitur ſubſtantia rationis, & quantitas rationis, ſed relatio rationis, quod etiā innuit Scot. 3. met. q. 11. in principio. ℞. neg. conſeq. cum ſua probatione, & ſi argumentum concluderet, tolleret etiam relationē rationis, vt omnibus patet, ſi de ipſa argumentū formetur; Vndè, ſicut in formatione relationis rationis, nequè relatio realis ad cui' ſimilitudinem efficitur, eſt relatio rationis, nec negatio relationis, ſed forma relatiua ficta; ità in formatione ſubſtantiæ, & quantitatis rationis, nec ſubſtantia, vel quantitas ad cui' inſtar efficitur eſt ens rationis, nec eorum negatio ē ſubſtantia rationis, vel quantitas rationis, ſed præcisè forma abſolutè ficta, ad eorum ſimilitudinem; & hæc eſt quæ eſſe obiectiuū tantùm habet in intellectu nullo modo exiſtens.

Ad confirmationem, dicitur relatio rationis potiùs, quàm quantitas rationis, & ſubſtantia rōnis, quia in ſcientijs magis relatio rationis deſeruit, & ad explicandos noſtros cōceptus eſt magis aptior, & Doctor loc. cit. non negat quantitatem rōnis, ſed quòd talis quantitas non reſultat ex vi actus collatiui in intellectu, vt ibi patet.

Ob. tandèm, quòd omnia entia rationis ſint fundata: ſemper.n. intellectus ad efformanda entia rationis occaſionem ſumit à reb', ergo omnia entia rationis fundata dici debent, probatur aſſumptum, quia etiam qñ chimeram concipimus, nō ex incompoſſibilibus partibus illā cōſtare concipimus, ſed ex partibus ſeiunctim in rerū natura repertis. ℞. nō omnē occaſionē ſufficere ad ens rationis fundatū, ſed occaſionem proximam, & valdè vrgētem, nā ſi leuis ſit, & remota non cenſetur propriè fundamētum; & hoc patet etiā in moralibus, qui enim aliquid de proximo ſuo iudicat, ſi non habeat motiuū proximum, & vrgens, ſed parui

mo-

momenti, temerariè dicitur iudicare, & ſine fundamento; ſic in propoſito, occaſio, quà mouetur intellectus ad chimeras efformandas, leuis. & remota cenſetur, ſicut remotè tantùm fundantur in rebus, ratione .ſ. tantùm partium, non ratione totius, atq; adeò falſa eſt conſequentia.

## ARTICVLVS NONVS.

*De ſecundis intentionibus.*

SCot. cuius pręceptis velut Theſaurorum auri fodinis verę ſophiæ mercatores ditantur, plurib' in locis de ſecundis intentionibus agit, & præcipuè 5. met. q. 11. & q. 2. vbi ait: *ſecunda intentio in eſt rei quantum conſideratur, & per conſiderationem alteri comparatur, quæ conſideratio eſt vnius ad aliud, &c.* quod etiã docuit in primo, diſt. 23. q. vn. & diſt. 3. q. 7. E. & in 4. d. 1. q. 2. & alibi ſæpè, vbi Sirect. Trombetta cũ multis ex formaliſtis, & quẽ cõmuniter alij Scotiſtæ ſequũtur Vt magis Titulus quæſ. pateat ſupponimus, intẽtionem non eſſe hìc accipiendam ſtricto modo, pro tendentia .ſ. voluntatis in ſuum finem, ſed pro tendentia intellectus in rẽ cognitam, cuius conceptus ſicut duplex eſt, formalis, .ſ. & obiectiuus, ſic etiam duplex erit intentio, formalis .ſ. & obiectiua: Intentio formalis eſt actus ipſe intellectus, tendens in obiectum: Intentio obiectiua eſt ipſa res in quam tẽdit intellectus; & vtraque duplex eſt prima, & ſecunda; in præſenti non loquimur de ſecunda intentione formali; hæc .n. eſt ens reale, cùm ſit actus intellectus, quo ſecundariò in rem tendit, ſed inquirimus de ſecunda intentione obiectiua.

Quæ doctrina ſic cõiter à Scotiſtis explicatur. Quando intellect' tendens in obiectum, exprimit illud in ſuo ordine .ſ. cognoſcit in tali obiecto illa attributa, quæ ipſi independentèr à negotiatione intellectus ex natura rei conueniunt, itaut ſi nulla daretur fictio intellectus, ad huc illa attributa tali obiecto cõuenirẽt, talis cognitio dicetur prima intẽtio formalis, & illud obiectũ ſic cognitum, dicetur prima intẽtio obiectiua, v.g. cùm intellect' cognoſcit naturam humanam à Petro, & Paulo participari, natura humana cum hoc attributo cognita, dicitur prima intentio obiectiua, illa verò cognitio ſeù notitia, qua intellectus in naturam tendit ſub illa ratione, dicitur prima intentio formalis; Quandò verò hac occaſione, motus intellect' quia .ſ. videt naturam humanam in Petro, & Paulo, concipit illam vt vniuerſalem, & illam veluti ſpeciem actu de illis prædicat, hæc vniuerſalitas in ipſa natura concepta, eſt ſecunda intentio obiectiua, & cognitio ipſam exprimẽs ſub tali attributo, & formalitate eſt ſecunda intentio formalis, quæ licèt ſit realis, id tamen, quod ex parte obiecti correſpondet, reale non eſt, vniuerſalitas .n. non datur à parte rei, ſed fit per opus intellectus.

ctus. Duplex igitur intẽtio prima, & ſecunda, & ideò dicitur vna prima, & alia ſecunda, quia obiectum conſiderari poteſt in duplici ſtatu, primò ſecundum quod eſt in ſe, & ſibi attributa ex natura rei conuenientia; ſecundò, vt eſt in apprehenſione, & ſecundùm attributa ei conuenientia ex intellectus operatione, qui ſtatus eſt poſterior illo; prima cognitio quæ exprimit obiectum ſub 1. ſtatu dicitur 1. intentio; 2. cognitio, quæ illud exprimit ſub poſteriori, dicitur 2. intentio, ſicut & qui terminant talẽ apprehẽſionem, entia rationis dicuntur, vel realia.

3. Zerbius 5. met. q. 8. ad ſecundũ, Rochus trac. de ſecundis intenti. Mengus, & alij explicant ſecundã intentionem, eodem modo, quo omne ens rationis, putant. n. idem omninò eſſe ens rationis, & ſecundam intentionem. Quorum fundamẽtum, eſt, quia ens rationis quomodocumquè ſit, ſecundariò ab intellectu intelligitur, nunquam. n. poteſt circa illud intellectus operari, niſi prius entia realia intelligat, ergo ſicut entia realia ſũt primæ intentiones, ità entia rationis ſecundæ intentiones erunt. Non placet, quia nimis latè & impropriè ſecundam intentionem accipiunt, vt Suar. loc. cit. ſec. 6. & Cõplut. q. 5. nu. 44. benè aduertunt, nam ad ſecũdam intentionem propriè dictam, vlteriùs requiritur, quod fundetur ſupra rem, vt cognita eſt, & comparata cum alia re in attributo rationis, quod in omni ente rationis non reperitur.

4. Didacus à Ieſu, Fuentes, & Alij volunt, vt ſecunda intentio latiùs pateat, quàm ens rationis, quod probant, ex eo quia ſecunda intẽtio obiectiua includit omnia illa, quæ rebus conueniunt poſt intellectus operationem, vndè etiam includit extrinſecam denominationem ab actu rationis prouenientẽ, vt eſſe cognitum &c. quæ licèt nõ ſit formalitèr ens rationis, quia tamèn non conuenit rei ante operationem intellectus, 2. intentio dici debet; ſed hic cenſetur error peior priore, potiùs. n. res è contra ſe habet, cùm 2. intentio ſemper ſit ens rationis relatiuũ, & fiat per actum collatiuum intellectus, res inuicem comparantis in aliquo attributo rationis, ens verò rationis à reſpectiuo, & abſoluto abſtrahat, vt ex dictis patet, & ſecũda intentio ſpecies entis rationis appellari ſoleat.

5. Alij admittunt, ſecundam intẽtionem ſpeciem eſſe entis rationis, ſed volunt omnem relationem rationis eſſe ſecundam intentionem, & èccontra omne ens ex actu collatiuo reſultans, eſſe relationem rationis, quæ eſt ſecunda intentio, quàm explicationem ſequuntur multi ex Scotiſtis, auctoritate Scoti ſuffulti, qui in 1. d. 23. q. vn. §. *contra iſtud*, inſinuare videtur, omnem ſecundam intentionem eſſe relationem rationis, ſed falluntur, quia Scot. ſtatim ſubiunxit, ſed nõ



Digitized by Google

quamcumque .ſ. non reciprocè, ſignum euidens, quòd relatio rationis magis patet, quam 2. intentio, vt ibi Bargius aduertit, & Braſauola quol. 19. Ratio falſitatis hui⁹ opinionis eſt, quia 2. intentio eſt talis relatio rationis, quę denominat rem, vt cognitam, & illam exprimit in aliquo attributo rõnis, vt genus, & ſpecies &c. vndè eſſe ſic cognitum, præcedit in re, vt ratio proxima fundandi ſecundam intentionem; ſed multæ relationes rationis, licèt reſultent ex cognitione, non tamen ſupponunt eſſe cognitum, velut rationem fundandi ſecundam int. ſed potiùs vt cõditionem ſine qua non; immediatè verò fundantur ſupra eſſe reale rei, rem ipſam exprimentes in ſuo ordine, non in aliquo attributo rationis, quod ei competat quaten⁹ cognita eſt; quod patet de relatione Creatoris in Deo &c. quia licèt talis relatio ſupponat cognitionẽ, ipſum tamen eſſe cognitum in obiecto, non ſe tenet ex parte fundamenti, vt ratio recipiendi talem relationem; Deus .n. non fundat relationem Creatoris, quia cognitus eſt, ſed quia omnipotens eſt, vel quia Creaturas produxit, & ſic Deum exprimit ſecũdum id, quod à parte rei eſt .ſ. ſecundum habitudinem realem quam ad ipſum Deum dicit Creatura; ſecunda verò intentio exprimere debet rem extra ſuum ordinem .ſ. in 2. ſtatu, q. ei competit quatenùs cognita eſt. Tum quia 2. intentio quæ relatio rationis eſt, eſt mutua in vtroque extremo ex Scot. quia derelinquitur in obiectis comparatis ad inuicem in attributo rationis, vt de ſecundis intentio. logical. patet, ſed licèt relatio Dei ad Creaturas ſit rationis, tamèn relatio Creaturæ ad Deum eſt realis, ergo non omnis relatio rationis eſt ſecunda intentio. ita Suar. Complut. & Recentiores ferè omnes.

6. Falſum eſt etiam omne ens, quod ex actu collatiuo reſultat, eſſe relationem rationis, quæ eſt ſecunda intentio; intellectus .n. conferens vnum obiectum ad aliud, ſecundum habitudinem, quæ ipſis competit ex natura rei, non cauſat relationem rationis, quæ eſt ſecũda intentio, vt Scot. docuit in 1. d. 3. q. 7. arguens contra Gotfredũ; ſed tunc talis relatio reſultat, quandò comparat in habitudine, quæ ipſis competit tñ ex negociatione ipſius intellectus, at multæ dantur relationes rationis, quæ res in ſuo ordine explicant, .ſ. in habitudine quam vna ex natura rei dicit ad aliam, vt de relatione creatoris in Deo patet, quæ licèt ſit rationis, tamen ad explicandam realem habitudinem Creaturæ ad Deum adhibetur, ergo ex actu collatiuo intellectus non ſemper reſultat relatio rationis, quæ 2. intentio eſt; ex qua doctrina infertur vnum in hac materia valdè adnotandum ex Amico trac. 3. q. 1. art. 3. & Boll. accipiunt, & Maſtr. Diſp. 19. q. 8. art. 1. quòd .ſ. non ſemper prima



Digitized by Google

intentio eſt ens reale, ſed aliquandò eſt ens rationis, quod tunc euenit, quandò per ens rationis exprimitur rès in ſuo ordine; hoc .n. ſpectat ad obiectum primarium, & primæ intentionis limites non egreditur.

7. Communis ſententia Recentiorum eſt, quod 2. intentio ſit vtiq; relatio rationis, nō tamen omnis, ſed ſolùm illa, quæ ſupponit aliquam priorem cognitionem, in qua fundetur, quæ tamen non ſolùm in fieri ab intellectu depēdeat, vt eſt relatio rationis in Deo, ſed etiā in fundari, debet enim ſpecialitèr in priori cognitione fundari, vel in obiecto prout denominato à priori cognitione; cùm igitur concipitur eſſe cognitum, eſſe etiam prædicatum, eſſe ſubiectum &c. per modum relationis, fundatæ in ſubiecto priùs cognito, dñr fieri ſecundæ intentiones, ſic Suar. Complut. Auerſa, & alij huius ſētentiæ. Præcipuum fundamentum eſt; quia ſecūdæ intentiones obiectiuæ illæ dñr, quæ ſecundæ notioni formali obijciuntur; appellātur .n. ſecundæ intentiones quaſi reſultantes ex ſecunda conſideratione intellectus; ſed non ſolùm eſſe prædicatum, eſſe ſubiectum &c. ſed etiam eſſe cognitū, eſſe apprehenſum, cum reflexè concipiuntur per modum relationis, obijciuntur ſecundæ intentioni formali intellectus ergo &c.

8. Sed tantùm abeſt, quòd etiam hæc ſententia de ſecundis intentionibus veritatem attingerit; patet ex dictis, & ità pr. Natura ſecundæ intentionis eſt, vt per eam exprimatur res extra ſuum ordinem, per attributa rationis, quæ ei competunt in ſecundo ſtatu, intellectu negotiante; ſed per relationes rationis, etiam in priori cognitione fundatas, vel in obiecto quatenùs cognito, ſæpè explicantur res in ſuo ordine, & vt à parte rei ſunt, ergo non omnes tales relationes ſecundę intentiones erūt; ma: eſt clara; quia quando rès exprimitur in ſuo ordine, & ſecundùm quòd eſt à parte rei, tunc talis expreſſio, ad conceptum rei primarium ſpectat, non ad ſecundarium; mi. patet, etiam ab his quæ ipſi Auctores admittunt; ſicut .n. per relationem creatoris in Deo, exprimimus id, quod eſt à parte rei, licet ſit relatio rationis, qa exprimimus habitudinem realē creaturæ ad ipſum Deum, ità per relationem cogniti in obiecto ad potentiam cognoſcentem exprimimus id, quod eſt à parte rei. ſ. habitudinem cognitionis ad obiectum, & ipſum obiectum talem actum cognitionis terminare, ergo ea ratione, qua excluditur relatio creatoris in Deo à ſecunda intentione, eadem ratione excludi debet relatio rationis in obiecto cognito, ad potentiam cognoſcentem; cùm vtraque rem in ſuo ordine explicet.

9. Tùm quia, ideò excludimus relationem creatoris in Deo à ſecū-



Digitized by Google

de intentione, quia non eſt relatio rationis mutua in vtroq; extremo, cùm in Deo ſit rationis, in Creatura verò realis; at relatio cogniti in obiecto ad potentiam cognoſcentem non eſt rationis in vtroq; extremo, cùm habitudo intellect⁹ ad obiectum ſit realis, in obiecto verò rationis, ergo &c. & quòd talis relatio rationis debeat eſſe mutua, inſinuauit Scot. in 1. diſt. 23. q. vn. vbi ait, ſecunda intentio eſt relatio rationis pertinẽs ad extrema; & patet etiam ratione, quia ſecunda intentio reſultat in extremis per mutuam comparationem in attributo rationis, ergo mutua in ambob. eſſe debet. Nec fundamentum ipſorum conuincit, quia per ſecundam intẽtionem formalem non debet intelligi quælibet cognitio reflexa, quæ tendat in aliam cognitionem, vel in obiectũ, vt denominatum in priori cognitione, vt ipſi putant, ſic .n. etiam ipſam intellectionem realem poſſet intellectus reflexè cognoſcere, & ſic obijci ſecundæ intentioni formali, & conſequentèr ipſam intellectionem eſſe relationem rõnis, & ſecundam intentionem obiectiuam conſtituere, quod ipſi nunquam admittent.

10. Sed ob: cùm intellectus cõcipit obiectum cognitum, eſſe cognitũ; tunc concipit ipſum extra ſuum ordinẽ, & ponit in ſecundo ſtatu, qa tunc illud intelligit ſub aliquo attributo, quod ei nõ competit ex natura rei, ſ. ſub relatione rationis ad potentiam cognoſcentem, ergo conceptus reflexus, quo ipſum obiectum ſit cognitum terminat, eſt ſecundarius, & ſecunda intentio formalis, & ipſum obiectum ſit cognitum erit ſecunda intentio obiectiua. ℞. neg. ant. nàm per illam relationem rationis obiecti cogniti ad potentiam cognoſcentem, aliud non explicamus, quàm obiectum terminare actum intellectus, quòd totum à parte rei eſt, & ad conceptum rei primarium ſpectans, non ad ſecundarium, qui res extra ſuum ordinem, & in ſecũdo ſtatu ponit. Ex his facilè patere poteſt noſtra deciſio.

*Concluſio.*

11. *Dicimus, ſecundam intentionem eſſe comparationem paſſiuam, quæ reperitur inter duo, vel plura obiecta, ad inuicem comparata in aliquo attributo rationis, ficto ab intellectu per modum relationis mutuæ inter illa*, eſt Scoti in 1. diſt. 23. q. vn. B. & 4. d. 1. q. 2. B. & alibi, quem ſequuntur. Maur. q. 3. Braſauola q. 19. Barg. in 1. d. 23. Lichet. Maſtr. Bell. & alij. patet quoad omnes partes; nam ſecunda intentio eſt relatio paſſiua, qua obiecta comparata referũtur ad inuicem, non autem ad intellectum comparantem; nam aliud eſt, eſſe comparatum, quod habẽt in ordine ad intellectum comparantem, & aliud eſſe comparatum, quod inter ſe habent ex operatione intellectus. Cùm concipimus illud eſſe comparatum obiectorũ in ordine ad intellectum compa-

rātem, tunc intra limites cōceptus primarij verſamur; quandò verò illud eſſe comparatum concipim᷒, quod obiecta inter ſe habēt ex intellectus negotiatione; tūc cōceptum ſecundarium efficimus. Vndè maxima eſt differentia inter conceptum, quo V. g. homo concipitur habere eſſe cognitum, vel comparatum in ordine ad intellectum concipientem, & comparantem; & conceptum, quo homo comparatus cum Petro, & Paulo intelligitur habere rationem prædicabilis; nàm iſte conceptus eſt omninò ſecundarius, qui exprimit hominem, & Petrum, non vt in ſuo ordine ſunt, ſed ſecundùm illud attributum ab intellectu ipſis rebus cōparantis. ſ. in ratione prædicabilis, & ſubijcibilis; ille verò primus cōceptus eſt primarius, quia exponit realem terminationem obiecti ad intellectum, ſic concipientem, & comparantem, quod rerū ſità parte rei, limites in ordine ſuo non egreditur.

12. Hinc Vulpes tom. 1. p. p. diſp. 28. art. vltimum. 4. ſuper illa verba Scoti in 2. diſt. 1. q. 1. : inſta H. vbi loquens de ſecundis intent. ait, non habere eſſe ſine actu comparatiuo intellectus, ergò ſtant per intelligētiam in vero eſſe ſuo, &c. exponit præfatus Doctor, Scotū intelligendum eſſe, vt per actū cōparatiuum, inſinuet habere tantū eſſe derelictum ſecundas intent. & per intelligentiam reflexam ſuſcipere verum eſſe rationis fabricatum. Pr. etiam ratione: talis comparatio paſſiua ante actum reflexū intellectus, quo cōcipiatur ad modum relationis, eſt ſolùm extrinſecà denominatio, reſultans in obiectis comparatis, ex terminatione actus collatiui, ergo ante talem actum non habet eſſe formale rationis, ſed tantū fundamētale; cū verò concipitur ad inſtar veræ relationis, inter illa obiecta, tunc formale eſſe rationis ſuſcipit; vndè Barg. aduertit, quòd quandò Sco. docet ſecundas inten. produci per actum comparatiuum, debet ſemper intelligi materialitèr, & præſuppoſitiuè, quia ſecunda intētio ſic petit cognoſci, quo habito, intellectus nouo actu producit intētionem in re cognita &c. & fit ſecunda intentio.

13. Ex his patet, quid ſit natura, & eſſentia primæ intentionis, quæ ſic à Scotiſtis deſcribitur; Prima intētio obiectiua *eſt obiectum actu cognitum, vel abſolutè per actum rectum, aut reflexum, vt ſic in ordine ad aliud, per actum collatiuum, ſecundum aliquod attributum conueniens illi ex natura rei ante intellectus negotiationem*. Dicitur obiectū actu cognitum, quia vt aduertunt Trōbet. 7. met. q. 9. Sarnan. Fuentes, & alij, nō ſufficit primæ intentioni, vt obiectum ſit tantum cognoſcibile, ſed requiritur, vt actu cognoſcatur; Sicut .n. obiectū non dicitur cognitum, niſi quandò actualitèr terminat actum intellectus, ſic non habet primā intentionē obiectiuā, niſi quatenùs primò termi-

terminat actualitèr intētionē formalē intellectus. Poteſt dici obiectū cognoſcibile prima intētio, ſed tantū remotè, non formalitèr. Dicitur per actum rectū, vel reflexū, vel collatiuū, quia per actū rectū, & reflexū res concipi ſolet in ſuo ordine, ꝙ etiā fieri poteſt per actū collatiuum, ſi res ad inuicem conferantur ſecundū aliquod attributū reale. V. g. pōt intellectus concipere hominē, vel Animal actibus abſolutis, & rectis, ſimplicitèr intelligendo quid ſint: pōt etiā hæc actibus reflexis intelligere intelligendo .ſ. ſe illa intelligere; Et tandē poteſt illa vt ſic cognita actu collatiuo intelligere hominē eſsētialitèr participare naturā animalis, Animal autē non includere naturā hōis, quib. actib. nihil concipiet, ꝙ homini, & animali in ſuo ordine non conueniat; ſi verò per aliū actum collatiuum cōcipiat animal dictū de homine, eſſe genus, ex eo quia intellectus cognoſcens hominem participare naturā animalis, ſumpſit occaſionē prædicādi animal, & ſubijciendi hominem, dicendo homo eſt animal, tamquā genus de ſpecie, tunc in obiectis ſic comparatis, concipiuntur relationes rationis mutuæ in extremis, & dicuntur ſecundæ intentiones generis, & ſpeciei.

14. Quæres: Per quam operationē intellectus producitur ſecūda intētio? ℞. quoad eſſe formale, & actuale, per primā ſolū operationē, quia concipitur ad modū veræ relationis; Materialitèr verò, & fundamentalitèr per omnes eius operationes. Poteſt intellect' per primiā operationem conferre Animal rationale in ratione definitionis, ad hominem in ratione definiti, & è contra abſq; affirmatione, & in his reſultare ſecundā intentionem formalitèr definitionis, & definiti: Poteſt per ſecundā operationē cōferre Animal, & hominem in rōne ſuperioris, & inferioris, ex quib. obiectis ſic comparatis reſultāt cōparationes paſſiuę generis, ſpeciei, prædicati, ſubiecti, Propoſitionis, &c. Et tandē poteſt per tertiā operationē cōferre vnā propoſitionē in rōne antecedentis, ad aliam in rōne conſequētis, ex quibus reſultāt cōparationes paſſiuę, q̄ ad argumētationē ſpectāt, .ſ. Maioris, Minoris, ſequelæ, &c. q̄ relationes rationis formalitèr ſemper reſultant per actum collatiuum intellectus.

15. Quæres 2. An volūtas poſſit ſecundas intentiones cauſare? Dubium ꝑtinet ad ſolos Scotiſtas affirmantes etiam voluntatem poſſe Ens rationis efficere. Et quidam eorum negant, quidam verò affirmant; vndè ſecundam intentionē deſcribunt: *Quòd ſit reſpectus cauſatus ex actu collatiuo intellectus, vel alterius potentiæ collatiuæ*; vt comprehendant ſecundas intentiones etiā à voluntate produci. Hinc Tatar. lib. 1. Elench. q. 1. §. *Quarto ſciendū* fol. mihi 264. docuit, ꝙ ſignificatio, quæ in vocib. eſt relatio rōnis ſignificatiuę ad rē ſignificatā eſt 2.

Inten-

Intentio, facta per voluntatē, nàm comparatio vocis in rōne ſigni ad rē, in rōne ſignati à volūtate fit, nō ab intellectu. Et tales de facto videntur relationes illę rationis, quę in vtroq, extremo fundantur rōne denominationis extrinſecæ ab actu voluntatis procedentes, vt ſunt relationes dominij, & ſeruitutis, ementis, & vendētis, &c. quæ ex cōtractibus, & voluntatibus humanis oriuntur, ex Tatar. loc. cit. Et equidē, admiſſo voluntatem ens rationis efficere poſſe, nullū videtur inconueniēs, etiam ſecundas intentiones cauſare, cū in ſententia Scotiſtarum ſit potentia collatiua.

## ARTICVLVS DECIMVS.

*De Collatione Secundarum Intentionum cum primis, & ad ſe inuicem.*

1. SCot. q. in doctrinarū exercitatione, & Methaphyſicaliū peritia omnibus ferè palmā pręripit. Articulū hūc reſoluit q. 10. vliū, & q. 14 in corpore quæſiti vbi omnes eius expoſitores. Supponimus cū cōi, ſecundas intentiones conferri poſſe cū primis, ſicut imagines cū rebus imaginatis, cùm inuētæ ſint ad res ipſas repræſentandas; ſecūdū breuiorē, & faciliorē methodū; & ſecundas intentiones etiam ad ſe inuicem applicatas, & denominatas; ſed in modo explicandi, nō omnes conueniunt; nos qui Scoti ſequimur veſtigia, ſic ad eius mentem exponimus.

2. Duplicitèr poſſunt intentiones ſecūdæ primis applicari, vno modo mediāte prædicatione ſignata, alio modo mediante exercita. Prędicatio ſignata eſt illa, quæ fit per terminos ſecundarū intentionum, per verbū *dici, & prædicari*; vt genus prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, &c. Exercita verò eſt illa, quæ fit in rebus, vel intentionibus per Verbū *Sum, es, eſt*, vt homo eſt animal, & animal eſt genus. &c. ad propoſitum, ſi ſecundæ intētiones primis applicentur mediante prædicatione exercita, prædicātur de eis tantū accidentalitèr, & denominatiuè, quia non ſunt niſi relationes rōnis, quas intellectus veluti accidentia quædā intentionalia primis intentionibus attribuit, qui eſt proprius modus prædicandi accidentiū de ſuis ſubiectis; Vndè ſicut accidentia realia prædicātur de ſuis ſubiectis tantū in Concreto, dicendo homo eſt albus, non albedo, ſic etiam de iſtis prædicationibus ſecundarū intentionū reſpectu primarū aſſerendū erit, idcircò animal dicitur genus, nō genereitas, &c. poſſunt aūt huiuſmodi prædicationes, vt animal eſt genus, homo eſt ſpecies, &c. ſumi duplicitèr .ſ. fundamentalitèr, & formalitèr; ſi fundamentalitèr ſumūtur, ſunt veræ à parte rei, nā ſenſus eſt, quòd animal V. g. eſt fundamētum idoneum, vt ad plures ſpecies referri poſſit in ratione animalis, quod ſanè verū eſt, nullo intellectu cogitante; at ſi formalitèr ſumuntur, nō ſunt veræ, niſi intellectu operante; & illis fundamentis tales rela-

relationes rationis affigente.

3. Si verò applicatio Secũdarũ intentionum ad primas fiat mediãte prædicatione ſignata, poteſt etiã fieri prædicatio eſſentialis, quod patet cùm dicimus, genus prędicatur in quid de pluribus ſpecie differentibus &c. & ſpecies de pluribus indiuiduis, quæ tamen exerceri non poteſt, niſi in terminis primarum intentionum, vt homo eſt animal, Leo eſt animal &c. Petrus eſt homo. Paulus eſt homo &c. Et ratio eſt (ait Doctor) quia Secundę intẽtiones maximè quandò copulantur p verbum prędicari, ſupponũt pro fundamentis, ac proptereà tales prędicationes per terminos primarum intentionum verificari debent. Poteſt etiam exerceri in ſecundis intentionibus quãdò intentiones ſe habent, vt ſuperius, & inferius, vt Tatar. aduertit q. 1. de genere dub. 1. ideò valet dici, Vniuerſale prędicatur de genere, ergo genus eſt vniuerſale. Ad Cognoſcendũ autẽ quomodò applicatio Secũdarum intentionum ad primas fieri debet, per exercitã preſertim predicationem, attendi debet fundamentum, quod eſt in primis intentionibus; Si .n. inferiora, de quibus natura apta eſt prædicari, differant eſſentialitèr, illi naturę applicari debet intẽtio generis, ſi verò ſunt indiuidua applicari debet intentio ſpeciei.

4. Loquendo verò de applicatione ſecundarum intentionum ad ſe inuicem, experimur vnã alteri applicari, & de illa prædicari tàm ſignatè, quàm exercitè, vt vniuerſale prædicatur de genere, genus eſt ſpecies vlis &c. ratio aſſignatur à Doct. q. 6. vniuerſ. & q. 3. antepredicam. ad 3. & in 4. d. 13. lit. T. & Quol. 6. lit. X. poteſt .n. ab intellectu vna ſecunda intentio fundari ſuper aliam, & ſic de alia prædicari, quod præſertim oritur ex virtute reflexiua, quam habet intellectus ſuper actus ſuos, quatenùs poteſt ipſam ſecundam intentionem reflexè cognoſcere, & ipſam alteri comparare in attributo rationis, ſicut intentio generis, quæ tribuitur animali, eo ipſo, q ab intellectu comparatur animali, vt inferius ſuo ſuperiori, ſcil. ad corpus, fundat intẽtionem ſpeciei, & ità 2. intentio fundata denominat priorem fundantem, & tunc genus dicitur formaliter genus, & denominatiuè ſpecies. Hinc ait Scotus, quòd in his caſibus intentio fundans ſumitur, vt quid, fundata verò, vt modus; quos terminos ſic eius expoſitores explicant ex locis cit. & 8. Vliũ §. *Propter hoc* &c. .ſ. quòd ratio fundans, & vt quid, ſit talem intentionem accipere ſecundùm ſuam naturam, & quidditatem, vel eſt id, quod intelligitur; accipere autem intentionẽ fundatam, vti modum, ſit illam accipere ſecundùm determinationẽ, & modum conſiderandi. Vndè cũ dicimus: genus eſt ſpecies Vniuerſalis, genus ſumitur vt id, quod intelligitur; ſpecies vt modus, ſub

quo

quo intelligitur, in quo ſenſu non inconuenit, quòd vna Secunda intentio prædicetur de alia ſignatè, & exercitè; ſignatè ſi dicatur vl'e prædicatur de genere; exercitè ſi dicatur genus eſt ſpecies vl'is, &c.

Hæc eſt tamèn differentia inter applicationem Secundarum intẽtionum ad primas, & ad ſe inuicẽ, quòd primis ſemper applicantur, vt modi accidentales, cùm ſemper applicentur, vt accidentia ſubiectis, & conſequenter conſtituunt prædicationes exercitas ſolùm accidentales, & denominatiuas, vt homo eſt ſpecies, animal eſt genus; At vna intẽtio ſecunda cùm alteri applicatur, poteſt ei applicari, vt modus accidentalis, & vt mod⁹ eſſentialis; Si .n. intentio, quæ alteri applicatur vt modus ſit illi ſuperior, vt cùm V.g. dicimus, gen⁹ eſt vniuerſale, Secunda intentio eſt ens rationis; &c. tunc applicatur, vt modus, & determinatio eſſentialis, & inducit prædicationem quidditatiuam Superioris de inferiori; Si autem 2. intẽtio alteri applicata ſit inferior, vt cùm dicimus Vniuerſale eſt genus, vel diſparata, vt genus eſt ſpecies, tunc applicatur vt modus, & determinatio accidentalis, quia inferiora accidunt ſuperioribus, & vnum diſparatum alteri diſparato, vt benè inter alios Scotiſt. aduertunt Bell. & Maſt.

Sed Ob. 1. quòd Secundæ intentiones non poſſint de primis prædicari, nàm oppoſitum non poteſt de oppoſito prædicari, ſed ens reale, & rationis ſunt huiuſmodi, habent enim prædicata contradictoria, ergo &c. Nec ſuffragatur dicere, poſſe aliquãdo oppoſitum prædicari de oppoſito ſaltèm per accidens, & ità eſſe in caſu. Non valet, quia Secundæ intentiones nec etiam accidẽtalitèr prædicari poſſunt de primis, quod patet, experimur .n. in accidentibus, quòd quandò verè predicantur de inferioribus, verè etiam prædicantur de ſuperioribus, & ſi verè prædicantur de ſuperioribus, verè etiam prædicantur de aliquo inferiori, vt ſi de Petro prædicatur motus, prædicatur etiã de homine, & animali, quia ſi Petrus mouetur, & homo mouetur, & animal mouetur, Et ſi homo currit, aliquis homo currit &c. Sed ſecundæ intẽtiones, nec illæ quæ prædicantur de inferioribus poſſũt prædicari de ſuperioribus, quia ſecunda intentio indiuidui prædicatur de Petro, & Paulo, non tamen de homine, & animali; Nec quæ predicantur de ſuperioribus, prædicari poſſunt de inferioribus, nã ſpecies dicitur de homine, non de Petro &c. ergo R. Ens reale, & ens rationis non eſſe propriè oppoſita contradictoriè, ſicut ens, & non ens, ſed potiùs dici debent diſparata, quomodò ſũt ſubſtantia, & accidens, atque ideò ſicut tali oppoſitione non obſtante, adhuc accidens prædicatur de ſubſtantia denominatiuè, ità pariter eodem modo ens rationis prædicari poterit de ente reali, & ſecunda



Digitized by Google

cunda intentio de prima. Sed Cõceſſa mi. ℞. ad mai. ſolutione data inter arguendum, & eſt doctrina Scoti in 1. ſent. d. 2. q. 3. lit. C. & alibi, quia ſ. bene poteſt oppoſitum de oppoſito prędicari ſaltèm denominatiuè, & vt modus; & ad impugnationem, negatur paritas de accidentibus realibus, & rationis; & ratio eſt, quia accidentia realia conueniunt ſubiectis abſolutè, vt ſunt à parte rei, at ſecundæ intentiones conueniunt naturis, vt tali modo concipiuntur ab intellectu; Vndè eſt, quòd ſecũda intentio indiuidui, quæ Petro conuenit, non poteſt homini, & animali conuenire, quia conuenit indiuiduo, vt concipitur indiuiſibilis in partes ſubiectiuas, ſicut è contra genus dicitur de animali, non de homine, & ſpecies dicitur de homine, non de Petro, quia tales intentiones conueniunt talibus naturis, vt ſunt diuiſibiles in partes ſubiectiuas, q̃ indiuiduo repugnãt.

Ob. 2. quòd non poſſit vna ſecunda intentio alteri, vt modus applicari, & in ea fundari, implicat .n. dari modum modi, ſicut etiam nec datur actio actionis, nec vnio vnionis, & ſic de alijs modis, ergo cùm ſecunda intẽtio ſit modus intelligendi primam intentionem, non poterit per aliam ſuperuenientẽ modificari, & determinari. ℞. negando aſſumptum de modis intelligendi, de quibus loquimur in caſu, dummodò vnus modus ſumatur, vt quid, & determinabile, & alter, vt modus, & determinans, vt in propoſito contingit, cùm vna ſecunda intentio ſuper aliam fundatur; quia tunc ſecunda intentio fundãs, quæ ſumitur, vt quid, induit quaſi conditionẽ intentionis primæ reſpectu alterius fundatæ, non quia ſit ſimpliciter prima, ſed quia determinatur per eam, vt per modum intelligendi eius.

Ob. 3. Secũda intentio dicitur talis, quia primæ ſuperuenit, & in ea fundatur, ergò ſi intentio vna poteſt alteri ſuperuenire, & huic alia, daretur non ſolùm prima & ſecunda intentio, ſed tertia, quarta, & quinta, imò proceſſus in infinitum, quæ abſurda videntur. ℞. negando antecedens, nam ſecunda intentio non dicitur talis, quia primæ ſuperuenit, ſed quia explicat res in aliquo attributo rõnis; ideò l. vna ſecunda intentio fundetur ſuper aliam, & fundans dicatur ſecundùm quid prima reſpectu ſuperuenientium; abſolutè tamen, & ſimpliciter omnes dicuntur ſecũdæ intentiones, & non tertia, quarta, quinta &c. Cũ omnes cõueniant in obiecto comparato in attributo rationis, qḋ eſſe cõparatũ ſtatus ſecundus rei appellatur.

Ad illud de proceſſu in infinitum. ℞. quòd licèt in ordine entium realium ſit euitandus, tamen in relationibus rationis non non incõuenit, vt clarè patet apud Doct. in 4. ſent. d. 6. q. 10. lit. E. & alibi, hoc .n. aliud non ſignificat, quàm intellectum poſſe ſuc-



Digitized by Google

ceſſiuè ſe in infinitum intelligendo ſupra obiecta cognita reflectere, & illa in attributo rationis cõparare.

Dices, Scot. q. 6. Vlium ad 4. videtur expreſsè admittere vltimum gradum in Secũdis intentionibus, Vbi Scotiſtæ tres ponunt gradus, in primo ponunt ſecũdas intentiones fundatas in primis, in 2. paſſiones fluentes ab ipſis, & in 3. modos, ſub quibus concipiuntur, & hic datur ſtatus. ℞t. Mauritius, q̃ ibi Doct. loquitur ex ſuppoſitione, quæ tamen ſuppoſitio eſt falſa. Vel dicendum eſſet, quòd ibi Sco. loquebatur de facto, vt modo cõcipiuntur, non de poſſibili.

Ob. Tandèm, fundamentum eſt maius ens fundato, cùm hoc in illo ſubſtentetur, ſed vna ſecunda intentio non eſt minus ens alia, cùm æquè ab intellectus operatione pendeant, ergo &c. ℞. ma. eſſe veram quandò fundatio exigit ſubſtentationem, & influxum fundamenti, quòd non requiritur in caſu de relationibus rationis, & conceſſa adhuc maiori, debet negari mi. cùm etiam intra ſpheram entis rationis inueniatur ſuo modo latitudo gradualis, veluti in ente reali, ex Doct. q. 9. Vlium in fine. Multa alia erant pro complemento huius diſputationis diſcutienda, quæ ex ſequenti diſputatione manifeſta fient.

# DISPVTATIO III.

## IN LIBRVM PORPHYRII.

### De quinque Vniuerſalibus.

1 HABITA iam notitia de Ente rationis, & ſecundis intentionibus in communi, operepretium eſt de illis in ſpeciali agere. Et ab illis incipimus, quæ Vniuerſalia, ſeù Prędicabilia appellantur; quorum notitia ſatis ad Ariſt. Prædicamenta conducit. Dicuntur hæc Vniuerſalia in prædicando, ad differentiam Vlis, tùm in cauſando, cuiuſmodi eſt Deus, & quælibet alia cauſa ad plures effectus cõis; tùm in ſignificando, qualis eſt vox plura ſignificans, vt Animal, quod omnia animalia ſignificat; tùm in repræſentando, qualis eſt hominis Imago, Idea, Species, quæ hominem repræſentant; tùm tandèm ad differentiam Vlis in eſſendo, quod cum aliquali ſua vnitate, & indifferentia eſt, vel eſſe poteſt in multis, vt natura hominis in Petro, Paulo, Franciſco, & omnibus indiuiduis.

cuis. Vniuerſale igitur in prædicando, de quo hic agimus nullum Notum eſt, ſed eſt quædam ſecunda intentio applicata illi naturæ communi, quæ Vniuerſalis in eſſendo appellatur, per quam intentionem illa natura communis cõſtituitur proximè potens de multis prędicari; vndè Vl'e in eſſendo appellari conſueuit Vl'e materiale, & fundamentale, ſeù pro prima intẽtione; ex eo nãque quod natura humana eſt in Petro, Paulo, &c. prædicatur de illis; Solet etiam hoc vniuerſale in eſſendo appellari vniuerſale Methaphaſicum, quatenùs ad Meth. ſpectat naturas rerum, conſiderare; Vl'e verò in prædicãdo ſeù logicum dicitur vniuerſale formale in actu, & pro ſecunda intentione, quia importat intentionem vniuerſalitatis, quæ eſt forma rationis, qua aliquod dicitur actu vniuerſale. Quia igitur Vl'e in eſſendo pertinet ad Meth. à Methaphyſica eius notitiam completam exhauriant; ſed quia eſt etiam fundamentum vniuerſalis logici, ne ſit Tyronibus totaliter ignotum, aliquid de ipſo obitè agemus.

TEXTVS.

2. *Cum ſit neceſſarium Chryſaorie & ad eam, quæ eſt apud Ariſtot. prædicamentorum doctrinam, noſſe quid genus ſit, quid differentia, quid ſpecies, quid proprium, quid accidens, & ad diffinitionum aſsignationem, & omnino ad ea, quæ in diuiſione, vel demonſtratione ſunt &c.*

3. Incipiunt Iſagogæ Porphyrij in Cathegorias Ariſt. Fuit Porphyrius inſignis philoſophus, qui vixit tempore Aureliani, & Deocletiani Imperatorum; habuit præceptorem Plotinum philoſophum Platonicum; Diſcipulos inter alios Iamblicum egregium philoſophum, & Chryſaorium Romanum, virum nobiliſſimum, in cui' gratiam librum hunc conſcripſit; Et ea occaſione motus, vt fertur, quia cum Chryſaorius in prædicamenta Ariſt. incidiſſet, & in quaſdã voces, & res ſibi ignotas ibi impingeret, ad Porph. ſcripſit, vt aliquod in ea re ſibi ferret auxilium; ad quẽ hũc libellum miſit; inſcriptum Porphyrij introductio; vndè inſcribi ſolet, Iſagogæ Porphyrij in Cathegorias Ariſt. in quo titulo dicitur primò Iſagogæ, quod eſt dictio græca, compoſita ex duab' dictionib' græcis, .ſ. ab Iſos, quod eſt intro, & gogos quod eſt ductio, vndè Iſagogæ, .i. Introductio Porphyrij in Cathegorias Ariſt. .i. in Prędicamẽta Ariſt. Alloquẽs igitur ſuũ diſcipulũ Chryſaoriũ, ad quẽ hoc opus dirigebat, ſic aiebat: *Cum neceſſarium ſit ò Chryſabri & c. vtile exiſtente iſtarum rerum ſpeculatione compendioſam tibi traditionẽ facimus.* quibus verbis oſtẽdere vult, quam vtilis ſit iſtorũ vniuerſaliũ cognitio, & ad diffinitiones cõficiẽdas, quę ex genere, & differentia conſtant, & ad deſcriptiones, quæ fiunt ex genere, & proprio, vel genere, & accidentium collectione, & ad Diuiſiones, quæ fiunt generis in ſpecies, & ali-

quã-

quando etiã per propria, loco differentiarum, & fiunt etiam ſubiecti in accidentia, aut accidentis in accidentia; vtilis etiam ad demonſtrationem, nam in demonſtratione potiſſima, medium eſt definitio, quæ ex genere, & differentia conſtat, & aliqua propria paſſio demoſtratur de ſubiecto &c. quę omnia ſciri non poſſunt, niſi cognoſcendo quid ſit genus, quid differentia &c.

4. *Tentabo breuiter, velut introductionis modo, ea quæ ab antiquis dicta ſunt aggredi, ab altioribus quidem quæſtionibus abſtinens, ſimpliciores verò mediocriter coniectans.*

Hic Porphyrius tractationis ſuę modum aperit, & proponit breuiter, & introductorio modo quæ ab alijs philoſophis, & præcipuè Peripateticis dicta ſunt, declarare. Obſcuriores verò, & difficiliores quæſtiones, vt potiùs ad naturalem, vel Methaphyſicum ſpectantes prætermittendo. Et ſubdit: *Mox de generibus, & ſpeciebus, illud quidem ſiuè ſubſiſtant, ſiuè in ſolis nudis intellectibus poſita ſint &c.* per quæ verba Porphyrius plures quæſtiones, quę ad rem ſpectare nõ videtur, reijcit, .ſ. vtrũ ipſa genera, & ſpecies ſubſiſtant, .i. habeant eſſe reale extra intellectum, an verò ſolùm habeant eſſe in ſolis nudis, & puris intellectibus: & vtrùm ſint corporea, vel incorporea: & vtrùm ſint ſeparata à ſuis ſingularibus, ſicut dicit Plato, vel ſint in ſingularibus poſita. Has queſt. Porph. prætermittit, vt maximè obſcuras, & maiori inquiſitione indigentes, pollicendo de his tantùm tractaturus, quę vtiliora ſunt, & Dialecticis magis accomodata cenſentur. Attamen quia mens noſtra (his auditis) non ita facilè quieſcit, & multa ſaltèm pro ſubſtrato ad notitiam logicalem conducunt, ideò aliqua de his ſaltèm ſuperficialiter, breuiter agemus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An detur Vniuerſale a parte rei, ſeu natura communis in eſſendo.*

1. Scot. qui in ſpeculatiuis diſciplinis, & in ſubtiliſſimis aſſertionibus, eminentiſſimum obtinet locũ in 2. ſent. d. 3. q. 1. & 7. Meth. q. 15. admittit Vniuerſale in eſſendo, ſeu naturas communes in rerũ natura, non quidem à ſingularibus ſeparatas, ſed in eis incluſas, quam doctrinam ab Ariſt. exhauſit pluribus in locis, ſed præcipuè 1. Meth. c. 6. & 4. Meth. c. 5. vbi Philoſophus reijcit opinionẽ Heracliti, & Cratilli, qui in rerum natura, ſolùm ſingularia agnoſcentes, Vniuerſalia prorſus negabant.

2. Circa hoc queſitum, duæ extãt extremæ opiniones, & duæ medię, prima extrema eſt quorumdã Philoſophorum, quã refert Ariſt. loc. cit. de Heraclito, & Cratillo, qui vniuerſalia in eſſendo negabant, à qua opinione parùm diſtat Nominalium placitum, qui rationem vni-

vniuerſalis ſolùm in vocibus, & conceptibus reponunt, admittendo vniuerſalia tantùm in ſignificando, & repræſentando, negando in eſſendo, Vndè Nominales cognominati ſunt. Ità Ochã p. p. log. c. 14. & in 1. d. 2. q. 4. & quol. 5. q. 12. Gabriel. Greg. Rub. Aureolus, quos ſequuntur quamplures ex Societ. Ieſu, & præcipuè Hurt. diſp. 5. Meth. ſec. 10. Arriag. diſp. 6. log. ſec. 4. & alij.

3. Alia opinio extrema ex directo oppoſita, concedit Vl'e in áctu à parte rei, non tamen in ſingularibus incluſum, ſed ab eis ſeparatũ, vt Platoni Ariſt. impingit 1. Meth. c. 6. & lib. 7. c. 8. ità quòd daretur homo, ſeù humanitas in communi, de qua ſinguli homines participarent, & Leo in communi, de quo omnes Leones &c. eodem ferè modo, quo plures lucernę ex eodem lumine accenderentur. Alia media concedit Vle. à parte rei, in ſingularibus incluſum, imò & cum eis realiter identificatum, ſed vocat illud Vl'e in actu: tenet. n. quòd natura communis in pluribus indiuiduis reperta rationem induit vniuerſalis, & formalis in actu, Ità Paulus Venetus, q. 1. vniuerſaliũ, & lib. 2. Meth. & Monlorius diſp. Vniuerſalium c. 6. & ſolet etiam Scoto impingi in 2. d. 3. q. 1. vbi docet naturã à parte rei de ſe pluribus communicabilem eſſe.

4. Altera tãdèm media opinio admittit à parte rei Vl'e in eſſendo, ſ. naturas communes in ſingularib. exiſtentes, non quidem Vl'e completum, & in actu, ſed ſolũ remotè, & inchoatè, in quantùm fundare poteſt ſecundam intentionem vniuerſalis logici, quod ſolùm eſt Vl'e completum, & in actu, & non habet eſſe, niſi per intellectus operationem, & hæc eſt vera ſent. & in ſcholis magis cõmunis, quã Scot. loc. citatis docuit.

*Concluſio.*

5. *Dicimus* 1. *dari in rerum natura vniuerſale in eſſendo, ſeù naturam communem, non quidem à ſingularibus ſeparatam, ſed in eis incluſam, & cum eis realiter identificatam, ſenſu quo ſupra*. Eſt Scoti loc. cit. & Ariſt. qui acriter in eos inuehitur, qui tãtùm ſingularia in toto Entium ordine agnoſcebant. Hinc 7. Met. docuit, definitionem, qua rerum quidditates explicantur eſſe de Vlib. Et 1. Poſt. c. 5. & 11. ait: ſcientiam eſſe de Vlibus. & quia multæ ſciẽtiæ ſunt reales, & de ſingularibus non datur ſcientia, ergo &c. Et 1. perhiermenias diuidit res in vles. & parteculares, & 11. Poſt. c. 2. & 2. de Anima c. 5. ait, vlia intellectu, ſingularia ſenſu cognoſci, ex quibus auctoritatibus colligitur hanc ſent. eſſe Peripat. & communiter recipitur contra Nominales à D. Tho. de ente, & eſſentia c. 14. & opuſc. 55, & 56. cum ſuis ſequ. & à Scoto loc. cit. cum Scotiſtis; & ità 1. Pr. & eplicatur: Nullo intellectu negotiante, Petrus conuenit cũ Paulo per humanitatẽ, per quam differt à Leone, & Aquila, &

per animalitatẽ conuenit cũ Leone & Aquila & differt à lapide: ergo ex natura rei, & prẹter intellect' operationes, dãtur illę naturę cões qb' illa inferiora cõueniũt inter ſe.

6. Confir: quia per Vle. in eſſẽdo, nõ intelligimus vniuerſale in actu, & completum, ſed quamdam naturam cõem; quæ poſſit eſſe fundamentum ſecundæ intent. vniuerſalitatis, & propter ſuam communitatem præbere intellectui occaſionem, vt ipſam poſitiuè concipiat vnã in multis, & vt de multis prædicabilis ſit, in quo ſenſu, nullum videtur ſequi inconueniens, cũ ſic ſolùm admittatur Vl'e remotum, & inchoatum; imò maximè cenſetur neceſſariũ; ne admittamus intellectũ temerè, & ſine fundamẽto naturas vniuerſales cogitare.

7. Pr. ſecundò Contra Nominales, dari .ſ. non ſolùm voces & cõceptus formales communes ſed ẽt naturas cões pro conceptibus obiectiuis; & Primò patet ex veritate prædicationis, in qua natura communis prædicatur de aliquo ſingulari, vt cùm dicimus: Petrus eſt homo, in hac propoſitione Vniuerſale, prædicatur de ſingulari, & nullo intellectu operante; vera eſt propoſitio, & dicimus inter hoc prædicatum, & ſubiectum eſſe neceſſariam connexionem, quæ connexio non eſt in voce inter Petrũ, & hominem, neq; inter concept' formales illorum, nàm alius eſt cõceptus formalis Petri, & alius hominis, ergo prẹter vniuerſalia in ſignificãdo, & prẹter voces, ſũt adhuc admittenda vniuerſalia in eſſendo; & naturæ communes pro conceptibus obiectiuis, correſpõdentibus conceptibus formalibus ipſarum. Rñent Nominales negando conſeq. Conceptus .n. formalis hominis, vt ſic (aiunt,) non ſignificat aliquam naturã indiuiduis humanis communem, ſed immediatè omnia ipſa ſingularia confusè cognita, ſine diſtĩctione inter illa.

8. Sed contrà: vel natura humana ſignificat illa indiuidua copulatiuè, vel diſiunctiuè: Non primum, quia cùm totum quod concipitur ex parte prędicari, debeat affirmari de ſubiecto, ſi per illud prædicatum, homo copulatiuè ſignificantur omnia indiuidua, omnia quoq; & ſingula de Petro affirmarentur; Et hoc ſiuè ſit copulatiua confuſa, ſiuè clara; per hoc .n. copulatiua à diſiũctiua differt, vt ex ſũmulis conſtat, quòd in copulatiua, totum prædicatum, & quælibet eius pars de ſubiecto verificatur, & ità Petrus eſſet Paulus.

9. Aliqui ex Neuthericis, qui Realium opiniones ſpernentes, in Nominaliſmum abſurdum inciderunt reſp. cum Hurtado l.c. §.179. quòd .ſ. homo, in allata propoſitione, ſignificat omnia illa indiuidua diſiunctiuè.

10. Sed Contrà, ergo illa propoſitio reſoluetur in hanc, Petrus eſt hic, vel ille homo, quæ prædicatio nõ eſt vniuerſalis de ſingulari, ſed indiuidui vagi, vt cùm dicimus,

Pe-

Petrus eſt aliquis homo. Tùm quia Vl'e debet de pluribus prædicari per modum vnius, hac .n. ratione dicitur vnum in multis, & de multis, ergo in prædicatione non poteſt ſignificare plura diſiunctim.

11. ℞et. Arriaga loc. cit. ſec. 6. q natura humana confusè concepta eſt prędicabilis de quolibet indiuiduo inadequatè; .ſ. vna de vno, & alia de alio, quod ſufficit, vt abſolutè illa ſit de pluribus prædicabilis, vt requiritur ad Vniuerſale.

12. Sed contrà eſt, tunc .n. in qualibet propoſitione propria natura prędicaretur de ꝓprio indiuiduo, & ità in hac propoſitione Petrus eſt homo, non eſſet prædicatio ſuperioris de inferiori, & Vniuerſalis de ſingulari, ſed eiuſdem de ſe ipſo, vt benè Lych. vrget contra Ocham in 2. d. 3. q. 1. §. ad reſponſionem.

13. Sed contrà vrges, quia nec in ſent. Scoti natura humana prædicatur de Petro, niſi quatenùs ad ipſum contracta, & cum ipſo identificata, ſupra quam identitatem fundatur veritas iſtius propoſitionis, Petrus eſt homo, nec de Petro prædicatur humanitas Pauli, vel Ioannis, ſed illa quæ cum Petro identificatur, ergo vt ad ipſum cōtracta, & non vt indifferens, & indeterminata ad plura, & cōſequētet non prædicatur per modum Vl'is, quia prædicatum non eſt latius ſubiecto, & dum contrahitur amittit vniuerſalitatē. At ℞. neg. conſeq. Natura .n. etiam vt contracta, retinet quamdam indifferentiam negatiuam, ſeù non repugnantiam, & communitatem, vt natura eſt, vt poſſit eſſe in alio indiuiduo; non .n. niſi extrinſecè ſingularizatur, & hoc ſufficit, vt poſſit vniuerſalitatem fundare. Vndè cum dicitur Petrus eſt homo, in tali prædicatione, ly homo, vniuerſalitatem non amittit, nam vt eam amitteret, opus eſſet, quòd conceptus communis in ſingularē verteretur; quam doctrinam nominales admittere nequeunt, cùm nullam talem indifferentiam in natura cōi concedant, nec poſitiuā, nec negatiuam.

14. Pr. 3. Cognitio vl'is non terminatur immediatè ad omnia ſingularia contenta ſub illa, ergo obiectum immediatum talis actus erit aliqua natura communis à parte rei, in qua ipſa ſingularia conueniunt, & aſſimilantur. Pr. aſsūptum: per illum actum, indiuidua concipiuntur cōuenire, & non diſtingui, ergo non terminatur ad indiuidua, quia ſic potiùs conciperentur differre per eorum ſingularitates. ℞et. Hurt. per illum actum concipi immediatè omnia indiuidua, vt ſimilia, & ideò præſcindere à ſingularitatibus, quæ ipſa reddūt diſſimilia. & hoc ait, eſſe fundamētum vl'itatis immediatum .ſ. plura ſingularia, vt ſimilia.

15. Sed hæc reſponſio ità infirma eſt, vt etiam Arri. qui eſt eiuſdem opinionis, eam non recipiat. Hinc petimus ab Hurt. quod eſt illud, in

quo

indiuidua humana ſunt ſimilia? Nō erit ens rationis, quia ſimilitudo eſt relatio realis. Si eſt quid reale, nequit eſſe aliqua natura ſingularis pluribus communicabilis, quia hoc eſt priuilegium ſolius naturæ Diuinæ; Et ſingularitas non eſt ratio ſimilitudinis, ſed potiùs diſtinctionis, & diſſimilitudinis, ergo erit natura communis. Nec fundamentum immediatum talis ſimilitudinis poni poteſt omnia illa ſingularia, vt conformia, vt Hurt. cōtendebat; nam eſſe ſingularia, vt conformia, vel dicit aliquid pręter hoc .i. pter ſingularia vel non; ſi non, ergo cùm omnia ſingularia abſolutè conſiderata ſint plura, ſequeretur, quòd ratio pluralitatis, vt ſic eſſet ratio conformitatis, & vnitatis, quod eſt falſum, cùm potiùs ratio pluralitatis ſit cauſa diſtinctionis, & diſſimilitudinis; ſi primum, hoc eſſe non poterit, niſi aliq reale, in quo conueniant, & hæc erit natura communis.

16. Reſp. Arriaga, quòd per actū illū confuſum plura cognoſcuntur ex parte obiecti, eſtò ex parte modi attingantur, vt vnum, quaten' per confuſionem non diſtinguuntur illa plura.

17. Sed Contrà, talis actus propter ſui confuſionem non attingit ſingularitates omnium indiuiduorum, nec diſtinguit illa plura, vt ipſe fatetur, ergo non attingit illa plura, vt plura ex parte obiecti, ergo nē dum ex parte modi, ſed etiam ex parte obiecti, plura attingit vt vnum. Tùm, quia ſi ex parte obiecti plura attingit vt plura, ergo non rapræſentabit illa per modum vnius, nam cognitio rapræſētat totum id, quod attingit, cùm ſit ſpecies expreſſa obiecti; ſi ergo non repræſentat plura, ſed vnum, ſignum eſt non attingere plura, ſed vnum. Tùm quia vnitas conceptus potius ſumitur ab obiecto, quam ab intellectu; potentiæ .n. diſtinguuntur per actus, actus per obiecta, ex libris de Anima; ergo falſum eſt, quòd natura humana aliā vnitatem non habeat niſi illam, quam accepit à conceptu confuſo intellectus. Tùm quia ſi indiuidua cognoſcūtur vt ſimilia, ergo vt extrema diſtincta, relatio .n. ſimilitudinis non poteſt reperiri niſi inter extrema diſtincta. Tùm tandē; quia conceptus naturarum Prædicamentalium ſunt vniuoci, quod etiam ipſi concedunt, ergo debet eis aliqua vna ratio præter ſingularia correſpondere, in qua illa plura vniuocantur. Nec ſufficit vnitas ſimilitudinis, .i. quòd habeāt plures rationes ſimiles, quia eſtò talis vnitas ſufficiat ad Analogiam proportionalitatis, non tamen ad vniuocationem, ſecundum ipſos.

18. Pr. 4. ex obiecto ſcientiæ, quę eſt de Vniuerſalib' ex 1. Poſt. 11. & ſecūdo de anima tex. 60. ergo vltrā ſingularia dari debet natura cōis, vt immediatum obiectum ſcientię. Reſp. ſcientiam eſſe de Vniuerſalibus, non rebus, ſed nominibus, & conceptibus Vl'ib. in quibus ſin-

gularia habent vnitatem.

19. Sed contrà, non nomina, & conceptus, ſed res definimus, & rerum proprietates ex realibus eſſētijs demonſtramus, ergo ſcientiæ de rebus ſunt. Si dicatis, de nominibus, & conceptibus, vt ſupponunt pro rebus; peto: vel res pro quibus ſupponunt, ſunt ipſa plura ſingularia, vel aliqua natura ipſis cōis; ſi ſecundum habetur intentū, ſi primum redit idem Argum. quia ſingularia non cadunt ſub ſcientia.

20. Pr. 5. ex ſubiecto primo, & adæquato paſſionis realis in qualibet ſpecie, quòd non poteſt eſſe indiuiduum, nam paſſio ſpecifica non poteſt cum ſingulari conuerti; ſi n. cum vno conuerteretur, non poſſet de alio prædicari ex Ariſt. pº Poſt. 12. ſic riſibile dicitur prædicatum primum, & immediatum humanitatis, non Petri, Pauli &c. quibus ſolùm mediatè, & ſecundariò conuenit.

21. Pr. 6. Ex natura definitionis, & definiti; definitio n. ad conuertentiam de definito prædicatur, vt omnis homo eſt Animal rōnale, & omne Animal rationale eſt homo, hoc autem non poteſt indiuiduis conuenire, vt patet, nec vocibus, & conceptibus ergo &c.

22. Pr. etiam Concluſio quoad alteram partem. ſ. quòd naturæ cōes ponitur non debent à ſuis ſingularib. ſeparatæ, ſed in ipſis incluſæ, & cū eis realiter identificatæ, quæ eſt ſententia Ariſt. expreſſa in pluribus locis cōtra Platonem. Hinc 6. Meth. docuit, nullum vl'e exiſtere præter ſingularia ſeparatim. Et 10. Meth. ait vl'ia non ſūt præter multa. & 1. Poſt. Domus non eſt præter has Domos, & lateres præter hos lateres. Et in prædicamento ſubſtantiæ ait: *corruptis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquod illorum remanere*. .ſ. deſtructis ſingularibus, vl'ia quoq; euaneſcunt, gloſant omnes eius Expoſitores.

23. Pr. etiam ratione ex ipſo Ari. deducta contra Platonem 7. Met. 5. prædicari vnum de alio præſupponit eſſe in illo, de quo prædicatur, ſed vl'ia verè prædicantur de ſuis ſingularibus, vt Petrus eſt homo, ergo in ſingularibus reperiūtur. Quòd tandem debeāt ipſæ naturæ cōes cum ipſis ſingularibus identificari, loquendo de Vl'ibus eſſentialibus, vt ſunt genera, & ſpecies, ex eo patet, quia cùm ſint eſſentia, vel partes eſſentiæ illorum, neceſſe eſt, vt ſint realiter idem.

24. Quantùm verò ad ſent. Platonis, quam ei Ariſt. impoſuit, D. Th. (teſtis in hac materia omni exceptione maior) lib. 1. de regim. Princ. cap. 2. ait, Ariſt. non plenè perſonuiſſe aliorum ſententias; maximè Socratis, & Platonis. D. Aug. lib. 83. qq. q. 46. & lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 28. Eugubinus de perenni philoſophia c. 10. & alij grauiſſimi Patres, & Philoſophi, aſſerunt Platonem fuiſſe locutum de Ideis in mente Diuina quibus ſubſcribit Scotus in 1. diſt. 35. quæſt. vnc. §. ad iſtud vbi affirmat Ariſt. malè retuliſſe Plato-

nis ſententiam; & idem iudicium ferè omnes Recentiores Auctores faciunt.

25. Hæc eſt igitur germana opinio realium contra Nominales. & licèt Hurt. & Arri. pro ſua ſententia trahere conentur D. Thomam, quem etiam quidam ex priſcis Thomiſt. tenuerunt, & præcipuè Herueus; tamen Zerbius 5. Met. q. 17. plura loca D. Thò. affert, quibus apertè pro realib. ſtare videtur, & præſertim in tractatu de ſenſu reſpectu ſingulariũ; & intellectu reſpectu vniuerſalium, vbi in fine; ait S. Doctor: *Ipſæ naturæ, quibus accidit intentio vniuerſalitatis, ſunt in rebus, & propter hoc nomina communia ſignificantia naturas ipſas prædicantur de individuis, non autem nomina ſignificãtia intentiones, Sortes .n. eſt homo, ſed non ſpecies.* Idem colligitur tract. de Vniuerſalibus; & de natura generis, & in 1. ſent. d. 18. q. 5. art. 1. in Corpore, & alibi.

26. Verum tamen eſt, quòd maxima eſt inter Reales controu. circa modum ponendi vniuerſalia in eſſendo; Nam Scotiſtæ cõiter. docent, quòd licèt natura communis ſit realiter identificata cum ſingulari, adhùc tamèn manet ex natura rei formaliter diſtincta ab illa ſingularitate; natura .n. ex ſua ratione formali ſemper eſt pluribus cõicabilis; ſingularitas verò incõmunicabilis, ità quòd natura ex contractione per ſingularitatem facta, non niſi extrinſecè, & denominatiuè manet ſingularizata; quã diſtinctionem etiam inter gradus Methaphiſicos ponunt, vt Animal V. g. & rationale ità formaliter diſtinguũtur, quia important diuerſas formalitates, & vna eſt potentialis, altera actualis; Et vna eſt ratio, qua homo, & brutum conueniunt, altera qua differunt, etiam independenter ab intellectus operatione. Cũ ergo de eodem ſecundum idem contradictoria à parte rei verificari non poſſint, neceſsè eſt, quòd diſtinctas à parte rei formalitates importent. Ita Scot. 7. Meth. quæſt. 13. & 16. quem ſequuntur Scotiſtæ communiter.

27. Thomiſtæ verò licèt concedãt naturam cõem habere eſſe reale in ſingularibus, non tamèn admittere volunt inter naturam, & differentiam diſtinctionem formalem ex natura rei; ſed tantùm diſtinct. virtualem, & actualem per intellectum concipientem cum fundamento in re naturã cõem à ſingularitate abſtractam, quomodo etiã tenent de gradibus Methaphyſicis; & ad argum. de contraditionibus, reſpondent, contradictionem tolli per diſtinctionem virtualem, qua mediante aliqua non ſunt omninò idem, & adæquatè, vndè fit contradictio circa idem, ſed non ſub eadẽ ratione. Sed hæc ſolutio vim argum. non infringit, licèt .n. ſufficiat ad euitandam contraditionẽ ſuppoſita intellectus operatione, quia tunc oppoſita prædicata non verificãtur de re ſecũdùm adæquatam ipſius rationẽ, ſed inadæquatã

ex diuerſa intellectus apprehẽſione, & aliquid conuenit alicui conceptui, quod repugnat alteri; præciſa tamen intellectus operatione, talis diſtinctio virtualis ad tollendam contradictionem non ſufficit, quia ibi non eſt alia apprehenſio intellectus, ſed prædicata diuerſa ex natura rei, diſtinctio autem virtualis valet ad tollendam contradictionẽ virtualẽ, ſed de his fuſiùs proprio loco agemus.

28. Sed neque etiam ipſi Scotiſtæ ſatis inter ſe conueniunt de reali cõitate ipſius naturæ; quidam enim volunt naturam eſſe cõem per inexiſtentiam, ita vt vna, & eadem natura humana realiter reperiatur in omnibus hominibus. V.g. humanitas Petri, & humanitas Pauli non differunt, niſi extrinſecè ratione differentiarum indiuidualiũ, non tamèn aſſerunt eſſe vnam naturam numericè in ſingularibus, cũ hoc ſolius naturę Diuinæ ſit priuilegium, ſed loquuntur de illa vnitate propria naturæ, quæ dici ſolet vnitas formalis, & eſſentialis, quę minor eſt vnitate numerali. Sic opinantur Faber. in philoſophia Theor. 93. & in Meth. lib. 4. diſp. 9. Canonicus .i. phiſ. q. 6. Bonet. lib. 1. Met. c. 2. Meuriſſe, & ſequitur Paſqual. tom. 2. Meth. diſp. 15.

29. Alij verò Scotiſtæ defendunt naturas cõcs ſolùm per indifferentiam, & cõſequenter volunt quodlibet ſuppoſitum habere propriam naturam cum ſua vnitate formali, & aliam eſſe humanitatem Petri, & aliam Pauli, etiam intrinſecè antecedenter ad differentias indiuiduales, dicitur tamèn quælibet natura cõis, quia quantũmuis ſit extrinſecè cõtracta per indiuidualem differentiam ad hoc, vel illud indiuiduũ, intrinſecè tamẽ ſemper indifferens manet, vt ſit in hoc, vel illo indiuiduo; ſicut enim modo cõſtituit Petrũ, in quãtũ eſt de ſe, poterat conſtituere Paulũ, ſi illi à generante communicata fuiſſet. Ita Tatar. q. 5. prædicabilium dub. 3. Vallo in formal. de diuiſione Entis rationis. Lichet. Rada 2. p. controu. tract. 3. art. 1. Maſtr. & Bell. & alij qui tamèn aduertunt, quòd licèt ſint tot humanitates, quot homines, adhuc tamen vna tantùm eſt ſpecies humana, quia vnaquæque non eſt nata fundare, niſi ſecundam intentionem eiuſdem ſpeciei.

30. Et quòd hæc fuerit mens Doctoris, clarè patet ex toto proceſſu illius q. in 2. d. 3. q. 1. vbi aptiſſimè docet cõitatem naturę eſſe per indifferentiam, non per inexiſtentiam. Et ibidem q. 6. ſub D. reſpõ ad illud quæſitum, an vnitas naturæ communis ſit alicuius entitatis in vno tãtum indiuiduo exiſtentis, an verò alicuius, quod ſimul eſt in duobus? R. *Concedo ergo quòd hæc vnitas formalis non eſt alicuius entitatis exiſtentis in duobus indiuiduis, ſed in vno.* Et in 3. ſent. d. 8. q. vnica in fine ait, aliam eſſe vnitatem formalem humanitatis Chriſti, & aliam humanitatis Mariæ. Et idem

habet

habet ſæpè in alijs locis, quæ longo ſermone ab eius expoſitoribus recenſentur.

31. Vnum eſt tamen hic valdè notandum, quòd licèt Humanitas Petri, ſit alia ab humanitate Pauli, nō tamē ex hoc inferri licet, ergo differunt in humanitate. Aliud .n. eſt aliquod diſtingui, & aliud ipſum eſſe primam rationem diſtinguendi, vel diſtinctionis. Cōcedit Scotus, quòd humanitas Petri ſit entitas diſtincta ab humanitate Pauli, nō tamèn quòd ipſa humanitas ſit ratio diſtinguēdi Petrum à Paulo, quia quantùm in ſe eſt, etiam cōmunicabilis Paulo eſt diuiſim; quarè cùm ſit cōis per indifferentiam, non poteſt eſſe ex ſe prima ratio diſtinguendi; ſed hoc eſt munus differentiæ indiuidualis, & hæcceitatis. Hinc Canon, ait, hanc opinionem eſſe magis ſubtilē, & opinioni Scoti magis conſonam, licèt ipſe Canon. vt probabiliorem opinionē de inexſtentia defendat.

32. Et quidem multi ex Aduerſariis velint, nolint ſent. noſtram fateri tenentur, & hoc ex illo principio, quòd cauſa naturalis etiam ſub requiſitis ad agendum conſiderata, indifferens eſt ad plures effectus numero producendos; dicit .n. tantùm determinatum ordinē ad vnum effectum in ſpecie, non aūt numero, hoc reuocando in cōcurſū Diuinum tamquam in cauſam proximam, & propinquam; ita Nominales omnes, vt videre eſt apud Rubion in 2. d. 34. q. 2. in corpore quæſiti, & cōiter ſequuntur Recentiores, vt Suar. diſpu. 5. Meth. ſec. 3. Conimb. 2. Phyſ. ca. 7. q. 15. Hurt. diſput. 19. Phyſ. ſec. 4. Auerſa, & Alij; cum Mag. omnib. Familiæ Dominicanæ. Ex q̄bus validiſſimum argum. Contra ipſos deducitur; Si .n. cauſa naturalis determinatur ad effectum tm̄ in ſpecie, quatenùs V.g. ignis cum ſuis circumſtantijs ſolùm determinatur ad producendum ignem, nō aūt talem ignem in particulari, ſed hæc determinatio expectatur à Deo, ergo non eſt idem natura cōis, & ſpecifica, ac indiuiduum, vt ipſi autumant, prætendentes nō dari aliam naturam in rebus, niſi ſolùm ſingularia; equidem, ſi non dantur, niſi ſingularia in reb. quomodo quo ad eſſe ſpecificum determinantur à cauſis ſecundis, quo ad eſſe verò indiuiduale determinantur à Deo? Si natura, & indiuiduum diſtinctas cauſas determinātes habent, ergo non ſunt vnum, & idem, ſed diſtincti effectus ſunt.

33. Item Thomiſtæ fatentur, q Verbum aſſumpſerit nudam naturam, ſine exiſtentia, ſingularitate, & perſonalitate, ſed oīa hæc collata fuerint à Verbo Diuino. Petimus, in illo priori ſtatu, quo conſideratur natura ſine ſingularitate, erat ne vniuerſalis, an ſingularis, non ſingularis, quia hæc communicata fuit à Verbo, non Vniuerſalis complete, quia hæc fit ab intellectu, ergo erat vniuerſalis tūc remotè, & natura communis.

34. Quòd

34. Quòd D. Bonau. noſtræ fuerit opinionis clarè colligitur ex 2. ſen. d. 18. art. 1. q. 3. n. 26. f. 425. quicquid dicat Carpened. in ſua phiā. hæc sūt formalia verba Sacri Doct. ad 5. Atqi *ad illud, quod obijcitur, quod conſiderationi phyſicæ aliquid reſpondet in re, dicendum quod verum eſt, vera .n. & realis eſt ſimilitudo inter Petrum, & Paulum, & ita neceſſe eſt ponere aliquod 3. in quo aſsimilitur, ſimiliter inter hominem, & aſinum realis eſt ſimilitudo, & ideò cōſideratio phyſica non eſt vana*. hæc Seraph. Peto ego, quid erit hoc Tertium, in quo conueniunt? nequit eſſe differētia indiuidualis, quia potius hæc eſt rō diſſimilitudinis, ergo erit natura communis.

*Obiectiones.*

35. Ob. 1. pro opinione Heracliti, & Cratilli: Omne quod eſt, ideò eſt, quia ſingulare, & vnum numero eſt ex Boetio, ergo nullum datur Vniuerſale, in eſſendo ℞r. dictum Boetij intelligendū eſſe, quòd naturę cōes ideò exiſtunt, quia ſunt in ſingularibus, qua ratione etiam ipſæ naturę ſingulares dicuntur, nō intrinſecè, & per ſe, ſed extrinſecè, per accidens, & denominatiuè rōne differentiæ indiuidualis adiunctæ, ità Scot. in 2. d. 3. q. 6. T.

Ob. 2. quidquid eſt in rerū natura, vel eſt Deus, vel Creatura, ſed vnumquodq; eorum ſingulare eſt, ergo. de Deo patet, & de creatura eſt clarū, quia hæc exiſtit ex vi alicuius actionis realis, & actiones ſunt circa ſingularia, 1. Met. tex.

1. ℞. negando minorem, & rō. eſt quia licèt oēs creaturæ, quæ immediatè, & primariò terminant actionem productiuam, ſint ſingulares, non tamen ex hoc ſequitur, quidquid producitur concomitanter ad earum productionem, eſſe ſingulare intrinſecè, cùm ſufficiat hoc eſſe tātum extrinſecè, & in hoc ſenſu naturę cōes poſſunt actiones terminare, vt benè Doct. aduertit in 3. d. 22. q. vn. G.

Ob. 3. Si darentur vniuerſalia, id potiſſimū eſſet propter ſciētias, ſed iam de ſingularibus datur ſciētia, vt cōſtat in Theologia, quæ eſt de Deo, qui eſt ſingulariſſimus, ergo. ℞. neg. min. de ſingularibus .n. non datur propriè ſcientia, vt in lib. Poſt. patebit. De Deo datur, quia eſt ens ſummè neceſſarium, & per eſſentiam, & conſequentèr nec corruptibilis.

Ob. 4. Exiſtētia eſt actus rei ſingularis, ergo quidquid exiſtit, ſingulare eſt. Reſp. aīs eſſe verum de exiſtentia perfecta, & vltimata, natura exiſtit mediatè, mediantibus .ſ. ſingularibus.

Ob. 5. Ad rationem Vniuerſalis duo requirūtur neceſſariò, vnitas, .ſ. & Multitudo, quarè definitur, quòd ſit vnum in multis, nam ſi eſſet vnum, & non reſpiceret multa, tunc deeſſet communitas, ſi verò reſpiceret multa, & non eſſet vnū, tunc eſſet merè ſimpliciter plura, ſed vnitas, & multitudo inter ſe repugnant, ergo &c. ℞. diſtinguēdo Min. vnitas .n. & multitudo nō

repu-

repugnant, niſi eodem modo ſumantur; vnitas .ſ. numeralis, & multitudo numeralis, ſed quandò dicimus, quòd ad vniuerſale in eſſendo requiritur etiam ſuo modo vnitas, & multitudo, loquimur de vnitate formali, & multitudine numerali, quæ inuicem non repugnant, vnitas .n. formalis, minor eſt vnitate numerali.

Ob. 6. Auct. Ariſt. 1. Poſt. 1.49. loquens de Vniuerſalibus, ait: *Species valeant, figmentum enim ſunt.* Et 1. de Anima c. 3. ait: Vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius eſt, nempè per ſolam intellectus operationem. ℞. cum omnibus eius expoſitoribus Ariſt. ibi loqui de Vniuerſalibus Plat. & in lib. de Anima de Vniuerſali logico, quod cum ſit ens rationis poſterius intellectu eſt, cũ per intellectus operationẽ fiat.

36. Arguitur 2. pro Nominalibus auct. Ariſt. 6. Met. 13. & lib. 10. 6. vbi ait: genera, & ſpecies ſubſtantiarum non eſſe ſubſtantias. Et in Prædicam. c. de ſubſtantia inquit, ſecundas ſubſtantias quale quid ſignificare, ſignificare autem proprium eſt nominum, & conceptuũ, ergo non dantur Vniuerſalia, niſi in ſignificando per conceptus, & voces. Et 4. Polit. cap. 2. ait, de optimo ſtatu Reipublicæ diſſerere nil aliud eſſe, quàm de nominibus diſputare.

℞. ad primam cum D. Tho. Sco. & alijs expoſitoribus, ibi negare Ariſt. genera, & ſpecies ſubſtantiarum, eſſe ſubſtantias ſeparatas, vt ajebat Plato &c. Ad ſecundam in prædicam. ſubſtantiæ, vtitur re pro nomine, vt ſenſus ſit, Secundæ ſubſtantiæ, i. nomina ſecũdarum ſubſtantiarum ſignificant quale quid, ſicut etiã ibidem dixit, quòd prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid, & tamèn etiam ſecundum Nominales prima ſubſtantia non eſt purum nomen; vel accepit ſignificare pro eſſe, ſicut dicere ſolemus, quod homo ſignificat rõnale, i. eſt animal rõnale. Ad tertiã ex 4. Polit. nõ haberi illa verba, & ſi alibi habeãtur; dicendũ eſt, inſolitũ non eſſe, aliquando nomina pro rebus accipi, & familiare eſt Sacræ Scripturæ phraſi, vt illud: *Videamus hoc verbum quod factum eſt.* Hinc nec de ſingularibus diſſerimus, niſi utendo nominibus.

37. Ob. Ratione: Scientia eſt de Vniuerſalibus ex Ariſt. At ſolùm de vocibus, & conceptibus datur ſcientia, ergo ſolùm voces, & cõceptus ſunt Vniuerſales. Pr. min. cùm .n. intellectus affirmando vnit, vel ſeparat extrema, non iungit, vel ſeparat res ipſas, ſed tantùm conceptus formales, & voces dum foris exprimuntur. ℞. negan. mi. cum ſua probatione. Intellectus .n. in propoſitione iungit, & ſeparat res ipſas, non vt ſunt à parte rei, ſed vt ſunt obiectiuè in ipſo intellectu, ſic etiam dum fiunt prædicationes vocales, non enunciatur vna vox de alia, ſed res per voces ſignificatæ.

Ob. 2. quicquid eſt in ſingulari, eſt

eſt ita ad illud determinatum, vt nequeat eſſe in alijs, ſed Vniuerſale eſt ita indeterminatum, vt poſſit eſſe in Petro, Paulo, &c. ergo Vniuerſale non poteſt à parte rei reperiri, neque in ſingularib. incluſũ. ℞. ex Scot. in 2. d. 3. q. 1. quòd aliquid eſſe ſingulare ſtat dupliciter, vno modo intrinſecè, & hoc modo negatur omnia, quæ ſunt in ſingularibus eſſe ſingularia, quia ſic ſolùm indiuiduum per ſingularitatem conſtitutum eſt ſingulare; alio modo poteſt dici ſingulare extrinſecè, ſeù per coniunctionem cũ ſingularitate, & hoc modo verùm eſt, quôd quicquid eſt in ſingulari, eſt ſingulare. Sic etiã pari modo quicquid eſt in ſingulari, eſt determinatum, vel intrinſecè, vel extrinſecè, natura dicitur à ſingularitate determinari ad vnum, ſed extrinſecè, cum quo adhuc ſtat, ꝙ ei nõ repugnet ab intrinſeco multis communicari diuiſim, extrinſeca .n. determinatio cum indeterminatione negatiua ab intrinſeco non repugnant, cùm illud impedimentum ſit extrinſecum, & per accidens.

38. Sed ob. cõtrà. Omnibus prædicatis in ſingularibus repertis cõuenit ſingularitas, cũ ſint ſingularia, ergo nullum poteſt in eis aſſignari prædicatum intrinſecum, ꝙ ex ſe ſit commune, & vniuerſale. Añs eſt clara, quia vniuerſalitas, & ſingularitas eidẽ conuenire nõ poſſunt, cũ oppoſitas habeant conditiones, nã vniuerſalitas dicit aptitudinem ad eſſendũ in multis, ſingularitas verò repugnantiam. ℞. Eodem modo, omnia, quæ ſunt in ſingulari, ſunt ſingularia, vel intrinſecè, vt ipſa indiuidua, vel extrinſecè, vt ipſa natura. Vndè negatur cõſeq. quia l. id, quod eſt intrinſecè, & de ſe ſingulare, non poſſet fieri commune, & vniuerſale, nihilominùs, quòd extrinſecè ſolũ per accidens, & per ſolam identitatem in tertio eſt ſingulare, põt eſſe cõmune per ſe, & intrinſecè, vt ipſa natura. Cũ dicitur vniuerſalitatẽ, & ſingularitatem eidem conuenire non poſſe, quia opponuntur. ℞. verum eſſe reſpectu eiuſdem, & eodem modo, non tamen reſpectu diuerſorum, & diuerſo modo. Sic idem album dicitur ſimile alteri albo, & diſſimile nigro, ergo & eadem natura in indiuiduo exiſtens, poteſt dici vniuerſalis formaliter per intellectũ, fundamentaliter in ſe, ſingularis per hæcceitatem; Communis, & indeterminata intrinſecè, ſingularis, & determinata extrinſecè.

Ob. Natura eſt abſtracta, & precisa ab inferioribus non ex ſe, ſed tantũ per intellectum, ſed non habet cõitatẽ niſi per talem abſtractione, ergo nõ eſt communis, niſi per intellectum. ℞. Ma. eſſe veram præciſiuè, non diuiſiuè, & mi. eſſe falſam abſolutè; Natura .n. dupliciter ab hecceitatibus præſcindere poteſt, .ſ. vel ſecũdum ſe quatenùs natura eſt à parte rei, & ita intrinſecè, & eſſentialiter hæcceitatem non includit, licèt ſit cum ea con-

iuncta

iunĉta, vel per intellectum, quatenùs ipſe naturam in ſe cognoſcit, non attingendo hecceitatem; Et 2. abſtractio originē trahit à prima, quia in natura in ſe non includit ſingularitatē, ideò intellectus hoc fundamēto in ipſa reperto, naturā cōcipit, nō cōcepta ſingularitate.

31. Ob. Atri. Ne dū natura à parte rei, ſed nec etiam obiectiuè præciſa, poteſt intrinſecè prædicari de quolibet indiuiduo, ergo non eſt Vniuerſalis. Conſeq. eſt clara, aſſumptum probatur: Petrus V. g. diſtinguitur realiter à cæteris hominibus, ergo natura illorum non poteſt eadē numero intrinſecè de Petro prædicari: probatur conſequentia, quia ſic Petrus haberet naturas hominum omnium ſecum identificatas, & eſſet verè, & realiter omnes homines.

Confirmatur: implicat idē realiter intrinſecè prædicari de Petro, & Paulo, & tamen Petrum, & Paulum non conuenire realiter identicè cum illo; quod .n. realiter intrinſecè de aliquo prædicatur, realiter identificatur cum illo, ergo ſi de Petro, & Paulo intrinſecè natura prædicatur, Petrus eſſet Paulus, quæ .n. conueniunt vni 3. ſunt eadem inter ſe. Rꝫ neg. aſſumptum, & ad probationē, dicimus, quòd natura illa realis eſt natura omnium hominum, non per inexiſtentiam, ſed per indifferentiam, & in hoc ſenſu natura omnium hominum poteſt intrinſecè tota de vno ſolo prædicari; non quidem proximè prædicatione, dicente hoc eſt hoc, quia hoc pertinet ad vniuerſale logicum, ſed tantùm remotè, ſicut remotè, & fundamentaliter eſt ratio natura Vniuerſalis; quatenùs .n. indifferens eſt, nō minùs hoc indiuiduū conſtituit, quàm illud, nō quidem coniunctim, ſed diuiſim.

Ad confir. concedimus, quòd Petrus, & Paulus identificantur in vna, & eadem natura, non quidem vna numeraliter, & per inexiſtentiam, ſed vna formaliter, ſeu eſſentialiter, & per indifferentiam, quò etiam ſenſu concedendum eſt, ꝙ Petrus, & Paulus ſunt idem realiter, & intrinſecè inter ſe, non quidem ſimpliciter, & abſolutè, ſed eadem identitate, qua ſunt eadem in illo 3. nempè eſſentiali, & formali, nā Petrus, & Paulus nō differunt ſpecie humana, in qua conueniūt, & in hoc ſenſu Porph. aiebat plures homines ſunt vnus homo.

37. Ob. Nihil eſt in Petro, quod realiter ſit in Paulo, ergo implicat eumdem conceptum obiectiuum prædicari poſſe de Petro, & Paulo; ant. patet, conſeq. Pr. Conceptus obiectiuus potens prædicari de Petro, & Paulo, debet eſſe in Petro, & Paulo, ſed nullus conceptus q eſt in Petro, eſt in Paolo, ergo nullus, cōceptus, q prædicatur de Petro, poteſt prædicari de Paulo. Rꝫ. diſtinguēdo antecedēs. Nihil eſt in Petro, ꝙ realiter ſit in Paulo p inexiſtentiā, aliquod tamē eſt in Petro, quod in Paulo per indifferētiam, & hoc ſufficit, vt talis con-

cept⁹ à tali realitate abſtract⁹ poſſit ſecundum totum id, quod importat, de Petro prædicari, ſicut de Paulo, nam prædicatio ſequitur identitatem; Vndè ſicut natura Petri poteſt quantum de ſe eſt, identificari cum Paulo, ità etiam prædicari, licèt de facto non identificetur cum eo, ac per conſequēs impedit actualem prędicationem, dicentem hoc eſt hoc, non impedit tamē poſſibilitatem remotam, ſeù identitatem aptitudinalem, & cōitatem per indifferentiam.

Obijciunt Aureolus, & Ocham: Si daretur talis natura à parte rei cōis pluribus, ſequeretur, quòd vna, & eadem natura erit ſimul, & ſemel miſera, & beata, Natura Chriſti beata, natura humana Iudæ damnata. Item, quòd Petrus nō poſſit à Deo annihilari, quia ſemper aliqua eius entitas remanet; ſ. illa, quæ communis eſt cum alijs indiuiduis remanentibus. Nequè poſſet nouus homo creari, quia creatio petit eſſe ex nihilo, & in hac ſententia præexiſteret eius natura in indiuiduis iam exiſtentib⁹.

Ad primum inconueniens reſpondet Faber, cum illis qui ponūt naturam communem per inexiſtētiam, quòd natura Chriſti eſt numero diuerſa à natura Iudæ, & ſolùm eadem ſpecie, & non inconuenit aliquam naturam eiuſdem ſpeciei cum natura Chriſti eſſe miſeram. Sed argum. adhuc vrget nam inconueniens eſt, quòd vna, & eadem entitas, quomodocumque ponatur vna ſiuè numero, ſiuè ſpecie, dūmodo ſit vnitas realis, qualis ponitur eſſe vnitas naturæ, ſimul, & ſemel ſit miſera, & beata; In illorum .n. opinione humanitas Chriſti, & Iudæ, antecedenter ad ſingularitatem, non ſunt diſtinctæ res. Igitur quamuis eadem ſingularitas non eſſet ſimul, & ſemel miſera, & beata; benè tamèn poſſet eſſe eadem natura, quod abſurdiſſimum eſt.

Ad aliud Argum. de Creatione, & annihilatione Reſp. ſufficere ad annihilationem ſi nihil remaneat ſingulare, & ad Creationem, ſi nihil præexiſtat ſingulare: Sed hoc eſt contra ſenſū communem creationis, & annihilationis, tunc enim dicitur rem annihilari, vt nihil remaneat in rerum natura entitatis actualis, quæ intrinſecè rem annihilatā componebat; ſicut ad Creationem, vt nihil præexiſtat entitatis intrinſecæ componentis ipſam rem creatam; Vndè meritò Tatar. loc. cit. hanc opinionem, imaginationem, & meram fatuitatem appellat. At ponendo naturam cōem per indifferentiam, ſtatim illa Argum. euaneſcunt, vt patet conſideranti, alia eſt .n. humanitas Chriſti, alia humanitas Iudæ, licèt vtraque communis per indifferentiam &c.

38. Ob. Vltimò pro Platonicis, q. ſ. dari debeant Vniuerſalia ſeparata à ſingularibus; ſcientia debet eſſe de obiecto immutabili, incorruptibili, & æterno, ſed Vniuerſa-

lia

lia ad nittuntur, vt vera de rebus habeatur ſcientia, ergo ſtatui debent immutabilia, & æterna; at ſi ponerentur in ſingularibus, non eſſet huiuſmodi, quia ad corruptionem illorum interirent, ergo ab illis ſeparata poni debent. ℞. vt ſupra, nõ eſſe de ratione obiecti ſciẽtiæ, quòd ſit neceſſarium, & immutabile quo ad exiſtentiam, ſed ſufficit quo ad connexionem prædicati cum ſubiecto, quod idem eſt, ac ſufficere neceſſitatem complexam, & propoſitionis, non incomplexam, cum Doct. in 1. d. 3. q 4. litera I. & K.

Ob. Si nullus homo in particulari exiſteret, adhuc daretur ſcientia de homine in communi, verum. n. eſſet dicere homo eſt Animal rationale, ergo daretur homo in cõi, à ſingularib. ſeparatus, de quo id verè affirmari poterit; Reſp. neg. conſequentiam; & ratio eſt, quia ad veritatem propoſitionum, non requiritur quòd extrema ſupponant pro aliquo exiſtente, ſed ſufficit, quòd ſupponant pro aliquo in eſſe cognito, & poſſibili, vt iungantur ad inuicem; quando. n. extrema talium propoſitionum cõponuntur ad inuicem, propoſitiones ex ipſis conſtitutæ ſemper ſunt veræ, quia ſemper tunc eſt conformitas actus intelligendi, ſeù propoſitionis mentalis ad rem cognitàm. Ità Maſtr. & Bellut. ex Tata. q. vlt. prædicab. art. 2. dub. 3. ex Scot. 1. Perh. q. 8. & 1. d. 36. q. vn.

Ob. Eſſentiæ rerum ſunt æternæ, ſemper. n. verum eſt dicere, homo eſt Animal rationale, ſed in ſingularibus non ſunt æternæ, ergo ſeparatæ &c. ℞. eſſentias rerũ dici æternas, non ſimpliciter, & incomplexè, cùm etiam ipſæ corrumpãtur ad ſingularium corruptionem, ſed complexè, quatenùs de ipſis propoſitiones æternæ veritatis efformamus. Ità Scot. in 3. d. 22. q. vn. G. quod eſt dicere, sũt æternæ quo ad eſſe poſſibile, non quo ad eſſe actuale.

Ob. Simile debet à ſimili generari, at multa videm' à cauſis particularibus diſſimilia generari, ergo dari debet aliqua cauſa vniuerſalis, in qua omnia ſingularia aſſimilantur; & à qua illas differentes conditiones mendicent. ℞. ad maiorem, non ſemper eſſe neceſſariam ſimilitudinem formalem, & vniuocam inter cauſam, & effectũ, ſed multoties ſufficit virtualis, vt patet in cauſis æquiuocis. In cauſis verò vniuocis ſufficit ſimilitudo in natura &c.

Ob. Si Vniuerſale eſſet in ſingulari, ipſum quoque redderet vniuerſale, ſed hoc eſt falſum, ergo & id vndè ſequitur, patet ſeq. quia forma denominat ſubiectum, in quo eſt, vt albedo exiſtẽs in pariete, ipſum reddit album, ergo &c. ℞. neg. ſeq. cum ſua probatione, natura. n. eſt in ſingularibus vt ſuperius in inferiori, non vt forma in ſubiecto, vt ẽ albedo in pariete.

Ob. Tandèm, ſi non daretur Vniuerſale ſeparatum, tunc intelle-

ctus falleretur cognoſcēdo vniuerſale, non cognitis ſingularibus, quia tunc cognoſceret extra illa, cum tamen inter illa eſſet. Et neg. ſeq. illum .n. Intellectus conſiderat naturam, nō cōſideratis indiuiduis, propriè nō diuidit, aut ſeparat naturam ab illis, quia non contemplatur naturam ſine illis, ſed conſiderat vnum, non conſiderando aliud; quod eſt præſcindere, & abſtrahere, non diuidere; abſtrahentium non eſt mendacium ex ſecūdò phyſ. tex. 12. ſed de his fuſiùs in Methaphyſ.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*An Vniuerſale in prædicando detur à parte rei independenter ab intellectu.*

1. SCotus, qui in Scientiarum Cælo fulgentiſſimis vndiq; radijs, ad expellendas ignorantiæ tenebras Sol nouus exoritur, in 2. ſent. d. 3. q. 1. & ſeq. licèt tribuat naturæ à parte rei quamdam vnitatem minorem vnitate numerali, & quamdam aptitudinem ad eſſendum in multis diſiunctim, ibi tamen expreſſis verbis ſe declarat, hoc non ſufficere ad rationem vniuerſalis in actu, quare ſub. lit. I. ſic ait: *Eſt ergo in re commune, quod non eſt de ſe hoc, ſed tale cōmune non eſt vniuerſale in actu.* Et §. ad quæſtionem aperrè docet, naturam de ſe, nec eſſe vniuerſalem, nec particularē, ſed ad vtrumque indifferentem, quomodo etiam fuit locutus Auicenna, cùm ait: Equinitas eſt tantùm equinitas. Et in fine quæſt. ait: *Communitas conuenit naturæ ex ſe, non tamen vniuerſalitas, atque ideò cauſa vniuerſalitatis, non communitatis quærenda eſt in ipſa natura.* Et in 1. d. 23. q vn. verſus finem, ait vniuerſalitas non conuenit homini, niſi per actum intellectus operantis. Quarè immeritò à Toleto, & alijs Recentioribus pro oppoſita ſententia citatur, nā in manifeſta æquiuocatione laborant de vniuerſali in eſſendo, & p̄dicando, & de remoto, & propinquo &c.

2. Pro intelligentia huius quæſiti, notandum eſt in ſchola Doctoris, duplicem diſtingui ſolere communitatem, ſeù indifferentiam naturæ ad eſſendum in multis; alteram poſitiuam, alteram priuatiuam, ſeù negatiuam: poſitiua eſt illa, ſecundum quam natura concipitur in ſe indiuiſa, & ab omnibus differentijs indiuidualibus abſtracta, æqualiter omnes reſpiciens, quæ etiam appellari ſolet indifferentia, ſeù indeterminatio contraria, quatenùs poſitiuè contrariatur determinationi actuali per differentiā, quam penitùs excludit: ſi .n. illam ſecum admitteret, iam non eſſet ab omnibus ſingularibus abſtracta, nec æqualiter illa omnia aſpiceret: Priuatiua, ſeù negatiua eſt illa indifferentia, quām natura illa in ſe retinet, licèt per differentiam indiuidualem cōtracta ſit, à qua formaliter diſtinguitur, & ex ſua ra-

tio-

Digitized by Google

tione formali quamdam nõ repugnantiam includit, vt poſſit ſub alia ſingularitate eſſe, ab illa, in qua reperitur, & dicitur priuatiua, qa cum ſimili indifferẽtia naturæ ſtat extrinſeca determinatio eiuſdem per aliquam hecceitatem. Quæ diſtinctio ab alijs datur ſub nomine aptitudinis, quæ aptitudo naturæ ad eſſendum in multis duplex eſt; vna proxima, altera remota, proxima eſt potentia libera, & expedita; remota eſt potentia impedita, quo impedimento mediante, non poteſt ad actum reduci, vt patet de Materia prima, quæ ſecundùm ſe dicit potentiam proximam recipiendi quaslibet formas diſiũctim; ità vt habeat ſimultatem potentiæ, non potentiam ſimultatis; ſed affecta aliqua forma, eſt in potentia remota ad aliam recipiẽdã,

3. Supponimus ſecundò, ad rationem formalem vniuerſalis, duo requiri, ſ. quòd ſit vnum, & plurib. communicabile, vel actu, vel aptitudine; & vtrũque Ariſt. definiendo Vniuerſale explicuit, dicens ꝙ eſt *vnum in multis*; quod intelligendum eſt de vnitate poſitiua, & aptitudine proxima, ità vt ex æquo omnia inferiora reſpiciat, & non magis vnũ, quàm aliud; quod natura habere non poteſt à parte rei, ſed tantùm per intellectum, illam præſcindentem à differentia indiuiduali, à qua cõtracta inuenitur; & hoc patet, quia à parte rei in vno tãtũ indiuiduo reperitur vna, & à qualibet differẽtia determinata, ac perindè extrinſecè impedita, vt omnibus diuiſim cõmunicari poſſit, quarè à parte rei non eſt indifferens, niſi negatiuè, quod impedimentum auffertur per intellectũ, dum à tali differentia indiuiduali præſcinditur; & tãdèm ſit cõis poſitiuè, dum concipitur pluribus actu communicata, vel ſaltem communicabilis; per inexiſtẽtiã vt infra patebit, ex quo habetur, naturam propriè & formaliter per intellectum fieri vniuerſalem.

4. Eſt 3. aduertendum, quòd Paſqualigius to. 2 ſuæ Meth. tenet eãdem Concluſionem de mente Doctoris eq; òd .ſ. Vniuerſale in prædicando fiat per intellectum, verba Scoti referendo, & ponderãdo; ſed errat in hoc, quòd Vniuerſale in prædicando, putat eſſe vniuerſale Meth. & quòd Scotus Vniuerſale Meth. cum vniuerſali in prædicando confunderit. Vndè poſtea ibidem ad mẽtem Doctoris ponit duplex Vniuerſale, alterum Phyſicum, alterum Meth. per primum, intelligit naturam ipſam à parte rei in ſtatu realis exiſtentiæ, complicatam cum differentijs indiuiduantibus; per ſecundum, eamdem naturam in ſtatu præciſionis obiectiuæ, quando .ſ. per intellectum indiuiduantibus differentijs exuitur, & hoc ait eſſe Vniuerſale in actu, & eſſe prædicabile de pluribus in potentia proxima; qui modus loquendi non admittitur, nec eſt ad mentem Scoti; Vniuerſale enim Meth. non eſt vniuerſale in actu, & for-

formaliter, ſed in potentia tãtùm, & fundamentaliter; quod cõe eſt vtriquè Scholæ tàm Thomiſt. quã Scotiſt. vt videre eſt apud Tromb. 7. Meth. q. 8. & 9. & Complut. diſ. 3. log. q. 6. prædicari .n. eſt proprium ſecundarum intentionum, pertinens ad vniuerſale logicum, non Meth. & quandò Scot. in 2. d. 3. q. 1. ſub lit. H. ait Vniuerſale in actu eſſe, id, quod eſt in potentia proxima ad prædcari de pluribus, non fuit locutus de vniuerſali met. ſed logico, & de Meth. verba fecerat ſub lit. E. dicens, quòd natura de ſe, nec Vniuerſalis actu eſt, nec particularis; & licèt realiter nunquàm ſit ſine aliquo iſtorum, non tamẽ eſt de ſe aliquod iſtorum, ſed eſt priùs naturaliter omnib⁹ iſtis, & ſecundùm iſtam proprietatem naturalem eſt quodquid eſt, & per ſe obiectum intellectus, & per ſe vt ſic conſideratur à Met. ita Scot.

5. Eſt ẽt notandũ, vt tollatur æquocatio de potentia proxima Vniuerſalis, quòd licèt Scot. aliquãdò appellet vniuerſale in actu, & in potentia proxima id, quod eſt à ſingularibus abſtractum; hoc tamen intelligi debet fundamentaliter, vt benè Maſtr. aduertit tomo 2. Meth. q. 9. de Natura communi art. 1. fol mihi 356. quatenùs .ſ. natura ſic abſtracta eſt fundamentum proximum vniuerſalitatis, nõ verò, quòd ipſa natura pręcisè cõſiderata ſub tali abſtractione ſit vniuerſalis in actu, & completè; ꝙ clarè patet ex verbis Doctoris loc. cit. initio artic. vbi docet, naturam in tali complemento conſtitui, & vniuerſalizari formaliter, non per abſtractionem à ſingularibus, ſed potiùs illa concernendo per modum ſuperioris, & prædicabilis, qui reſpectus rationis prędicabilitatis ſicut ad logicum ſpectat, & non ad Meth. ità facit, ꝙ vniuerſale in actu, & potentia proxima prædicabile de pluribus ſit vniuerſale logicum, nõ Methaphyſicum, & è contra ad ſolum Meth. ſpectat conſiderare naturam, vel negatiuè præciſam à ſingularibus, quomodo ſe habet à parte rei, quatenùs adhuc in tali ſtatu natura non includit illam ſingularitatem in ſua ratione formali; vel etiam poſitiuè, quatenùs per intellectus abſtractionem accipit poſitiuam indifferentiam quà à conditionib⁹ indiuiduantibus denudatur. Vndè natura ſub hoc vtroque ſtatu, ſolùm vniuerſalis Methaphyſicè dici poteſt, & in potentia, remotè quidem ſub ſtatu præciſionis negatiuæ à parte rei, proximè verò ſub ſtatu præciſionis poſitiuæ per intellectum. Et hoc innuit Scot. loc. cit. lit. I. cum ait: Natura nunquã eſt vniuerſalis in actu, vt in potẽtia proxima dicatur de quolibet ſuppoſito, niſi vt eſt in intellectu poſſibili, eam ad inferiora conferente per modum ſuperioris, & prædicabilis, per quod manifeſtè docet, naturam præcisè conſideratam à ſingularibus abſtractam, & ſub vnitate præciſionis eſſe vniuer-

uerſale tantùm meth. & in potentia, non in actu.

6. Et hoc eſt quod Aduerſarios, & præcipuè Paſqualigium fefellit, nam aliud eſt, naturam in ſtatu præciſionis obiectiuæ eſſe in potentia proxima ad prædicandum de pluribus, prædicatione dicente hoc ē hoc; & aliud eſt eſſe in potentia proxima ad recipiendam, & fundandam relationem vniuerſalitatis formalis; hoc Secundum eſt, vniuerſale Methaphyſicum, & in potentia proxima fundandi, & de hoc fuit locutus Scot. quando ait, quòd natura abſtracta per intellectum eſt in potentia proxima vniuerſalis. Quæ doctrina valdè eſt in propoſito attendenda, nam reuera aliud eſt eſſe in potentia proxima ad prædicandum de pluribus, & aliud eſt eſſe in potentia proxima ad fundandam relationem vniuerſalitatis formalis.

7. Addimus etiam, quòd eſtò natura ſic per intellectum præciſa acquiſierit quamdam indifferentiam poſitiuam, qua omnia inferiora ex æquo reſpiciat, hoc tamē intelligi debet diuiſim, cùm adhuc natura intra limites entis realis verſetur, & impoſſibile eſt, quòd vna, & eadem natura realis in pluribus coniunctim inueniatur; quādo deindè Intellectus talem naturam poſitiuè indifferentem concipit in pluribus coniunctim, & per inexiſtentiam, tunc fit vniuerſale Logicum.

8. Verum eſt tamen, quòd illa diſtinctio de Vniuerſali Phyſico, & Methaphyſico naturis applicatis, licèt non ſit Doct. cùm potiùs per Vniuerſale phyſicū intelligat Materiam primam, iuxta communem expoſitionem illius dicti Ariſt. 10. Methaphyſ. corruptibile, & incorruptibile differunt pluſquam genere, eſt tamen multum apud Recentiores plauſibilis, vt videre eſt apud Suar. diſp. 7. ſec. 8. num. 3. quòd per Vniuerſale phyſicum intelligunt naturam, dum in eſſe reali exiſtentiæ per differentiam indiuidualem cōtracta reperitur; per Vniuerſale Meth. intelligunt eādem naturam, quando eſt à conditionibus indiuiduātibus per abſtractionem intellectus ſeiuncta, & ſolùm concipitur in ordine ad ſua prædicata eſſentialia, in quo ſtatu præciſionis dicebat Auicen. à Scoto relatus, quod *equinitas eſt tantum equinitas*; per Vniuerſale logicum intelligūt eamdem naturam affectam ſecunda intentione vniuerſalitatis, per quam ad inferiora refertur in ratione ſuperioris, & prædicabilis. Scotiſtæ verò vt apud Tromb. patet loc. cit. q. 9. non aſſignant niſi Vniuerſale logicum, quod eſt in actu; & Meth. quod eſt in potentia, & fundamentum illius; quod rurſus dupliciter accipitur, vel pro fundamēto remoto, & eſt natura ipſa per differentiam contracta; vel pro propinquo, & eſt ipſa natura per intellectum à conditionibus indiuiduātibus abſtracta; & per Vniuerſale phyſicum,

cum, intelligunt materiã primã.

*Concluſio.*

9. *Dicimus, Vniuerſale in prædicando, quod propriè eſt Vniuerſale, non dari à parte rei, ſed tantùm per intellectus operationem.* Eſt Scot. locis cit. quem ſequuntur Scotiſtæ ſuper eadem loca, vt videre eſt apud Tromb. 7. Meth. q. 9. & Maſtr. & Bellut. diſ. 5. q. 1. art. 2. Et probatur auctor. Ariſto. 1. de Anima tex. 8. vbi loquens de Vniuerſali logico ait: Vniuerſale nihil eſſe in reb⁹, aut poſterius eſſe, quia .ſ. per abſtractiones intellectus, ab eis fit. Vbi fideliſſimus Commentator dixit, Intellectum facere Vniuerſalitatem in rebus. Et Philop. 1. Poſt. c. 20. ait, Vniuerſale in ſola intelligẽtia habet eſſe. Probatur à Scoto ratione in 2. d. 3. q. 1. vbi ſub lit. H. ait: Vniuerſale in actu eſt illud, quod habet vnitatem indifferentem, ſecundùm quam ipſum idem eſt in potentia proxima, vt dicatur de quolibet ſuppoſito dicente, hoc eſt hoc, quia Vniuerſale. 1. Poſt. 25. eſt vnum in multis, & de multis; ſed nullum datur ſic à parte rei, quod ſit in potentia proxima ad talem prædicationem, ergo nulla datur natura à parte rei, quæ propriè, & rigoroſè dici poſſit Vniuerſalis. Pr. min. quia licèt alicui naturæ exiſtenti in re, non repugnet eſſe in alia ſingularitate ab illa, in qua eſt, non tamen dici poteſt de quolibet inferiori, quod quodlibet ſit ipſa; quia actu non reperitur niſi in vno indiuiduo, de quo ſolo affirmari poteſt. Et hæc eſt cõis opinio Grecorum, Latinorum, & Arabum, & malè Toletus cum alijs Scoto impingit, quod poſuerit tale Vniuerſale ante operationem intellectus, imò Argum. quæ ipſe adducit pro parte Doctoris, nos adducimus pro parte contraria, vt rectè, & dignè ſoluamus.

10. Marcus Baudun. Diſp. 4. log. ſec. 5. Cupiens Seraphicum Doct. cum Subtiliſſimo conciliare, affert S. Doct. in 1. d. 25. dub. 3. & ſerm. 4. de lumine, vbi docet, quòd vniuerſale eſt opus rõnis formaliter, & eſt ens reale materialiter. At hæc eſt adamuſſim ſent. Scoti, qui licèt in meth. q. 18. & in 2. ſenten. d. 3. q. 1. doceat dari vniuerſale à parte rei ante operationem intellectus, quatenus natura humana v. g. ex ſe non eſt incommunicabilis, in fine tñ quæſt. de 2. ſent. cit. apertè ait: *Vniuerſalitas non conuenit rei ex ſe, communitas verò conuenit ex ſe.* ergo in ſent. Scoti vniuerſalitas non conuenit naturæ ex ſe, loquẽdo de vniuerſali formaliter, ſed hoc prouenit ab intellectu, vniuerſale verò fundamentale, ſeu materiale conuenit naturæ ex ſe, per quod Scot. intelligit naturam cõem, quæ in ſuis ſingularib. materialiter exiſtit, ſic et cum noſtris Doctorib. reconcillare nititur Pręfat. Baudun. D. Thomam, quod ſ. cum 7. meth. lec. 13. & opuſc. de ente, & eſſentia cap. 4. & alibi, docet non dari vniuerſale à parte rei, ſed tñ per intellectum; hoc intelligen-

ligendum eſſe de vniuerſali formali, non de vniuerſali remoto, fundamentali, & potentiali; hoc .n. negari non poteſt, cùm natura ſit ex ſe independenter ab Intellectu communicabilis.

*Obiectiones.*

11. Ob. 1. Quod Vniuerſale ſit à parte rei independenter ab intellectu: Obiectum præcedit actum potentiæ, ſed Vniuerſale eſt obiectũ intellectus, ex Ariſt. 1. phyſ. 10. in fine, ergo præcedit actum intellectus. ℞. quicquid ſit de reſponſione Toleti, maiorem eſſe veram de obiecto motiuo, non de vniuerſali in actu, & formali, quod eſt obiectum intellectus tantùm terminatiuum; vel maior eſt vera de vniuerſali materiali, & remoto &c.

Ob. 2. Natura cõis hẽt de ſe propriam vnitatem formalem, minorem vnitate numerali, habet etiam de ſe, quòd ſit pluribus communicabilis, quæ duo ſufficiunt ad conſtituendũ vniuerſale, ergo &c. ℞. non ſufficere ad vniuerſalitatẽ propriè dictam, cùm illa communitas naturæ ſit tantùm negatiua, ſed requiritur quòd ſit communis poſitiuè, vt nimirùm ſit actu in multis, vel ſaltèm in potentia proxima ad eſſendum in multis.

Ob. 3. Multa attributa realia enunciantur de naturis, quatenùs Vniuerſales ſunt, quòd .ſ. ſint obiecta ſcientiarum, definibilia, immutabilia; ergo independenter ab intellectu vniuerſales ſunt. ℞. admittendo illa attributa de natura enunciari, non quatenùs natura vniuerſalis eſt, ſed tantùm materialitèr, & remotè, prout à ratione formali naturæ pendent, & non ex conditionibus indiuiduantibus.

Ob. 4. datur à parte rei ſingulare in actu, ergo, & vniuerſale in actu, relatiua .n. ſunt ſimul tempore, natura, & cognitione. ℞. concedendo totum, ſi vniformiter vniuerſale, & ſingulare accipiantur. ſ. vel materialiter, vel formaliter, ſicut .n. materialiter ſunt à parte rei, ſic formaliter ſunt per intellectũ.

Ob. 5. Conſtans ex materia, & forma eſt Ens reale, cùm ſit compoſitum naturale, ſed vniuerſale eſt huiuſmodi, ergo &c. ℞. compoſitum naturale vniuerſim cõſtare ex materia, & forma obiectiuè tantùm, & veluti in eſſe ſignato, non autem in actu exercito, & realiter. Nec vniuerſale cõſtat ex materia, & forma naturali, ſed artefciali, & rationis.

Ob. 6. Prædicamenta ſunt entia realia, & extra animam, ſed naturæ vniuerſales in prædicamentis continentur, ergo &c. ℞. Prædicamenta eſſe entia realia ratione naturæ communis, quæ denominatur Vniuerſalis, quatenùs eius contẽplatio, vt ſic ad Meth. ſpectat, eſtò quatenùs vniuerſalia ſunt ad logicum pertineant; vel prædicamẽta dicuntur vniuerſalia in potentia, & nominaliter, non verbaliter.

Ob. 7. Vniuerſale, cadit ſub ſẽſu, vt eius obiectum, ex 2. poſt. in fine, ergo eſt à parte rei, conſe-

quentia eſt clara, nam ſenſibilia ſunt entia realia. Añs pr. nam l. potentia ſenſitiua non attingat naturam, niſi ſub ſingularitate, non tamẽ ſingularitatem attingit ex Scoto loc. cit. ſub lit. C. Tùm quia ſępè apprehendimus rem diſtantem ſine cognitione differentiæ indiuidualis, vt cùm V. g. cernimus aliquod eſſe Animal, ſed non cognoſcimus neque ſpeciem, neque indiuiduum. ℞. neg. Añs, & ad probationem, dicimus, quòd l. ſingularitas non ſit ratio mouendi, eſt ſaltèm conditio mouentis, ità vt, quod ſentitur ſemper ſingulare ſit, vt in libris de anima patebit, ſed nec quod à longè videtur, eſt vniuerſale, ſed ſemper aliquod ſingulare, vt Doct. docet in 4. d. 8. q. 3. §. *has omnes concluſiones, &c.* quamuis confusè, & indiſtinctè concipiatur, ſemper .n. attingitur ſub conditionibus indiuiduantibus tẽporis, & loci &c. Vniuerſale verò abſtrahit ab hìc, & nunc. &c. & Ariſt. locutus fuit de natura cõi, quę in ſingularibus reperitur.

Ob. 8. Non ſolùm datur à parte rei diuerſitas numeralis, ſed etiam ſpecifica, & generica ex Scoto, ergo etiam à parte rei dari debent vnitas ſpecifica, & generica, quæ ſunt vniuerſales, conſeq. patet, q͞a vnum, & multa, idem & diuerſum ſunt oppoſita ex 10. Met. & toties dicitur vnum oppoſitorum, quoties & reliquum ex primò Top. ℞. argum. ſolùm probare, ꝙ à parte rei detur vnitas generica, & ſpecifica fundamẽtalitèr, & hoc innuit Doctor, formaliter verò ſecundas intentiones ſupponunt, vt infra patebit.

Ob. 9. Intellectus concipit naturam vniuerſalem, ergo talis eſt à parte rei. probatur conſequentia, quia ipſe non mutat realiter obiectum, nec illi verè tribuere poteſt, quod non conuenit à parte rei. ℞. negan. conſeq. nam licèt intellectus non mutet obiectum realiter, mutat tamẽ obiectiuè, nec perindè fallitur, quamuis .n. attributũ vniuerſalitatis non conueniat naturæ à parte rei formaliter, conuenit tamen fundamentaliter, & virtualiter &c. Multa circa hanc rem agitanda remanent, ſed quia nonnihil modicum limites logicæ traſcendunt, in Met. (Deo duce) examinanda relinquimus.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De eſſentia, & quidditate vniuerſalis Logici.*

1. SCotus, Sapientum Octauus maiori ingenij dexteritate conſpicuus. in 2. d. 3. q. 1. & q. 9. Vniuerſalium, & alibi ſępè in confeſſo habùit, ſecundas intentiones logicales eſſe relationes rationis, per intellectus operationem efformatas, inter quas, vna eſt intentio ſecunda vniuerſalis, & ſequuntur Scotiſtæ communiter aſſerẽtes entia rationis logicalia fieri per actũ collatiuum intellectus; & licèt hęc ſententia ſit inter Auctores cõis, affirmantes, eſſentiam Vniuerſalis logi-

logici cōſiſtere in relatione, & cōſtitui per reſpectum rationis communis naturæ ad inferiora; non tamen defuere, qui poſuerunt naturam fieri vniuerſalem in actu, per operationem directam intellectus poſſibilis, qua cognoſcit naturam communem ſecundùm ſuam præciſam rationem, quam ſententiam probabilem putat Suar. diſput. 6. Met. ſec. 6. nu. 8. Conimb. q. 5. art. 3. & videtur fuiſſe Durand. in p.d.3. p.2.q.5. & amplectitur Tolet. q.2. vniuerſalium concl. 5. vbi ait, tunc res primò dicitur Vniuerſalis, quandò in ſpecie intellectui repræſentatur, non repræſentatis ſingularibus, ſecundò autem quādo cognoſcitur, nō cognitis etiam eiſdem ſingularibus.

Eſt hic ſupponēdum pro maiori captu huius reſolutionis ex Scoto loc. cit. quòd ratio proxima fūdandi ipſam ſecundam intentionē vniuerſalitatis in natura cōi, eſt vnitas naturæ, non illa realis, quam habet natura à parte rei formalē in ſingulis indiuiduis, quia hæc nō ſufficit ad vniuerſalitatem; cùm.n. hæc in inferioribus multiplicetur, repugnat vnitati Vniuerſalis. Tùm quia ſublata vnitate, inferiora deberent vniri, iuxta illud Porphyrij, participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo. Tùm quia ſi vnitas Vniuerſalis multiplicaretur in inferioribus vt formalis, ſequeretur quòd tot conſtituenda eſſent genera, quot ſpecies; & tot ſpecies quot indiuidua. Vnitas ergo generica multiplicaretur in ſingulis indiuiduis. Maior ergo vnitas aſſignari debet pro fundamento proximo vniuerſalitatis, vt optimè hic Bellut & Maſtr. aduertunt; quę maioritas conſiſtit in hoc, quòd in tali ſtatu præciſionis obiectiuę cōcipitur natura habere vnitatem indifferentem poſitiuè, quam non habebat, quādo à parte rei conſiderabatur, ſed erat tantùm indifferens negatiuè, & vbi indifferentiam habebat ad eſſe in multis diſiunctim ex ſe, & intrinſecè; dum ſit vniuerſalis, concipitur habere talem indifferentiam poſitiuam, vt poſſit eſſe abſque impedimento in ſingulis, & omnibus inferioribus, & non tantùm diſiunctim, ſed ſimul, & coniunctim, q.a de ratione Vniuerſalis eſt, vt ſic etiam poſſit de ſuis inferioribus prædicari. Vndè etiam oritur, quòd quando cōcipitur natura vniuerſalis in actu in ſuis inferioribus, concipitur in eis vna per inexiſtentiam; & quamuis talis vnitas naturę repugnet, vt ſupra dicebamus, non tamen illi repugnat, vt concipitur in eis per modum vniuerſalis ex parte intellectus. Subdit etiam Doct. quòd natura Vniuerſalis habet vnitatem numeralem obiectiuam, ſeu in ratione obiecti intellecti, non quòd ipſa natura vniuerſalis ſit in ſe vna numero, q.a hoc ei repugnat, quatenùs Vniuerſalis eſt, ſed in ſenſu, quòd ſicut conceptus formalis hominis, vt ſic, eſt vnus numero, ita obiectum eius in ratione obiecti, vnū

vnũ numero dici poteſt, per denominationem extrinſecam à cõceptu mentis, quia vt ſic cum tota ſua communitate eſt vnum de numero intelligibilium, & cùm tali numerica vnitate eſt inferioribus communicabile per rationis cõtractionem, & ſecùndùm ipſam vnitatem de omni ſingulari eſt prædicabile, prædicatione, dicente hoc eſt hoc. Hæc Bellut. & Maſtr. ex Lych. in 2. d. 3. q. 1. §. ibi ſed contra illud, & ſequitur Suar. loc. cit. ſec. 2. nu. 12. cum multis Recentioribus.

3. Ex quibus patet, quòd vnitas hæc vniuerſalitatis, ſeu naturæ Vniuerſalis, ſit maior illa, quàm habet natura à parte rei; nam hæc eſt vnitas per indifferẽtiam negatiuã, quæ non ſtat cum multitudine numerali actuali, quia de facto in ſingularibus nõ multiplicatur; Vnitas verò, quam habet natura per intellectum, quando fit Vniuerſalis, eſt per intellectum, ita vt talis vnitas ſtat ſimul cum multitudine numerali indiuiduorum, vna .n. & eadẽ natura per inexiſtentiã in omnibus indiuiduis concipitur; ex quo etiã ſequitur, quòd indifferentia, ſeù aptitudo ad eſſendum in pluribus maior eſt quãdo natura fit vniuerſalis, quàm à parte rei habebat, nã à parte rei eſt indifferentia negatiua, & apta remotè ad eſſendum in pluribus diſiunctim; quando verò vniuerſalizatur, concipitur indifferens poſitiuè, & proximè apta ad eſſendũ in multis etiã cõiunctim, Vnde tandem habetur, quòd tàm vnitas, quàm aptitudo requiſitæ ad vniuerſalitatem non ſint reales, ſed rationis per negotiationem intellectus.

4. Aliqui ex Recẽtioribus, quibus præiuit Suar. loc. cit. intelligunt, quod vnitas Vniuerſalis logici conſiſtat in indiuiſione alicuius naturæ in plures naturas ſimiles ſub eodem nomine, & ratione cum aptitudine, vt in eas diuidatur, & hoc modo dicunt, omnes homines in ratione ſpeciei eſſe vnum hominem, quia in conceptu hominis, vt ſic non diuiduntur; facta autem diuiſione in plura eiuſdem nominis, & rationis, etiam per intellectum, ſtatim eius vnitas euaneſcit, quia iam diuiditur in plura; Vnde volunt vnitatem Vniuerſalis eſſe tantùm cõpoſſibilem cum aptitudine eſſendi in multis, non autem actu.

5. Non acceptatur, nã vnitas vniuerſalis etiam cum actu eſſendi in multis conſiſtere poteſt, & ratio eſt clara, nam aliter nõ poſſet amplius dari prędicatio Vniuerſalis de inferioribus; dum .n. Vniuerſale actu prędicatur de inferioribus, vel ſupponitur per intellectum prius contractum ad illa, vel non; Si hoc, ergò iſta prædicatio, Petrus eſt homo, non erit Vniuerſalis de particulari; ſi primũ ergo vnitas, & aptitudo Vniuerſalis manet cum ipſo actu eſſendi in multis, & prædicãdi de multis: Tùm quia nõ datur aptitudo ad actum, cùm ipſa aptitudine repugnantem, ſed potiùs actus per aptitudinem perficitur, vt pa-

tet de riſibilitate, & actu ridendi, & quando aptitudo in actu ponitur, ſolùm deſtruitur ordo prioritatis ad actum, quod etiam ſuo modo dicendum erit de aptitudine rationis, qualis ponitur iſta naturæ Vniuerſalis ad eſſendum in multis, & prædicandi de multis.

6. Et licèt, vt benè aduertunt Maſtr. & Bellut. natura Vniuerſalis in ſtatu præciſionis obiectiuæ poſſideat indiuiſionem in plura eiuſdẽ rationis, & eam amittat, dùm per differentias diuidi concipiatur, hoc tamèn eſt verùm, quatenùs Vniuerſale concipitur, vt quoddam totum potentiale, habens partes ſubiectiuas, in quas per intellectum diuidi poteſt; at non quatenùs etiã concipitur, vt quoddam totum actuale, nàm ſecundùm hanc actualitatẽ includitur in omnibus illis, ratione cuius incluſionis etiam de ipſis prædicatur prædicatione dicente hoc eſt hoc, v.g. quando animal diuiditur in ſua inferiora, hominem, leonem &c. tunc deſtruitur totalitas potentialis, & per cõſeq. eius vnitas, quæ in illa indiuiſione conſiſtebat; ſed adhuc remanet vnitas eius, quatenùs eſt totum actuale, ſecũdùm quam totalitatẽ in ſingulis reperitur, licèt non totaliter, & adæquatè, & ideò adhuc extrinſecè diuiſum poteſt in ratione vniuerſalis prædicari de omnibus illis; in quo ſenſu Porphyr. dicebat, participatione ſpeciei oẽs homines eſſe vnum hominem, tunc ſci. loquebatur de homine diuiſo in plura indiuidua, & ab omnibus participato; ſed adhuc aſſerebat, illa omnia dici vnum hominem, quatenus natura humana concipitur in omnibus illis vna vnitate formali, quæ eſt minor numerali, per inexiſtentiam, & ſolùm diuiſa extrinſecè per differentias, vt aliqui Scotiſtæ affirmabant de natura communi. Hæc Bellu. & Maſtr. qui reuerà doctiſſimè, nec poterãt meliùs loqui in præſenti Materia.

*Concluſio.*

7. *Dicimus, Vniuerſale Logicum conſtitui formaliter per relationem rationis naturæ communis, vt ſuperioris ad ſua inferiora, & ſubijcibilia.* Concluſio ẽ Scoti loc. cit. & ſequuntur Scotiſtę cõiter. Et pr. primò ex ipſa definitione Vniuerſalis, quod eſt vnũ in multis, & de multis, quo datur intelligi, quòd ſecunda intentio vniuerſalitatis ſit relatio rõnis ad multa. Tùm quia ad conſtitutionẽ Vniuerſalis duo ſunt neceſſaria, vnitas, ſ. & cõitas, ſeù indifferẽtia poſitiua; & aptitudo proxima ad plura; & ratio eſt, quia ſi natura nõ eſt aliquo modo vna, ſed prorſùs multiplex, iam erit multitudo, ſeù collectio multorum, & non Vniuerſale; ſi non erit communicabilis pluribus, iam erit ſingulare; ergo Vniuerſalitas in natura ponit neceſſariò hunc ordinem ad plura. Tùm quia Vniuerſali Logico communiter conuenit eſſe prædicabile de pluribus; vel vt propria paſſio, vel vt eius formale conſtitutiuum, ſecundùm diuerſitatem opinionũ,

ſi ſe-

by Google

ſi ſecundùm, habetur intentum, ſic .n. erit eſſentialitèr relatiuum, nā prædicabilitas dicit ordinabilitatē Vniuerſalis ad plura; ſi primum, habetur etiā intentum, quia talis paſſio non poteſt fluere à natura, vt eſt à parte rei, quia nulla natura à parte rei vt vna, & indiuiſa, eſt in pluribus, aut eſſe poteſt in pluribus propter extrinſecum impedimentum differentiæ cōtrahentis; neque à natura, vt à ſingularibus abſtracta, nàm licèt vt ſic ſit vna, tamen vt ſic potiùs à ſingularibus præſcindit, quàm illa concernat, ergo oriri non poteſt, niſi ab vnitate naturæ cum ordine ad eſſendū in multis. Tùm tandèm, quia in hoc Vniuerſale logicum à Methaphyſico differt, quod logicum eſt vnum in multis, Methaphyſicum verò vnum extra multa, quatenùs ab illis abſtrahit, neque illa concernit, niſi vt terminum à quo, licèt ergo eſſentia Vniuerſalis Methaphyſici conſtitui poſſit abſoluta ſine ordine vllo ad inferiora, ſecundum phraſim Auic. *quòd equinitas, eſt tantùm equinitas*, eſſentia tamen Vniuerſalis logici relatiua poni debet.

*Obiectiones.*

8. Obijcitur 1. quòd Vniuerſale Logicum ſit quid abſolutum: Natura fit ſingularis per differentias indiuiduantes, ergo non fit Vniuerſalis per reſpectum ad ſingularia, cū fit potiùs ſingularizetur; ſed tunc propriè vniuerſalizatur, quando p conceptum abſtractum ab ipſis ſingularibus præſcinditur; ℞. negādo conſequentiam cum ſua probatione, & ratio eſt, quia per ſolam abſtrationem à conditionibus indiuiduātibus natura nō fit Vniuerſalis logicè, ſed tantùm Methaphyſicè, & licèt natura ſic abſtracta à propria indiuiduatione ſe habeat indifferenter poſitiuè ad hanc, & illam indiuiduationem diuiſim, non tamen virtute illius ſimplicis præciſionis poteſt vna eſſe in pluribus coniunctim, qualis eſt vnitas, quę exigitur in natura ad fundandam proximè vniuerſalitatem Logicā.

Ob. 2. Intellectus reflectēdo ſupra hominem ſic conceptum, ſi conſideraret conditionem, & ſtatū eius, cognoſceret illū non eſſe aliquod ſingulare, ſed eſſe quid cōe omnibus ſingularibus, in qua reflexione non tribuit intellectus homini ſic concepto aliquod nouum, ſed quod in eo præerat, ergo ante reflexionem iam homo erat vniuerſalis per directam priorem conceptionem, ℞. diſtinguendo Antecedens, tunc enim Intellectus in tali reflexione ſolùm quādam vniuerſalitatem negatiuā attingeret, quatenùs cognoſceret hominem, vt ſic non eſſe aliquod ſingulare, non autem vniuerſalitatem poſitiuā, qua cognoſcitur homo, vt communicabilis pluribus ſimul.

Ob. 3. Vniuerſale poteſt concipi per modum abſoluti, non dicentis reſpectum ad alterum, ſed potentis fundare talem reſpectum, vt album, & quantum, quæ ſunt abſo-

luta

lutã, & fundare poſſunt relationẽ ſimilitudinis, & æqualitatis, ergo &c. ℞. neg. ãns. nam Vniuerſale logicum, vt ex eius definitione patet, dicit formaliter relationem ad multa.

Ob. 4. Eſtò Vniuerſale regulariter loquendo fiat per cognitionem comparatiuam, quatenùs à multis abſtrahitur, ob ſimilitudinem inter illa repertam, abſolutè tamèn loquendo, etiam natura cõis abſtrahi poteſt per ſimplicem præciſionem ab vnoquoque inferiori, abſq; vlla comparatione, vel ſuperioris conceptus ad inferiorem, vel ipſorum inferiorum ad inuicem, vt quando v. g. à ſolo Petro præſcindimus ſingularitatem, & in ſola humanæ naturæ conſideratione ſiſtimus, in quo caſu ſolùm cõceptum abſolutum Vniuerſalis habemus, ergo nõ ſemper per actum collatiuum fit Vniuerſale logicum. Negãt Aliqui cum Suar. ab vno ſolo abſtrahi Vniuerſale, ſed neceſſariò plura requiri ad inuicem cõparata, à quib' abſtrahatur ob ſimilitudinem inter ea repertam; Sed falluntur, nam ita abſtrahi poteſt ab vno, ſicut à duobus, aliter natura ſolis Vniuerſalitatem logicam fundare nõ poſſet; & fundamentum eſt, quia natura poſtquam abſtracta eſt, etiam ſi abſtractio facta ſit ab vno ſolo, non eſt amplius illius, quàm aliorum quorumcumque ſimilium, & ad omnia indiuidua manet indifferens poſitiuè; alioquin abſtracta non eſſet, vt benè hic Auerſa, & Paſqualig. aduertunt. Vnde ad Argumẽtum negatur conſeq. Natura .n. ſiuè ab vno ſolo indiuiduo abſtratur, ſiuè à pluribus, quouſque non concipiatur cum ordine ad inferiora, .ſ. cum illis coniunctim cõmunicabilis, ſemper cenſetur Vniuerſale Methaphyſicum.

Ob. Tandèm: Simplex, & pura relatio rationis nequit naturã Vniuerſalem conſtituere, ac prædicabilem de multis, ergo Vniuerſale logicum non eſt formaliter relatiuum. Pr. ãs; Tum quia illa relatio rationis eſt quædam ſecunda intentio ſingularis, ergo nequit Vniuerſale conſtituere; Tum quia nec ipſa relatio Vniuerſalis prædicatur de inferioribus, non .n. dicimus, Petrus eſt ſpecies; nec ipſa natura ſub tali relatione concepta, quia ſic eſt Ens per accidens, ergo impertinens omnino videtur talis relatio ad Vniuerſale logicum cõſtituendum. ℞. neg. aſſumptum, & ad primam probationem, neg. conſeq. nam ſicut ſpecies impreſſa, vel expreſſa eſtò ſit ſingularis in eſſendo, eſt tamen Vniuerſalis in repræſentando, ſic ſecunda intentio Vniuerſalitatis poteſt naturam denominare Vniuerſalem, eſtò entitatiuè ſit ſingularis; quæ ſecunda intentio Vniuerſalitatis non eſt Vniuerſalis, vt quod, & in eſſe exercitio, ſed ſolùm vt quo, & in eſſe ſignato. Ad 2. probationem pariter dicimus, quòd relatio Vniuerſalitatis non eſt prædicatum, ſed cõditio prædicati, vt optimè Liche.

aduer-

aduertit in 2.d.3. q.1. vbi ait, Natura ſub ratione relationis ad inferiora, prædicatur de illis, non quatenùs eſt ens per accidens ex natura, & relatione conſtans, ſed tantùm per rationem naturæ, quæ eſt vnum Ens per ſe, quæ tamèn prædicari non poteſt, niſi actu ſit ſub tali relatione rationis; & ratio eſt, quia non Vniuerſalitas, nec aggregatum ex natura, & Vniuerſalitate, ſed natura tantùm eſt in rebus vniuerſali ſubiectis, ergo natura propriè eſt illa, quæ de illis p̄dicatur, illud .n. de ſubiecto prædicatur, quod in eo reperitur, Vniuerſalitas verò eſt cõditio, quæ facit naturam in potentia proxima de illis prædicabilem. Verum eſt tamẽ, quòd in prædicatione ſignata, non eſt propriè natura, neque aggregatum ex illa, & Vniuerſalitate quòd prædicatur de pluribus, ſed ipſamet Vniuerſalitas, in cõcreto tamèn, & applicata naturæ, vt cùm dicitur genus eſt id, quod p̄dicatur de pluribus differentibus ſpecie &c. Prædicatio.n. huiuſmodi fit per terminos ſecundæ intentionis, vt applicatos primis; vt Boëtius aiebat.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*An Vniuerſale cõſtituatur per relationem eſſendi in multis, vel per dici de multis.*

1. SCotus, cuius ingenij ſolertia, & rationis acumen in potioribus difficultatibus plurimum valet, q.6. Vniuerſalium §. *dicendum,* dubius de hoc quæſito remãſerat, dicens, quòd ſi definitio Vniuerſalis tradita 1. Perhier. c.5. quòd eſſe prædicabile de pluribus ſit vera definitio, tunc eſſe vnum in multis, per quod definitur 1. poſt. 25. erit paſſio; & è contra, ſi illa 1. poſt. eſt vera definitio, tunc prædicabile de multis erit paſſio. Verùm quia poſtea in ſecundo ſenten. d.3. q.1. §. *ſed contrà,* vbi maiorem habet auctoritatem acceptauit illam 1. poſ. pro vera definitione, de mente Doctoris, Null' remanet ambigẽdi locus, ibi .n. apertis verbis ait: Vniuerſale in actu illud eſt, quod habet vnitatem indifferentem ſecundum quam ipſum eſt in potentia proxima, vt dicatur de quolibet ſuppoſito; Hoc autem non cõuenit naturæ à parte rei, quia l. ei non repugnet eſſe in alio ſingulari, quantum eſt de ſe, quia tamèn in vno tantùm reperitur, nequit eſſe ſimul in alijs, & ideò ſolùm de illo prædicari poteſt, non de omnibus; Hoc autem poſſibile eſt de natura, concepta ſub indifferentia poſitiua ad eſſendum in multis ſimul, cũ .n. habeat vnitatem ſic indifferentem; ſtatim eſt in potentia proxima ad prædicandum de multis. Et hanc ſent. ſequuti ſunt plures Scotiſtæ, vt videre eſt apud Lych. in 2. d.3. q.1. Mayron. ſuper. Vniuerſale paſſu primo. Tromb. 7. Met. q. 8. art. 1. & ex Recentioribus Fuẽtes quæſt. 6. diff. 3. art.3. & Maſtr. & Bellut. diſp.4. art.2. & eſt receptiſſima apud Thomiſtas; quamuis ali-

aliqui Scotiſtæ oppoſitū ſenſerint, quòd .ſ. dici de multis ſit definitio Vniuerſalis, eſſe in, Paſſio; ità Mauritius, Anglicus, Braſauola, & alij. Pro maiori intelligentia eſt hic vnum aduertendum, quòd quando dicimus, Vniuerſale conſtitui per eſſe in multis, intelligimus de illa vnitate indifferenti poſitiuè ad eſſe in multis ſimul, vt ſupra adnotatum eſt.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Vniuerſale conſtitui per relationem rationis eſſendi in multis, prædicari verò de multis eſſe ipſius paſſionem*. Eſt Scoti loc. cit. in 2. & ſic primò pr. quod primò intelligim⁹ de aliquo, illud dicimus eſſe eſſentiam eius, ſed primum quod de vniuerſali logico intelligimus, eſt eſſe in multis, ergo hoc ad eius eſſentiam pertinet. maior eſt clara. minor eſt Ariſt. 1. poſt. c. 25. vbi priùs tribuit Vniuerſali eſſe in, poſtea dici de; dicens: *Vniuerſale eſt vnum in multis, & de multis*. Prob. etiam auctor. Scoti loc. cit. vbi ob illam indifferētiam poſitiuam naturæ eſſendi in multis, infert, quòd ſit in potentia proxima, vt dicatur de multis.

Tùm quia eſſe in, eſt cauſa dici de, ſicut enim quia hoc in illo realiter eſt, ideò hoc de illo realiter dicimus, & prædicamus; ſic quia hoc eſt in illo per rationem, ideò hoc de illo per rationem prædicamus. At Reſp. Scotiſtæ oppoſitæ ſententiæ, diſtinguendo de duplici eſſe in, realis, & rationis; Eſſe in reale præcedit dici de, & eſt cauſa cur natura ſit prædicabilis de inferioribus, ſed eſt cauſa remota, quę non ſufficit ad cōſtitutionem Vniuerſalis logici, ſed tantùm Methaphiſici; eſſe in, rationis importat communitatem poſitiuam, quo ſēſu falſa eſt Min. ſic .n. eſſe in, ſequitur dici de, & Vniuerſale eſt vnum in multis, quia dicitur de multis; Et ad auctoritatem Ariſt. Reſp. ꝙ ſi locutus fuit de eſſe, in reali, iam non definiuit Vniuerſale logicum, ſed Methaph. ſi de eſſe in rationis, hoc non diſtinguitur ab ipſo dici de, quia prædicatio nō eſt niſi idētificatio rationis prędicati cum ſubiecto. Ad auct. Scoti reſpondent, fuiſſe locutum de Vniuerſali incōpleto, & pro fundamēto proximo. Ad rationem dicunt, valere in prędicationibus quæ ſunt formaliter veræ à parte rei, non in illis, quæ ſunt formaliter veræ per intellectum, & per attributionem alicui⁹ ſecundæ intentionis, vt eſt in propoſito, cùm ſuperius prædicatur de inferiori.

3. Quæ reſponſiones reuera vanæ ſunt, & multa continent falſa, & Doctrinæ Scoticæ diſſona. Et quātum ad primum, quòd Ariſt. locutus fuerit de Vniuerſali logico, patet, quia illud definiuit per actum eſſendi in multis, quod nullus concedit de Vniuerſali Methaph. Dicere etiam quòd eſſe in rationis, & dici de ſunt idem, eſt falſum, nam tunc fruſtra quæreretur, quid ſit eſſentia eius, & quæ paſſio, quia

vel vtrumque eſſet de eſſentia Vniuerſalis, vel vtrumque paſſio. Vanum eſt etiam, quòd prædicari de aliquo formaliter ſit vnum identificari cum alio, vel eſſe in illo, ſed potiùs per prædicationem demõſtratur, quòd hoc eſt in illo, vel cũ illo identificatum, ità vt identitas vnius cum alio ſemper aliquo modo præſupponatur, vt cauſa veritatis prædicationis, patet etiam experientia, quod .n. non eſt idem cum aliquo, non prædicatur verè, ſed remouetur ab illo, ergo aptitudo ad identificari, eſt fundamentũ aptitudinis ad prædicandum; & actualis identificatio, eſt cauſa prædicationis actualis.

4. Ad auctoritatem Scoti, quòd loquebatur de Vniuerſali incompleto, manifeſtè falluntur, vt patet ex his, quæ ibi habet ſub lit. L. vbi ait: quòd indifferentia poſitiua, ſecundum quam natura concipitur vna in multis per intellectũ, complet Vniuerſale in actu, quod etiam iam docuerat 7. Met. q. 13. num. 19. vbi inquit: *Vniuerſale completum eſt, quod eſt in pluribus, & de pluribus*, ergo loquitur de vniuerſali completo, & conſequenter de eſſe in rationis, ibi .n. propriè, vt ipſum videre poſſunt, de vnitate in multis loquitur, quæ Vniuerſale in potentia proxima conſtituit, vt de illis prædicari poſſit; ſed vnitas realis, quam habet natura per indifferentiam negatiuam, non conſtituit naturam proximè prædicabilem de multis, ſed remotè tantũ. Tùm tandèm, quia, ſi vnitas realis in multis, eſt cauſa prædicationis remota; vt etiam ipſi aduerſarij admittunt in ſententia Doctoris, debent illam vnitatem aſſignare, quæ ſit cauſa proxima prędicationis, quæ eſſe non poteſt, niſi vnitas rationis in multis, vt ibi Scotus loquitur.

5. Ad vltimam probat. etiam voluntariè loquuntur; nam ſi prædicatio accidẽtis de ſubiecto præſupponit eſſe accidẽtis in ſubiecto, idem omnino fatendum erit de prædicatis per rationem, quòd .ſ. priùs præſupponatur eſſe in, rationis, & poſtea de illis enunciẽtur. Tùm quia ſimplex apprehenſio præcedit compoſitionem, cùm hæc ſpectet ad ſecũdam operationem; illa ad primam, ſed per illam natura apprehenditur in multis; per illam affirmatur; & prædicatur de multis, ergo. Et tandèm in prædicatione formali debet prędicatum aliqua idẽtitate cum ſubiecto idẽtificari; ſed natura, præciſa intellectus operatione, non identificatur ſingulis indiuiduis, ſed ſoli illi, cuius eſt propria, ergo oportet, quòd intellectus aliquam vnitatem machinetur, per quam natura cum ſingularibus identificetur, vt proximè de quolibet prædicari poſſit.

Pr. tandèm Concluſio, quo ad aliam partem, .ſ. quòd dici de, ſit paſſio; quando .n. eidem rei duo attributa neceſſariò conueniunt, ſi vnum eſt cauſa alterius, non poteſt idem eſſe paſſio, ſed potiùs è contrà;

trà; ſed eſſe in multis, & prædicari de multis conueniunt neceſſariò Vniuerſali, & eſſe in multis, e cauſa prędicādi de multis, vt iam probatum eſt, ergo eſſe in multis erit eſſentia, & quidditas Vniuerſalis, & dici de, erit paſſio; & quando dicimus paſſionem Vniuerſalis eſſe poſſe prædicari de pluribus, intelligendum eſt verè, affirmatiuè, & directè, ſiuè eſſentialiter, ſiuè accidētaliter, ſiuè in quid, ſiuè in quale, ſiuè neceſſariò, ſiuè contingenter, iuxta modum, quo prædicata ſubiectis conueniunt, vt ſuo loco de ſingulis patebit.

*Obiectiones.*

6. Ob. 1. Auctoritate Porphy. qui definiuit Vniuerſalia p prædicari de multis, nō autē per eſſe in multis. Et Scotus q. 15. Vniuerſalium, §. *Dicendum*, docet rationem Vniuerſalis eſſe dici de, & ſufficientiā vniuerſalium aſſignat per dici de, quod etiam probat hac ratione, quia in quid, & in quale ſunt differentiæ eſſentiales diuidentes vniuerſale in communi, & conſtituentes quinque Vniuerſalia, quod nō fit niſi per prędicari de pluribus, vt conſtat ex definitionibus prædicabilium, ergo prædicabilitas eſt ratio vniuerſalitatis. ℞. primò Porphyrium non omnia vniuerſalia definiſſe per dici de, qa proprium, & accidens definiuntur per eſſe in, vt ſuo loco patebit, Tum quia Porp. non tantùm per dici de, ſed per ipſum actum prædicandi genus, & ſpeciem defi[illegible]it, ſed actualis prędicatio non ſolùm non eſt de eſſentia vniuerſalitatis, imò nec eius proprietas, ſed tantùm accidens commune, ſicut in homine act° ridendi, vt videbimus; Nō benè igitur infertur, quia per dici de, ſolét Vniuerſalia deſcribi, & eorum ſufficientia aſſignari, ergo & per dici de conſtitui in eſſe Vniuerſalis, nā etiam à poſteriori, & per paſſiones aliquando eſſentias rerum deſcribimus tamquam à nobis notiorib. Et Scot. loc. cit. etiam ait, quòd prædicari in quid, & in quale non ſunt per ſe differentiæ Vniuerſalis, ſed potiùs modi, qui in quantum important conceptus contrahētes, dicentes quale, poſſunt appellari differentiæ. Vel tandèm dicimus, quòd Porphy. Vniuerſalia per p̄dicari deſcripſit, quia hic attendere debemus ad rectam cognitionē terminorum ſecundum ſubijcibilitatem & prædicabilitatem, vndè Vniuerſale logicum prædicabile appellari conſueuit, & rectiùs illæ quinque ſpecies Vniuerſalis prædicabilia, quàm Vniuerſalia nuncupantur.

7. Ob. 2. Tunc Vniuerſale concipitur in ordine ad multa, cùm cognoſcitur cōuenire multis; ſed hoc fit per prædicationem, ergo. ℞. negando minorem, poteſt. n. Vniuerſale, vt infra dicem°, cognoſci multis conuenire etiam per primā intellectus operationem, quando. ſ. per ſimplicem apprehenſionē concipitur in multis confuſè actualiter, vel aptitudinaliter.

Ob. 3. Ex Scot. q. [illegible] Vniuerſalium vbi ait, hoc intereſſe inter dici de, & eſſe In, quòd dici de per ſe conuenit ſecundis intentionibus, rebus verò per accidens; è contra verò eſſe in, rebus per ſe competit, & ſecundis intentionibus per accidens, ergo cùm Vniuerſale ſit ſecunda intentio, eius quidditas erit dici de, & non eſſe in. R. quòd ibi Scot. dixit, eſſe conuenire per ſe rei, & per accidens intentioni, nō tamen locutus fuit de eſſe in, & quando etiam de ipſo locutus fuiſſet, intelligendus eſſet de eſſe in reali, quòd per accidens conuenit ſecundis intentionibus, in quantū in primis ipſæ fundantur.

Ob. 4. Tandem in hoc diſtinguitur Vniuerſale Meth. ab Vniuerſali logico, quòd Meth. dicitur Vniuerſale in eſſendo, logicum verò in prædicando, ergo eſſe in, eſt ratio vniuerſalis Meth. & dici de eſt ratio vniuerſalis logici. Reſpō. q̄ vniuerſale Meth. dicitur vniuerſale in eſſendo loquendo de eſſe in reali, per quod non excluditur, quin etiam logicum vniuerſale in eſſendo dicatur, loquendo de eſſe in rationis; licèt vt tollatur æquiuocatio in modo loquendi, vniuerſale logicum vniuerſale in prædicando appelletur, & à Methaphyſico per prædicabilitatem diſtinguatur.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*An Vniuerſale conſtituatur per aptitudinem eſſendi in multis, an verò per actum.*

Scoti doctiſſimorum optimus, & optimorum doctiſſimus. in ſecundo diſt. 3. q. 1. ſatis manifeſtè hoc quæſitum reſoluit dum dixit, differentiam proximam ad eſſendū in multis ſimul, complere rationē Vniuerſalis; quæ opinio eſt cōis in vtraq; Schola Thomiſt. & Scotiſt. Solū Blanch. diſp. 2. log. q. 2. cum paucis alijs defendunt, nō ſufficere ad rationem vniuerſalis aptitudinem, ſed requiri, quòd actu, & formaliter ſit incluſum in multis; vult enim ipſe Blanc. q̄ in naturā abſtractā, antequā ad inferiora actu referatur, nulla ſit aptitudo ad eſſendum in multis, ſed ſolum ſupponitur entitas naturæ, & extrinſeca denominatio, à qua denominatur cognita, cum excluſione differentiarum indiuidualium.

21 Pro deciſione quæſiti aduertendum primò eſt, quòd maxima eſt differentia inter ſtatum naturæ, vt à parte rei in ſingularibus diffuſa remanet; & ſtatum, quo ipſamet per intellectum, in eiſdem iā facta vniuerſali reperitur; nam in primo ſtatu ità diuiditur, vt etiam ipſa diuiſio in ipſammet formalē vnitatem naturæ redundet, ità vt naturæ per talem realem contractionem, licèt ſuam vnitatem formalē habeant, non tamen illam, quæ eadem ſit in omnibus indiuiduis, ſed propriā cuiuſq; cùm in ipſis multiplicetur, atq; ideo Petrus, & Paulus non ſunt vnus homo, ſed plures homines, propter humanitatum pluralitatem; In ſtatu verò con-

tractionis per intellectum, diuiſio non cadit in vnitatem formalem naturæ, ſed in hæcceitates, & differentias indiuiduantes. Ità quòd remanendo vna formaliter in omnibus indiuiduis, multiplicetur tamē extrinſecè numeraliter, quarè propter talem vnitatem naturæ in omnibus indiuiduis, Petrus, & Paulus, & Ioānes, &c. poſsūt dici vnus homo, quo ſēſu Porphy: dicebat omnes homines participatione ſpeciei eſſe vnum hominē. Fundamētum huius doctrinæ eſt, quia aptitudini correſpondere debet ſuus proprius actus; & quia aptitudo, quam habet natura à parte rei ad eſſendum in multis, eſt remota, & ad plura diuiſim, ità pariter ad actum reduci debet, ità vt à parte rei ſit in vno tantùm indiuiduo cū ſua vnitate formali, & non in alijs; quia verò aptitudo, quā habet natura in ſtatu præciſionis obiectiuæ ad eſſendū in multis eſt proxima, vt ad actum proportionatum reducatur, debet ei reſpondere vna, & eadem natura cum ſua vnitate formali per inexiſtentiam in omnibus indiuiduis.

*Concluſio.*

3. *Dicimus Vniuerſale formale, & actuale compleri tàm per aptitudinem eſſendi in multis, quàm per actum, eſtò dici de multis ſit paſsio, quatenus dicit aptitudinem, non actū.* Cōcluſio tres habet partes, & quoad primā eſt Scoti loc. cit. & probatur expreſſis Ariſt. verbis, qui 7. Meth. text. 45. Vniuerſale definiuit per aptitudinem, dicèns: *Vniuerſale eſt illud, quod aptum eſt, vt pluribus inſit.* Probatur etiā ratione; nā per vniuerſale in actu, & formaliter intelligitur illud, quod eſt cōe, vel multis communicabile cum ſui diuiſione extrinſecè, adhuc tamèn remanente aliqua eius vnitate, ſed proxima aptitudo, & indifferēntia poſitiua ad eſſendum in multis coniunctim eſt huiuſmodi, ergo &c. Tùm quia actuali communicationi rationis, qua vna natura cōcipitur per inexiſtentiā in multis cum ſui extrinſeca diuiſione numerali, correſpōdere debet potentia proxima, ſeù aptitudo proportionata, ergo ſicut actualis cōicatio conſtituit vniuerſale in actu ſecūdo, & veluti in actu exercito, aptitudo illi correſpondens, conſtituit vnl'e in actu proximo, & velut in actu ſignato.

4. Pr. quoad 2. partem, q. ſ. Vniuerſale conſiſtat etiam in actuali communicatione cum multis, quę licèt ſit contra communē opinionem, quæ ponit totam rationem vniuerſalis formaliter in ſola aptitudine ad eſſendum in multis, colligitur tamen à Doctore in 4. d. 43 q. 2. lit. F. vbi ait, Vniuerſale eſt ſimul dicibile de omnibus ſingularibus, in quibus ſaluatur; Vbi oſtēdit vniuerſale in actu etiam cōſeruari poſſe in ſingularibus poſt actualem communicationem. Et ſequuntur Blanch. loc. cit. Cæleſt. diſput. 3. vniuerſaliū ſec. 3. Fuent. Meuriſſe, Maſtr. Bell. & alij, & colligitur ex Ariſt. 1. poſt. 25. & li. 2.

in fine,

in fine, vbi definit vniuerſale in actu, non per aptitudinem, ſed per actum dicens: *Vniuerſale eſt vnum in multis, & de multis:* Tùm quia actus non deſtruit aptitudinem, & potentiã ad ipſum, ſed potiùs perficit, riſus .n. non deſtruit riſibilitatem, vt clarè patet, ergo, &c. Tũ quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, q nulla poſſet dari actualis prædicatio vniuerſalis de ſuis ſingularibus, vt in hac propoſitione, Petrus eſt homo, vbi ly homo manet in ſua vniuerſalitate, cùm non ſupponat ſuppoſitione ſingulari, ſed communi, aliter faceret ſenſũ, quòd Petrus eſt hic homo; Vndè ſequeretur, quòd de Petro nũquã aliquod ſibi commune cum Paulo prædicaretur, ergo ratio vniuerſalis poteſt etiam cum ipſo actu eſſendi in multis conſiſtere.

Reſpondent Aduerſarij, quòd natura dum eſt in inferioribus deſinit eſſe vniuerſalis, quia tunc amittit illã vnitatem, quã in ſtatu præciſionis obiectiuæ habebat, cũ diuidatur in plura: ſed vana, & futilis euaſio; nam tunc natura ſolum diuiditur ſecundum eſſe materiale, & numericum, nõn ſecundum eſſe propriũ, & formale, cui vna, & eadem vnitas formalis ſibi correſpondet, vt in omnibus inferioribus adæquatè reperitur, quod habet beneficio intellectus negotiantis; & eſtò amittat vnitatem in ratione totius potẽtialis, nõ tamẽ illam, quæ ipſam naturã ſequebatur in ratione totius eſſentialis.

4. Pr. tandẽ vltima pars, quòd eſſe dici de multis ſit paſſio vniuerſalis, non vt dicit actum, ſed vt dicit aptitudinẽ. Eſt Scoti 7. Met. 45. vbi ait: Actũ ipſum prædicandi accidere vniuerſali. Pr. etiam ratione, nam quando homo prædicatur de Petro, in tali propoſitione prædicatum eſt vniuerſale, cũ ſupponat ſuppoſitione cõi, ſed hoc nõ habet ex vi actualis prædicationis, cùm ad vnum tãtum ſingulare maneat coarctatum, ex vi tamèn aptitudinalis, manet adhuc ad plura illimitatum, ergo vt dicit aptitudinẽ, nõ actum, eſt paſſio vniuerſalis. Tùm quia vniuerſale in actu eſt, id, q proximè, & immediatè aptum eſt prædicari de multis; ſed hæc aptitudo non cõpetit ei in primo modo dicendi per ſe, ſed in ſecundo, ergo hæc aptitudo prædicandi de multis, ſeù prædicabilitas erit paſſio vniuerſalis, actualis verò prædicatio, ſiuè in actu ſignato, ſiuè exercito erit accidens, ſicut riſus reſpectu riſibilitatis &c. Tùm quia ex vi actualis prædicationis, vniuerſale non magis applicatur ad plura, quàm ad vnũ ſolum, ſed ad vtrumque manet indifferens, ſed ex vi aptitudinis neceſſariò extenditur ad plura.

*Obiectiones.*

5. Ob. Blanch. quòd vniuerſale conſtituatur non pro vt dicit aptitudinem, ſed præciſè vt dicit actũ eſſendi in multis: Vniuerſale Met. tunc fit, quãdo actu natura cognoſcitur ſine differentijs indiuiduantibus,

tibus, ergo Vniuerſale logicum tunc tale fit, quando actu comparatur ad inferiora; & conſequenter ſicut Vniuerſale Meth. non definitur per aptitudinem, ſed per actum ab inferioribus abſtractum, ſic paritèr Vniuerſale logicum per actum ad inferiora comparatum. ℞. Argum. nihil contra nos concludere, qui etiam admittimus Vniuerſale logicum fieri per actualem comparationem ad inferiora, & non per aptitudinalem; quæ tamen actualis comparatio non ſemper eſt ad inferiora, in quibus ipſum Vniuerſale actu incluſum eſt, ſed aliquando in quibus conſideratur aptum includi; Vnde ly actualiter poteſt intelligi in ordine ad comparationem, & in ordine ad incluſionem; & nos concedimus primum; & negamus ſecundum; Non n. rectè infertur ex actualitate comparationis, actualitas incluſionis; nam ante actualē incluſionem ipſa inferiora apta nata ſunt ipſum Vniuerſale includere; ſicut ipſum ſuperius aptum eſt in ipſis inferioribus includi; & ſic terminant relationem ſuperioris, & Vniuerſalis, ante quā actualis incluſio in ipſis inferioribus cōſideratur. Concedimus igitur, ꝙ vniuerſale logicum fiat per actualem comparationem ad inferiora, & non per aptitudinalem, ſed hæc actualis comparatio vniuerſalis nō fit ſemper ad inferiora, in quibus actu cōſideratur incluſum, ſed aliquando in quibus conſideratur aptum includi; vndè actualitas cadit vtiq; ſemper ſupra cōparationē, nō autem ſemper ſupra incluſionem.

Sed Vrges: Inferiora non ſunt, niſi per actualem incluſionē ſuperioris, ergo non terminant relationem illius in ratione vniuerſalis, niſi per eſſe actuale in multis. ℞. negando Ant. nā ſicut aliquod eſt ſuperius, non ſolū quando actu includitur in multis, ſed etiam quando ei conuenit aptitudo, vt in multis includatur, vt eſt cōis ſēt. Auct. ſic inferiora ſunt actu talia, nō ſolū quando actu ſuperius includūt, ſed etiā quando conſiderātur poſſe illud actu includere. Quam doctrinam Scotiſtæ colligunt ex Doctore q. 18. vniuerſalium.

Ob. 2. è contra, quòd eſſe in cōſtituat vniuerſale prout dicit aptitudinem tantū, non verò actum: Vt natura ſit vniuerſalis requiritur indeterminatio poſitiua, ſeu contraria, ſed quando actu contracta conſideratur, non eſt huiuſmodi, ergo vniuerſalitas repugnat cum actu eſſendi in multis, quia eſt in ſtatu contradictionis. Reſponſio patet ex dictis, æquiuocatur .n. de natura contracta per intellectum, & de natura contracta à parte rei; nam quando à parte rei contrahitur, quia vna, & eadem non poteſt eſſe ſimul, & ſemel in pluribus, determinatur ad vnum, & fit illi propria, quo caſu illi vniuerſalitas repugnat; at quando per intellectum contrahitur, quia vt ſic obiectiuè conſiderata, non repugnat vna, &

eadem

eadem in pluribus cum ſola diuerſitate numerali reperiri, tunc non conſideratur vt contracta ab vno ſolo, ſed ab omnibus inferioribus ſimul; & licèt hoc, & illud conſtituat, non dicitur tamèn ad vnum determinata, vel alicuius propria, ſed indifferenter omnia reſpicit, & conſtituit; licèt ergo natura per contractionem realem amittat indifferentiam poſitiuam, & indeterminationem contrariam, nõ tamèn per contractionem rationis.

Ob. Estò Natura ſit de ſe indifferẽs ad vniuerſalitatem, & ſingularitatem diſiunctim, tamèn coniunctim hæc duo repugnant in natura, ſed ſtatꝰ cõtractionis, eſt ſtatꝰ ſingularitatis, ergo repugnat ei ratio vniuerſalitatis. ℞. vt ſupra Min. eſſe verã de cõtractione à parte rei, non de cõtractione per intellectũ.

Ob. Natura contracta per hæcceitates, non prædicatur vt indifferens, ſed vt applicata tali indiuiduo, & vt vna eſt cum illo, ergò nõ remanet vniuerſalis; nam remota indifferentia, & indeterminatione tota ratio vniuerſalitatis corruit. ℞. Ant. eſſe verum, quantum ad actualem prædicationẽ; ſic .n. Vniuerſale remanet applicatum ad vnum, ſed quantum ad aptitudinalẽ eſt falſum, ſic .n. remanet ad alia indifferens, & ideò vniuerſalitatẽ retinet; quarè in hac propoſitione, Petrus eſt homo, ly homo non amittit vniuerſalitatem, ſed tunc amitteret, quando conceptus communis in ſingularẽ mutaretur, dicendo, Petrus eſt hic homo. Vel diſtinguẽdum eſt añs de contractione reali, & rationis vt ſupra.

Ob. Natura non habet vniuerſalitatem, niſi in ſuppoſitione ſimplici, dicendo .n. homo eſt ſpecies, homo eſt vniuerſalis, ly homo ſupponit ſimpliciter, non deſcendẽdo ad ſuppoſita ſub formalitate ſpeciei, & vniuerſalis, ſed quãdo actu per contractionem formalẽ de indiuiduis prædicatur, nõ habet ſuppoſitionem ſimplicem, ſed perſonalem, cùm de perſonis, & indiuiduis verificetur, ergo in actuali prædicatione non habet vniuerſalitatem. ℞. negando Mai. natura .n. vniuerſalitatem retinet non tãtum in ſuppoſitione ſimplici, ſed etiam abſoluta, dicendo homo eſt Animal; ſicuti etiam in perſonali, dicendo homo currit, vbi ly homo currit immediatè pro indiuiduis naturæ humanæ ſupponit, vt diximus in inſtitutionibus, ſub qua poteſt etiam ad indiuidua deſcendere, ſicut in abſoluta ſuppoſitione, & illa, quæ in ſuppoſitione ſimplici ſignificãtur, verificari debent in prædicatione exercita.

Ob. 3. probando, quòd dici deſit paſſio Vniuerſalis, vt dicit actũ, non aptitudinem: paſſio proportionata vniuerſali debet eſſe rationis, nõ realis, ſed ſola actualis prædicatio eſt relatio rationis, prædicabilitas verò eſt realis, cum talis aptitudo competat naturæ etiam à parte rei &c. ergo ℞. quòd prædicabilitas de multis, poteſt dupliciter

ter accipi, vno modo fundamētaliter, & remotè, & ſic eſt quid reale, & hoc modo non eſt paſſio vniuerſalis, altero modo proximè, for malitèr, & immediatè, & ſic eſt q̃d rationis, & eſt paſſio vniuerſalis. Vndè apparet falſitas Minoris.

Ob. Nulla datur relatio rationis aptitudinalis, ſed quælibet eſt actualis, cū ambo extrema habeāt actualem exiſtentiam obiectiuam, ergo falſa reſponſio. ℟. negando aſſumptum, nam etiam ſuo modo dantur aptitudines rationis, & poſſunt ſuperius, & inferius inuicem conferri in ratione ſubijcibilis, & prædicabilis, licèt actu non conferantur in ratione ſubiecti, & prædicati; & in hoc ſenſu collatio eorum erit actualis, ſed relatio aptitudinalis, vt benè hic Bell. & Maſtr. contra Braſauol. aduertunt.

## ARTICVLVS SEXTVS.

### *An Vniuerſale per intellectum agentem, vel paſſibilem fiat.*

1. SCot. maximus ſcientiarum dux, præſes, & princeps, pluribus in locis, ſed præcipuè in 2. d. 3. q. 1. differtè defendit, intellectū agentem non facere Vniuerſale in rebus, dicens ſub lit. H. *Ex hoc apparet improbatio illius dicti, quòd intellectus agens faciat vniuerſalitatē in rebus, per hoc, quòd denudat ipſum quod quid eſt in phantaſmate exiſtens.* Et ſtatim infra concludit, quòd in intellectu agente numquam eſt tale, cui potentia proxima conuenit dici de quolibet, ſed tantùm eſt in potentia proxima, vt eſt in intellectu paſſibili; & hæc eſt germana Doctoris ſent. quam Scotiſtæ ſequuntur.

2. Pro cuius intelligentia ſupponendum eſt ex 3. de anima, duplicem in nobis intellectum] conſtitui, agentem vnum; paſſibilem alterum. Et ratio eſt, quia cùm cognitio ex obiecto, & potētia generetur, & obiectū materiale nequeat immediatè recipi in intellectum per ſuam entitatem, neceſsè fuit, vt in eo reciperetur per ſui ſpeciem, & ſimilitudinem intētionalem; Hinc aiebat Ariſt. ꝙ lapis non eſt in intellectu, ſed ſpecies lapidis, quæ non eſt niſi accidens quoddā, gerens vicem obiecti, illud repræſentans; Et licèt ſpecies ſenſibiles totaliter ab obiectis externis in ſenſibus imprimantur, tàm exterioribus, quam interioribus, quia adhuc ipſę ſpecies ſunt & materiales, & corporeæ, ità vt opus nō ſit, vt detur ſēſus agens, qui cum illis obiectis ſpecies ſenſibiles comproducat; quia tamen ſpecies iſtę nō ſunt intellectui proportionatæ, cùm ſit potentia merè ſpiritualis, ac propterea, non receptiuus ſpecierum, niſi ſint ſpecies prorſus immateriales; ideò vltra intellectum paſſibilem, qui eſt ſpecierum receptiuus, opus fuit alium coſtituere intellectum, qui ex ſpeciebus ſenſibilibus ſpirituales, ac intelligibiles eliceret, & intellectui paſſibili imprimeret, à quo mune-

munere ſpecies eliciendi, & producendi intellectus agens appellatus eſt.

3. Supponimus ſecũdò, varios eſſe actus, quos circa idem obiectum poteſt habere intellectus paſſibilis; poteſt .n. habere actum abſolutum, quo ſupra rem abſolutè feratur, non in ordine ad aliud; qui etiam ſubdiuiditur in rectũ, & reflexum, vt in quæſtione de Ente rationis diximus. Poteſt etiam intellectus habere actum collatiuũ, quo rem aliquam, non in ſe, ſed in ordine ad aliam conſiderat; qui adhuc ſubdiuiditur, nam vnus terminatur ad res, vt inuicem comparatas in aliquo attributo eis cõueniente ex natura rei in ſuo ordine; alter verò terminatur ad res, vt inuicem comparatas in aliquo attributo rationis. Item actus collatiuus tàm primi, quàm ſecundi ordinis duplex eſt, ſimplex, & cõpoſitus; ſimplex eſt, quo concipitur vnum in ordine ad aliud ſine aliqua affirmatione, & ideò pertinens ad primam intellectus operationem, nam etiam ipſa ſimplex apprehenſio comparatiua eſſe poteſt, vt Pater Cauellus docet, q. 8. de Anima nu. 3. ex Scoto in 2. d. 6. q. 1. *Ad ſecundum E*, & ſic de facto relationem ipſam ſemper apprehendimus; Actus collatiuus compoſitus eſt, quo intellectus vnum ad aliud comparat per actualem prædicationem; vnum de alio affirmando.

4. Supponimus tertiò, ad ſolum intellectũ ſpectare Vniuerſalis productionem, ſenſus .n. quia corporeus eſt, non poteſt naturam attingere, niſi ſub conditionibus indiuiduantibus, temporis, loci &c. à quibus Vniuerſale abſtrahit, ſuppoſito, igitur ſolùm intellectum Vniuerſale efficere, rectè quęritur, an hoc ſit munus intellectus agentis, vel potiùs paſſibilis, & rurſus quibus actibus illud efformet &c.

5. Variæ ſunt circa hanc quęſtionem opiniones, quidam .n. affirmant, hoc eſſe munus intellectus agentis, putant .n. ipſum cum phãtaſmate, non ſolùm ſpeciem intelligibilem ſingularis producere, ſed etiam ſpecies magis, & minus Vniuerſalium. Et fuit ſent. Auerr. com. 8. & ſequuntur D. Thom. 1. p. q. 85. art. 1. & Caiet. ibidem, & de Ente, & eſſentia c. 4. q. 6. Maſius, Sotus, & quãplures alij Thomiſtæ, & ex Scotiſtis ſequũtur Orbellus initio prædicabilium, & Faber 4. Met. q. 9. c. 4. qui citat Scòtum in p. d. 3. q. 6. Alij ex oppoſito volunt, hoc eſſe munus intellectus paſſibilis; qui adhuc inter ſe diſcrepant, nam multi affirmant fieri ab intellectu paſſibili per actũ abſolutum, quo naturam concipit quo ad ſua prædicata eſſentialia, præſcindendo à ſuis inferioribus, quem actum vocant abſtractum, ſeù præciſiuum. Quæ opinio parũ à prima diſtat, vtraque .n. conſẽtit Vniuerſale fieri per abſtractionem ab inferioribus, & ſolùm differunt, quòd vna aſſerit hoc fieri

per

per intellectum agentem, altera per intellectum paſſibilem, huius ſententię sũt Auctores illi, qui formalitatem Vniuerſalis in abſoluto ponebant, vt Capreol. Conimbr. Heru. Vallius, Serna, & alij. Tertia ſententia defendit, Vniuerſale fieri per actum collatiuum intellectus paſſibilis, quo natura iam facta vna per abſtractionem, & poſitiuè indifferens, cognoſcitur pluribus, cum tali vnitate in eſſe, vel ſaltem ſic apta ad eſſendum in multis. Ità Doct. loc. cit. initio articuli & 5. Met. q. 11. & lib. 7. q. 13. & in p. d. 3. q. 7. & in 4. d. 1. q. 2. quem ſequuntur Scotiſtæ cõiter, præſertim Lychetus in 2. ſent. d. 3. q. 1. §. *ſecundo principalitèr*. Ant. Andr. 5. Meth q. 6. Tromb. 7. Meth. q. 8. Barg. in p. d. 3. q. 6. §. Ex alio membro. Fuentes q. 6. diff. 3. Meuriſſe, Maſtr. Bell. & alij: Et ex Thomiſtis Complut. diſp. 3. q. 6. Ioan. de S. Tho. p. 2. log. q. 4. art. 2. Sanchez. q. 38. Vniuerſ. Soncin. videtur ẽt S. Tho. Opuſc. 55. & in p. q. 28. art. 1. & 4. Met. lec. 4. ex Societate Ieſu Ruu. q. 5. & 6. Vniuerſaliũ, Amic. Blanch. Moriſanus, & alij, inter quos etiam eſt aliqua diſcrepantia, aliqui .n. volunt hunc actũ collatiuum eſſe primi generis, alij ſecundi generis. Item aliqui volũt hunc actum collatiuum eſſe ſimplicem, ſpectantem ad primam intellectus operationem, alij eſſe compoſitum ad ſecundam ſpectantem; & ità illi defendunt, qui rationem Vniuerſalis in actuali prędicatione de multis coſiſtere aſſerebant.

*Concluſio.*

6. *Dicimus Vniuerſale in actu, non fieri per actũ intellect⁹ agentis, ſed paſsibilis, & nõ quidẽ abſolutũ, ſed relatiuũ; nõ cõpoſitum, ſed ſimplicem; non primi generis, ſed ſecundi.* Cõcluſio plures habet partes, & omnes ſunt ad mentẽ Doctoris locis cit. & quoad primam partem ità facilè Pr. Ideò cõtraria opinio ſtatuit Vniuerſale fieri per intellectum agentem, in quantùm arbitratur ità ipſum intellectũ abſtrahere ſpecies intelligibiles ex phantaſmate, vt naturã non tantũ à materialitate, ſed etiã à cõditionibus indiuiduantib⁹ depuret, ità vt in ſpecie ſola natura cõis repræſentetur; at hoc debili fundamento fulcitur, probabiliùs .n. eſt, quòd ſpecies producta ab intellectu agente repreſentet naturam adhuc cum conditionibus indiuiduantibus, quæ in phantaſmate relucebant, & intellectus paſſibilis ſit, qui talem ſpeciem vlteriùs à conditionibus illis abſtrahat, ità quòd ſpecies, & phantaſma non diſtinguantur ex obiecto repræſentato, ſicut .n. phantaſma repræſentabat naturam cum illis conditionibus, ſic & ſpecies, ſed diſtinguuntur ex propria entitate, quia phantaſma eſt Ens corporale, & ſpecies intelligibilis eſt ſpiritualis; quarè in tantùm intellectus agens dicitur abſtrahere a concretione materiæ, in quantùm ſpecies ſpirituales producit. Hæc eſt germana Scoti ſent. in 4. d. 45. q. 3. quem

quem ſequuntur Tromb. 7. Meth. q. 7. Barg. loc. cit. & cōiter Scotiſtæ, qui cum ipſo defendunt, intellectum agentem vt que trasferre obiecta de ordine ad ordinem, .i. exordine materialium ad ordinem immaterialium, non tamen ex ordine ſingularium ad ordinem Vniuerſalium. Et itâ cū Scoto ſentiunt Amic. loc. cit. art. 3. Auerſa. q. 8. Blanch. Paſqualig. ſec. 3. & alij. Tùm quia dato etiam, quòd intellectus agens itâ ſpecies abſtraheret, vt etiam naturam depuret à conditionibus indiuiduātibus, adhuc tamen non diceretur Vniuerſale in actu efficere, quia tota eius efficientia ad illam ſpeciem terminatur, quæ eſt Vniuerſale Meth. & ad ſummum dici poterit, quòd intellectus agēs efficiat Vniuerſale in repræſentando, quatenus ſpeciē producit, quæ ſit repræſentatiua Vniuerſalis, aut Vniuerſale in habitu, in quantum præparat mediū, quo Vniuerſale ab intellectu paſſibili actu fiat, dum illi per ſpeciē obijcitur, vt Bargius docuit, & in hunc ſenſum Complut. & Alij Recentiores Thomiſtæ D. Thom. & Caiet. pro prima opinione interpratantur.

7. Secundò, quòd Vniuerſale non fiat per actū abſolutum, & abſtractum intellectus paſſibilis, ſed Collatiuum, eſt Doct. loc. cit. in ſecundo, vbi ait: *Vniuerſale in actu eſſe illud, quod habet vnitatem indifferentem ſecundum quam ipſum idem eſt in potētia proxima, vt dicatur de quolibet ſuppoſito*. Ex quibus verbis clarè patet mentē Doctoris eſſe, quòd tūc natura fiat actu vniuerſalis, quando iam facta indifferens poſitiuè per abſtractionem, comparatur poſtea ad inferiora in ratione participabilis ſimul ab omnibus, & de omnibus prædicabilis, quare neſcio vnde Paſqualigi' Scoto impingat, docuiſſe Vniuerſale fieri per cognitionem purè abſtractiuam. Et ratio eſt clara, ſi.n. Doctor ibi vult, Vniuerſale in actu eſſe prædicabile de multis, quomodo fieri poterit per cognitionē purè abſtractiuam, cū n natura ſic abſtracta de nullo ſit prædicabilis? patet. nos .n. non dicimus Petrus eſt humanitas, ſed Petrus eſt homo, requiritur ergo, vt natura per actum abſolutum abſtracta ab hæcceitate, quæ ipsū ad vnum determinabat, fiat concreta per reſpectum ad inferiora, quod ſine ſuperuenienti actu collatiuo fieri nequit. Ratio fūdamentalis huius doctrinæ eſt, q.a. Vniuerſale definitur vnum in multis, ergo non poteſt natura hanc Vniuerſalitatem recipere, niſi concipiatur in ordine ad plura, ſed hoc per abſtractionē fieri nequit, nam quando intellectus abſtrahit naturam, potius illam ab inferioribus ſeparat, quam illis communem concipiat, ergo per comparationem fit Vniuerſalis. Mi. Pr. nā aliud eſt concipere aliquid ſine illo, & aliud concipere aliquid in alio; per abſtractionem intellectus concipit naturam, non concepto

ali-

aliquo inferiori, ergo nequit natura per abſtractionem Vniuerſalis fieri, & ratio vrget de omni abſtractione, ſiuè fiat per intellectum agentem, ſiuè paſſibilem.

8. Quidam ex noſtris temporibus illis vtique doctrina famoſus, docuit definitionem illam Vniuerſalis ex Ariſt. quòd ſit vnum in multis, & de multis, intelligendam eſſe non de Vniuerſali pro formali ſignificato, & logico, ſed de Vniuerſali pro ſubſtrato, & in potentia, ſeu Phyſico, vel Methaphyſico. Non placet, quia ſi pro vniuerſali Phyſico intelligitur ipſa natura ab hæcceitate contracta, & per Vniuerſale Methaph. intelligitur ipſa natura ab inferioribus abſtracta, quomodo definitur, ꝙ ſit vna in multis, & de multis prædicari poſſit? Iā ipſe Doctor fatetur, ꝙ tūc natura eſt vniuerſalis, quādo intelligitur poſitiuè indifferens ad multa; at hoc habetur per actum comparatiuum intellectus; in vniuerſali .n. Phyſico, vel Methaphyſico nulla interuenit comparatio, vel actus collatiuus, ſed intellectus actu abſoluto apprehendit naturā, non apprehenſa hæcceitate, vel illam à conditionibus indiuiduantibus actu abſoluto ſegregat, & abſtrahit, ergo &c. falſæ etiam videntur eius rationes ad intentum probandum.

9. Falſa eſt prima, quòd Ariſt. in illa definitione definiuit Vniuerſale, quod eſt in Cathegorica ſubſtātiæ, quæ nam erit ſubſtantia hæc, quæ in multis vna reperitur, & de multis prædicari poteſt? Planè ſubſtātia omnis diuiditur in primam, & ſecundam, & per primam intelligitur indiuiduum; quis autem defēderet vnum indiuiduum in multis reperiri, & de multis prędicari? ſanè ſolius ſubſtantiæ Diuinæ priuilegium eſt, quæ cùm vna, & indiuidua ſit, in pluribus indiuiduis communicata reperiatur &c. ſi ſecundam ſubſtantiam definiuit, habetur intentum, hæc .n. ſecunda intentio eſt, & Vniuerſale logicum formaliter, fundamentaliter eſt ipſa natura cōis, I. contracta in vno per hæcceitatem.

10. Secunda etiam falſa videtur ex eadem doctrina; dicebat .n. ꝙ illud hic definitur, quod eſt in multis ſecundum realem aliquam entitatem ſubſtantialiter, relatiuum autem nō eſt huiuſmodi, ergo &c. peto, quę nam erit iſta entitas realis ſubſtantialis vna in multis? non natura humana Petri, quia hæc tātùm in Petro reperitur, & de illo ſolo prędicari poteſt, cum quo realiter identificatur; Et tamen Ariſt. dicit, quòd Vniuerſale eſt vnum, ſed etiam in multis, & de quibus prædicari poteſt. Nec natura Petri à conditionibus indiuiduantibus, & ab illa Petreitate abſtracta, quia neque hæc eſt in multis, ſed potiùs à multis ſeiuncta conſideratur, ergo neque, Vniuerſale phyſicum, neque Meth. definiuit; ſed tantùm Vniuerſale logicum, quod eſt vnū in multis per indifferentiam poſi-

tiuā,

Digitized by Google

tiuam,& per actum collatiuum ad multa comparatum.

11. Tertia quoque ratio nullum habet fundamentum; dicebat .n. quòd illud hic definitur, de quo definitio exercetur, ſed non exercetur de Vniuerſali logico, dicimus .n. Petrus eſt homo. Sed quis naſciat axioma illud apud philoſophos communiſſimum, quòd logica eſt de ſecundis intentionibus applicatis primis, & quòd quæ in ſecundis ſignantur, in primis exercẽtur? Eſt Doctrina ipſiuſmet Doctoris hæc formalia verba proferẽtis, ſcil: *quæ ſignantur in ſecundis intentionibus, exercentur in primis, licèt .n. genus dicatur de homine, & de Aſino prædicatione ſignata, nõ tamen exercita, vt dicatur homo eſt genus, Aſinus eſt genus*. Parcat igitur mihi tantus Doctor, & Magiſter circa hanc rẽ, quæ cùm non ſit parui momenti, cogor eius ſẽtentiã nõ approbare.

12. Tertiò, quòd Vniuerſale fiat per actum Collatiuum ſimplicem, & nõ compoſitum, patet ex dictis. Diximus .n. art. præcedenti, quòd actus prædicandi ſupponit naturã prædicabilem, ſicut actus ridendi naturam riſibilem; prædicabile autem ſupponit Vniuerſale in actu, & formaliter conſtitutum, cùm prædicabilitas ſit eius paſſio ex art. 4. ergo actualis prædicatio, quæ per cõparationẽ cõpoſitã fit, ſupponit ipſũ Vniuerſale iã actu conſtitutũ.

13. Et tandèm 4. quòd Vniuerſale fiat per actum Collatiuum ſecũdi generis, non primi, patet ex dictis diſp. ſecunda de Ente rationis art. 9. de ſecundis intentionibus, vbi diximus ſecundam intentionẽ, inter quam Vniuerſale logicũ numeratur fieri per actum collatiuũ ſecundi generis. Tùm quia ſecũda Intentio, vt ibi docuimus, per actũ collatiuum accipit tantùm quamdam extrinſecam denominationẽ ex obiecto comparato derelictam; Eſſe autem rationis formale recipit per alium actum reflexum, quo illa extrinſeca denominatio comparati, concipitur in obiecto comparato per modum cuiuſdam relationis, ad aliud obiectum cui comparatur; Ità in propoſito, cùm dicimus, quòd Vniuerſale accipit eſſe per actum collatiuum intellect' paſſibilis, hoc de eſſe materiali, ac derelicto rationis intelligendum eſt; Eſſe autem formale non habet, niſi cùm intellectus reflectendo ſe ſupra naturam comparatam in attributo rationis ad inferiora, talẽ comparationem in natura concipit ad modum veræ relationis, ad ipſa inferiora terminatam.

*Obiectiones.*

14. Ob. 1. ꝙ Vniuerſale in actu fiat ab intellectu agente, & hoc auctoritate Scoti in primò d. 3. q. 6. à Fabro citato, vbi §. *Contra iſtam opinionem*. habet Doct. quod in ſpecie relucet actu Vniuerſale, & 7. Meth. q. 16. liquidò in hanc partem inclinat, ergo &c. ℞. Cõiter à Scotiſtis texto illo locutum fuiſſe Doctorem in ſententia aliorum; Et quando etiam admitteretur Intelle-

telle-

tellectum agẽtem illas ſpecies abſtrahere, non ob id ſequitur ipſum facere Vniuerſale in actu, & formaliter, ſed ſolũ, quòd eliciat ſpeciẽ, qua mediante intellectus paſſibilis intelligẽs naturam ſine hæcceitate, Vniuerſale efficiat, vt ſupra diximus. quo ſenſu dici poteſt Vniuerſale in ſpecie relucere, quatenùs .ſ. in ipſa ſpecie intellectui paſſibili obijcitur, ſed non niſi in habitu, & repræſentatiuè.

Ad locum ex 7. Meth. Reſpondetur cum Bargio, quod Doct. in Meth. ſecutus eſt communem opinionem, ſed in 2. ſent. d. 3. qu. 1. ſuam edidit ſententiam; Vel quòd in Meth. locutus fuit in ſententia aſſerentium Intellectum agentem cauſare cognitionem, quod in ſua ſchola communiter non tenetur; Et demum quòd in Meth. de Vniuerſali in habitu locut⁹ fuit, quod eſt ſpecies intelligibilis, ſed in 2. ſent. de Vniuerſali in actu, & formaliter.

Sed contra, obiectum præcedit actum potentiæ, ſed Vniuerſale eſt obiectum intellectus paſſibilis, ergo non fit per eius actum. ℞. Mai. eſſe veram de obiecto motiuo, nõ terminatiuo, cuiuſmodi eſt Vniuerſale, quod eſt Ens rationis; & Min. eſt intelligenda fundamentaliter tantùm, .ſ. Natura vt à ſingularitate præſcindit, vel præciſione negatiua, quatenùs formalitas naturæ non eſt formalitas hæcceitatis, vel præciſione poſitiua, quatenùs per intellectum ſingularitate ſpoliatur, ſic Vniuerſale eſt obiectum intellectus. quam etiam reſponſionẽ Complutentes recipiũt; vel quòd eſt obiectum intellectus tantùm terminatiuè, loquendo de vniuerſali formaliter.

Ob. 2. quòd Vniuerſale fiat per actum abſtractiuum Intellect⁹ paſſibilis, non compatatiuum: Vniuerſale debet eſſe vnum, at cùm concipitur in multis nõ eſt vnum, ſed diuiſum, & multiplicatum, ſed tunc eſt vnum, quando ab illis abſtrahitur, ergo fit per actũ abſtractiuum. ℞. quòd Vniuerſale non ſolùm eſt vnum, ſed etiam vnum in multis, quod natura non habet, cùm tantùm à ſingularibus abſtracta intelligitur, ſed plura alia requiruntur. Sed contra, niſi natura ꝑſcinderetur à differentijs, nunquã illam vnitatem, & indifferentiam acquireret, quæ ad Vniuerſalitatẽ requiritur, ergo actus abſtractionis ad Vniuerſale neceſſarius cenſetur. ℞. admittendo, neceſſariò requiri; ſed non per talem actum abſtractionis compleri, cùm poti⁹ Vniuerſale per actum collatiuum perficiatur, Vnitas enim naturę vt eſt Vniuerſalis, non eſt vnitas abſoluta, ſed relatiua.

Ob. 3. Vniuerſale eſt vnum aptum in multis, ſed natura habet vtrumque ex vi ſoli⁹ abſtractionis, ergo per actum abſtractiuum, non collatiuum fit Vniuerſalis. probatur minor, habet vnitatem per talem actum, vt patet, habet etiam aptitudinem eſſendi in multis ſine inter-

interuentu alterius actus, nam iam illam aptitudinem habebat à parte rei, ſed remotam, & impeditam à differentia indiuiduali, quod impedimẽtum per ſolam abſtractionem tollitur, ità vt aptitudo illa, quæ erat remota, beneficio intellectus proxima euadat. ℞. neg. mi. quoad rationem completam Vniuerſalis; Eſtò .n. per abſtractionem natura concipiatur proximè apta ad eſſendum in multis diuiſim, non tamen coniũctim, ad quod requiritur noua relatio rationis, & nou' actus comparatiuus, quo ſuperius per inexiſtentiam coniunctim ad inferiora comparetur.

Ob. Natura fit ſingularis ex vi differentiæ contrahentis, ergo fit Vniuerſalis ex vi actus illam præſcindentis à differentia indiuiduali. ℞. concedendo Conſeq. fundamentaliter, quod idem eſt, ac Vniuerſale Meth. non formale.

Arguitur tertiò, quòd Vniuerſale non fiat per actum comparatiuum ſimplicem, ſed compoſitũ: Non poteſt intellectus comparare naturam ad indiuidua, niſi cognoſcat naturam in eis eſſe, & eis cõuenire, ſed non cognoſcitur eis cõuenire, niſi quatenùs de illis prædicatur, ergo per cognitionem cõpoſitam fit Vniuerſalis, & non per ſimplicem. ℞. quicquid ſit de maiori, neg. Min. poteſt .n. Natura abſtracta concipi pluribus conuenire coniunctim, aptitudinaliter, & actualiter, & ſicut riſus ſupponit riſibilitatem, ſic actualis prædicatio prædicabilitatem; Prædicatio .n. & affirmatio actualis non eſt niſi exercitium prędicationis aptitudinalis, quæ prædicabilitas cùm ſit paſſio emanans, iam ſupponit Vniuerſale conſtitutum.

Ob. tādē Per actum cõparatiuũ natura comparatur ad ſingularia, vt ſuperius ad inferiora, ſed inferiora conſtituũtur talia per actualem incluſionem ſuperioris, quæ fit prædicãdo hoc de illis ergo &c. ℞. neg. mi. ſufficit .n. vt ſuperius aptitudinaliter in inferioribus includi intelligatur; Et quando etiã actualis incluſio neceſſaria eſſet, ſufficeret ſolus actus eſſendi, abſq; actu prædicandi.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

*De modo, quo Vniuerſale fiat, & quomodo rectè definiatur.*

1. EX dictis facilè colligitur, quomodò Natura fiat Vniuerſalis formaliter. Nam primò intellectus apprehendit ſingularia & realem eorum conuenientiam. Poſtea abſtrahit naturã illam, quæ erat ratio conuenientiæ inter ea; quę abſtractio eſtò regulariter hoc modo fiat, abſolutè tamen etiam fieri poteſt ab vno ſolo indiuiduo, naturam .ſ. abſque expreſſa conſideratione talis conuenientiæ indiuidui conſiderando. Tertiò comparat naturam ſic præciſam ad indiuidua in aliquo attributo reali, quatenus illã nouit æqualiter participabilem ab oĩbus diſiunctim, quæ aptitudo adhuc realis eſt, ꝓceſſe-

ceſſerat .n. in natura ante præciſionem licèt non proxima, & expedita propter impedimentum differentiæ indiuidualis, & talis eſt actus comparatiuus primi generis. Quartò vlterius procedēdo Intellectus comparat naturam comparatione ſimplici, illam concipiendo, vt vnam formaliter in omnib' per inexiſtentiam, & ſolùm numericè diuiſam, extrinſecè, & tunc conſtituitur Vniuerſale formale in actu primo, qui actus eſt cōparatiuus ſecundi generis, cùm talis actus non ſit à parte rei, ſed ſolùm per intellectum comparantem. Et tandèm Quintò, quia in tali ſtatu eſt proximè de omnibus prædicabilis, quibus in eſſe concipitur, actu exercito illam naturam mente conceptam, de ſingulis actu compoſito prædicatur dicente hoc eſt hoc &c. Et conſtituitur Vniuerſale in actu ſecundo.

2. Ex quibus etiam facilè colligitur germana Vniuerſalis definitio, quòd nempè, *ſit vnum in multis, cum ſui diuiſione, & multiplicatione*. per ly *vnum*, intelligitur vnitas rationis, per quod excluduntur æquiuoca, tantùm vnitatem nominis habentia, & analoga, quando ſunt cum æquiuocatione admixta, de ratione .n. Vniuerſalis eſt, vt ſit prædicatum vniuocum de ſuis inferioribus. Et fundamentum huius eſt, quia de ratione Vniuerſalis eſt, ꝙ poſſit eſſe in multis, quòd niſi rationem vnā diceret, ſecūdum quā in illis reperiatur, iam non eſſet in multis, ſed vna ratio eſſet in vno, & alia in alio. Quæ Doctrina non militat de ente rationis fictitio &c.

3. Ly *in multis*, denotat, quod vnitas Vniuerſalis nō debet eſſe numerica. & ratio eſt, quia vniuocatio propriè ſumpta ſpectat ad terminum cōem; Tùm etiam quia Vniuerſalis directè ſingulari opponitur. Additur, *cum ſui multiplicatione, & diuiſione*, ad indicandum, ꝙ natura Vniuerſalis debet quidem pluribus communicari, ſed cum ſui diuiſione, extrinſeca & multiplicitate numerali; Vndè licèt ratione eiuſdem naturæ Vniuerſalis formaliter, & eſſentialiter indiuiſæ, poſſint indiuidua naturæ humanæ dici vn' homo in communi, vt Porphy. docuit, ratione tamen diuiſionis numeralis redundantis in ipſam naturam, poſſunt quoq; dici non tantùm plura indiuidua, ſed etiam plures homines. Ex qua doctrina ſequitur, vt omnes Theologi aduertunt, quòd licèt Natura Diuina ſit de facto tribus perſonis cōmunicata, nō poteſt tamen dici Vniuerſalis, & ratio eſt, quia non eſt cum multiplicitate numerali communicata, ſed vna, & eadem numero in omnibus tribus perſonis Diuinis reperitur, Hinc ſi Deus vnicam formā ſingularem in pluribus ſubiectis per replicationem poneret, Vniuerſalitatem non acquireret, quia in eis non eſſet cum ſui diuiſione, & multiplicatione numerali, vt benè Maſtr. & Bellut. aduertunt diſ.4. q.2. art.3. in Log.

## ARTICVLVS OCTAVVS.

*De Naturis, quibus intentio Vniuerſalitatis applicari poſſit.*

1. SCotus, qui ſubtiliori rationis acie, aquilino velut intuitu veriorem doctrinam introſpexit, in primo d.3.q.3.§. *Contra iſtam vniuocationem*. Et d.8. q.3. lit. S. & T. non ſolum admittit naturas oñes limitatas, & prædicamentales fundare poſſe rationem Vniuerſalitatis, ſed etiam traſcendendentia; & licèt neget Ens eſſe genus, non tamèn negat eſſe Vniuerſale. Et quia etiam ibi omnibus traſcendentibus vniuocationem tribuit, & vniuocè inferioribus cõuenire, manifeſtè indicauit, Vniuerſalia eſſe. Imò in 2. d.3. q.6. §. *Ad quæſtionem quintam* &c. dilertè docet etiam partes phyſicas, & incompletas fundare poſſe vniuerſalitatem, aſſerens: *Quicquid eſt natura in quocumque genere totalis, vel partialis, non eſſe de ſe hoc*; ſed omnis natura, quæ non eſt de ſe hæc, vniuerſalitatem fundare poteſt igitur &c.

2. Pro reſolutione hujus quæſiti, duo veniunt dubia examinanda. Primum eſt, an Vniuerſalitas conuenire poſſit naturæ omninò immultiplicabili à parte rei, ſicut quamplures Thomiſtæ ponunt naturas Angelicas, quas iudicant ſecũdum numerum immultiplicabiles. Aliud dubiũ eſt, an etiam prædicata traſcendentalia, quæ ſupra prædicamenta ſunt, poſſunt rationem Vniuerſalitatis fundare? Et quantùm ad primum, Caiet. p.p. q.13. art. 9. & de Ente, & eſſentia c.4. q.7. & in logica cap. de ſpecie, vt defenderet, quod ſtante illa opinione de immultiplicitate numerica Angelorum adhuc ſubſtantiæ Angelicæ varias ſpecies conſtituere poſſent, aſſeruit, quòd ad fundandum Vniuerſale logicum, non requiritur neceſſariò, vt natura poſſit multiplicari naturaliter, vel ſuper naturaliter, ſed ſufficit, quòd obijciatur intellectui non particularizata, tunc.n. habet non repugnantiam ad eſſendum in multis. Et poſtea concludit non opus eſſe, quod cõmunicabilitas, per quã Vniuerſale conſtituitur habeat fundamentum ex parte obiecti, ſed ſufficit, quòd habeat ex parte noſtri intellectus, quatenùs intellectus denudãdo naturam ab indiuiduatione, illam concipit cum quadam cõibilitate. Et hoc fundamẽto defendit naturam cuiuſcumque Angeli & ſi à parte rei ſit numeraliter immultiplicabilis, fieri poſſe Vniuerſalem, ſi ſine indiuiduatione concipiatur; quam opinionem ſequuntur etiam illi Thomiſtæ, qui Angelos poſſe de potentia Dei abſoluta in eadem ſpecie multiplicari concedunt.

3. Sed cõis ſent. oppoſitum docet, licèt non eadem via incedat, quidam.n. volunt, quòd, vt natura ſit idoneum fundamẽtum Vniuerſalitatis logicæ eſſe debeat actu multiplicata, quod ſingulariter affirmant de genere reſpectu ſpecierum: Alij negant actualem multi-

plicationem neceſſariam eſſe, contendunt tamen debere eſſe phyſicè multiplicabilem, i. per potentiam naturalem, Ità Pauelius 2. Meth. c. 29. & Zimara in annotationibus contra Iandunium 3. Meth. q. 12. qui conſequenter negãt incorruptibilia poſſe fieri Vniuerſalia, cũ non poſſint potentia phyſica multiplicari. Alij tandem ſufficere defendunt, quòd ſit multiplicabilis per potentiam ſaltèm ſupernaturalem, ità vt tali naturæ multiplicabilitas non repugnet, qua ratione affirmãt naturam Solis vniuerſalem fieri poſſe, etiam ſi non exiſtant, neque futuri ſint plures Soles, ſufficit .n. quòd ſint merè poſſibiles. Ità ex antiquis philoſophis ſimplic. p. Cæli com. 92. Auicen. 5. Met. c. 1. Argazel. Themiſtius, & alij. Et ex Theol. Alenſis 7. Met. 43. D. Thom. lib. 1. de interpretatione lect. 10. & opuſc. 56. Scot. in 2. d. 3. q. 7. & q. 18. Vniuerſalium. Anton. Andreas cap. de genere, & ſequuntur Recentiores, Suar. diſp. 5. Meth. ſec. 2. num. 28. Mol. p. p. q. 10. art. 4. Vaſq. p. p. diſp. 181. c. 3. Amicus, Paſqualig. & alij ferè omnes.

*Concluſio Prima.*

4. *Dicimus primò, ad fundandam Vniuerſalitatem logicam requiri, non quòd natura ſit actu plurificata in multis, nec neceſſarium eſſe, quòd ſit naturaliter plurificabilis, ſed benè neceſſarium eſt, quòd ſit ſaltem multiplicabilis ſupernaturaliter, quarè nulla natura per quãcumq; potentiam immultiplicabilis, Vniuerſale logicum fundare poteſt.* Tres habet partes, & quoad omnes probatur. Et quidem, quòd non ſit neceſſaria actualis multiplicatio eſt apud omnes receptiſſima ſent. aliter natura Solis, Lunæ, Fænicis &c. non poſſent vt Vniuerſales concipi, quod eſt manifeſtè falſum, adhuc .n. vno tantùm indiuiduo exiſtente, natura poteſt concipi, vt indifferens ad plura. Imò abſolutè loquendo neque vnius indiuidui, eſt exiſtentia neceſſaria, vt natura vniuerſalis dicatur, nullo .n. homine exiſtente, adhuc natura humana poſſet ab Angelo, vt Vniuerſalis concipi, vt infra, &c.

5. Pt. ſecunda pars, quòd ſcil. neque neceſſarium ſit, vt natura plurificabilis per potentiam phyſicã, & naturalem reperiatur, nam eodem modo ſe habet natura, quoad vniuerſalitatem, ſi multiplicetur in pluribus, ſiuè per naturalem; ſiuè per ſupernaturalem potẽtiam, vt rectè Paſqualig. in Meth. diſp. 12. tom. 2. ſec. 3. docet, ergo. Tũ quia natura Solis, & natura Lunæ non poſſent concipi, vt Vniuerſales, quia non poſſunt ab agente naturali plures Soles, & Lunæ produci. Tùm quia aſſignari debet fũdamentum cõe naturis omnibus, q̃ vniuerſalizari poſſunt, hoc autem non poteſt eſſe potentia phyſica, ex dictis, quia ab agente naturali nec Sol, nec Luna plurificari poſſunt, ergo potius tale fundamentũ erit potentia Logica, ſeu nõ repugnantia, vt à parte rei multiplicẽtur;

tur; cui non repugnãtiæ, vel aptitudini ſufficit, vt correſpõdeat potentia Dei, vt reducatur ad actum.

6. Pr. tertia pars, quæ eſt directè contra Caiet. & ratio adducitur à Scoto in 2.d.3.q.7.lit. A. Vbi ait: non repugnantia ad plurificari, & communicari eſt fundamentũ vniuerſalis, ſed natura de ſe immultiplicabilis talem non repugnantiã, vel aptitudinem habere nõ poteſt, nec etiam per intellectum, vt Caietani reſpõſio euertatur, ergo, &c. maior eſt clara, minor probatur, nam ſi talis repugnantia competit naturæ à parte rei, vt in pluribus ſit, ex ſola intellectus cognitione, non poteſt talis repugnantia tolli, & aptitudo tribui, alioquin naturæ Diuinæ poſſet ratio Vniuerſalitatis applicari, vt Scot. loc.cit. infert, Confirmatur, quia Vniuerſale debet eſſe vnum in multis, ergo ſi aliqua natura reperiatur cui vnum tantùm indiuiduum ſit poſſibile, implicat concipi poſſe vt Vniuerſalis, de cuius ratione eſt, vt ſit vnum in multis.

7. Tum quia, vel illa natura vt ſic, concipitur cum repugnantia ad eſſendum in pluribus, vel ſine tali repugnantia, ſed potius cum aptitudine, ſed vtrumque eſt implicatorium, ergo &c. Pr. primum, quia tunc conciperetur Vniuerſalitas ſimul cum repugnantia ad eſſendum in pluribus; Pr. ſecundum, quia tunc natura de ſe hęc, & ſingularis, & immultiplicabilis conciperetur non repugnans, & apta ad talem pluralitatem; hoc autẽ repugnat, Intellectus .n. nõ poteſt rationabiliter rei tribuere quod eius eſſẽtiæ directè repugnat.

Vndè ſi V.g. Intellectus tribueret homini hinnibilitatem, nõ amplius hominem, ſed equum conciperet. Cùm igitur natura Michaelis ſit eſſentialiter ſingularis ſecundum Thomiſtas, ſi intellect⁹ ei tribueret vniuerſalitatem, quę ſingularitati repugnat, non amplius naturam Michaelis, ſed aliud quidpiam conciperet, vt benè hic Maſ. & Bellu. oſtendunt; Quarè paucíſſimi Auctores huius ſententiæ reperiuntur extra familiam Dominicanam, neque illi ad oſtendendam non repugnantiam, eadem via procedunt.

8. Reſp. Ferrara 4. contra gentes c.35. poſſe naturam Angelicam ſine contradictione concipi vt vniuerſalem, quia licèt illi repugnet eſſe in pluribus, vt talis ſpecies eſt, non tamen ei repugnat, vt ſpecies eſt; Ridicula ſolutio, ait Didacus à Ieſu diſp.7.q.5. quia eadem ratione homo dici poſſet irrationalis, quia licèt hoc repugnet illi, vt tale Animal eſt, non tamẽ ei repugnat, quaten⁹ abſolutè Animal eſt.

9. Reſp. Complut. diſp. 6. q.4. q. ex noſtro intelligendi modo oritur quòd natura cõcipi poſſit Vniuerſalis ſine contradictione, nam pro ſtatu iſto cognoſcim⁹ naturas Angelicas per ſpecies corporum, Ex quo fit Angelicas naturas non intelligi à nobis ſecundum quod in ſe ſunt.

ſe ſunt intelligibiles & ſecundum principia indiuidualia earum, ſed ſecundũ noſtrum intelligendi modum, qui eſt cognoſcere naturam ſpecificam, præciſam à conditionibus indiuiduantibus; quòd ſi cognoſceremus Angelicam naturam, vt in ſe eſt, concedimus non poſſe tunc rationem Vniuerſalis ſuſcipere. Ità Complutenſes, qui in hoc ſenſu intelligunt diſtinctionem illam Caiet. de duplici Vniuerſali, vnum ex parte intellectus tantùm, aliud ex parte rei,& intellectus ſimul; Et admittit naturam implurificabilem fieri Vniuerſalé ex parte Intellectus tantùm, dum ſine indiuiduatione concipitur.

10. Quæ reſponſio meritò ab omnibus reijcitur, licèt.n. Intellect' naturas Angelicas per ſimilitudinem ad corporalia intelligat, non tamen intelligit ſecũdum illa prædicata, quæ ei repugnant. Tùm qa ſic falsò, & non verè eas intelligeremus; Imò non Angelos, ſed quędam à nobis ficta cognoſceremus. Tùm quia eadem ratione Natura Diuina poſſet à nobis concipi vt Vniuerſalis, cùm etiam pro ſtatu iſto per ipſam ſpeciem corporaliũ intelligimus. Nec ſufficit diſcrimẽ afferre, quòd Natura Angelica cõponitur ex genere, & differentia, quod Diuinæ non competit; Nam Vniuerſalitas, & prædicabilitas nõ ex huiuſmodi compoſitione procedit, ſed ex ordine ad plura inferiora; ſola.n. compoſitio ex genere, & differentia efficit ſpeciem ſubijcibilem, non prædicabilem, vt infra dicemus.

11. Reſp. Alij, verum eſſe in Angelis non reperiri aliud, à quo ſumatur ratio ſpeciei, & aliud, à quo ſumatur ratio indiuiduationis, cũ per eamdem ſimplicem entitatem Angelus eſſe ſpecificum, & indiuiduale habeat; hoc tamen non officit, quin eamdem ſimplicem entitatem vno conceptu conſideram', vt Angelum in ſua ſpecie cõſtituit, & rationem habet differentiæ eſſentialis; & alio conceptu, vt Angelum indiuiduat, & rationem habet differentiæ numericæ, qua etiã ſolutione Complut. vtuntur.

12. Sed Contra eſt, nam licèt hæc reſponſio locum habeat in materialibus, Vbi Thomiſtæ ſaltem diſtinctionem virtualem inter naturam, & differentiam indiuidualem agnoſcunt, non tamen in Angelis valet, qui apud ipſos per eumdem gradum in vtroque eſſe conſtituũtur. Vndè ſi talis obiectiua diuiſio cum fundamento in re per intellectum in Angelis fieri poſſit, etiam in ipſis natura non erit de ſe hæc, ſed ex ſe communicabilis, & ab hæcceitate diſtincta, ſicut ſunt aliæ naturæ creatæ. Hinc D.Thom. de Ente, & eſſentia c.4. docuit, ꝙ ideò natura cum veritate concipitur Vniuerſalis, & à ſingularitate præſcinditur, quia non eſt de ſe ſingularis, ſed aliquo modo ſaltem virtualiter à ſingularitate diſtincta, ergo niſi talis diſtinctio etiam inter naturam Angelicam, & indi-

indiuiduationem intercedat, nunquam abſtractio naturæ à ſingularitate fieri poterit. Vndè etiam ſequeretur quòd eodem modo Natura Diuina ſub Vniuerſalitate cõcipi poſſet; Ideò benè ait Huttadus diſp. 5. ſec. 3. quòd non poteſt in ſent. Tomiſtarũ fieri abſtractio talis naturæ, quia hęc ſemper diſtinctionẽ inter naturã, & hæcceitatem ſupponit: ſunt aliæ reſponſiones Thomiſtarum, ſed parui momenti, ideò rationabiliter eas relinquimus.

13. Quantùm verò ad ſecundum dubium de predicatis traſcendẽtalibus, ac etiam de naturis incompletis, negant quãplures ipſa fieri poſſe Vniuerſalia. Ità Albert. Sõc. Caiet in logica cap. de genere, Tolet. q. de ſpecie ad tertiũ. & alij aſſerẽtes ſolas naturas directè in prędicamẽto reponibiles, poſſe fieri Vniuerſales; Vndè conſequenter excludere videntur omnia traſcendentalia, quæ ſuper ipſa prædicamenta ſunt, & naturas incompletas, quæ directè in prædicamentis non ponuntur, quibus adhærere videtur Tatar. q. vltima prædicabilium dub. 1. fol. mihi 48. vbi ait: aduerte; quòd ad hoc, vt aliquid propriè dicatur Vniuerſale, requiritur, quod ſit limitatum; ideò traſcendentia non ſunt Vniuerſalia, licèt de pluribus prædicentur. Verum oppoſita ſententia, quòd etiam traſcendentia, & naturę incompletæ fundare poſſunt ſecundam intentionem Vniuerſalitatis, eſt probabilior, & ità affirmamus.

*Concluſio Secunda.*

14. *Dicimus ſecundò, tàm Entia traſcendentalia, quàm etiam naturas incompletas, & partiales, vt ſunt materia, forma, & ſimiles, quæ non directè, & per ſe, ſed tantùm reductiuè in prædicamento reponuntur, fundare poſſe intentionem Vniuerſalitatis.* Concluſio eſt contra citatos Auctores, & ad mẽtem Scoti locis citatis initio Art. & in 2. d. 3. q. 7. ſub A. Vbi ait: *qualibet quidditas creaturæ poteſt intelligi ſub ratione Vniuerſalis abſq; contradictione*. Et eſt clara sẽt. Ariſt. in 3. Meth. tex. 10. Vbi diſertis verbis ait: Ens, & vnum eſſe maximè Vniuerſalia. Et probatur ratione: Formalitas Vniuerſalis in hoc præcipuè conſiſtit, vt ſit vnum, & ad plura ordinetur, in quibus eſſe poſſit; ſed naturæ omnes tàm traſcendentes, quàm etiam incompletæ ſunt huiuſmodi, ergo &c. Ma. eſt clara, Mi. Pr. nam ſingulæ dictæ naturæ habent vnitatem eſſentiæ, & reperiũtur in pluribus, vel ſaltèm cũ tali vnitate reperiri poſſunt, & de illis prædicari, vt ſuperius de inferiori, ergo fundare poſſunt rationem Vniuerſalitatis logicæ. Tùm quia Ens, Materia, forma, ſi ſecundum propriam naturam cõſiderẽtur, non ſunt quid ſingulare, ſed ſunt multiplicabilia, imò & numericè multiplicata, vnitatem naturæ in inferioribus conſeruando, ergo &c. Tùm tandèm, quia ſi plura Entia, plures materiæ, & plures formæ,

ad ſe

ad ſe inuicem conferantur, non minùs conueniũt in ratione Entis, quàm plures homines in ratione humanitatis, & leones in ratione rugibilitatis, nec minùs proprijs differentijs ſecernuntur, ergo ſicut illi rationem Vniuerſalitatis fundare poſſunt, ſic & illa. Confirmatur, quia quòd aliqua natura ſit apta fundare Vniuerſalitatem, nõ oritur ex eius complemento, ſed præcisè ex eius multiplicatione, & diuiſione in plura eiuſdem rationis; ſed omnes præfatæ naturæ sũt hoc modo plurificabiles, vt Ens in plura Entia, materia in plures ſingulares materias, de quibus prædicatur, Anima in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, & hæc rurſus in plures differentes numeraliter, ſicut homo in plures homines, ergo &c. Appellantur autem hæc Vniuerſalia incompleta, materialiter tantùm, quatenùs naturæ, quæ fundant Vniuerſalitatẽ, ſunt partiales & incompletæ, non formaliter, ſic, n, habent illa omnia, quæ ad Vniuerſalitatem requiruntur; & eodem modo reſpiciunt inferiora, ſicut Entia completa, & limitata.

15. Verùm eſt hic aduert. quòd licèt in omnibus nominatis naturis poſſit vera ratio Vniuerſalis fundari, debet tamen Vniuerſale diſtingui iuxta diuerſitatem naturarũ, in quib' fundatur, vt plures ex noſtris fecerunt, vt videre eſt apud Mayron paſſ. 1, ſuper Vniuerſale, Mauric. q. 9. Vniuerſalium, art. 3. Anton. Andreas in fine prædicab. & alios, qui Vniuerſale diſtinxerũt in traſcendentale, & prædicamentale, aſſerentes Porphy. non de omnibus Vniuerſalibus locutum fuiſſe, ſed de limitatis tantùm, & prædicamentalibus, & in ordine ad Cathegorias, vbi ſolùm limitatæ naturæ reponuntur, quæ ſunt illa quinque Genus, ſpecies, &c. ex quibus patet, quomodò ſit Ari. intelligendus 1. Eth. c. 6. & 4. Met. tex. 6. dum ait: Ens vnum, bonum, non eſſe Vniuerſalia, & Scotus etiam ſentire videtur q. 12. Vniuerſalium in fine. Negant. n. eſſe Vniuerſalia, vt ſunt illa quinque; non abſolutè, & ſimpliciter. Et ſimiliter diſtinguendum erit Vniuerſale ex parte fundamenti, per completum, & incompletum &c. Et quãdo Scot. ait: Animã nõ eſſe propriè ſpeciem, loquitur cõparatiuè, natura. n. incompleta, & partialis deteriori modo rationem Vniuerſalis ſpecifici fundat, quàm completa, & ideò deficit à propria, & rigoroſa ratione ſpeciei, licèt non ratione Vniuerſalitatis formalis, q̃ æquè benè in vtraq; natura ſeruatur, completa. & incompleta, quã doctrinam Paſqual. loc. cit. diſp. 13. Auerſa, & alij amplexi ſunt.

*Obiectiones.*

16. Ob. Contra primam Concluſionem, quòd ad fundandam Vniuerſalitatem Logicam, non oportet naturam eſſe à parte rei multiplicabilem, tali medio: Vniuerſalitas eſt relatio rõnis, ergo illi ſuffi-

cmnt.

Digitized by Google

ciūt plura inferiora ſolùm per intellectum apprehēſa, etiam ſi aliàs impoſſibilia eſſent, ſufficit .n. pro termino aliquid rationis. ℞. Cōſequētiam poſſe eſſe veram de Entibus rationis fictitijs, de quib. nō niſi fictè natura prædicatur, non de Entibus rationis fūdatis, vt relatio Vniuerſalitatis; nō .n. poteſt intellectus verè alicui intētionem Vniuerſalitatis applicare, niſi ſuppoſito fundamento in re; Alitèr itā benè poſſet intentio generis indiuiduo applicari, ſicut naturę genericæ, quod eſt falſum, prædicationes .n. Vniuerſalis logici debēt eſſe veræ, non fictæ.

Ob. 2. Aptitudo eſſendi in multis coniunctim, vt eſt de ratione Vniuerſalis, ſeu prædicabilitatis non cōuenit naturæ à parte rei, ſed vt eſt in intellectu, ergo non eſt attendenda conditio naturæ in ſe, ſed quam ab intellectu habet. ℞. neg. conſeq. nā licèt aptitudo proxima ad eſſendum in multis coniunctim ſit opus intellectus, natura tamen habet fundamentum in re, vt ſic concipiatur, quod eſt aptitudo remota ad eſsēdum in multis diuiſim.

Ob. 3. Ex Ariſt. qui aſſeruit corpora Cæleſtia fieri poſſe Vniuerſalia, quæ tamen in eius ſententia ſunt per quamcumque potentiam immultiplicabilia, cenſuit .n. quòd vnumquodque illorum conſtat ex tota materia etiam in ſua ſpecie poſſibili, ergo non requiritur ad fundandam Vniuerſalitatem logicam natura à parte rei multiplicabilis. ℞. neg. conſeq. Ariſt. .n. poſuit illa immultiplicabilia ab extrinſeco tātùm, non ab intrinſeco; verè .n. talis natura, & forma eſt alteri cōicabilis intrinſecè, licèt quia non eſt alia materia ſuſceptiua talis formæ dicatur extrinſecè immultiplicabilis.

Ob. 4. In Entibus rationis fictitijs, & chymericis, quæ omninò à parte rei repugnant, concipitur ratio Vniuerſalis logici .ſ. genus, ſpecies &c. ergo &c. ſed hoc Argumentum retorquetur contra ipſos, ſicut .n. tale Ens rationis dicitur Ens in quantum concipitur ad ad modum veri Entis, ſic in ipſis concipitur Vniuerſale ad modum Vniuerſalis, & paſſio ad modum paſſionis; Vndè ſicut Vniuerſale logicum fundatum in natura reali, dicitur propriè Vniuerſale, quia inferiora reſpicit à parte rei, ſaltē poſſibilia; ſic Vniuerſale fundatum in Entib' rationis fictitijs proportionaliter dicitur Vniuerſale logicum quatenùs illa, de quibus prædicatur ſunt poſſibilia ſub ipſo, ordine ſuo .ſ. per opus intellectus; At hoc dicitur Vniuerſale logicum fictum, non propriè in reali natura fundatum, quod ſi de hoc Thomiſtæ loquuntur poteſt admitti eorū ſententia, ſed ſic etiam poſſunt Diuinam naturam Vniuerſalem appellare &c.

Ob. 5. Natura Gabrielis præſcindi pōt per intellectum à Differentia indiuiduali, & vt ſic accepta nō

ra non eſt ſingularis ergo Vniuerſalis, quia ſub tali præciſione concipi poteſt, vt apta ad eſſendum in multis. ℞. primò negando Naturam Gabrielis ſic poſſe à ſua hæcceitate præſcindi, nam vt benè ait Hurt. diſp.5. ſec.3. Abſtractio naturæ ab indiuiduis, fundatur in diſtinctione naturæ à ſingularitate vel formali, vel ſaltem virtuali, quę cùm in natura Angelica non reperiatur in eorum ſententia, quælibet eſt de ſe hæc, ideò talis abſtractio ſine mēdacio fieri non poteſt. ℞. ſecundò quòd data etiam tali abſtractione, ſicut in naturis materialibus, non tñ per hoc illa natura eſſet Vniuerſalis logicè, ſed tantũ Methaphyſicè, vt patet ex dictis. Neque ſequitur, quòd natura illa tunc non eſſet ſingularis, cùm ſit à ſingularitate abſtracta, ergo Vniuerſalis, nam vt ipſi cum Caiet. fatentur natura ſic abſtracta neque ſingularis, neque Vniuerſalis eſt, ſed eſt ſimpliciter natura ſecundũ ſua prædicata eſſentialia.

Arguitur ſecundò, ad probandũ è contra, quòd ad vniuerſalitatem requiritur multiplicatio actualis naturæ in plura inferiora, tali medio: vt Natura vniuerſalis fiat, requiritur neceſſariò abſtractio, at ſi à parte rei inferiora nō eſſent, iam non eſſet, vnde poſſet fieri abſtractio, ergo &c. ℞. ex dictis, naturam abſtrahi poſſe ab vnico ſolo indiniduo exiſtente. Imò & ſi non exiſteret, adhuc abſtrahi poſſet à poſſibilibus, & hoc ſaltē ab intellectu Angelico, qui in cognitione non pēdet à ſēſu, ideò negatur minor.

Ob. Dici de, ſequitur eſſe in, ergo ſi natura à parte rei non eſt in multis, non poterit præciſa prædicari de multis, nec conſequenter fieri vniuerſalis. ℞. negando conſequentiam, Vniuerſale .n. ex dictis non conſtituitur, abſolutè per eſſe actu in multis, ſed per eſſe, aut ſaltem poſſe eſſe in multis per intellectum, quæ tamen multa, poſſibilia à parte rei eſſe debent.

Arguitur tertiò, quòd ad vniuerſalitatem fundandā requiritur, vt natura ſit phyſicè, & naturaliter multiplicabilis, & quòd non ſufficit potētia logica, & primò ex definitione ipſius vniuerſalis, quod non definitur, cui nō repugnat eſſe in multis, ſed quod aptũ eſt eſſe in multis, ergo requiritur potentia poſitiua naturalis, & non ſufficit non repugnantia. ℞. quòd li aptũ ſignificat, quòd natura ex ſuis intrinſecis principijs eſſe poteſt in multis, ſiuè hoc explicetur per aptitudinē poſitiuè, ſiuè negatiuè per nō repugnantiā, multa ſunt .n. quæ naturaliter multiplicari non poſſunt, vt patet de Sole, Luna, &c. nō intrinſecè, ſed extrinſecè defectu agentis creati, &c. Atque ideò negatur conſequentia.

Ob. Ariſt. definiuit vniuerſale ſm illam potentiam naturæ, quam ipſe agnouit, ſed tantũ potentiam naturalem, & phyſicam cognouit ergo, &c. ℞. neg. Mi. benè .n. ipſe cognouit in rebus potentiam logi-



Digitized by Google

cam, & multa non implicare, quæ tamen virtute agentium naturaliũ fieri nõ poſſe videbat, Quod patet ex ſecundo de Anima tex. 41. vbi docuit, ignem habere augmentum in infinitum, quouſque fuerit cõbuſtibile, ſed hoc poſſibile non eſt virtute agẽtium naturalium, ergo cognouit illã intrinſecã nõ repugnãtiã ex parte ignis; Et in 6. phyſ. ait: cõtinuũ eſſe in infinitũ diuiſibile, & tamẽ hoc nõ poteſt ab agẽte naturali protrahi in infinitum.

Ob. tandẽ, Apud Ariſt. omni potentiæ paſſiuæ naturali correſpondet actiua naturalis, ne potentia paſſiua fruſtatoria in natura videretur, ergo non requiritur potẽtia logica ad vniuerſale fundandum, ſed ſufficit ſimpliciter potentia phyſica. ℞. ex Scoto q. 1. Prol. §. *ad Argumenta*, & alibi negando illam propoſitionem eſſe vniuerſaliter verã, etiã in ſent. Ariſt. in corpore .n. datur potentia paſſiua naturalis ad animam recipiendam, & tamen tota natura creata eam inducere non poteſt; ſufficit igitur, vt in tota coordinatione Entium correſpondeat actiua, ſiuè naturalis, ſiuè ſupernaturalis, nè talis potentia paſſiua fruſtra ponatur.

17. Hinc quæri ſolet, an etiã priuationes, & negationes fundare valeant vniuerſalitatem. negãt aliqui ex D. Thom. p. 2. q. 27. art. 6. vbi negat peccatũ ex parte auerſionis habere ſpeciem, & Ariſt. 4. topic. 67. ait, non entis nullas omnino eſſe ſpecies, Scot. verò quol. 18. §. *Ex iſto ſequuntur, &c.* cõcedit negationes, & priuationes, ſuo modo denominari à notionibus generis, & ſpeciei, & ideò peccata etiã ex parte auerſionis ſpecie diſtingui, &c. vt patet de conceptu priuationis in cõi ad cæcitatẽ, & ſurditatem &c. licèt fundare non poſſint rigoroſam vniuerſalitatem, & ità intelligendi sũt D. Thom. & Ariſt. vide Maſtr. & Bell. diſp. 4. q. 4. in fine.

## ARTICVLVS NONVS.

*An Vniuerſalia rectè, & ſufficienter in quinque Vniuerſalia, ſeu prædicabilia diuidantur.*

1 SCot. quo duce errores Philoſophici damnãtur, falſitas oſtenditur, & veritas comprobatur. q. 12. Vniuerſaliũ. docet ſufficientiam talis diuiſionis ſumendã eſſe ex parte vniuerſalitatis, & prædicabilitatis, ità vt quot ſunt modi diuerſi Vniuerſalitatis, & prædicabilitatis, totidem ſint Vniuerſalia, & prædicabilia. Pro cuius declaratione ſupponimus, Porphyr. in ſua Iſagoge diuidiſſe Vniuerſale in Genus, Speciẽ, Differẽtiam, Proprium, & Accidens, & quidem, vt diximus, non in tota ſua amplitudine, ſed tantùm Vniuerſale Prædicamentale, & limitatum; licèt etiam ſub hac prædicamentali diuiſione comprehenderit ea, quæ per reductionem, & à latere in p̃dicamentis reponuntur; vt ſunt differentiæ, quæ à latere, & propriũ in prædicamento ſui ſubiecti reducitur. Quæritur igitur in præſen-

ſenti, an hæc diuiſio Vniuerſalis p̄dicamentalis ſit ſufficienter tradita. Et contra aliquos ſupponitur, ꝙ Vniuerſale, & prædicabile æq. latè patent, cùm.n. vnum ſit paſſio alterius, ad inuicem conuertuntur, vt patet de riſibili, & rationali &c.

2. Licèt autem hæc diuiſio ſit famoſa, & cōiter recepta à Claſſicis Auct. & expoſitioribus Arabibus, & Latinis, vt videre eſt apud Auic. 1.p. ſuæ logicæ c. 6. Albertū trac. 2. Prædicab. c.9. D. Thom. Opuſ. 48. c.1. Scot. q.12. Vniuerſalium, & in primo d. 8. q. 3. S. & Recentiorum torrentem &c. non tamen defuere, & magni quidem nominis Auctores, qui ab hac diuiſione receſſerunt, alij augendo, alij ex oppoſito præfatū numerum minuendo; Nam Græci potiores duo tantùm Vniuerſalia admittebant, quę de rebus eſſentialibus prædicātur, & illa præſertim, quæ prædicantur in quid, vt genus, & ſpecies, pro qua ſententia citantur Dexippus in Prædicament. Boet. ibidē cōm. 6. Simplicius, Ammonius, & ex Arabibus Auerr.

Hanc etiam opinionem ſeq. videtur Paſqualig. diſp. 25. ſed ne à cōi recedat, diſtinguit Vniuerſale à prædicabili, admittendo quidem quinque eſſe Prædicabilia, ſed Vniuerſalia tantùm duo .ſ. Genus, & Speciem.

3. Alij verò Recentiores ex oppoſito, numerum illum augent, Caie. .n. c. de ſpecie addit Indiuiduum vagum, vt V.g. quidam homo, qui poteſt dici de Petro, & cæteris indiuiduis naturæ humanæ; addit etiam & Definitionem, vt Animal rationale, quia etiam ipſa de pluribus prædicari poteſt. Quidam etiam ex Theologis ſextum addūt prædicabile, ex Miſt. Incarn. quo natura ſubſtantialis aſſumpta prędicatur de Perſona aſſumente, Vndè vocarunt hoc prædicabile aſſūptiuum, nam verè dicimus Deus eſt homo, Filius Dei eſt homo; & poſſet etiam dici de Pluribus ſi Pater, & Spiritus Sanctus aliam humanitatem aſſumerent, Ità Auerſa cum Alijs.

4. Vnum eſt hìc valdè aduertendum ante deciſionem, quòd hìc nō accipim' Vniuerſale pro materiali .ſ. ratione naturę, quæ Vniuerſalitati ſubſtratur, ſic .n. non eſſet adæquata diuiſio, magna eſt .n. copia, & varietas naturarum, quæ Vniuerſalitatem fundare poſſūt; ſed diuidimus Vniuerſale pro formali, ratione .ſ. Vniuerſalitatis, & p̄dicabiliatis; quare ad probandam illius diuiſionis ſufficientiam, ſumenda eſt ratio ex parte Vniuerſalitatis, & prędicabilitatis, vt Scotus docuit loco citato initio Art.

*Concluſio.*

5. *Dicimus cum communi ſententia, præfatam Diuiſionem, rectam, adæquatam, & exactam eſſe, vt potè, quæ omnem rationem prædicabilitatis exhauriat.* Eſt Scot. loc. cit. & ità ex parte Vniuerſalitatis probatur: Natura Vniuerſalis, vel eſt in multis eſſē-

tialiter, vel accidentaliter; ſi eſſentialiter, vel tamquã tota eſſentia, & hæc eſt ſpecies, q̃ proindè dicitur tota quidditas ex Doct. in 2. d. 4. q. 6. § *ad Argumenta*. Hæcceitates enim pertinent ad eſſe Materiale, & integritatem Indiuidui, non ad eſſe formale, & quidditatem; vel eſt in multis, vt pars eſſentiæ, & hoc dupliciter, vel tãquam pars Materialis, & contrahibilis, & hoc eſt genus; vel tamquam pars formalis, & contractiua, & eſt differentia, quæ reſpicit genus, vt forma actuans, & illud determinans; ſi verò pluribus ineſt accidentaliter, vel oritur, & emanat ab eſſentia rei, & ſic eſt proprium; vel prouenit tantùm ab extrinſeco abſque neceſſaria connexione, vel dependentia ab eſſentia, & hoc eſt accidens.

6. Sed quia ex dictis, ex Vniuerſalitate procedit prædicabilitas, vt eius paſſio, & eo ipſo, quòd vnum eſt in multis, eſt etiam de multis prædicabile, ex ſufficientia ex parte Vniuerſalitatis aſſignata, ſumitur ſufficientia ex parte prędicabilitatis, & hoc eſt ad mentem Porphy. qui Vniuerſale conſiderauit præſertim ſub ratione Prædicabilis; ſumitur autem ſic, quia, vt in Summulis diximus, omne quod pdicatur, vel prædicatur in quid, vel in quale; ſi in quid, vel dicit totã eſsẽtiam, & ſic eſt ſpecies, vel partem, & ſic eſt genus; ſi prædicatur in quale, vel prædicatur in quale eſſentiale, & ſic eſt differentia, vel in quale accidentale, & hoc dupliciter, quia vel prædicatur Accidẽs conuertibile à principijs ſubiecti emanans, & ſic eſt Proprium, vel eſt Accidens commune, & ſic eſt quintum Vniuerſale. ſic Scot. loc. cit. q. 12. Vniuerſalium, vbi etiam explicat, quòd prædicari in quid, eſt prædicari eſsẽtiam per modum ſubſiſtentis, prædicari autẽ in quale, eſt prædicari per modum denominantis, & hanc ſufficientiam diuiſionis Vniuerſalium ſequuntur Recentiores ferè omnes.

7. Aliqui verò ex noſtris, ſic talẽ ſufficientiam colligũt: omne quod prædicatur, vel prędicatur in quid, vel in quale; ſi in quid, vel de pluribus differentibus ſpecie, & ſic eſt genus, vel de pluribus differentib. numero, & ſic eſt ſpecies; ſi in quale vel eſſentialiter, & eſt differẽtia, vel accidentaliter, & hoc dupliciter, vel conuertibiliter, & ſic eſt proprium, vel inconuertibiliter, & eſt Accidens. Sed hic modus in duplici combinatione deficit, primò quia diſtinguit genus à ſpecie prçcisè per prædicari de pluribus differentibus ſpecie, vel numero; ſi. n. hæc ſola differentia ſufficeret ad iſta diſtinguẽdum, vt duo Vniuerſalia cõſtituat, eadem ratione differentia generica, & ſpecifica, proprium genericum, & ſpecificum diſtincta prædicabilia cõſtituerẽt, vt benè Tatar. aduertit q. de differentia dub. 1. fol mihi 38.

8. Deficit etiam in ſecunda combinatione, quia diſtinguit propriũ

ab Accidente cōi in ratione Vniuerſalium, per prædicari conuertibiliter, quod prorſus repugnat Vniuerſali, de cuius ratione eſt, vt non poſſit de inferioribus conuertibiliter prædicari; & fundamentū eſt, quia Vniuerſale eſt prius ſuo inferiori ea prioritate, à qua non conuertitur ſubſiſtendi conſequētia, ex poſt prædicamentis cap. de priori, vt homo eſt Animal, valet; ſed Animal eſt homo, eſt falſa. Et licèt Scot. proprium appellet Accidens conuertibile, non tamen illud diſtinguit ab accidente cōi in ratione Vniuerſalis per prædicari conuertibiliter, ſed ex hoc quòd proprium eſt prædicatum pullulās ex proprijs principijs ſubiecti, ac proinde neceſſariam habens cōnexionem cum eo; Accidens verò cōmune prouenit ex extraneis, & cōmunib', vt ibi legēti patere poteſt.

9. Sed Contra noſtram, & cōem hanc combinationem vrget Auerſa q.10. ſec.1. cum Alijs, tali medio: Species verè ſe habet in indiuiduo per modum partis materialis reſpectu differentiæ indiuidualis; ſicut realitas generis in ſpecie, ergo non benè diſtinguuntur prima duo prædicabilia per hoc, ꝙ ſpecies dicit totam eſſentiam ſuorum inferiorum, genus verò partē. Probat Antec. quia etiam ſpecies contrahitur ad indiuidua per differentias indiuiduales, & differentia indiuidualis eſt gradus eſſentialis, & intrinſecus indiuiduo.

10. Confirmatur. Ratio Vniuerſalis ſumi debet in ordine ad illa plura, reſpectu quorum eſt Vniuerſalis, & ex modo eſſendi naturæ in ipſis multis, ſed eſto differentia reſpectu generis, quod contrahit, ſiuè reſpectu ſpeciei, quam cū genere conſtituit, ſe habeat tamquàm pars formalis, & contrahēs, tamèn ſi comparetur ad inferiora reſpectu quorum eſt Vniuerſalis, ſe habet tamquam pars materialis, non minus quam ipſum genus, ergo non bene diſtinguitur genus à differentia, quòd hoc prædicetur in quid, & per modum partis materialis, Differentia verò in quale, & per modum partis formalis.

11. Verùm neſcio; qua fronte audeat Auerſa præcipuè hanc ſufficientiam Vniuerſalium reſpuere, quam libenter q.8. ſec.16. recepit, & approbauit. Vbi etiam apertis verbis cū cōi aſſeruit, ſpeciem totam eſſentiam indiuiduorum dicere. Ideò ad ſuum Argum. negam' paritatem aſſumptam de genere, & ſpecie reſpectu ſuorum inferiorum, licèt enim natura ſpecifica cōtrahatur per gradum indiuidualem, hic tamèn gradus eſtò ſpectet ad integritatem, non tamèn ad eius quidditatem, alias indiuidua eſſentialiter inter ſe differrent, vt Scot. docet loc. cit. Et ratio eſt, q̄a quidditas, & eſſentia rei illa eſt, p quam reſpondetur ad quæſt. quid eſt, ſed ad quæſt. de indiuiduis reſpondetur per naturam ſpecificam, non per differentiam indiuidualē; ſi .n. quæratur quid eſt Petrus. ℞.

eſt

eſt homo. Vndè per differentiam indiuidualem reſpondetur ſolùm ad quæſt. quis eſt, ſi .n. quæratur quis eſt ille? &c. eſt Petrus. Ex quo liquidò patet, ſpeciē dicere totam eſſentiam Indiuidui, licèt non totam eius entitatem. At genus non ita ſe habet reſpectu ſpecierum, ſi .n. quæratur quid eſt homo? non adequatè reſpondetur eſt Animal, ſed addi debet rationale, vt perfectè illius eſſentia explicetur. Et falſum eſt gradum indiuidualem eſſe eſſentialem, licèt admittatur eſſe intrinſecum, quæ duo in noſtra Schola valdè differunt.

Ad confirmationem neg. Min. Differentia .n. de ſuo cōceptu formali non dicit, niſi quòd ſit diuiſiua generis, & conſtitutiua ſpeciei, quarè non poteſt dici formaliter contrahibilis per differentias vlteriores, cùm ſit de ſua ratione formali quidam actus ſimplex, & perfectiuus, non perfectibilis. Et quādo per alias differentias inferiores contrahitur, & determinatur, hoc erit tantùm identicè, & materialiter, quatenùs genus cum quo idētificatur, ita contrahitur, in quo ſenſu dicitur differentia generica. Vndè ſicut riſibile V. g. eumdem modum prædicandi, quem exercet in ordine ad ſubiectum immediatum, .ſ. hominem, exercet etiam in ordine ad ſubiecta mediata, .ſ. hunc, & illum hominem; ſic etiam de differentia fatendum eſt, ꝙ .ſ. eumdē modū prædicandi, quem exercet in ordine ad ſubiectū immediatum, nempè ſpeciē, quā conſtituit, exerceat etiā in ordine ad ſubiecta mediata, ad inferiora .ſ. illius ſpeciei; Et ideò ſicut de ſpecie prædicatur per modum partis formalis immediatè, .ſ. homo eſt rationalis, ſic etiā de inferioribus illius ſpeciei mediatè .ſ. Petrus eſt rationalis, Paul' eſt rationalis &c. Quam reſponſionē Complut. amplectuntur, & nos etiam infra ſuo loco declarabimus.

12. Pr. 2. Sufficiētia illius diuiſionis, alias opiniones, eam minuentes, vel augentes excludēdo. Et primò excluditur illa, quæ illam minuebat, cuius præcipuum fundamentum erat, qa potiſſima conditio vniuerſalis eſt, vt ſit prædicatū Vniuocū, at Vniuoca eſſentialiter dicuntur de ſuis ſubijcibilibus, vt ex eorū definitione conſtat in ante prædicamentis cap. 1. & 1. Topic. cap. 2. & Cap. de ſubſtantia negat Ariſt. Accidentia de ſubiecto vniuocè prædicari, quia non prædicātur eſſentialiter, ergo tantùm duo sūt prædicabilia, .ſ. genus, & ſpecies, quæ eſſentialiter de ſuis inferioribus prædicantur; ſed debile, & ruinoſum fundamentum, nā in Schola ſubtiliū, vt videbimus, multum intereſt inter eſſe prædicatū vniuocum, & vniuocè prædicari, ad prædicationem .n. vniuocā ſufficit ſi prædicetur vna ratio præciſa, ſiuè eſſentialis ſit, ſiuè accidentalis illis, de qbus prædicatur; prædicatio .n. Vniuoca abſtrahit ab eſſentiali, & denominatiua.

13. Hinc

13. Hinc eſt, quòd quando Ariſt. in antepræidicamentis cap. 1. definiuit Vniuoca, quòd eſſentialiter dicantur de Inferioribus, accepit vniuoca præſsè, vt contra denominatiua diſtingueret, licèt illa definitio abſolutè loquendo, etiã accidentalibus prædicatis appliçari poſſet. Et eſtò in Cap. 2. Antepræedic. excludat Accidens, & Proprium à dici de ſubiecto, etiam ibi excludit differentiam, quam tamẽ poſtea vniuocè prædicari docuit cap. de ſubſtantia. Ratio ergo, quã Ariſt. hæc Vniuerſalia excludit à dici de, eſt, quia ibi accepit Vniuerſale pro eo, quod dicitur de ꝓpriè inferioribus, & ponitur in recta linea prædicamentali; intẽtio .n. eius (vt ibi eius expoſitores fatentur) erat inueſtigare naturas, q̃ in recta linea poni debeant, quæ ſunt genus, & ſpecies. Nec nos negamus, ꝙ Vniuerſale in cõi principalius dicatur de illis, quàm de iſtis; & quia analogatum ſtat ſemper pro principaliori, hinc eſt, ꝙ per Vniuerſalia abſolutè intelligũtur illa, quæ talia ſunt reſpectu inferiorum; vt genus, & ſpecies, non illa, quæ ſunt de ſubiectis, vel quaſi ſubiectis, vt ſunt differentia, proprium, & accidens; ex hoc tamen non ſequitur, quin etiam hæc Vniuerſalia dicantur, licèt minùs principaliter; ſed volumus quòd horũ Vniuerſalitas eſt ab illa formaliter diuerſa; nam illa inſunt eſſentialiter illis, de quibus prædicantur, hæc autem accidentaliter; & ſi variatur prædicabilitas ex ordine ad inferiora, & ſubiecta, variatur quoque Vniuerſalitas, cùm illa ſit paſſio iſtius, & cum eo conuertibilis. Neque Paſqualigius eſt hic audiendus, qui vt ſuam fulciret opinionem, aſſeruit, non quãcumque prædicabilitatem eſſe paſſionem, ſed illam tantùm, quæ eſt de inferioribus, quod voluntariè dixit; Prædicabilitas .n. de multis, ẽ paſſio adæquata illius, quod pro Vniuerſali definitur, abſolutè, ſiuè illa ſint inferiora, ſiuè ſubiecta, prædicabilis naturæ. Et miror hũc virum diſp. 12. pleno ore cum cõi ſufficientiam illam quinque Vniuerſalium admittentem, poſtea diſput. 25. ſuipſiuſmet oblitus, illam negantem, & in illum ſingularem errorem prolapſum, quòd prædicabilia ſint quinque, Vniuerſalia verò duo, genus, ſcilicèt, & ſpecies.

14. Neque è contra augeri debet numerus Vniuerſalium ratione indiuidui vagi cum Caiet. tùm q̃a, vt alij aſſerunt, non habet vnum ſimplicem modum prædicandi, ſed prædicatur in quid, & in quale; In quid, quia dicit naturam; in quale, q̃a dicit modum indiuiduationis, qui eſt extra conceptum naturæ à conditionibus accidentalibus dependens, quæ pertinent ad hic, & nunc; quarè reducitur ad prædicabile eſſentiale, & accidẽtale ſimul. Vel dicimus, & fortè melius cum Scoto q. 12. prædicabil. quòd ly quidam, aut aliquis homo, poteſt dupli-

dupliciter accipi, vno modo pro conceptu cõi indiuidui abſolutè ſumpti, quod de hoc, & de illo indiuiduo dicatur, & de hoc magnũ dubium eſt, an ex indiuiduis vt talia ſunt, poſſit vnus communis cõceptus abſtrahi, qui ſit illis vniuocus, cùm in ratione indiuiduationis ſint primò diuerſa, vt infra: Alio modo ſumitur, vt aliquod particulare importat, licèt indeterminatè, qua ratione dicitur indiuiduum vagum; & ità non eſt aliquod Vniuerſale, ſed potiùs ſingulare, licèt cum diſiunctione; Vndè tantùm valet Petrus eſt aliquis homo, quantùm Petrus eſt hic, vel ille homo. Hinc Summuliſtæ docẽt, quòd indiuiduo vago nullum opponi poteſt ſignum particularitatis, vel Vniuerſalitatis, dicendo: *omnis quidam homo, Aliquis quidam homo &c.* quæ tamen ſigna termino cõi opponuntur, vt omnis homo, nullus lapis. &c. ergo indiuiduum vagum non eſt terminus cõis, ſed potiùs particularis ſub diſiunctione ſumptus &c. Vndè Ariſt. cap. de ſubſtantia exemplificando de prima ſubſtantia, ait: Aliquis homo, Aliquis equus, ſignum euidens, quòd indiuiduum vagum nõ importat aliquod commune, & Vniuerſale, quia ſic potius ſecundã ſubſtantiam poſuiſſet, & non primam, & hanc ſolutionem, quæ cęteris præſtat, amplectuntur plures Recentiores cum Auerſa q. 8. ſec. 16. Paſqualig. loc. cit. ſec. 3. & fuit Scot. loc. cit. & in primo d. 25. q. vn. §. *Reſpondeo*, & ſequuntur Scot.

15. Nec augeri debet ratione Definitionis ex Doctore q. 12. Vniuerſalium ad 1. non enim Definitio conſtituit prædicabile ab alijs diſtinctum, cùm non habeat vnũ modum prædicandi .ſ. in quid, vel quale, ſed ob genus, & differentiã, quas continet duplici quaſi modo prædicatur. Sed dices, etiam ipſa ſpecies conſtat ex genere, & differentia, ergo neque ipſa habet vnũ modum prædicandi diſtinctum. Negatur paritas, ſpecies .n. non dicit genus, & Differentiam ſingillatim ſumpta, vt definitio, quæ ſingula diuidit ex primo phyſ. tex. 5. ſed totum Methaphyſicum ex illis reſultans, quod ſicut formaliter diſtinctum eſt à ſuis partibus, ità diſtinctum modum prædicandi ab illis habet, vt benè aduertit Braſauol. q. 12. & ſi etiam Vniuerſale conſtitueret, hoc diſtinctum non erit à Definito, cùm habeat eumdem modum prædicandi reſpectu inferiorum ex Scoto, & ſequitur Paſqual tom. 2. Meth. diſp. 24. ſec. 4. numer. 4.

16. Neque tandèm augeri debet ex Miſterio Incarnationis, cuius fundamentum erat, quia prædicãdo homo de Deo, non eſt prædicatio in quid, & eſſentialis, cùm non ſit ſuperioris de inferiori, & prædicatum ità conuenit ſubiecto vt poſſit ad eſſe, & abeſſe præter eius corruptionem; Neque eſt prædicatio accidentalis, quia prædicatum ſubſtãtinè dicitur de ſubiecto,

ĉto, & humanitas conſtituit vnum ſubſtantiale cum perſona aſſumẽte, ergo conſtitui debet ſextum prædicabile ab alijs diuerſum, Quæ ſpeculatio fuit Baſſol. in 3. d. 7. q. 1. & accepit à Scoto ibidẽ §. *Quarto ſciendum*. ℞. faciliter ex eodem Scoto ibidem, illa .n. prædicatio naturæ humanæ de Deo in Chriſto Domino, ſpectat ad quintum prædicabile, nam contingenter illud prædicatum aduenit Deo; quòd autem ſubſtantiuè de Deo prædicatur, dicendo Deus eſt homo, nõ impedit, quin hæc prædicatio ſit quinti prædicabilis; quia cùm dicimus, Hic homo eſt ſuppoſitum, Hic homo eſt perſona, talis prædicatio ſit ſubſtantiuè, & tamen ad quintum prædicabile pertinet, cũ ſit extra illius eſsẽtiam, & poteſt p Dei potentiã abeſſe pter eius corruptionem. Tùm quia illa prædicatio poteſt aliquo modo fieri adiectiuè, ſcilicet Deus eſt humanatus, quod in prædicatione ſuperioris de inferiori fieri non poteſt.

17. Admittimus igitur in hoc sẽſu, quòd hæc prædicatio ſit ſubſtãtialis, Verbum eſt homo, in quantum natura humana conſtituit vnum ſubſtantiale cum perſona aſſumente, non tamen ex hoc ſequitur, quòd ſit per ſe, & eſſentialis in rigore logico, cùm tale prædicatum illi contingenter adueniat. Vt Doct. loc. cit. lit. C. & D. ex pfeſſo docuit, quam doctrinam amplexi ſunt Vaſq. 3. p. diſp. 68. c. 4. Paſqua. & Alij. Videtur igitur ſextũ prędicabile, vt ex Scoto Baſſol. innuit, qa nulla vnio eſt ſimilis iſti, Vndè quãtũ ex parte eius, ꝙ prædicatur eſt ſpecies, ſed qa ex parte modi prædicandi eſt Accidens, & numerus prædicabilium nõ auſpicatur ex varietate rerum prædicatarum, ſed modorum prædicandi, eſtò in propoſito homo dictus de Deo ſit ſpecies, quia tamen reſpectu Dei habet modum prædicandi accidentalis, ad quintum prædicabile reduci debet.

*Obiectiones.*

18. Ob. 1. quòd ſint plura quinq; Decem ſunt Prædicamenta, ergo decem Prędicabilia. Probatur Cõſequentia; Nam diuiſio quoq; Prædicamentorum deſumitur penes diuerſitatem modorũ prædicandi.

℞. neg. conſeq. cum ſua probatione; in prædicamentis .n. attenditur numerus prædicatorum, hic numerus modorum prædicandi, eſſentialiter, vel accidentaliter, nõ attendendo rem, quæ prædicatur, an ſit ſubſtantia, vel accidens, ſed ſolũ cõnexionẽ eſſentialẽ, vel accidentalẽ, quã res cũ ſubiecto habet, quę cõnexio in diuerſis prædicam. eadem eſſe poteſt, in genere .n. accidentis, ità connectitur Color cũ albedine, ſicut Animal cum homine in genere ſubſtantiæ.

19. Ob. 2. Exiſtentia, Subſiſtentia, Perſonalitas, Vnio ſubſtantialis, & ſimiles modi, non prædicantur vt genus, ſpecies, Differentia, quià non cõſtituunt eſſentiam rei, neque vt proprium, quia nõ emanant

ſtant neceſſariò ab eſſentia, cùm ſine illis eſſe poſſit, nec vt accidens cùm ſint modi ſubſtantiales, ergo ſextũ prædicabile aſſignari debet, & erit modus ſubſtantialis.

℞. neg. conſequ. in Schola .n. Subtilium iſti modi ſubſtantiales Recentiorum, nõ ità facilè admittuntur, vt in Phyſ. Deo duce dicemus; Admiſſis tamen pro modò, non ideò ſequitur ſextum prędicabile admittendum; Et ratio eſt, q̃a tales modi prædicandi ad aliquem iſtorum reducuntur; nam ſi vt dicunt aptitudinem accipiuntur, reducuntur ad quartum Prædicabile; ſi dicunt actum, ad quintum, cùm abeſſe poſſint abſque eſſentiæ præiudicio; neque hoc officit, q̃ ſint modi ſubſtantiales, & non accidentia: Nam aliud eſt eſſe accidens Prædicam. Aliud prædicabile: primum dicitur illud, quod nõ eſt ſubſtantia, vt ſunt quantitas, qualitas &c. & dici ſolet accidens nominaliter, quia illud per nomen accidentis explicatur.

Secundum verò eſt quodcumq; prædicatum accidentarium, non pertinẽs ad eſſentiam rei, ſiuè in ſe ſit accidens, ſiuè ſubſtantia, ſic veſtis reſpectu veſtiti, & homo reſpectu Animalis dicuntur accidẽtia, non nominaliter, quia in ſe ſunt ſubſtãtiæ, ſed verbaliter, quatenùs veſtis dicitur veſtito accidere, & homo animali &c.

Ob. 3. Tot modis dicitur vnum oppoſitorum, quot reliquum ex primo Top. cap. 12. ſed Vniuerſale, & ſingulare opponuntur, & ſingulari ſunt quaſi infinita, ergo, &c. ℞. ex Scoto, quòd ſenſus illius propoſitionis intelligi debet quo ad ſignificata, non quo ad numerũ ſuppoſitorũ, vt tot modis V. g. dicitur vnũ, quot multa, tot modis idẽ, quot diuerſum genere, vel ſpecie, vel numero; nõ de numero ſuppoſitorum, nã album, & nigrũ opponuntur, & iuſtus, & iniuſtus, nõ tamen tot ſunt nigra, quot alba, & tot iuſti, quot iniuſti.

20. Arguitur è contra, quòd ſint pauciora quinque: Quot ſunt prædicata, tot ſunt Prædicabilia, ſed quatuor ſunt prædicata ex primò Topic. c. 3. .i. Definitio, Genus, Proprium, & Accidens, ergo &c. ℞. quòd implicitè quinq; numerauit, dùm .n. dixit Definitionem; dixit definitum, & hoc ſecundum Ariſt. eſt ſpecies; ſi verò eſt ſpecies, eſt etiam differentia, qua ſpecies inter ſe differunt, & ità ſunt quinque; vel quòd ibi Ariſt. locutus fuit de illo, p quod terminari põt, ac ſolui quæſtio dubitabilis, ſeu problema, vbi ponit quatuor prædicata, duo in quid, quod ſunt genus, & Definitio, & duo in quale, .i. Proprium, & Accidens, per quę omnis quæſtio ſolui poteſt, Porphy. autem ad modum prædicandi ſcopum habuit.

Arguitur 2: Genus, & Differentia continẽtur in ſpecie, quam cõponunt, ergo nec Diuiſio bona, cùm membra coincidant, nec prędicabilia quinq; ℞. Aſſumptum eſſe ve-

ſe verum fundamentaliter, ſic .n. ſunt gradus Methaphyſici, ſpeciē componentes, non autem formaliter, & pro ſecunda intentione prædicabilitatis.

Arguitur tertiò: Omne Accidēs, vel eſt genus, vel eſt ſpecies, cùm habeat propria inferiora, de quib. eſſentialiter prædicatur, vt patet de Colore reſpectu albedinis, nigredinis, &c. ergo ſufficiunt quatuor prædicabilia. ℞. neg. Conſe. poteſt .n. Accidens comparari, vel ad propria inferiora, de quibus eſſentialiter prædicatur, vt color ad albedinem &c. vel ad ſubiecta, quę accidentaliter denominat, vndè l: primo modo inſpectum, ad genus, vel ſpeciem reducatur, ſecūdò tamē modo conſideratum, quintum prædicabile conſtituit.

## ARTICVLVS DECIMVS.

*An Vniuerſale ſit genus ad hęc quinque vniuerſalia.*

SCot. primæ claſſis princeps ingeniorum, & literarum anteſignanus q. 8. Vniuerſalium, quē Cæteri Doctores ſequuntur, tàm Thomiſtæ, quàm Scotiſtæ, docet Vniuerſale genꝰ eſſe ad hæc quinque prædicabilia, & hanc diuiſionem eſſe generis in ſpecies mediatam. Diſcrepant ex Antiquis multi celebres Ariſt. Expoſitores, vt Ammoniꝰ in Definitione generis, Auic. in logica c. 2. Simplic. in Præd. in defin. æquiuocorum, Boe. Albert. Niger. Vall. & Alij q. ſicut negant, Vniuerſale eſſe genus ad illa quinq; ità etiam aſſerunt, hanc eſſe diuiſionem Analogicam l. diuerſimodè talem analogiā explicent. Aliqui eſtò admittant Vniuerſale eſſe genus ad hęc quinque, volunt tamen eſſe diuiſionem generis in ſpecies immediatam.

*Concluſio.*

*Dicimus. Vniuerſale eſſe genus ad quinquè iſta Vniūerſalia, ſeù prædicabilia, & diuiſionem eius in ea eſſe generis, in ſpecies mediatam, non immediatam.*

Eſt Scoti loc. cit. & ſequuntur Scotiſtæ omnes. Sarnan. ibidem. Tatar. q. 2. Maur. Angelic. Anton. Andreas, Ocham, & Alij. Et ex Thomiſtis Recentiorib. Complut. Conimb. Tolet. Ruu. Hurt. Auer. Paſqual. & cōiter. Et quoad primā partem, ità facilè probatur: vniuerſale ad illa quinque comparatum, prædicatur de illis ſecundum idem nomen, & rationem, vt de pluribus differentibus ſpecie, ergo ad illa ſe habet vt genus, & vt in ſpecies diuiſum. Conſequentia patet ex definitione generis, Antecedens probatur, quia ex vna parte Definitio Vniuerſalis in cōi eſſentialiter verificatur de ſingulis quinque prædicabilibus, vt quòd .ſ. ſit vnum aptum eſſe in multis, & dici de multis, quæ particula in definitione ſingulorum ſtat loco generis, & ex alia parte intentiones prædicabilium, non numericè, & accidentaliter, ſed eſſentialiter, & ſpecificè diſtinguuntur, q patet; nam alia eſt ſpecies Vniuerſalitatis generis, alia ſpeciei &c. An verò ad ſua inferiora deſcen-

dat vniuocè, vel analogicè, eſt inter Doctores aliqua diſcrepantia; Alij enim volunt, Vniuerſale eſſe genus ad hæc quinque ità vniuocum, vt nullam prorſus Analogiā admixtam habeat, nam ſingulæ illæ intentiones prædicabilium, æqualiter, & primariò participant rationem Vniuerſalitatis. Aduertimus tamen, quòd quando prædicabile accipimus pro Vniuerſalis eſſentia, tunc intelligitur radicaliter, non formaliter, cùm ſic dicat paſſionem: & ità debet accipi ſemper præſertim in hoc tractatu.

2. Verùm ex Scoto loc. cit. non eſt neceſsè in Vniuerſali omnem prorſus analogiam negare reſpectu illorum quinque ſpecierum Vniuerſalium. Analogia .n. benè cū Vniuocatione conſiſtit, vt ſuo loco dicemus. Tùm quia ſemper in genere aliqua analogia interuenit, cùm perfectius in vna ſpecie, quā in alia reperiatur, ſiuè ab intrinſeco, ſiuè ab extrinſeca Differentia contrahente hæc inæqualitas proueniat, qua ratione Ariſt. 7. phyſ. tex. 31. multas in genere latere æquiuocationes aiebat. Tùm quia Vniuerſalitas perfectius reperitur in Vniuerſalibus eſſentialibus, quā accidentalibus; vt patet cùm illa prædicentur in quid, iſta in quale; Illa eſſentialiter, iſta accidentaliter, ergo non eſt talis Analogia, quæ cum Vniuocatione ſit incompoſſibilis in conceptu Vniuerſalis ad illa quinque.

3. Pr. quoad ſecundam partem, .ſ. quòd hæc diuiſio non ſit immediata, ſed mediata; Vniuerſale .n. vt diximus non deſcendit immediatè ad hæc quinque, prius .n. diuiditur in illud, quod dicitur eſſentialiter, & accidentaliter, quæ duo iterum ſubdiuiduntur, ergo prius conſtituuntur duo prima genera intermedia, quæ poſtea ſubdiuiduntur per alias differentias, deueniendo tandem ad iſtas quinq; ſpecies, vt ex Porphyr. manifeſtè colligitur.

4. Et licèt Porphyr. hanc diuiſionem ad bimembrem reducere poterat, vt regulam bonæ diuiſionis ſeruaret, quæ bimembris eſſe debet, ad quæ omnia reduci poterāt; quòd .ſ. aliud eſſet prædicabile eſſentialiter, aliud accidētaliter, Vel ad ma. rei declarationem plura alia membra aſſignare, nimirum differentiam in genericam, & ſpecificam diuidere, ſicut etiam Proprium, & Accidens, & Genus in ſupremum, & ſubalternum &c. ex quo Doctores occaſionē accipiunt aſſerendi illam diuiſionem à Porphyr. traditam, non eſſe ità ex natura rei habitam, vt non potuerit aliter fieri, Ordo tamen doctrinæ ità poſcebat. Et ratio eſt, quia Vniuerſalia ſe habent tanquam forma reſpectu inferioris, ſeu ſubiecti de quo prædicantur, & conſequenter explicare debent aliquem effectum formalem, & determinatum reſpectu talis inferioris, ſeu ſubiecti, quòd ſi per rationes generales illud diuidiſſet, .ſ. eſsētiale, & acciden-

cidentale, nimis indeterminatus, & confuſus talis effectus fuiſſet, quē Vniuerſale inferiori, ſeu ſubiecto præberet, illæ .n. primæ ſpecies ſubalternæ nimis remotæ ſunt, vt ſecundæ intentiones primis applicentur, quod eſt vnicus, & totalis logicæ ſcopus; quòd ſi ex alia parte Vniuerſale diuidiſſet per rationes magis ſpeciales, certè talis diuiſio ſuperflua fuiſſet; facta enim quacumque alia ſubdiuiſione, vltra hęc quinque, adhùc illa eumdē modum prædicandi ſeruarent, quē totum ſeruat diuiſum. Diuidatur v. g. genus in generaliſſimum, & ſubalternum; & Differentia in genericam, & ſpecificam in ordine ad ſubijcibilia; ſemper ſeruant eūdem prædicandi modum, vtrumq; enim genus ſemper prædicatur eſſentialiter per modum partis potentialis, & Differentia per modū partis actualis; ſic etiam dicēdum eſt de Proprio, & Accidente; quod ſiue ſit ſeparabile, ſiuè inſeparabile ſemper tamen contingenter ſubiecto vnitur, & ad rationem prædicabilis ſufficit, quòd eſſentialiter, vel accidentaliter ſe habeat, p modum quid, vel qualis, ad quos omnes alij modi reducuntur.

*Obiectiones.*

Ob. 1. quòd Vniuerſale non ſit genus ad illa quinque: Si hoc ità eſſet, ſequeretur, ꝙ aliqua ſpecies directè de ſuo genere prædicaretur, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. patet ſequela, quia Genus ſe haberet vt ſpecies reſpectu Vniuerſalis, Min. patet, non .n. rectè dicimus Animal eſt homo. ℞. ex Scoto, negan. Min. licèt .n. non poſſit vna ſpecies de ſuo genere prædicari eſſentialiter, poteſt tamen denominatiuè, nam vna ſecunda intentio poteſt ſuper aliam fundari acceptam vt quid, & eam denominare, ſeù de illa prædicari, vt modus, quod eſt commune omnibus ſecūdis intentionibus ex Doct. loc. cit. & in p. diſt. 2. q. 3. lit. C. Vndè iſta propoſitio Vniuerſale eſt genus, eſt vera denominatiuè, nàm Vniuerſale ſumitur vt quid, genus verò vt modus, quatenùs .ſ. eſt ratio ſub qua Vniuerſale conſideratur, dum ad ſua inferiora comparatur. Illud quod intelligitur eſt quid, ratio ſub qua illud intelligitur, eſt modus.

5. Ob. 2. ſequeretur etiam hoc inconueniens, quòd vna ſpecies diſparata prædicaretur de alia, tunc .n. eſſet vera prædicatio, quòd genus eſt ſpecies, & Differentia eſt ſpecies. ℞. non haberi pro inconuenienti, quòd genus, Differentia &c. ſint ſpecies denominatiuè, accidentaliter, & vt modus.

Ob. 3. Sequeretur etiam ſaltem, quòd oppoſitum de oppoſito prædicaretur, .ſ. ſpecies de genere, cui ſaltem relatiuè opponitur. ℞. ex Scoto, quòd intentiones non opponuntur, niſi vtraque accipiatur vt quid, vel vtraque vt modus; ſed in caſu intentio generis ſumitur vt quid, intentio ſpeciei vt modus, & ideò non opponuntur.

Ob. 4.

Ob.4. Nullum genus poteſt accidentaliter de ſuis ſpeciebus prædicari, ſed Vniuerſale prædicatur accidentaliter de iſtis quinq; prædicabilibus, ergo non eſt genus reſpectu ipſorum. Ma. patet. Min. Pr. quando .n. vna intentio applicatur alteri vt modus, tunc efficit prædicationem denominatiuam, & accidentalem, ſed quando dicimus, genus eſt Vniuerſale, Vniuerſalitas applicatur generi vt mod⁹, quia eſt ratio ſub qua cõſideratur genus, ergo &c. ℞. neg. Mi. & ad probationem, Ma. eſt tantùm vera, quando intentio applicata alteri vt modus, eſt inferior, aut diſparata, non autem quando eſt ſuperior, vt in allata propoſitione, dicendo genus eſt Vniuerſale.

6. Ex dictis facilè eſt reſoluere quæſtiones à Porphyr. excitatas in ſuo Proem. de Vniuerſali; nam ſi primò quæratur, an Vniuerſalia ſint in rebus, vel potius in intellectu .i. an ſint Entia realia, vel rationis? ℞. Quòd ſi materialiter ſumãtur ſunt in rebus, ſeu Entia realia, ſi verò formaliter ſunt entia rationis, & obiectiuè in intellectu.

7. Si quæratur ſecundò, An Vniuerſalia ſint corporea, vel incorporea? ℞. formaliter loquendo, nec corporea eſſe, nec incorporea; ſic .n. ſunt tantùm ſecundæ intentiones tali, vel tali naturæ affixæ; materialiter verò corporea, & incorporea eſſe poſſunt, & etiam ab his abſtrahentia, & quandoquè p indifferentiam, quandoquè etiam per eſſentiam. Quando natura, quę denominatur Vniuerſalis, eſt corporea, tũc Vniuerſale eſt corporeũ, vt homo reſpectu Petri, Pauli &c. Quando eſt ſpiritualis, tunc Vniuerſale eſt incorporeum, vt natura Angelica reſpectu Michaelis, & Gabrielis: &c. quando nec corporea, nec incorporea eſt formaliter, ſed vtrumque permiſſiuè, vt ſubſtantia, apex in primo prædicamẽto, tunc eſt abſtrahens ab vtroque per indifferentiam, cùm hoc, & illud eſſe poſſit, licèt neutrum formaliter ſit; quando natura denominata eſt ens rationis, ꝙ nec corporeum, nec incorporeum eſt, cũ hæc ſint differentiæ entis realis, tũc Vniuerſale dicitur abſtrahens ab vtroquè, non per indifferentiam, ſed per eſſentiam, nam iſtæ negationes eſſentialiter ei conueniunt.

8. Si tandem tertiò quæratur, an Vniuerſalia ſint in ſingularib⁹, vel potius ab eis ſeiuncta? ℞. materialiter ſumpta in ſingularibus reperiri, formaliter verò eſſe ab eis ſeparata, Vniuerſalitas .n. eſt ens rationis, habens tantùm eſſe obiectiuum in intellectu. quibus ſatisfit quæſtionibus à Porphy. tactis.

9. Et quia poſſunt etiam alia quęſita de Vniuerſalibus fieri, breuiter pro modo ſatisfacere ſatagimus. Poteſt .n. quæri, An Vniuerſalia ſint ſubſtantiæ, an accidentia? ℞. formaliter ſumpta nec ſubſtantias eſſe, nec accidentia realia, dici tamen poſſe accidẽtia rationis, ſunt .n. ſecundæ intentiones, & relatio-

latio-

lationes rationis; materialiter verò ſumpta, poſſunt etiam ſubſtantiæ eſſe, & accidentia, cùm intentio Vniuerſalitatis fundari poſſit ſuper naturas ſubſtantiales, & accidentales.

10. Si quæratur, an ſint æterna, vel tẽporalia? ℞. Maſtr. & Bell. diſp. 4. log. q. 2. art. 3. formaliter ſumpta, non eſſe æterna, nam tãdiù ſunt, quãdiù ab intellectu fiũt; materialiter accepta quantùm ad exiſtentiam, neque vt ſic æterna ſunt, quia cùm eſſe in ſingularibus habeant, ad eorum corruptionem corrumpuntur; quantùm verò ad eſſentiam, dicuntur æterna, quia ſic non ſunt in potentia proxima ad corruptionem, niſi exiſtant; hoc autem intelligi debet de eſſentia nominaliter, & poſſibiliter, deſtructis .n. omnibus humanæ naturæ indiuiduis, adhuc verum eſſet dicere, homo eſt animal rationale, & hominem eſſe ſpeciem, & ſpeciẽ eſſe quæ de pluribus prædicatur differentibus numero. Et ratio eſt, quia ly eſt, in his propoſitionibus non dicit exiſtentiã extremorum, ſed neceſſariam connexionem inter illa.

Sed Vrges, ſi Vniuerſalia ſunt perpetua, certè alicubi permanere debent, ſed ſi nullum ſingulare eſſet, vbi tunc erunt? ℞. ex Scoto, quòd tunc nullibi actu erunt, ſed obiectiuè tantùm in intellectu Diuino, actu cognoſcente eis debita eſſe huiuſmodi prædicata, quando ad extra ſingularia producerentur. Ità Bellut. & Maſtr. cum aliquibus Scotiſtis.

## ARTICVLVS VNDECIMVS.

*An Prædicabile, ſeù Vniuerſale ſit huius libri ſubiectum.*

1. SCot. inter clariſſimos doctrinę Profeſſores celeberrimus Doctor. q. 7. Vniuerſalium ℞t. affirmatiuè, cum cõi conſenſu Philoſophorum, vt videre eſt apud Burleum initio prædicab. Conim. in proœm. q. 7. Maſius, Tolet. Ru. & alij; aſſignamus autem pro obiecto Vniuerſale, ſeù prædicabile, quia pro eodem vtrumque ſumimus; per prædicabile .n. intelligimus quod aptum eſt prædicari de pluribus, de quo Porphyr. in hoc tractatu agit, nam capite de genere, facta diuiſione eorum, quæ prædicantur, & quòd aliud prædicatur de vno ſolo, aliud verò de pluribus, proſequitur agere de his, quæ de pluribus prædicantur, diuidens illa in quinque ſpecies, vt ſunt Genus, Species, &c. quarè potius ſub ratione prædicabilis, quã vniuerſalis debet hic ſubiectum poni, quia reuera Porphyr. ipſa quinq; Vniuerſalia potius ſub ratione prædicabilium, quàm Vniuerſalium conſiderauit, & ità cum cõi reſpondemus. Dices, ſi Prædicabile eſt paſſio vniuerſalis, quomodò poni poteſt pro ſubiecto horum librorum? ℞. quòd licèt prædicari de pluribus ſit paſſio reſpectu vniuerſalis, tñ reſpectu Prædicabilis eſt de eius eſſentia, vt patebit diſp. ſeq. art. 1. nu. 8. & 13.

con-

Digitized by Google

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Vniuerſale, ſeù Prædicabile eſſe huius libri ſubiectum attributionis*. Concluſio eſt cōis cum Scoto loc.cit. & nullas patitur difficultates. Et ità ex Doct. quæſt. 3. Vniuerſalium Probatur: Tres ſunt precipuæ conditiones, quæ in ſubiecto ſcientiæ deſiderantur .ſ. quòd de ſubiecto præſupponatur, quia eſt, & quid eſt; quòd de eo propriè demonſtrentur paſſiones in ſcientia; & tandèm, quòd omnia ibi cōſiderata, ad ipſum habeant attributionem, & in eius gratiam conſiderentur; ſed vniuerſale in hoc tractatu eſt huiuſmodi, ergo &c. habet primam conditionem, quòd de eo præſupponatur quod eſt, nā dum Porphy. mouet illas quæſtiones, quas ob arduitatem eas non ſoluit, an .ſ. Vniuerſalia ſint in rebus, vel intellectu, an corporea, vel incorporea &c. iam ſupponit Vniuerſalia eſſe, & quærit vbi ſunt, & quomodò &c. & dum cap. vltimo de communitatibus inquit, quòd ſingula Vniuerſalia conueniunt in ratione cōi Vniuerſalis, quia ſingula prædicantur de pluribus, ſanè ſupponit hanc eſſe eius definitionē in ratione prædicabilis, & ſic primam habet conditionem. Dùm deinde demōſtrat genus, ſpeciem &c. differre ab indiuiduo per prædicari de pluribus, iam paſſionem de Vniuerſali implicitè demōſtrat tamquam de primo, & adæquato obiecto, & ità habet ſecundam. Et tandèm dum docet quinque eſſe vniuerſalia, quæ de pluribus prædicantur, oſtendit illa omnia eſſe ſpecies, & Vniuerſale eſſe cōe genus, ad quod omnia reducuntur, & licèt vltra illa quinq; agatur in hoc tractatu etiam de indiuiduo, & ſpecie ſubijcibili, quæ Vniuerſalia non ſunt, ad ipſum tamen reducuntur, & ſi non vt eius ſpecies, ſaltem vt termini ſpecierum eius, indiuidua nempè, vt termini ſpeciei, & ſpecies ſubijcibiles vt termini genereitatis, & ità habet tertiam conditionem.

*Obiectiones.*

3. Auerſa q. 7. log. ſec. 3. quorūdam antiquorum expoſitorum ſētentiam ſequens, vult ſubiectū huius tractatus non eſſe Vniuerſale in communi, ſed potius partes eius ſubiectiuas, vt ſunt genus, ſpecies &c. ſingillatim ſumptas, fundamētum eius eſt, quia non egit Porphy. de illis quinque ſub cōceptu communi vniuerſalis, vel prædicabilis, ſed abſolutè, ſimpliciter ſingula explicare incepit, nec de ſingulis egit, quatenus Vniuerſalia ſunt, .ſ. per ordinem ad plura, nā propriū, & accidens potius per ordinem ad ſubiectum, cui conueniunt, conſiderauit, ergo &c. Sed negatur aſſumptum, Porphy. .n. cap. vlt. agit de communitatibus prędicabilium ſub ratione conceptus cōis in quo omnia prædicabilia conueniunt, & omnia definiuit in ordine ad plura, vt infra patebit, & illa quinque ſingillatim, & ſolutè pro obiecto accipere, eſt contra Ariſt. doctri-

nam,

nam, qui primo Poſt. tex. 25. docet ſcientiam eſſe vnius generis ſubiecti.

Ob. 2. Si Vniuerſale eſſet huius tractatus ſubiectum, aliæ ſcientiæ non agerent de Vniuerſalibus, ſed Ariſt. tam in Topicis egit de Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidente, quã in 7. Meth. cap. 13. immò omnes ſcientiæ de Vniuerſalibus agũt, teſte eodem Ariſt. 1. Poſt. c. 7. & 2. de Anima c. 5. & alibi, ergo &c. ℞. diſtinguendo; licèt .n. aliæ ſcientię de Vniuerſalibus agunt, hoc erit materialiter, .ſ. de rebus ipſis, quæ Vniuerſales dicuntur, logica verò tractat de Vniuerſalibus pro formali, quatenus Vniuerſalia ſunt, & ſub reſpectu ſecundæ intentionis. Topica vtiquè de genere ſpecie, &c. agit, quatenus diuerſa genera quæſtionum conſtituũt. Met: agit de Vniuerſalibus quatenus naturas rerum conſiderat, quoad eſſentias earum, abſtrahẽdo à condictionibus indiuiduantibus, nõ prout ſecundæ intentiones ſunt, primis applicatæ.

Ob. 3. Hic Porph. agit de indiuiduo, quod de vno tantùm prædicatur, ergo potiùs prædicabile debet ſubiectum conſtitui in hoc tractatu, quàm Vniuerſale. Reſpõſio patet ex dictis; promiſcuè enim hic accipimus Vniuerſale, & prædicabile; & Indiuiduum etiam ad Vniuerſale reducitur, ſi non vt ſpecies, ſaltèm, vt terminus ſpeciei, &c. Vel vt alij reſpondent, agit Porphy. de indiuiduo tantùm per accidens, vt melius natura Vniuerſalis cognoſcatur, oppoſita enim iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Multa alia veniunt hic de Vniuerſalibus diſcutienda, ſed quia negotium logicum ſatis traſcendere videntur, in Meth. (Deo dante) latiùs examinanda transferuntur.

# DISPVTATIO IV.

## DE VNIVERSALIBVS IN PARTICVLARI, & primò de Genere.

EGimus hucuſque de natura, & eſſentia Vniuerſalis in communi, quatenùs ſecunda intentio eſt, & ad logicum ſpectat, modo Doctrinæ methodus poſtulat, vt de ipſis ſingillatim & in particulari agamus. Et quàm ſit hic tractatus vtilis ad directionem operationum intellectuſ, qui logicæ finis extrinſecus eſt, ipſe Porphyr. in proæmio expreſſit, cũ ait, *iuuare primò ad definiendum*. Definitio .n. eſſentialis conſtat ex genere, & differentia; accidẽtalis datur ꝑ propriũ, vel combinationem accidentium communium. Secundò conducit ad diuiſionem, nam in diuiſionibus eſſentialibus, diuiditur

dicitur genus in ſpecies per differentias, in accidentalibus ſubiectum per accidentia propria, vel communia. Tertiò tandèm vtiliſſimus eſt ad demoſtrandum, nam mediũ in demoſtratione potiſſima eſt definitio, quæ ex genere, & differentia conſtat, & quod demoſtratur, eſt paſſio, &c.

## De Genere Cap. I.

*Videtur autem neque Genus, neque Species ſimpliciter dici, genus .n. dicitur, & aliquorum quodammodo ſe habentium, &c.*

1. AGgreditur Porphy. de ſingulis Vniuerſalib. in particulari agere, & diuidit in duos tractatus partiales, in primo determinat de quinque Vniuerſalib. ſecundum ſe, diffinitiuè, & diuiſiuè; in ſecundo determinat de ipſis cõparatiuè. Primus tractatus continet quinque capitula, iuxta numerum Vniuerſalium; & in primo agit de genere, & tres ponit eius acceptiones, talem ponendo concluſionem: Videtur autem neque genus, neque ſpecies ſimpliciter dici .i. vniuocè (gloſat Tarat.) ſed æquiuocè; & quod genus dicatur æquiuocè probat, tres ponẽdo acceptiones ipſius generis. Prima eſt, ſecundùm quam genus dicitur collectio multorum habentium inter ſe aliquam affectionem, vel habitudinem, quæ habitudo ad vnum aliquod ſit, ſicut Genus Heraclicarũ dicitur cõgregatio multorum, qui inter ſe aliquo modo ordinem habent, quatenùs .ſ. affines, & cognati ſunt, & hoc reſpectu vnius .ſ. Herculis, à quo deſcẽdunt, & nomen accipiunt, vt ab alijs generibus diſtinguatur, quod exemplum Porphy. accepit ab Ariſt. 10. Meth. 11. at Boet. quia Romanus erat tranſtulit ad genus Romanorum, qui ab vno Romulo deſcendunt. Secundò ſumitur pro ipſo principio à quo talis collectio deriuatur, quod duplex eſſe poteſt, aut Pater, aut Patria, quia etiam ipſa patria quoddam principium eſt, locus .n. naturalis non ſolùm eſt corporum contentiuus, ſed etiam eorũ aliquo modo productiuus, & conſeruatiuus, cũ influxum habeat circa corpora. Tertiò ſumitur Genus pro eo, cui ſupponitur ſpecies, .i. pro eo, quod de ſpeciebus prædicatur, & hoc eſt Genus logicum.

2. Deinde Porphy. ponit ſimilitudinem inter hoc genus, & duo illa genera prius poſita, & primò comparat cum genere, ſecundo modo; ſicut .n. tale genus eſt principium eorum, quæ ab eo originẽ trahunt, ità hoc Genus logicum eſt ſuarum ſpecierum principium, comparat ſecundò cum genere primo modo accepto, ſicut .n. illud eſt multorũ collectio, ita iſtud multarum ſpecierum aggregatio, nam ſub ſe multas continet ſpecies.

*Tripliciter igitur cùm genus dicatur, de tertio apud Philoſophos eſt ſermo, &c.*

3. HÆc eſt ſecunda pars huius capitis, in qua Porphy.



Digitized by Google

elicit acceptionem generis, de quo eſt hic ſermo ad propoſitum, dicés, ꝙ genus dicitur multipliciter, .ſ. prædictis tribus modis, de genere tantùm tertio modo eſt hic ſermo apud Philoſophos, ꝙ ſic definitur. *Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo, quod quid eſt.* Pro cuius declaratione præmittit Porphy. hanc diuiſionem. Eorum quæ prædicantur, alia de vno ſolo prędicantur, vt Socrates, & hic homo; alia prædicantur de pluribus, vt genera, Species, Differétię, Propria, & Accidentia, Genus quidē vt Animal; Species vt homo; Differentia, vt Rationale; Proprium, vt riſibile; Accidens vt album, nigrum, &c. Poſtea declarat dictam definitionem, per hoc .n. quòd ponitur, prædicari de pluribus, differt genus ab indiuiduo, quod de vno ſolo prædicatur; & per hoc quòd dicitur prædicari de pluribus differentibus ſpecie, differt à ſpecie, quæ tantùm de indiuiduis prædicatur. Differt à Proprio, quod de vna ſola ſpecie, & de indiuiduis, quæ ſub ipſa ſunt, prędicatur vt riſibile de homine, & Petro, Paulo, &c. Differt etiam à differentia, & ab Accidente, per hoc, quòd hæc prædicantur in quale, Genus verò in quid. Probat primam partem, quia per Differentiam, & Accidēs conuenienter reſpondetur ad interrogationem factam per quale, vt ſi quęratur qualis eſt homo? cōuenienter reſpondetur, quod eſt rationalis; & ſi quæratur qualis eſt Coruus? reſpondetur conuenienter, quod eſt niger, ideò prædicatur in quale. Secundam partē probat, quia per Genus conuenienter reſpondetur ad interrogationē factam per quid de ſpecie, vt ſi quæratur, quid eſt homo? conuenienter reſpondetur, quod eſt Animal. Ex quibus cōcludit Porphy. quòd prædicta deſcriptio generis nihil ſuperfluum continet, nec diminutum, & conſequenter bona eſt.

Sed quia exacta huius intelligētia multorum exigit dubiorum ſolutionem, hanc diſputationem in plures ſecernimus articulos, quorum primus ſit.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An genus ſufficienter definitum fuerit.*

1. SCot. qui Methaphyſicorum floſculis abundauit, q. 15. Vniuerſalium, vt legitimā talē definitionē recipit, & tātò magis, qa ad literā deſumpta eſt ex Ariſtot. 1. Top. c. 4. & lib. 4. c. 1. & 5. Meth. c. 8. & maximè ſi rectè explicetur. Pro clariori notitia ſupponimus, Definitionem poſſe dupliciter accipi, vno modo preſsè .ſ. pro definitione explicante rei quidditatē per genus, & differentiam, vel ſaltem aliqua, quæ genus, & differentiam circumſcribunt, & ſic definitio erit tantùm illius, quod genus, & differentiam habet; Alio modo fusè, pro conceptu quidditatiuo rei, quo ſenſu etiā Ens definiri poteſt, eſtò non habeat genus, & differentiā; & hoc modo definiri po-

teſt omne id, quod eſt Ens per ſe, intelligibile, ſiuè habeat genus, & differentiã, ſiuè non. Hinc in præſenti nõ quærimus, an Genus poſſit definiri hoc ſecundo modo, in hoc .n. ſenſu nõ poteſt negari Genus eſſe definibile, ſed quærimus primo modo. Et duæ ſunt opiniones, vna eſt aliquorũ antiquorum Philoſophorum, negantiũ Genus definiri poſſe, & conſequenter, illã datam à Porphyrio non eſſe definitionẽ, ita Boet. de genere, Ammonius ibidem, Albertus tract. 1. Prædicab. c. 3. Villalp. c. de genere, & alij. Alia oppoſita ſententia eſt cõis, quòd fuerit vera definitio, licèt diſcrepent Doctores circa illas definitionis particulas.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, genus rectè definiri poſſe, & conſequenter illam definitionem generis à Porphy. datam, eſſe veram, & propriè definitionem.* Eſt Scoti loc. cit. & probatur: Illud dicitur rectè, & preſsè definibile, in cuius integro conceptu aſſignatur cõceptus genericus, & differentialis, quod. ſ. vnus ſit alterius determinatiuus: ſed genus hic à Porphy. definitum eſt huiuſmodi, ergo &c. Maior eſt clara, minor eſt Scoti in 4. d. 1. q. 2. lit. I. Vbi docet, etiam in intentionibus logicalibus, habentibus conceptum per ſe vnum, reperiri ſuo modo genus, & differentiam; Et ità eſt in propoſito, in genere. n. includitur ratio cõis vniuerſalis velut generica. ſ. eſſe in pluribus, vel dici de pluribus, eſt etiã differentia contractiua illius, quod. ſ. ſit de pluribus differentibus ſpecie in quid prædicabilis, ergo, &c. Tũ quia nos hic non loquimur de ipſo genere pro quoddam aggregato ex prima, & ſecunda intentione, quaſi in recto vtrumque includat, ſed vel pro prima intẽtione, vt cõnotat ſecundam; vel pro ſecunda, vt connotat primam, iuxta varietatem opinionum circa hanc rem, quomodo genus eſt Ens per ſe vnũ, & intelligibile, & conſequenter rectè, & propriè definibile.

*Obiectiones.*

3. Ob. 1. Definitio preſsè ſumpta conſtare debet ex genere, & differentia, ſed generis nõ datur genus, alioquin eſſet proceſſus in infinitũ, ergo, &c. R. diſtinguendo min. Generis, vt Genus eſt, vt quid non datur Genus, benè tamen datur, vt ſpecies ſubijcibilis eſt, & vt mod⁹, & tunc vniuerſale eſt illi Genus, vt modus. Nec ſequitur proceſſus in infinitum, quia genus prædicabile reſpicit vniuerſale in cõi, non quatenùs genus eſt, ſed quatenùs ſpecies ſubijcibilis eſt. Vide Tatar. lib. Prædicab. 3. ſciendum in fine, litera G. folio mihi 17.

Ob. 2. ex 7. Meth. 4. ſolius ſpeciei eſt propria definitio, ſed gen⁹ non eſt ſpecies, ergo &c. R. neg. Min. genus .n. in ordine ad Vniuerſale eſt ſpecies ſubijcibilis, non vt quid, ſed vt modus.

4. Arguitur 2. Cõtra ſingulas particulas in definitione poſitas, & primò, quia definitur per actum

præ-

prædicandi. Contra eſt, nam actus prædicandi merè accidit Vniuerſali, ex vi .n. actualis prædicationis potius ratio Vniuerſalis extraneatur, quàm ponitur ex Scoto q. 16. Vniuerſalium in ſolutione ad octauum, ergo. ℞. quòd ly prædicatur, intelligitur aptitudinaliter, vel vt diximus ſupra, quòd ratio Vniuerſalis, vt ſic, ſeruatur in ratione eſſendi tàm aptitudinali, quã actuali; eodem modo in propoſito, ratio prędicabilis ſeruari poteſt in rõne prædicãdi tàm aptitudinali, quàm actuali; & quando Scot. loc. cit. ait, ex via actualis prædicationis, potiùs relationem Vniuerſalis extraneari, hoc intelligẽdum non eſt de prædicatione ſignata, ſed de exercita, vt ibi Doctor aduertit.

5. Ob. 3. contra illam particulam quòd .ſ. Genus prædicetur de pluribus: Animal, quod eſt in Petro, vel Brunello, non poteſt quidditatiuè prædicari niſi de ſolo Petro, vel Brunello, Animalitas .n. Petri tantùm conſtituit Petrum, vel Brunellum; ergo malè dicitur, quòd prædicetur de pluribus. Reſponſio patet ex dictis; quia .n. animalitas Petri manet indifferens intrinſecè ad indiuidua aliarum ſpecierum conſtituenda, remotè eſt etiam de illis prædicabilis, quando deinde ab intellectu præciſa ab illa differentia accipit indeterminationem poſitiuam, tunc proximè fundat rationẽ prędicabilitatis, & tãdẽ cũ concipitur vna in pluribus per inexiſtentiã, tũc fit vniuerſalis logicè.

6. Arguitur è contra, quòd genus non tantùm prædicatur in quid de pluribus differentibus ſpecie, ſed etiam de differentib. genere; ſubſtantia .n. prædicatur de corpore, & ſpiritu, quæ genera ſunt; prædicatur etiam de pluribus differentibus numero, vt Petrus eſt Animal, Paulus eſt animal, ergo &c. ℞. ꝑ genera ſuperiora prædicantur de pluribus genere differentibus, non quatenùs genera ſunt, ſed quatenùs ſubalterna, quo ſenſu dicuntur ſpecies ſubijcibiles, non genera; Quomodò autem prædicetur de indiuiduis, patebit infra.

Ob. 5. Ex Ariſt. 7. Met. vbi ait ſecundas ſubſtantias prædicari in quale quid, & è contra in 2. Poſt. 79. Differentia prædicatur in qd. & quia eſt gradus eſſentialis, ſicut genus, imò & nobilior, debetur ei perfectior modus prædicandi .ſ. in quid, ergo nõ benè per talem particulam genus à differentia diſtinguitur. ℞. alio ſẽſu accipi ab Ariſt. quale quid, alio à Porph. Ariſt. .n. accipit quale quid, vt diſtinguitur cõtra hoc aliquid, & indicaret naturas vniuerſalis eſſe communicabiles, non verò per ſe ſubſiſtentes; nec dixit illas prædicari in quale quid, ſed ſignificare quale quid. Et quando Ariſt. dixit, quòd differentia prędicatur in quid, locutus fuit quantum ad rem prædicatam, nam prædicatur attributum eſſentiale, & partem quidditatis ſpecificæ, nõ tamèn quantũ ad modũ, ſic .n. prędicat

dicat per modum qualitatis, & adiacentis; nec iſte modus prædicandi eſt deterioris conditionis, imò perfectior, cùm ſit per modũ determinantis; modus verò prædicandi in quid, eſt per modum determinabilis, vt benè Didacus à Ieſu aduertit diſputatione ſexta, queſt. 2.

7. Ob. 6. Contra totam definitionem: Illa Definitio generis cõpetit alijs à definito, ergo non eſt bona, nam definitio cum definito cõuertitur; Antecedens patet, quia conuenit Enti, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid, & tamen non eſt genus ex 3. meth. c. 3. Patet etiam de Anima in cõi, quæ prædicatur de anima rationali, ſenſitiua, & vegetatiua, quæ ſpecie differunt, & tamen non eſt genus, cùm in recta linea non ponatur. ℞. ex Scoto in p. d. 3. q. 3. §. *contra iſtam vniuocationem*, ex 3. Meth. tex. 10. Aliam eſſe rationem generis, aliam Entis, Ens .n. quidditatiue includitur in quibuſdam differentijs, quod eſt prorſus contra rationem generis, quod cùm ſit realitas potentialis ad illas, cõſequenter ab illis preſcindit; quam ſolutionem magis declarauit in primò d. 8. q. 3. § *ad primum argumentum*, &c. Vbi ait, conceptum generis neceſſariò deſumi ab aliqua realitate diſtincta à realitate differentiæ, & per eam perfectibili, & contrahibili, ac proinde limitata, & finita; conceptus verò Entis eſt cõis ad finitum, & infinitum; quod magis declarabimus in dubio an Deus ſit in Prædicam. & fuſius Deo duce in Meth.

Sed contra nos vrget Arriag. diſ. 7. log. nu. 25. aſſerens, quòd ex vi definitionis traditæ, neceſſariò ſequitur, Ens eſſe genus, præſertim in ſcholis eius vniuocationem admittentibus, ratio eſt, quia tota præfata definitio Enti competere poteſt, cùm etiam ipſum Ens prædicatur in quid incompletè de pluribus ſpecie differentibus .ſ. pluſquam numero differentibus, & per hoc vult innuere, quòd nos ponamus Deũ ſub definitione generis; putat .n. Deum, & creaturam, ſubſtantiam, & Accidens differre ſpecie, ſed ℞. faciliter, quòd ſi Arriaga loquatur de Ente cõi ad ſubſtãtiam, & accidens, quod eſt Ens finitum, gratis concedimus eſſe genus, vt infra probabimus; ſi verò loquatur de ente communiſſimo, & vt traſcendens Deum, & creaturam, negamus eſſe genus, quod neceſſariò præſefert realitatẽ potentialem, & contrahibilem, per realitatem differentiæ. Tùm quia de ratione generis eſt, vt dicat relationes ad plures ſpecies, Deus autem non eſt ſpecies, ſed eſſentialiter ſubſtantia indiuidua, & ſingularis, nullum .n. genus conſtituitur per ordinem immediatum ad indiuiduum, &c.

Ad illud de anima, concedimus habere rationem generis ad illa tria; ſed quòd non ponatur in prædicamento, ſolum infert, non eſſe

ge-

genus completum, quod euenit ex parte talis naturæ, quæ partialis eſt; nõ ex defectu Vniuerſalitatis.

8. Dubitabis, an iſta definitio generis ſit quidditatiua, vel deſcriptiua? licèt aliqui magni faciãt hoc quæſitum, mihi tamen videtur pura altercatio de nomine; ſi.n. Porphyr. locutus fuit de genere quatenùs prædicabile eſt, vt mens eius fuiſſe videtur, erit definitio, nõ deſcriptio, quia dici de, licèt ſit paſſio Vniuerſalis, eſt tñ de eſſentia Prædicabilis; ſi autem locutus fuit de genere vt eſt vniuerſale; ſi prædicari ſumatur formaliter, eſt deſcriptio, quia eſt data per paſſionem; ſi verò radicaliter, eſt definitio, ſic .n. dici de, coincidit cũ eſſe in, & altero iſtorum modorum eſt Scot. intelligendus q. 15. Vniuerſalium, quando ait, prædicari de pluribus eſſe rationem Vniuerſalis, cũ in 2.d. 3.q. 1. aliter ſentiat; vt benè hic Bellut. & Maſtr. aduertunt. Vbi etiã addũt, quod præfata definitio non eſt purè quidditatiua, quæ tantũ ex proprio genere, & differentia conſtat, ſed eſt quidditatiua data per additamentũ, in qua vltra proprium genus, & differentiam inuoluitur aliquid aliud ab eſſentia definiti diuerſum, ob aliquem ordinem, quem habent ad illud, ſine quo talis definitio intellectum non quietaret, quo genere definitionis omnia accidentia relatiua definiuntur, quorum eſſe totum eſt ad aliud ſe habere, & conſequenter concipi nequeunt, niſi etiam fundamentum, & terminus concipiantur, quod etiam verum eſt de aliquibus accidentibus abſolutis, imò, & de quibuſdam ſubſtantijs ſaltèm incompletis ex Scoto in 4.d. 1.q. 2. & alibi.

5. Et tandé pro exacta huius definitionis notitia, quod etiam pro alijs deſeruiet; eſt hic valdè adnotandum, quòd licèt concreta accidentalia, vt in propoſito eſt genus, ſoleant per ſubiectum definiri, vt cũ dicimus: album eſt res habens albedinem, adhuc tamen definiri poſſunt per propriũ genus, & differẽtiam, vt *Didacus a Ieſu* aduertit loc. cit. & Tatar. q. 1. ante prædicam. dub. 2. ex Scoto in primo d. 2.q. 4. in fine, imò hæc definitio eſt perfectior illa; Et ratio eſt, quia, quando definitur concretum accidentale per ſubiectum, vt ſupra, talis deſcriptio non eſt, niſi quædam nominis explicatio, & non per ſe expreſſio ſignificati, quia nomen concretum de per ſe ſignificato nõ importat ſubiectum, ſed tantũ de connotato, & de modo ſignificandi; at ſi definiatur per rationem eius accidentalem ſuperiorẽ etiã in concreto, dicendo: album eſt coloratum, diſgregatiuum viſus &c. Tunc definitur per genus, & differentiam, & eſt vera expreſſio ſignificati; quare definiendo hoc modo concreta, sẽper imitandus eſt modus, quo ipſa forma definitur in abſtracto, ſeruata connotatione, vt ſi definitur albedo per colorem, non per corpus; album etiam per colo-

coloratum definiri debet, quod eſt connotatiuum genericum, & ad album ſuperius.

10. Sed vrgent Thomiſtæ ſoncin. 7. Meth. Ruu. in log. q. 3. Compl. Maſius, cum alijs ex D. Thom. 1. de interpretatione lec. 4. & de Ente, & eſſentia cap. 7. quòd concreta accidentalia definiri debet per ſubiecta, tamquam per proprium genus, & ideò in definitione concretorum aliud genus ab iſto non admittunt. Quam doctrinam non recipimus, quamuis .n. concretum accidentale poſſit, ac definiri debeat per ſubiectum, tamquam per extrinſecum additum vt Ariſt. inſinuauit 7. Meth. c. 13. non tamèn tamquam per genus, nam gen' definitioni eſt attributum intrinſecum, & eſſentiale rei definitæ, ſubiectum autem non eſt intrinſecũ formæ.

Sed dices, ſaltèm ſubiectum eſt intrinſecum toti conſtituto accidentali; verum eſt, ſed tale conſtitutum eſt ens per accidens, cui nõ competit definitio, nec ſubiectum ſic conſideratum poteſt dici genus logicum illius conſtituti .ſ. albi, cũ hoc ſit coloratum; vndè ad ſummũ ſolùm dici poterit genus phyſicum, in quantum eſt ſubiectum informatum, & à forma accidentali denominatum.

Sed contra vrgent Complut. qa ex hac doctrina ſequeretur, quòd idem eſſet modus ſignificandi, & definiendi concretum, & abſtractum, & vtriuſque definitio eſſet æquè perfecta in ratione definitionis, & vtrumque rectè, & propriè in Prædicam. collocaretur. At negatur conſequentia, quia etiam concretum ſuperius ingrediens inferioris definitionem, eamdem ſeruat connotationem, ex quo ſequitur, quòd definitio concreti ſemper eſt imperfectior, cũ ſit data p additamentum; nec pro inconuenienti habemus, accidentia in cõcreto, poſſe in prædicamentis poni, vt infra dicemus, in virtute cuius diſpoſitionis tenet illa famoſa regula arguendi Summuliſtarum, qua Scot. vtitur q. 1. Vniuerſaliũ, & quolib. 13. quòd à concretis ad abſtracta tenet conſequentia, vbi eſt prædicatio per ſe .i. ſuperioris de inferiori, vt album eſt coloratum, ergo albedo eſt color. Ex quo deducitur, concretum ſuperius eſſe verum gen' reſpectu inferioris, alioquin falſa eſſet illa regula.

11. Sed adhuc inſtant Complut. quando cõnotatiuum prædicatur, vt tale eſt, prædicatur in quale, nõ in quid, ergo implicat ponere concretum ſuperius connotatiuo modo in definitione inferioris p modum generis, de cuius ratione eſt prædicari in quid, non in quale. Sed parcant mihi tanti Doctores, tale .n. concretum ſuperius in definitione inferioris, prædicatur in quid de ſuo inferiori, cùm ſit eius genus, & prædicatur tñ in quale de ſubiecto, implicitè connotato. Hinc quando dicimus, album V. g. eſt coloratum, ly coloratum reſpectu

pectū albi ꝑ formali tenetur ſubſtantiuè; quarè reſpectu ſubiecti, eius prædicatio eſt adiectiua; ſed reſpectu albi, quod eſt ſuum inferius, eſt prædicatio quidditatiua, ratione formæ importatæ.

12. Modò breuiter ad explicationem generis à Porphy. aſſignatam accedimus, diſtinguendo; talis definitio dupliciter intelligi poteſt, .ſ. de re quantum ad prædicationem exercitam, & de ſecunda intentione quantum ad ſignatam; ſi in primo ſenſu definitionem intelligere velimus, tunc definitio generis debet explicari, vt tradita ꝑ ſubiectū, ità vt per ly id, ſeu quod, inſinuetur natura generica, non quatenus coincidit cū definito, ſed prout importat materiale definiti, definitum .n. eſt natura, quatenùs ſecundæ intentioni ſubſtat, pars verò materialis huius concreti eſt natura in ſe; ſi verò definitio generis intelligatur in ſecundo ſenſu, quòd .ſ. non res, ſed intentio definiatur, tūc adhuc dupliciter intelligi poteſt, vel in ſēſu materiali, vel in ſēſu formali; ſi primo modo accipiatur, adhuc cēſeri dēt ꝑ ſubiectū tradita, ità vt per ly id, inſinuetur fundamentum relationis genereitatis, quæ eſt natura generica, vt ſenſus ſit: Genꝰ eſt id, quod prædicatur; ideſt eſt intentio, quæ fundatur in illo, quod prædicatur, &c.

Nec inconuenit relationes rationis per ſua fundamēta definiri, cùm Ariſt. 5. meth. diſtinguat modos, ſeu ſpecies relationum realiū, per fundamenta ipſarum.

13. Si verò talis definitio accipiatur in ſenſu formali; tunc accipiēdum eſt aliquod concretum ſuperius ad genus, quod eius definitionem per modum generis ingrediatur, & hoc poni poteſt prædicabile de pluribus, nam tale concretum eſt definitio ipſius prædicabilis in communi, qui dicendi modus fuit etiam Auicennæ c. 6. ſuæ logicæ. Caiet. c. de genere. Tolet. q. 3. conimbric. q. 1. art. 1. & aliorum. Nec obſtat, prædicabile eſſe paſſionem vniuerſalis, atque ideò in tali definitione locum generis obtinere non poſſe, cùm non prædicetur in quid de quinq; vniuerſalibus, nam iam dictum eſt, Porphy. hic definire genus, ſpeciem, differentiā, &c. potius in ratione prędicabilis, quā vniuerſalis. Tū quia nos hic accipimus prædicabile radicaliter, nō formaliter, ac proinde rectè prædicatur in quid, vt etiā Paſqualig. aduertit tom. 1. ſuæ Meth. in definitione generis diſp. 50. ſec. 6. n. 6. vbi ait: licèt prędicabilitas ſit proprietas, tamē poteſt dici, ꝙ intelligatur de radice prædicabilitatis.

14. Si teneamus, quòd Porphy. illa quinque nec dum ſub ratione prædicabilis, ſed etiam ſub ratione vniuerſalis conſiderauit, in tali definitione prō genere aſſignari debet vniuerſale, vt ſenſus definitionis ſit: genus eſt id vniuerſale, quod prædicatur, &c. neq; ex hoc ſequitur, quòd illa particula prædicari de multis, ſit ſuperflua, vt a-

liqui vrgent, quatenùs contenta videtur in ly vniuerſale, nam iam additur de multis differẽtibus ſpecie, per quam differentiã contrahitur vniuerſale ad proprium eſſe generis, & ità docuit Tatar. tract. 2. in Petrũ Hiſp. & ſequũtur Auerſa q. 10. ſec. 3. Ioannes de Lapide quæſt. 2. Titelman cap. 7. de prædicab. Soto, Didac. & alij.

15. Aliæ duæ particulæ .ſ. differentibus ſpecie in quid, ſtant loco differentiæ, per quas diſtinguitur genus ab alijs prædicabilibus, quibus etiam conuenit prædicari de pluribus, &c. differt igitur genus à ſpecie, quia hæc prædicatur ſolùm de pluribus differentibus numero, per quam particulã intelligimus, genus non dici totam eſſentiã, ſed partem eſſentiæ, id.n. quod prædicatur de pluribus ſpeciebus non poteſt eſſe tota illarum eſſentia, nam ſpecies habẽt diuerſas eſſentias totales, vnde vna totalis non poteſt prædicari de omnibus illis, ad differẽtiam indiuiduorum, &c. de quibus vna ſpecies eſſentialis prædicari poteſt.

16. Porphy. aliam definitionem generis edidit præter allatã .ſ. genus eſt id, cui ſupponũtur ſpecies, quæ definitio eſſentialis, & accidẽtalis eſſe poteſt, iuxta variã acceptionẽ, qua accipi poteſt, ſi .n. accipiatur genus, vt quoddam vniuerſale eſt, quod refertur ad ſpecies, ſic definitio erit eſſentialis, quia eſſentiale eſt generi ſua inferiora reſpicere, ſi verò intelligatur, ꝙ genus eſt vniuerſale, ad quod ſpecies referuntur, ſeu quod terminat ſpecierũ reſpectũ, erit accidẽtalis; accidit .n. generi, quòd ab inferioribus reſpiciatur, nã licèt nõ reſpiceretur per mutuã relationem, adhuc tamen benè in ſuo eſſe conſtitutum intelligeretur per reſpectũ, quẽ dicit ad inferiora, ſiuè eſſent, ſiuè non eſſent. Hic modus dicendi videtur magis à Porphy. intentus, & ideò communiter definitio accidentalis cenſetur.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Quid per hanc definitionem definiatur.*

SCot. quem eruditionis lepore, ac ſcientiarum ſplendore immortali gloria oẽs dignũ cẽſent. q. 14. Vniuerſalium, docet Ens per accidens definiri non poſſe; & ratio eſt, quia cũ tale Ens conſtet ex rebus diuerſorum Prædicam. non eſt ens per ſe vnum, ſed ſimpliciter plura, & conſequenter non poteſt vnica definitione exprimi. Pro maiori captu ſupponimus, ꝙ nomen concretum, vt in propoſito eſt genus, & quodlibet aliud vniuerſale dicit, cum cõi doctorum ſententia, formam ſimul, & ſubiectum; cum hac tamen differentia, quòd vel dicit vtrumque ex æquo, & in recto, vel vnum connotando aliud, .ſ. vel formam connotando ſubiectũ, vel ſubiectum cõnotando formã. iuxta varias de hoc opiniones. Quia igitur Porphy. definiuit gen⁹. quatenùs importat genereitatem, vt formam afficiẽtem aliquã naturã, & in

& in concreto, conueniunt omnes, ipſum nec ſolam ſecundam intentionem, nec ſolam naturam talis intentionis capacem definiſſe, ſed vel ſecundam intentionem in ordine ad naturam, vel ipſam naturã in ordine ad ſecundam intentionẽ, vel vtrumque ex æquo.

2. Supponimus 2. duplicem eſſe prædicationẽ, exercitã vnã, ſignatam alteram; illa pertinet ad primas, hæc ad ſecundas intentiones, omne .n. quod ſignatur in ſecundis per prædicationem ſignatam, exercetur in primis per exercitã, tunc autem aliquid cõuenit alicui exercitè, vt ex Scoto colligitur in 4. d. 1. q. 2. cùm à parte rei verè illi ineſt; vt ſi dicamus v. g. homo eſt rationalis, hoc attributum conuenit homini exercitè, quia realiter in eo eſt; ſignatè verò aliquid alicui ineſt, cùm illi conuenit tantũ, vt ſigno, afferunt exemplum Doctores; ſi in pictura repræſentetur nobis aliquis equus, dicere ſolem', illum equum eſſe ferocem, quibus verbis nolumus quippè ſignificare ferocitatem equo picto exercitè conuenire, ſed ſignatè, quatenùs dat nobis intelligere, quòd equus verus, & viuus, cuius ſignum ille pictus eſt, exercitè habet ferocitatem; ità in hoc ſenſu multa tribuũtur ſecundis intẽtionibus, dicimus .n. ſpeciẽ prędicari de indiuiduis, genus de ſpeciebus, non quòd Species, vt ſecunda intentio eſt, verè, & exercitè dicatur de indiuiduo per verbum eſt, vt verũ ſit dicere, indiuiduum eſt ſpecies, vel ſecunda intentio, ſed ſignatè, quia ſunt ſigna, quòd illæ res, quibus tales intentiones applicantur, verè, & exercitè prædicantur de indiuiduis, &c.

3. Circa hoc quæſitum tres extãt opiniones, duæ extremæ, & vna media; prima extrema affirmat principaliter, & in recto definiri naturam, vt tamẽ ſecundã connotat intentionem, ſeù vt alij dicunt, natura definitur vt quod, ſecunda intentio vt quo; ratio eſt, quia illa definitio non conuenit naturæ ſecundum ſe, nam vt ſic nequit prædicari de pluribus, cùm ſecundum ſuã quidditatem, & eſſentiam non ſit vniuerſalis; neque ſecundæ intentioni, quia nec ipſa ſecundum ſe poteſt prędicari de pluribus, ſed definitur natura, vt denominatur genus, & cum ordine ad genereitatem, à qua formaliter habet, vt ſit vniuerſalis. Ita Tolet. q. 1. de genere. Auerſa quæſt. 10. ſec. 2. Iauell. in Log. tit. 4. ca. 2. Paul' Venet. cap. de gen. Amic. Moriſa. & alij.

4. Alia extrema docet, hic directè definiri ſecundam intentionem in concreto, vt tamèn connotat naturã ex modo definiendi, & ità ſecunda intentio eſt res definita, natura verò connotatur ex modo definiendi. Ità Scot. q. 14. Vniuerſalium, & ſequuntur Scotiſtæ cõiter. Ant. Andr. c. de gen. Tatar. ibidem art. 2. dub. 1. Fuentes q. 6. diff. 4. art. 3. Maur. Anglic. Sarn. Braſauol. Rocc', & alij, & quẽ etiã ſequũtur

Thomiſtæ Caiet. in hoc capite, & de Ente,& eſſentia, Maſius hic ſec. 2. q. 3. Cõplut. diſp. 5. q. 3. Ioãnes de S. Tho. q. 7. art. 2. & alij paſſim.

5. Tertia denique opinio media defendit, hic definiri aggregatum, ſeu compoſitũ ex natura,& ſecunda intentione, ità quod vtrumque directè definiatur, natura vt materiale, intentio, vt formale, ex quibus conſurgit vnum per ſe definitum; ità quã plures ex Recentioribus, Rui. q. 2. Hurt. diſp. 4. ſec. 1. Murica q. 3. & alij. Volunt igitur, quòd hæc duo conficiant vnũ Ens per ſe, quia natura animalis, vt capax eſt genereitatis, dicit ordinem ad illam tanquam potentia ad ſuum actum, quod autẽ fit ex actu, & potentia eſt vnum per ſe.

6. Poſſet hic addi quarta opinio, quę eſt Paſqualigi, tom. 1. ſuę met. diſp. 49. ſec. 2. qui pluribus rationibus defendere nititur, nudã naturam hic definiri; nec ſecundam intentionem neceſſariam eſſe ad prædicari; Vndè conſtituere videtur Vniuerſale Platonicum à parte rei, ab omnibus vt figmentum reiectum; Et ideo eius opinio non venit in numerum aliorum, ſed vt ſingularis relinquitur, ſatis .n. ex dictis apparet, naturã nõ conſtitui in ſtatu Vniuerſalitatis, niſi per ſecundam intentionem; Vndè Porphyr. illud hic definiuit, quod logicus per ſe conſiderat, ſed ſola, & nuda natura realis non conſideratur à logico, ſed à Methaphyſico; ergo &c. & ei⁹ rationes facilè ſoluuntur ex illa famoſa regula logicali, quòd quæ ſignantur in ſecundis, exercẽtur in primis, & in Met. ſi Deus aderit, eius rationibus exactè ſatisfaciemus.

*Concluſio.*

7. *Dicimus, in definitione generis, non definiri aggregatum ex vtroque, ex natura. ſ. & intentione; ſed vel definiri naturam, vt ſubeſt ſecundæ intentioni, vel intentionem applicatam naturæ, ità vt vnum eorum ſit principaliter, & directè definitum, aliud autem vt connotatum, & definitionem ingrediens per additamentum*. Tres habet partes, & quoad primã facilè probatur: Ens per accid. non poteſt definiri, vt expreſsè Scotus docet q. 14. Vniuerſalium, cùm .n. non ſit Ens per ſe vnum, ſed ſimpliciter plura, vnica definitione exprimi nõ poteſt, quæ eſt apta doctrina Phiſ. 6. Met. 4. & 5. & lib. 7. tex. 11. & 13. & alibi. Sed genus hoc modo acceptũ, eſt aggregatum per accidens, ergo &c. Concretum igitur accidentale dupliciter ſumi põt, vno modo, vt ſignificat æquè primò ſubiectum, & formam, & dicitur ꝓpriè Ens per accidens; alio modo non vt vtrumq; principaliter, & ex æquo ſignificat, ſed vnum primariò, alterum ſecundariò, & ſic dicitur Ens connotatiuum, & definiri põt definitione quidditatiua data per additamentum. Et ratio eſt, quia illud, quod ſecundariò conſideratur, non ingreditur vt pars in conceptu principalis ſignificati, ſed vt terminans eius reſpectum, & conſequen-

ſequenter nō deſtruit illam vnitatem, quæ in definitione deſideratur; quæ eſt doctrina Doctoris q. 8. Vniuerſalium propè finem, & in 4.d.1. q.2. licèt igitur genus, vt Ens connotatiuum, & concretum accidentale definiri poſſet, vt prima, & ſecunda opinio ſubſtinet; nō tamen vt tertia defendit, vt vtrũq; ex ęquo, & principaliter importet.

8. Reſpondent Aliqui, neg. hoc compoſitum eſſe Ens per accidēs; licèt .n. non ſit vnum per ſe ſubſtātiale, eſt tamen vnum per ſe accidentale per phyſicam vnionem, eo modo, quo faciunt vnum per ſe ſubiectum, & forma accidentalis. Sed reuerà iſti valdè falluntur, nō .n. ex qualibet phyſica vnione inter ſubiectum, & formam reſultat vnum Ens per ſe, ſed neceſſariò requiritur, vt reſultet ex per ſe potētia, & ex per ſe actu, Vndè dicitur vnio ſubſtantialis, quæ vnio cùm inter ſubiectum, & formam accidentalem non repariatur, ideò negat Ariſt. loc. cit. ex illis reſultare vnum Ens per ſe, ſed ſolũ reſultare vnum ens per accidens, ex rebus diuerſorum prędicamentorum cōflatum, & conſequenter definiri nō poſſe. Et quando etiam admitteretur ex qualibet phyſica vnione inter ſubiectum, & formam accidentalem, vnum Ens per ſe reſultare, adhuc nihil probant, nam hic inter naturam, & genereitatem, quæ eſt ſecunda intentio, non intercedit, niſi vnio ficta per intellectum, ergo falsò infertur illud aggregatum eſſe vnum Ens per ſe. Et ſi concederemus etiam illud Ens eſſe definibile, non tamen admitti poteſt de hoc aggregato; Nam illud hic definitur, quod de plurib. prædicatur, at illud conflatum ex re, & intentione, non deſcendit ad inferiora, nec de illis prædicatur exercitè, vel ſignatè, nam prædicatio exercita eſt tantùm primarũ intentionum, ſignata ſecundarum; ergo nullo genere prædicationis, illud aggregatum de plurib. prædicari poteſt. Remanet igitur ꝙ in tali definitione generis, vel definitur natura, vt ſecundæ intentioni genereitatis ſubſternitur, vel ſecũda intentio, vt ipſam naturam afficit Vniuerſalem, & denominat, vtrumque probabiliter.

9. Vt autem duas has extremas opiniones concordemus, reſpondēdum eſt cum diſtinctione; ſi .n. loquamur de prædicatione exercita, talis definitio conuenit naturæ, non intentioni, neque vt quod, neque vt quo, non vt quod, quia non dicimus homo eſt genus, ſed homo eſt Animal; neque vt quo, vt alij reſpondent, quaſi ſecunda intentio ſit ratio formalis prædicādi naturæ; nam quod prædicatur de plurib. quidditatiuè, ità prædicatur, vt ex vi prædicationis deſcendat in illis, non tantùm ſecundum id, quod prædicatur, ſed etiam ſecũdum rationem formalem, qua prædicatur; At genereitas non ità ad ſua inferiora deſcendit, ergo in hoc ſenſu non poteſt eſſe ratio formalis,

malis, cur genus de ſuis inferioribus prædicetur. Tùm quia genus definitur eſſe id, quod prædicatur, non quo prædicatur, ergo &c. loquendo igitur de prædicatione exercita, tenemur dicere, quod ſicut talis prædicatio conuenit naturæ, non intẽtioni; ità illa definitio cõuenit naturæ, non intentioni. Qui dicendi modus eſt Scoti in 2. d. 3. q. 1. vt ibi notat Lychet. §. *Sed contra.* vbi docet Vniuerſale prædicari de pluribus in quid, non quidem quatenùs eſt Ens per accidẽs conſtitutum ex natura, & relatione, ſed tantùm per rationem naturæ, quæ eſt Ens per ſe vnum, & in inferioribus incluſum eſsẽtialiter; ſubdit tamèn, quòd natura non eſt ſic proximè prædicabilis, niſi actu ſit ſub ratione Vniuerſalitatis, & in indeterminatione poſitiua ad plura, & in hoc ſenſu, de iſta prædicatione exercita loquendo, intelligitur, quòd hic definitur natura, vt ſecundæ intentioni ſubſtat; non eſt igitur ſecunda intentio ratio formalis, cur natura prædicetur; ſed ſolùm, quòd definiatur natura vt ſubſtat ſecundæ intentioni, veluti conditioni eam ponenti in ſtatu Vniuerſalitatis, & ità ipſa ſecunda intentio in hoc ſenſu non eſt prædicabilis neque vt quod, neque vt quo, quia eſt ſimplex conditio; ſicut etiam abſtractio ab inferiorib. quia requiritur, vt ſimplex conditio præuia ad cõſtituendam naturam proximè prædicabilẽ de multis, ideò ipſa abſtractio non prædicatur, nec vt quod, nec vt quo; In prædicatione ergo exercita relatio Vniuerſalitatis non eſt prædicatum, ſed conditio prædicati. Quòd ſi intentionem appellare velimus rationem formalem, quatenùs eſt forma denominans naturam proximè prędicabilem, ità tamen quòd natura ex ſe habeat modum prædicandi eſſentialiter, libenter aſſentimur cum Maſtr. & Bell. qui eamdem ſententiam tenẽt de mente Scoti ex Meuriſſ. libr. 2. ſuæ meth. c. 3. q. 5. & Orbello cap. de genere. Si autem de prædicatione ſignata loquamur, & definitionem generis de ea intelligere velimus; tunc aſſerendum eſt, intẽtionem generis definiri propriè, & ꝑ ſe, talis .n. prædicatio eſt propria ſecundarum intentionum, & illis competit vt quod; nam genus pro ſecunda intentione illud eſt, quod tali genere ꝑdicationis de pluribus differẽtibus ſpecie prędicatur. Vndè ratio: Illud prius directè, & formaliter definitur hic, cui primò, & per ſe cõpetit prædicatio, definitur .n. per prædicari, ſed hoc conuenit ſecũdę intẽtioni genericę, ergo &c. Attamèn qa ſignum reſpicit ſignatũ, & logicus vtitur ſecundis intentionib᷒, vt ſignis primarũ, ideò nõ definitur à Porphy. ſola intẽtio generis, ſed vt cõcernit naturã, cuius eſt ſignũ; & ità cũ dicimus gen᷒ eſt illud, quod prædicatur de plurib᷒, &c. ſenſus eſt, quod genus eſt ſecũda intentio applicata illi naturæ, quæ verè, & exercitè de pluribus

ſpe-

ſpecie differentibus prædicari poteſt; Et hinc eſt, quòd Porphy. poſtquam eius eſſentiã, & quidditatem indicauit per prædicationẽ ſignatam, dicens, genus eſt illud, ꝙ prædicatur de pluribus, &c. ſtatim exemplum edidit in prædicatione exercita, dicẽdo homo eſt animal; equus eſt animal, &c. Nec Scot. quæſt. hac 14. eſt à prima opinione alienus, hoc modo explicata, licèt ad ſecundam magis inclinare videatur, cuius ſignum eſt, quia ad argumenta, quæ contra ipſam efficit, affert ſolutiones, & illas nõ reſpuit, vt ibi eius diſcipuli aduertunt; quarè vt magis res pateat, ea hic apponimus, cum ſolutionibus à Doctore ibi traditis.

*Obiectiones.*

10. Ob. 1. quòd in definitione generis, & aliorum Vniuerſalium nõ fuerit definita natura, ſed intentio: Logicus per ſe conſiderat ſecũdas intentiones, primas verò non niſi per accidens, quatenùs fundamenta ſunt illorum, ergo tantũ ſecundas intentiones definiuit. Confirmatur, nam ſi logicus rem definiret, & non intentionem, tunc eſſet artifex realis, &c. ℞. Scotus, ꝙ hic non definitur ſola res, nec ſola ſecunda intẽtio, ſed vel res ſub intentione, vel intẽtio applicata rebus, quam ſolutionem non reijcit, quia vidit ſufficienter ſatisfeciſſe, parum .n. refert, quòd logica ſit de ſecundis intentionibus applicatis primis, vel de primis, vt ſubſtãt ſecundis, quocumq; modo .n. dicatur, ſemper ſaluatur, quòd logica ſit ſcientia rationalis. Si vtiq; naturas ſolas, & nudas conſideraret, tunc eſſet artifex realis; ſed vt denominatas, & ſecundis intentionibus affectas contemplare, nõ ſunt amplius materia facultatis realis, ſed rationalis, per quæ confirmationi ſatisfit.

Ob. 2. Quod hic definitur eſt vniuocũ ad omnia, quæ poſſunt denominari genera, ſiuè ſit Ens reale, ſiuè rationis, ſiuè ſubſtantia, ſiuè accidẽs, ſed nihil reale ad hæc omnia datur vniuocum, ergo non res, ſed intentio definitur. ℞. argumẽtum in omni opinione vrgere, nã etiam ſecunda defendit non definiri ſolam intentionem, ſed cõnotando ſubiectum, quarè etiã in illa opinione de vnitate illius cõnotati quæri poteſt, &c. ℞. igitur Scotus, quòd res illa, quę hic definitur, non eſt vna vnitate vniuocationis, ſed tantũ habet vnitatem proportionis; modus tamen quo hic definitur, eſt vniuocus omnibus generibus, quia omnes naturæ eodẽ modo conueniunt in modo prædicandi de ſuis inferioribus; quam reſponſionem amplectuntur Recentiores, quos argumentum hoc valdè exercuit.

11. Sed vrges, hæc vnitas nõ ſufficit, vt aliquid ſit definibile, nã definitio poſtulat vnitatem vniuocationis in definito, qa ſi definitio eſt vna, definitum quoq; debet eſſe vnum, vt cum ea ſit conuertibile. ℞. ibi Doct. adeſſe ſaltem vnitatẽ

vni-

vniuocationis ex parte modi, quo naturæ diuerſæ ſunt capaces intẽtionis logicæ, & hanc ſufficere, vt definitio generis ſit vna, eique vnũ definitum correſpondeat.

Ob. 3. Si hic res ſub intentione definitur, ergo res per accidẽs definiretur, tunc .n. intentio accideret rei, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. probatur mi. definitio .n. debet per ſe conuenire definito, non per accidens. ℞. hoc argum. vrgere illos, qui faciunt ſecundam intentionẽ rationem formalem, qua natura conſtituatur de pluribus prædicabilis, tunc .n. benè cõcludit argum. quòd ſicut talis intentio accidit naturæ, ità etiam, & prædicabilitas, & definitio generis per accidens tantùm, & denominatiuè cõueniret naturæ, ſicut definitio albi, ideò per accidens conuenit parieti, qa accidit ei albedo; Et ideò dicimus cum Lichet. loc. cit. quòd vniuerſale prædicatur de pluribus eſſentialiter ratione naturę, in illis incluſæ, intentio verò eſt tantùm conditio, quæ illam in actu proximo conſtituit ad exercitium talis prædicationis; Nec poteſt melius dici, loquendo de prædicatione in actu exercito; Sic ignis eſt potens ex ſe ad plura calefacienda, eſt tamen neceſſaria approximatio, vt actu proximo virtus illa calefactiua exerceatur, nec tamèn approximatio erit igni ratio formalis calefactionis, &c. ſic in propoſito, &c. quam doctrinam amplectitur Amic. tract. 5. q. 1. dub. 5. cũ alijs.

12. Ob. 4. Formale definitum eſt illud, quod ipſo nomine formaliter, & per ſe importatur, ſed nomẽ concretum, vt eſt genus, nõ ſignificat per ſe ſubiectum, ſed tantũ pro connotato, ergo ſecunda intentio genereitatis hic definitur, non natura. Confirmatur, in definitione alicuius concreti accidentalis, ità definitio cadit ſupra formam concreti, vt explicet tantùm eſſe formæ, ſubiectum verò ſe habet purè denominatiuè, & ſolùm denominatur definiri, ergo ſic in propoſito. Ant. patet, nam cũ dicimus album eſt diſgregatiuum viſus, non explicatur natura ſubiecti, ſed ſolũ accidentis; & definitio quidditatiuè cadit tantũ ſupra formam. Hoc eſt præcipuum ſecundæ ſententiæ fundamentum. ℞. Ma. non eſſe vniuerſaliter veram; nam concretum accidentale non ſolũ definiri poteſt ratione formæ, vt cùm definitur album eſſe diſgregatiuũ viſus, ſed etiam ratione ſubiecti, vt V. g. Album eſt ſubſtantia habens albedinem, quo caſu non definitur albedo; ſic in propoſito, genus eſt nomen concretum, principaliter importans ſecundam intentionem genereitatis, hæc tamen definitio ſi prædicatione exercita intelligatur, non conuenit huic concreto ratione formæ, & intentionis, ſed ratione naturæ, vt ſubſtratæ intentioni, veluti conditioni. ità Bellut. & Maſtr. ex quibus etiam ad confirmationem patet.

12. Modò objicitur contra ſecundam

dam opinionem, quòd .ſ. nō ſit hic ſecunda intentio principaliter definita: Hæc intentio generis non prædicatur in quid, niſi de hac, & illa intentione, quæ tantùm differunt numero, illud aūt, quod hic definitur prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ergo hic non definitur genereitas ſecunda intētio. ℞. Ma. eſſe veram de ſecundis intentionibus pręciſè ſumptis, genus .n. vt ſic non prædicatur, niſi de hoc, & illo genere, quæ tantùm numero differunt, ſed pro ſubſtratis, & primis intentionibus, nō tantùm prædicatur de plurib. differentibus numero, ſed ſpecie. &c.

Ob. 2. authoritate Porphy. qui cap. de genere exemplificauit de animali, & homine. Vndè ſic arguitur: Illius per ſe eſt hic definitio, cuius eſt exemplum, ſed exemplū datum à Porphyr. eſt de re, & prima intentione, non de ſecunda, ergo res, & non ſecunda intentio definitur. ℞. Argum. eſſe verum, & concludere pro prędicatione exercita, non pro prædicatione ſignata; Et Porphyr. exemplificauit in rebus primę intentionis, tanquam dę nobis manifeſtioribus, nō quod de illis fuerit definitio, & ſunt reſponſiones Doctoris &c.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *Quomodo Genus de indiuiduis prædicetur.*

1. SCot. cuius doctrinæ in dies magis magiſq; efflorеſcunt. Hoc quæſitum reſoluit q. 17. Vniuerſalium, Vbi Sarnanus, Fuentes diff. 3. q. 7. & multi Scotiſtæ, Et quod genus de indiuiduis prædicatur, nullum eſt dubium tàm authoritate Porphyr. in hoc capite, quàm experientia, rectè enim dicimus, Petrus eſt Animal, hic Leo eſt Animal, &c. ſolùm dubium remanet de modo, quo prædicetur, & duplex eſſe poteſt: Primū eſt, an mediatè tantùm de illis prædicetur .ſ. mediante ſpecie, quo ſenſu dicim', Paulus eſt Animal, quia eſt homo, an etiam poſſit aliquando immediatè prædicari: Secundum eſt, ſuppoſito, quòd genus prædicari poſſit tàm de indiuiduis completis vt Petrus eſt Animal, quàm de incompletis, vt hoc Animal eſt Animal; de illis mediatè, de iſtis immediatè; an his prædicationibus genus adhuc ſeruet Vniuerſalitatē generis, vel potiùs ſpeciei?

Et quantùm ad primum, vulgata opinio aſſerit, genus non prædicari per ſe ipſum immediatè de indiuiduis, & in hoc à ſpecie differt, quæ de ſuis indiuiduis prædicatur immediatè, Ita Albert. tract. 4. de prædicab. cap. 1. Tolet. q. vn. Conimb. q. 1. de ſpecie. Maſius ſec. 2. de genere quæſt. 3. Onna q. 2. art. 2. Iauell. de quinque prædicab. c. 2. & alij. ſequuntur etiam illi, qui negant indiuidua generica, .ſ. immediatè concreta ſub genere, de quibus immediatè prædicetur, vt Suar. diſp. 6. Meth. ſec. 9. Fonſec. 5. Meth. cap. 28. q. 14. ſec. 3. & alij, qui affirmant, nulla ratione

poſſe gradum Animalis contrahi immediatè per differentiam indiuidualem, ſed mediante differentia ſpecifica, & ideò non dari hoc Animal immediatè contentum ſub animali.

Alia opinio defendit, poſſe genus etiã immediatè de indiuiduis prædicari, vt cùm dicimus, hoc Animal eſt Animal, hoc corpus eſt corpus, quæ propoſitiones veræ ſunt, & immediatè, vt manifeſtè patet. Ità Scot. in p.d.3. q.6. verſ. *Item vltimò*. Vt ibi Bargius aduertit. Et Apertè in 4.d.8. q.2. lit. O. vbi citat Auicen. 1. ſuæ Meth. qui fuit primus inuentor indiuidui generici. D.Thom. Opuſ. 55. & multi ex Recentioribus, vt Ruu. cap. de ſpecie q. 5. Hurt. in logica diſ. 4. ſec. 5. Sanch. q. 56. prædicab. Arriaga, & alij.

2. Pro reſolutione huius primi dubij præſupponendum eſt, quòd indiuidua dupliciter cõſiderari poſſunt: vno modo vt ſunt à parte rei, & ità verum eſt, nullũ dari indiuiduum, quod ſub genere immediatè contineatur, nam omne tale immediatè ſub aliqua ſpecie infima continetur: Alio modo prout ab intellectu concipiuntur ſub gradu naturę ſuperioris, non conſiderato gradu ſpecifico, quem reuera participant; quod vulgari exemplo de veniente à longe explicari ſolet; ſi .n. videam à longe aliquod indiuiduum animal, & percipiam aliquã operationẽ, quæ indicet eſſe Animal, non verò hoc, vel illud animal talis ſpeciei, tunc dico cognoſcere indiuiduum genericum inadæquatum, & incõpletum. Dicuntur hæc indiuidua incompleta; & generica; incompleta quidem, quia non attinguntur ſecundum totam eſſentiam ſuam, quã à parte rei habent; generica verò quia formaliter, & immediatè naturam genericã participant; & quòd talia indiuidua ſaltem apud Intellectũ inadæquatè concipientem admitti debeant, apertè docuit Doctor loco citato cũ Auicenna, & Magiſtro ſuo Varrone, qui admittit in ſingularibus ordinem ſecundum ordinẽ vniuerſaliũ, quòd .ſ. prius vniuerſale intelligatur deſcendere in proprium ſingulare, quã ad aliquam ſpeciem per differentiam contrahatur, ſcilicèt hoc ens, hæc ſubſtantia, hoc corpus, hoc ſenſibile, &c. vſque ad Sortem, &c.

3. Quantum ad ſecundum dubiũ, Hurt. loc. cit. tenet, quòd quando genus de indiuiduis prædicatur, adhuc per modum generis prædicatur, nam adhuc prædicat partem eſſentiæ, & per modum entis incompleti. Idem alij affirmant, ſed ex alio fundamẽto, quia .ſ. eſtò de indiuiduis prædicetur, non tamèn præcisè de illis, cùm adhuc etiam de ſpeciebus ſit prędicabile, in quo genus à ſpecie ſecernitur, quæ de ſolis indiuiduis prædicatur; q modus dicẽdi tribuitur Auic. & à Doctore refertur loco cit. vniuerſaliũ in ſolutione ad primum. Alij aſſerũt, quòd cũ genus prædicatur de indi-

indiuiduis incompletis, tunc prædicatur per modũ ſpeciei, tunc .n. prædicatur,ac ſi diceret totam eorum eſſentiam. Ità Complut. Blancus, Didacus, Arriaga,& alij. Auerſa idem affirmat, etiam de indiuiduis completis, dummodo tamen ſint indiuidua eiuſdem ſpeciei, vt Petrus eſt Animal, Paulus eſt Animal, Franciſcus eſt animal,&c. tũc .n. nõ prędicatur de pluribus differentibus ſpecie, ſed tantũ numero, atque ideò induit modum ſpeciei.

*Concluſio Prima.*

4. *Dicimus, primò genus de indiuiduis incompletis, & genericis prædicari per ſe ipſum immediatè; de ſpecificis verò, & completis mediatè, mediante. ſ. ſpecie, cuius ſunt indiuidua*. Eſt Scoti loc. cit.& defendunt Authores ſecundę ſentẽtiæ; Et ità facilè Pr. Iſtè prædicationes ſunt veræ, hoc Animal, eſt Animal, hoc viuens, eſt viuens, nam prædicatum ſignificat naturã ſenſitiuam in cõi, & ſubiectum eãdẽ naturam ſingularizatam, ſed inter naturam in cõi ſumptã, & ſingulare genericum, nullum poteſt aſſignari medium, ergo immediatè de illis indiuiduis incompletis prædicatur. Tùm quia ſicut natura ſpecifica in ſingularibus eſt indiuidua, ità & generica, ſicut .n. Petrus, ideò eſt hic homo diſtinctus numero à Paulo, quia diſtinctã numero humanitatem habet, ità & hoc Animal ideò eſt diſtinctum ab alio animali, quia diſtinctam ab eo numero animalitatem habet. Quamuis igitur Animal de Petro, & Paulo mediatè prædicetur, vt homines ſunt; tamen de illis immediatè prædicatur, quatenus hoc,& illud Animal ſunt, quia inter Animal, & hoc Animal nullũ eſt medium, ſicut inter hominem, & hunc hominem.

5. Confirmatur exemplo ſupra allato de veniente à longe, q̃ percipitur eſſe Animal, ſed non cuius ſpeciei, quod fuit exemplum Auicennæ, & à Scoto loco citato adducitur, vbi etiam tacitam reſpõſionem refellit, nam poſſit aliquis dicere, quòd in tali caſu non videmus hoc Animal, ſed vniuerſale, at hoc dici nõ poteſt (ait Scot.) Vniuerſale .n. non videtur, ergo de ſingulari Vniuerſalis intelligi debet. Et Pr. etiam ex ratione Varronis ibi à Scoto allata, nam quando de aliqua re ignoramus quid ſit diſtinctè, & in particulari, quærim⁹, quid eſt hoc? ſed tunc ly hoc, non ſupponit pro aliquo ſingulari ſpeciei infimæ, vt hoc lapide, vel hoc ligno, quia tunc non ignoraremus quid illud ſit, de quo quærimus q̃d ſit, idem .n. non ſupponitur, & q̃ritur, ergo ſupponit pro ſingulari Entis, & quæritur in ſpeciali, quid illud ſit, quare data reſpõſione, q̃ hoc eſt lapis, vel lignum, ſtatim intellectus quieſcit. Ità Bellut. & Maſtr. diſp. 5. q. 1. art. 3. cum multis ex Recentioribus.

*Concluſio Secunda.*

6. *Dicimus ſecundò, Genus, ſi ad indiuidua completa comparetur, ſiuè diuerſæ, ſiuè eiuſdem ſint ſpeciei, ſemper de* illis

*illis per modum generis prædicari, ſiverò ad incompleta potius modum indiui ſpeciei*. & relictis aliorum rationib. quæ ad intentum inſufficientes apparent, ità ex dictis quoad vtramque partē facilè probatur., & quoad primā: Ratio cur genus, à ſpecie differt in ratione Vniuerſalis, non eſt quia vnum prædicatur de pluribus differentibus numero, vt diximus aſſignando ſufficientiam quinque Vniuerſalium, ſed p hoc quòd vnum prædicatur de ſuis inferioribus incompletè, & per modum partis potentialis, aliud verò completè, & per modum totius; ſed genus etiam comparatum ad indiuidua eiuſdem ſpeciei, retinet adhuc talem modum prædicandi, ergo de illis prædicatur per modum partis potentialis, Probatur minor, nam prædicatur de indiuiduis completis mediante ſpecie, ergo prædicatur incompletè, & p modum partis; Conſequentia eſt clara, eo .n. ipſo, quòd gradus ſuperior prædicatur de indiuiduis alio intermedio, ſignum eſt, quòd ad illa mediante ſpecifica differentia contrahitur, & conſequenter deſcendit ad illa per modum partis potentialis, & materialis eſſentiæ, iuxta dicta Scoti, q. 17. Vniuerſalium in ſolutione ad primū, vbi ait: Genus ad indiuidua collatum adhuc rationē generis ſeruare, q̃a de illis mediatè prædicatur, quod manifeſtè indicat ipſum prædicari partem eſſentiæ, non totam eſſentiam.

7. Cōfirmatur ex ſupradictis, quādo .n. dicimus Petrus eſt homo, adhùc iſta prædicatio eſt ſpecifica, nā licèt ex vi actualis prædicationis ad vnū tantùm indiuiduum reſtringatur, adhuc tamen ex vi aptitudinalis prædicationis extendi tur etiam ad plura nomero diſtincta, ergo ſimiliter in propoſito, hæ prædicationes, Petrus eſt Animal. Paulus eſt animal, erunt genericę, quamuis .n. ex vi actualis prædicationis reſtringatur natura animalis ad plura tantùm numero differentia, adhùc tamen retinet aptitudinem proximam ad prædicandum de indiuiduis aliarum ſpecierum, quod ad Vniuerſalitatem genericam ſufficit.

8. Probatur Concluſio quoad aliam partem, quòd .ſ. de indiuiduis genericis prædicatur per modum ſpeciei, ex oppoſito fundamento; Ideò genus prædicatur de indiuiduis ſpecificis per modum generis quia de illis mediatè prædicatur, nempè per modum partis, & incōplete, ergo è contra cùm de indiuiduis genericis prædicatur immediatè, prædicabitur per modum totius, & completè, qui eſt proprius modus prædicandi ſpeciei; vel ſic, Genus reſpectu illorum indiuiduorū habet rationem totius, & eſſentiæ completæ, ergo prædicatur de illis non per modum generis, ſed ſpeciei; Aſſumptum patet, nam ſicut cùm dicimus, Petrus eſt homo, ly homo, dicit totam eſſentiam Petri, Petreitas .n. ad eſſentiam

ſentiam non ſpectat, ſed potius eſt eſſentiæ determinatio; ita pariter cùm dicimus, hoc Animal eſt Animal, ly Animal, dicit totam eſſentiam talis indiuidui, cùm in eo nõ reperiatur, niſi natura ſenſibilis, & hæcceitas, quæ ad naturam non ſpectat.

9. Sed dices; natura generica eſt contrahibilis per differentias ſpecificas; ergo etiam de indiuiduis genericis incompletè, & per modum partis prædicatur. ℞. negan. conſeq. quando .n. talis natura per differentias indiuiduales contrahitur immediatè, præſcinditur à contrahibilitate ſpecifica, & conſequenter non poteſt ei tribui ratio generis, ſed ſpeciei.

10. Vrges adhuc, ſaltem confusè, & ſecundum rem, hoc animal dicit etiam differentiam ſpecificam, ergo &c. ℞. ad diſtinguenda prædicab lia non attendi ſubiectum, & prædicatum, vt in re ſunt, ſed vt à nobis concipiuntur, alioquin genus à ſpecie, & à differentia nõ diſtingueretur, &c. cùm igitur hoc animal, vt à nobis concipitur non dicat differentiam ſpecificã, licèt à parte rei illam includat, iam per talem modum concipiendi, includit gradum genericum, vt totam eſſentiam contractam per differẽtiam indiuidualem, & materialẽ, non vt partem eſſentiæ cõtractam per ſpecificam, & formalem. nobiſcũ cõſentit eruditiſſimus Pater Ioſeph Pentè, Illuſtriſſ. Soc. Ieſu in quadã Terna Philoſ. Cẽt. prop. 51.

*Obiectiones.*

11. Ob. 1. contra primam concluſionem: non dantur indiuidua generica à ſpecificis diſtincta, ergo nequit genus de illis immediatè prędicari. Probatur añs, nam quãdo dicimus hoc animal eſt animal, idem eſt, ac ſi dicamus, Petrus eſt Animal, articulus .n. demonſtratiuus deſignat, ac determinat aliq ſingulare exiſtens, ſed nullum eſt ſingulare, niſi determinatæ ſpeciei; ergo hoc animal ſignificat indiuiduum ſpecificum, non genericum. ℞. neg. aſſumptum cum ſua probatione, & ratio eſt, quia illa prõnomina hoc, & illud ſupponunt p̃ ſingulari Entis, & magis Vniuerſalis, cùm non demoſtrent ſingulare ſpeciei infimæ diſtinctè, & adequatè, ſed confusè; quarè argumẽtum ſolùm probat, quòd à parte rei non datur vtique, nec dari põt ſingulare Vniuerſalis diſtinctum à ſingulari ſpeciei infimæ, non tamẽ probat, quin prius concipi poſſit ſingulare magis Vniuerſalis, vniẽdo prius per intellectum animalitatem cum ſingularitate, quàm cum rationalitate; non .n. oportet, vt inter conceptus ſingulariũ, & conceptum genericum animalis, intercedat in mente conceptus ſpecificus.

Sed contra, Animal non multiplicatur niſi per rationale, & irrationale, ergo non datur hoc animal, niſi ſit vel hic homo, vel hic equus. ℞. conſeq. eſſe veram de indiuiduis à parte rei, oppoſitum

tamen

tamen euenire per intellectum inadequatè cócipientem. Et ſic intelligendus eſt Porphyr. quando dicit, quòd Vniuerſale immediatè dictum de indiuiduis habet rationem ſpeciei. .ſ. de indiuiduis completis, & a parte rei, quòd ſi etiam de incompletis loquatur, hoc erit, quia de illis etiam genus per modum ſpeciei prædicatur.

Ob. 2. gradus prædicãtur de inferioribus vt diſpoſiti ſunt in recta linea prædicamentali, ſed in illa ſerie inter gradum genericum, & indiuidualem mediat ſpecies, ergo gradus genericus non prædicatur de indiuiduis, niſi mediante ſpecie. ℞. Minorem eſſe veram de indiuiduo cópleto, & adæquatè cognito, & non de indiuiduo incompleto, quod immediatè ſub genere concipitur.

Ob. 3. Nó poteſt dari immediata progreſſio de extremo ad extremum, niſi per mediũ, ſed gradus genericus eſt ſupremus, indiuiduus eſt infimus, ſpecificus verò medius inter vtrumque, ergo non poteſt gradus genericus prædicari de indiuiduo, niſi prius de ſpecifico p̃dicetur. ℞. vt ſupra, Minor .n. eſt falſa de indiuiduo generico, & incompleto, quod immediatè generi vnitur, & gradus genericus dicitur ſupremus, quia eſt ſuperior, indiuiduus dicitur infimus, quia inferior, non quod inter vtrumque aliquid intercedat.

Arguit Suar. & probare videtur, quòd nec etiam per intellectũ inadequatè concipiẽtem dari poſſint indiuidua generica à ſpecificis diſtincta, & primò ſic: ratio generica preciſè ſumpta eſt indifferens, & quaſi in potentia eſſentiali, vt per differentiam ſpecificam determinetur; ergo donec hoc modo determinato intelligatur, nequit intelligi proximè capax indiuiduationis. ℞. añs eſſe verũ reſpectu indiuidui completi, quod quia ſpeciem includit, nõ pôt genus ad ipſum contrahi, niſi mediante ſpecie, at quia indiuiduum genericũ ſpeciẽ nõ includit, benè pôt genus ad ipſum per intellectũ immediatè contrahi.

Secundò. Vnica, & ſingulariſſima differentia indiuidualis ſufficiens eſt ad determinandam in ſingulari totam, & integram eſſentiã, prout includit omnia prædicata ſuperiora, ergo fruſtra ſingũtur tot differentiæ indiuiduales determinatiuæ propriorum graduum ſuperiorum. Nec valet reſpondere (ait ipſe) talem differentiam eſſe vnicam à parte rei, ſed eſſe multiplicem per intellectum, nã nequit reddi ratio, cur poſſit eadem differentia indiuidualis partiri in plures per intellectum, quarum ſingulæ ſingulis gradibus ſuperioribus correſpondent, & non differentias ſpecificas in plures ſpecificas. ℞. Concedendo vnam indiuidualem differentiam ſufficere ad determinandam immediatè ſpeciem, & illa mediante omnia alia ſuperiora à parte rei; adhuc tamen poſſunt

per

Digitized by Google

per intellectum concipi aliæ differentiæ ratione diſtinctæ, quæ gradus ſuperiores immediatè contrahunt, atqueideo negatur conſequentia; & ratio cur indiuidualis differentia poſſit per intellectum partiri, & non ſpecifica, eſt, quia quilibet gradus ſuperior, & ab alio præciſus, eſt vtique indiuiduationis capax, hinc rectè dicimus, hoc ens, hoc corpus, hoc viuens, &c, & cõſequẽter dari poſſunt plures cõceptus eiuſdem differentiæ indiuidualis, quorum quilibet correſpõdet ſuo gradui ſuperiori, quod nõ militat de differentia ſpecifica, qa non quilibet gradus ſuperior ab alio præciſus eſt capax effectus formalis differentiæ ſpecificæ V.g. rationalitatis, nam non eſt ſubiectũ capax ratiocinitatis, niſi ipſum animal, & ideo plurificantur differentiæ indiuiduales, non ſpecificæ.

Tertio. Non eſt minus eſſentialis connexio, & ordo inter differẽtiam genericam, ſpecificam, & indiuidualem, quàm inter differẽtias ſuperiores magis, & minus vniuerſales vſq; ad ſpecificam, .ſ. non eſt maior connexio, & ordo inter ſentiens, rationale, & Petreitatẽ, quã inter ſubſtantiam, corpus, viuens; ſed corpus nequit contrahi etiam per intellectum per differentiam hominis, niſi media differẽtia animalis, ex corpore .n. & rationali ſolo non poteſt per intellectũ aliquid vnum conſtitui, ergo neq; animal eſt determinabile per differentiam huius animalis. R. negã do paritatem, & ratio eſt, quia cũ in gradu ſpecifico infimo includãtur eſſentialiter omnes gradus ſuperiores, vt in homine V.g. nõ poteſt rationale hominem conſtituere, & ad ipſum ſubſtãtiam, & Corpus contrahere, niſi medio viuente, & ſentiente; quia verò in indiuiduo generico, non niſi genus includitur, benè poteſt ipsũ per hæcceitatem immediatè per intellectũ contrahi; Vnde paritas ſolùm currit de indiuiduo ſpecifico, & completo, in quo ſpecies continetur, ideò non poteſt gradus genericus ad ipſum contrahi niſi ſpecie mediante. Ità Maſtr. & Bellut. in log. diſp. 5. q. 1. art. 1.

*Obiectiones contra ſecundam.*

13. Hurtadus vult, quòd quando genus de indiuiduis incompletis prædicatur; ſub ratione generis, non ſpeciei prædicetur. Et ità primò arguit: Quãdo quis videt quatuor indiuidua animalis, duos .ſ. homines, & duos leones, & explicitè cognoſcit ea eſſe Animalia, ſed ignorat, quæ animalia, tunc ab iſtis quatuor indiuiduis abſtrahit immediatè rationem communem animalis, quam illis omnibus eodẽ modo conuenire videt, ſed illa eſt ratio generica, quia conuenit pluribus differentibus ſpecie, ergo cũ ratio abſtracta de illis poſſit immediatè prædicari, à quib. immediatè abſtrahitur; illa ratio generica de illis indiuiduis incompletis prædicabitur ſub ratione generis. Dices, eam rationem ſic abſtractã eſſe



Digitized by Google

eſſe ſpecificam, non genericam. Contra inſtat Hurt. quia ratio ſpecifica ſolis indiuiduis eiuſdē ſpeciei conuenit, non verò indiuiduis alterius. ℞. Ex Bell. & Maſtr. ſolutione inter arguendū data, & ad impugnationem dicimus, quod illa quatuor indiuidua in ſtatu exiſtētiæ realis vtique ſpecie differūt, ſed à vidente non percipitur talis differentia, quare in eius conceptū ſolùm differunt numero ſub genere animalis, & conſequēter induit modū ſpeciei, cū ſolū numero differre pcipiat; Vel poteſt diſtingui minor argumenti eodē modo, &c.

Sed dices: ergo genus generaliſſimum habere poteſt genus ſupra ſe, quia omnis ſpecies prædicabilis eſt quoq; ſubijcibilis. Reſpondet Didacus à Ieſu, & benè diſp. 7. q. 2. negādo ſequelam, & ad probationem ait, eſſe veram de ſpeciebus, vt ſunt ordinatę in prædicamento, nam ille ordo reſpondet naturæ rerum, qui petit, vt gradus generici deſcendant ad indiuiduationem per ſpeciem, & ita omnis ſpecies prædicabilis, eſt quoq; ſubijcibilis; at intellectus poteſt hoc ordine non ſeruato, facere ſpeciē prædicabilem, quæ nō ſit ſubijcibilis.

Secundò. Ad prædicationē generis non requiritur, imò prorſus impertinens eſt cognitio totius eſſentiæ ſubiecti, ergo cùm dicimus hoc animal eſt animal, non prædicatur tota eſſentia de ſubiecto, & ſi tota prædicaretur, iam illud indiuiduum eſſet diſtinctè, & adæquatè conceptum, quod eſt contra rationem indiuidui generici. ℞. diſtinguendo conſequens de indiuiduo cōpleto, & incompleto; quando dicim' hoc animal eſt animal, ſub ratione huius animalis, non enūciatur tota eſſentia ipſius, quē habet à parte rei, quia præter animalitatem, includit etiam rationalitatem, vel irrationalitatem, ſed vt conſideratur, vt ſtat ſub cōceptu noſtro, ſic enunciatur tota eſsētia illius; & ratio eſt clara, cùm enim dico hoc animal eſt animal, tota eſſentia animalis de tali animali enunciatur, cū non adhuc percipiatur differentia ſpecifica; Vnde ſub tali conceptu poteſt dici tale indiuiduum cōpletè, & adæquatè cognitum, licèt in ratione indiuidui ſpecifici dicatur confuſè, & inadequatè intellectum.

Tertiò. Ideò illa dicūtur indiuidua generica, quia de illis prędicatur genus per modū generis alioquin ſpecifica dici deberēt. ℞. neg. aſſumptum, ſed ideò talia indiuidua dicuntur generica, quia ratione generis immediatè participāt, licèt quantum ad modum prædicādi potius ſpecifica dici deberet.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*An genus de ſuis inferioribus exercitè, per modum totius prædicetur.*

1. Scotus Doctorum Subtiliſſimus, ſolus inter alios quos legerim, mihi videtur huius dubij veritatem penetraſſe, optimè declarādo q. 16. Vniuerſalium, quo-

modo

modo genus eſtò dicat tantùm partem eſſentiæ potentialem, poſſit per modum totius de ſuis inferioribus prædicari. Et occaſio dubitandi circa hoc quæſitum reuera maximum habet fundamentum; quamuis .n. poſſit pars in obliquo de toto prædicari, nam verè dicimus homo conſtat anima, habet corpus &c. in recto tamèn de eo prædicari non poteſt, dicendo homo eſt anima, eſt corpus &c. Et eſt doctrina Ariſt. 4. Top.c.2. genus, ſiuè hoc prædicatum Animal, dicit tantùm partem in homine, gradum .ſ. præcisè ſenſitiuum, & nihil aliud, Vndè ſi vt pars de homine prædicatur, facit hunc ſenſum, homo eſt tantùm Animal, vel homo nō eſt pluſquam Animal; Meritò igitur quæritur, quomodo poteſt genus de ſuis inferioribus prædicari exercitè, & per modum totius, cū ſit tantū pars potētialis.

2. Multæ sūt Doctorum opiniones ad hanc tollendam difficultatem, Paſqnalig. diſp. 53. to. 1. ſuæ meth. ſec. 7. nu. 2. fol. mihi 442. cum alijs, concedit partem poſſe per modum totius prædicari, negans ad veritatem prædicationis neceſſarium eſſe, quòd prædicatū importet totum eſſe ſubiecti, ſiuè explicitè, ſiuè implicitè; ſed ſufficit, vt importet aliquid de ſubiecto, ſeù quòd communicet cum ſubiecto, ità tamen, vt ex vi prædicati aliquo pacto explicetur huiuſmodi communicatio, Et hoc nititur cōfirmare ex Miſterio Incarnationis; Quia.n. (dicit ipſe) Verbum eſt vnitum perſonaliter cum natura humana, valet hæc propoſitio, Deus eſt homo, & licèt homo prædicetur in cōcreto de Deo, non tamen dicit totum id, q; dicit ſubiectum, quia cùm eſſe hominis realiter diſtinguatur ab eſſe Dei, non poteſt dicere neque explicitè, neque implicitè eſſe Dei; quia tamèn ſuppoſita vnione in perſonalitate importat prædicatum communicare in eadem perſona, ideò valet propoſitio, Deus eſt homo. Hæc Paſqualig. qui dicēdi modus ferè ab omnibus reijcitur. Et ratio eſt, quia ſi in prædicationibus in recto, ſola talis incluſio, & communicatio ſignificaretur, & allat ſenſus ſufficeret, poſſet etiam pars phyſica tàm integralis, quàm eſsētialis de ſuo toto in recto prædicari, dicendo homo eſt Anima, eſt corpus, eſt caput, cùm iſtæ partes in ſuo toto includantur, & ſic etiā in exemplo allato de Miſterio Incarnationis, poſſemus dicere, De eſt Anima, Deus eſt corpus, Quia etiam hæc omnia cum perſona Diuina Verbi vniuntur, & communicantur, Quod tamen eſt falſum, ergo prædicatio in recto aliquid plus ſignificat .ſ. hoc eſſe illud, quarè cùm dicimus, homo eſt Animal non tātùm ſignificatur Animal includi in homine, ſed hominem eſſe Animal.

3. Auerſa q. 16. de genere ſec. 3. Didacus diſp. 6. quæſt. 5. quem ſequitur Blanc. diſp. 3. ſec. 10. cū

alijs volunt, quòd illud axioma, quòd pars non prædicatur de toto, tantùm verificatur de partibus phyſicis, & integrantibus vt ſunt Materia, Forma, Caput, Brachia, &c. non de partibus Methaphyſicis; Et ratio eſt (ait Didacus) quia partes methaphyſicè ſumuntur à tota rei entitate, videlic: Animal, & rationale ſumuntur ab integra humanitate, licèt ſub diuerſis gradibus concepta, vnde eſt, quòd etiam in ratione partium dicunt totã naturã ſpeciei, cuius ſunt partes, & ideò etiã in ratione partiũ poſſunt de toto prædicari, hoc autem de partibus phyſicis aſſeri non poteſt, cùm neutra dicat totam rei eſſentiam. Non placet, vt benè etiam Ruuius aduertit, q. de genere; Illud .n. axioma, quòd nequeat pars de toto prædicari, militat etiã de partibus Methaphyſicis, & ratio aſſignata falſo innititur fundamẽto, vt infra patebit; licet .n. genus à tota entitate phyſica ſumetur, non tamen à tota entitate methaphyſica, quia nõ ſumitur à differentia, ſic .n. totam entitatem metaphyſicam contineret, & totã eſſentiam ſuorum inferiorum prædicaret, quod falſum eſt, cùm genus dicat tantùm partem potẽtialem eſſentiæ in omnium ſententia, vt etiam ipſe Didacus fatetur.

4. Thomiſtæ cõiter affirmant, ꝙ eſtò genus ſit tantùm pars ſpeciei, præſcindens ab alia comparte, quę eſt differentia, prædicatur tamèn de inferioribus per modum totius potentialis, cùm .n. ſub hac ratione contineat implicitè, & confusè etiam differentias, conſequenter cõtinebit totam ſpeciei quidditatẽ, atq; ideò de ea in recto prędicari poteſt, ita Caiet. de Ente, & eſsẽtia cap. 3. vbi etiã dicunt eſſe opinionẽ D. Thom. & ſequũtur Soto de genere q vn. art. 2. Maſi' ſec. 2. q. 2. Suar. diſput. 15. Meth. ſec. 11. num. 16. Complut. Ruu. & alij. Volũt igitur, quòd ad veritatem prędicationis in recto, non requiritur vt prædicatum actu, & formaliter dicat quidquid dicit ſubiectum, alioquin non foret prædicatio formalis, ſed identica, ſed ſufficit, vt dicat virtute, implicitè & potentia; Et ideò genus licèt in ratione totius Vniuerſalis non dicat actu formaliter, & expreſsè quidquid dicunt ſpecies, quia tamẽ dicit totum illud confusè, cùm ſit totum potentiale confuſum differentias includens, poterit ſub ratione totius Vniuerſalis, & potentialis in recto de ſuis inferioribus ꝑdicari.

5. Sed neque hæc ſententia, licèt cõis, quadrat. dicunt igitur quòd quando genus prædicatur de ſpeciebus non ſe habet vt pars, ſed vt totum potentiale, & quatenus inconfuſo, & implicitè dicit totam eſſentiam ſpeciei, de qua prædicatur, ſed quomodocumque accipiatur genus, dum prædicatur tanquã totum potẽtiale de ſuis ſpeciebus, ſemper prædicabitur tanquam pars ſpeciei; alioquin ſequererur, quòd idem ipſum eſſet ratio conuenien-

uenientiæ, & diſtinctionis ſpecierum; eſſet cauſa conuenientiæ, qa per ipſum ſpecies conueniunt, homo .n. & leo per Animal conueniunt; eſſet etiam ratio diſtinctionis ſi in ſuo conceptu differentias includeret, quòd ſi eas formaliter non includit, ſemper per modum partis potentialis prædicabitur, non totius.

*Concluſio.*

6. *Dicimus, Genus rectè prædicari de ſpeciebus per modũ totius in actu exercito, quatenus in concreto ſignificat totũ illud, quod per ſubiectum importatur in ratione habentis.* Concluſio eſt Scoti loc. cit. q. 16. Vniuerſaliũ, vbi Scotiſtæ, & ita explicatur, & probatur. Ad veritatem propoſitionis requiritur, q prædicatum ſit idem cum ſubiecto, ſed quando vniuerſale de inferioribus prædicatur in cõcretò, prædicatum eſt idem cũ ſubiecto in ratione habentis, nam dum dicimus, homo eſt Animal, ſenſus eſt, quod habens humanitatem, eſt habens animalitatem; Vnde prædicatum idem eſt cũ ſubiecto, quatenùs idem eſt ſuppoſitum habens humanitatem, & animalitatẽ. Ita Scot. loc. cit. in ſolutione ad primum, & ſecundum, dum ait: Animal prædicari de homine non per modum partis, ſed totius; quia & ſi genus primariò importet materiam, & differentia formam, ſecundariò tamen important totũ ſuppoſitum, quod connotant. Quod Doctor explicat exemplo Auic. 5. Meth. de manuato, & capitato, q̃ diuerſa ſignificãt, primariò .ſ. manus, & caput; vtrumq; tamẽn ex conſequenti, & ſecundariò ſignificat totum in ratione habẽtis, quia manuatus exponitur per habens manũ, vbi habens non eſt de ſignificato manuati, ſed de modo ſignificandi per modũ totius, Vndè dicimus homo eſt manuatus, eſt capitat', &c. quod explicatur eſt habens manus, eſt habens caput; & ità etiam explicari poteſt illa propoſitio in miſterio Incarnationis, Deus eſt homo .ſ. in ratione habẽtis, quatenùs idẽ ſuppoſitum, quod habet Deitatem, habet humanitatem, & homo prædicatur de Deo per modum totius; & non quia humanitas eſt vnita Verbo, vt cõtendit Paſqualig. quia etiam Anima Chriſti eſt Verbo vnita, & tamẽ nõ dicimus, Deus eſt Anima.

*Obiectiones.*

7. Ob. 1. Contra noſtram poſitionem Blancus: falſum eſt, (inquit) quòd Animal ſit habens animalitatem, quia potiùs eſt animalitas ſubſiſtens; concretum .n. ſubſtantiale ſolùm dicit naturam cum ſubſiſtentia, ergo non benè explicatur illa propoſitio, homo eſt animal in ratione habentis. Probat aſſumptum exemplo in diuinis, Deus .n. non eſt habens Deitatem, ſed Deitas ſubſiſtens, alitèr cùm ſint tres habentes Deitatẽ, tres eſſent Dij. ℞. verum eſſe aſſumptũ ſi de principali ſignificato loquatur, ſic .n. Animal ſignificat animalitatẽ ſubſiſtentem, ſicut etiam nec Deus de



Digitized by Google

per ſe ſignificato importat habens Deitatem ex Scoto in primò d. 4. q. 1. ad ſecundum. Si autem Blancus intelligat, quòd neq; illud dicat ex conſequenti, nec de connotato, negatur aſſumptum, nã Doct. ex Damaſceno ibi allegato in hoc ſenſu inquit, Deus eſt Diuinã habens naturam, neque ex hoc ſequitur tres eſſe Deos, nam ad multiplicationem concretorum ſubſtãtialium non ſufficit multiplicatio ſuppoſitorum, ſed requiritur etiã plurificatio formarum, in Diuinis ſunt vtique tres perſonæ, ſed vna ſingulariſſima in omnibus Deitas.

Sed contra, ſi eſt vera illa prædicatio, quia prædicatum ex conſequenti, & ſecundariò dicit totum eſſe ſubiecti, ergo prædicatio generis de ſpecie, vel eſſet identica, vel nugatoria, quia idem bis poneretur. ℞. negando ſequelã, nã nugatio, & identica prædicatio ſequuntur ſolũ ex identitate principalis ſignificati, non autem ex idẽtitate connotati, & reſponſio eſt Scoti q. 16. Vniuerſalium; vnde dicimus, muſicus albus currit, ſine nugatione, licèt vtrumque idem ſubiectum connotet.

Ob. 2. Omne concretum eſt denominatiuũ, ergo ſi genus de ſpecie prædicatur in concreto, prædicatur denominatiuè, & nõ in quid, vniuocè, ergo, &c. ℞. ex Doctrina Scoti neg. añs. nam licèt omne denominatiuum ſit concretum, non tamen omne concretum eſt denominatiuum, denominatiua .n. propriè ſunt illa, quæ cadunt ad ſubiectum, vel quaſi ſubiectum, & ideò nomine adiectiuo ſignificantur, & prædicantur in quale, animal autẽ non cadit ad ſubiectum, ſed ad inferius, nec nomine adiectiuo ſignificatur, ſed ſubſtantiuo, & prędicatur in quid, & vniuocè.

Tertio. Partes phyſicæ, & integrales magis diſtinguuntur à toto, quàm metaphyſicæ, cũ illæ realitèr diſtinguantur à toto, iſtæ verò minimè, ſed illæ partes in concreto prædicantur de toto, dicendo homo eſt animatus, eſt capitatus, &c. ergo & iſtæ vt magis intimæ poterunt verè prædicari de toto, etiam ſi ſumãtur vt partes. ℞. neg. conſeq. & ex hoc, quòd partes methaphyſicæ ſunt intimiores phyſicis, & integrantibus, tantùm ſequitur, quòd poſſint prædicari de toto in concreto nomine ſubſtantiuo, vt facit genus, quod non faciũt partes phyſicæ, vel integrantes, niſi adiectiuè, & per modum denominantis; & illæ propoſitiones, eſt animatus, eſt capitatus explicantur per modum habentis ex dictis, & licèt partes definitionis prædicentur de definito ex 1. poſt. c. 4. non tñ per modum partis, loquendo de prædicatione in recto.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*Quomodo Genus contineat ſpecies, & differentias.*

SCot. cuius ſcripta venuſtiſſimis ſententijs conſperſa leguntur, de hoc egit q. 15. Vniuerſaliũ, vbi

cum communi reſoluit, genus continere ſpecies, & differentias tantū poteſtate, quod deinde confirmauit in primò d.8 q.3. ad confirmationem primi argumēti pro Henrico, vbi doctor ait, quòd conceptus generis, & quilibet alius cōis duobus, eſt neuter formaliter ad illa. Supponimus pro reſolutione, tanquam certum, ſpecies, & differentias non contineri in genere formaliter, & explicitè, tunc .n. de nulla ſpecie poſſet cum veritate genus prædicari, nam dicendo homo eſt animal, ſenſus eſſet, ꝙ homo eſt animal rationale, & irrationale. Neque poteſt etiam implicitè aliquam differentiam, ſeu ſpeciem determinatè continere, nam tunc ſequeretur non eſſe ad omnes indifferens; Et licèt hæc fuerit ſententia cōis apud omnes receptiſſima, non defuerunt tamen, qui dixerunt genus cōtinere omnes ſpecies, & differentias implicitè actu confuſo, & indeterminato, quatenùs non magis hanc, dicit, quam illam.

*Concluſio.*

2. *Dicimus cum cōi, Genus nullo modo continere in actu ſpecies & differentias, ſed tantùm in potentia.* Eſt Scoti loc. cit. & ità facilè probatur: Genus importat gradum ſuperiorem ad illum, quem importat ſpecies, & differentia, & ab illis abſtractum, ab homine .ſ. & leone, à rationali, & irrationali, ergo actu illa non includit, aliter ab eis non præſcinderet. Tùm quia (& eſt argumentum Ariſt. 7. meth. 42.) ſi genus actu differentias contineret, cùm hæ ſint omnino oppoſitæ, & diuerſæ, tunc actu eidem oppoſita in eſſent. Nec refert, quòd continentia ſit inderminata, & cunfuſa, modo ſit actualis, tunc .n. non diceretur totū potētiale, & quod poteſtate ſpecies, & differentias contineat. Tùm quia genus, & differentia sūt conceptus diuerſorum graduum eiuſdem naturæ, ergo neutrum actu alterum includit, ſicut in compoſito phyſico, vna pars nō includit alteram. Eſt etiam clara doctrina Porphyrij, cap. de differentia, vbi de genere dixit: *Poteſtate quidem habet omnes, quæ ſub ſe ſunt differentias, actu verò nullam.* Et Ariſtot. 2. Poſt. c. 8. ait: *Supponatur tale eſſe genus, vt ſit ſecundū potentiam in plus.*

3. Eſt pro complemēto huius dubij hic adnotandum, quòd licèt genus tantùm potentia ſpecies, & differentias contineat, hæc tamen continentia potentialis non eſt eiuſdē rationis in ſpeciebus, & differentijs; nam continet ſpecies, vt ſuas partes ſubiectiuas, de quibus eſt prædicabile in quid, quarum reſpectu dicitur totum potentiale, nō quod ex talibus partibus componatur, ſed quia de illis ſit prædicabile, per modum habentis, vt ſupra dictū eſt, ac proinde potius illas componat; & ideò, non eſt ꝓpriè totum; ſed methaphoricè tantùm, & ſimilitudinariè, quarè Ariſt. 1. phyſ. 4. non appellauit illud abſolutè totum, ſed totum quoddam



Digitized by Google

.i. quodammodo totum, reſpectu verò differentiarum, nõ dicitur totum, ſed pars potentialis, per illas cõtrahibilis, & perfectibilis, cuius cõtinentia eſt in genere cauſæ materialis, eo modo, quo materia dicitur potentialiter continere formas ex ipſa educibiles; ſicut .n. materia quaslibet ſuſcipit formas, cũ quibus cõſtituit varias ſpecies, ità genus eſt ſuſceptiuum diuerſarum differentiarum, cum quibus diuerſas cõponit ſpecies methaphyſicè.

*Obiectiones.*

4. Ob. 1. Auct. Ariſt. 1. Phyſ. 4. vbi ait: Vniuerſale totum quoddam eſt, multa .n. cõprehendit, vt partes .ſ. ſpecies, & 7. phyſ. 3. ait, in genere latere æquiuocationes, quod intelligi debet quatenus actu differentias contineat, quæ æquiuocationem pariunt. ℞. Ariſt. 1. phy. loqui de comprehenſione potentiali, non actuali; & de Vniuerſali in ordine ad partes ſubiectiuas, nõ in ordine ad differentias, & vocat illud totũ ſimilitudinariè &c. quæ ſimilitudo conſiſtit in hoc, quòd ſicut totum habet talem latitudinẽ, vt non à ſingulis partibus adæquetur, ſed ab omnibus ſimul, ſingulas autem excedat, ità Vniuerſale poteſt eſſe in pluribꝰ inferioribus, & de pluribus prædicari, ità tamẽ quòd eius prædicatio non adæquetur à ſingulis inferioribus, licèt .n. ſit totum in ſingulis, nõ tamẽ totaliter, & adæquatè, niſi in omnibus ſimul. In 7. phyſ. inquit in genere latere ęquiuocationes, nam ea quę ſub eodem genere continentur, nõ conueniunt in illo rigoroſo gradu vniuocationis, ſicut illa, quæ ſub eadem ſpecie athoma continẽtur, vt benè Scot. aduertit in primò d. 3. q. 3. lit. Q.

Ob. 2. Genus in recto prædicatur de ſpecie, ergo actu continere debet totum id, quod ſubiectum dicit, alioquin propoſitio eſſet falſa, nam pars non poteſt de toto p̃dicari. Reſponſio patet ex præcedenti articulo, ad veritatem .n. p̃poſitionis non requiritur, quod p̃dicatum actu contineat quicquid continet ſubiectum, ſed ſufficit, quod ſint idem in ratione habentis; ſic in propoſito, prædicatum eſt idem cum ſubiecto in ratione habentis, licèt non ſint idem formaliter in ratione totius, & partis.

Tertiò. Vel genus eſt pars actu, vel totum actu, non primum, ergo ſecundum, non eſt autem totum methaphyſicum, ergo logicum. ℞. quòd totum genericum, vt ſimpliciter tale eſt, nec eſt totum actuale, nec pars actualis, ſed eſt totum potentiale reſpectu ſpecierum; nõ totum potentiale, quaſi potentiã habeat ad eſſe totum, ſed quia non actu, ſed potentia ſuas partes continet; ſicut etiam dicitur pars potentialis reſpectu differentiæ à qua contrahitur, actuatur, determinatur. &c.

Quartò. Quod eſt alicui realiter identificatum, eſt in illo actualiter, non potentialiter, ſed differentiæ realiter identificantur cum genere

nere, ergo &c. ℞. neg.mi. differẽtia .n. non identificatur realitati genericæ, vt in ſe eſt, ſed ſolum ei identificatur ratione tertij, .ſ. ſpeciei, quam ſimul cum genere conſtituit, vt benè Braſauol. aduertit q. 24. Vniuerſalium.

Quintò. Genus eſt relatiuum ad ſpecies, ergo actu dicit illas, & earum differentias. Concedimus genus reſpicere ſpecies, & differẽtias velut terminum ſuæ aptitudinis, non tamẽ tanquam partes intrinſecas, & formales, vt aduerſarij prætendunt.

5. Hic dubitari ſolet, an genus ſit ſpecies infima vniuerſalis, & ℞. cũ Scoto q. 14. Vniuerſalium, vbi omnes eius expoſitores cũ cõi (quicquid dicat Auerſa q. 10. log) quòd gen⁹ in ratione generis eſt ſpecies athoma, & ſpecialiſſima, ſicut omnes aliæ ſpecies vniuerſalis. Et hoc patet ex eo, quia genereitates fundatæ in naturis, eſtò ſint diuerſiſſimæ, vt ſubſtantia, quantitas, &c. tamen in ratione illas denominandi, & prædicandi de ipſis, omninò conueniunt, & ſolũ diſtinguuntur ratione connotati; ſicut albedo hominis, & niuis eiuſdem ſunt ſpeciei, & ſolũ ſpecie differunt fundamentaliter ratione fundamẽti. Tũ quia ſpecies vniuerſalis diſtinguũtur per diuerſum modum eſſendi in multis, vel prædicãdi de multis, ſed omnia genera, ſiuè ſuprema, ſiuè ſubalterna, ſiuè infima, ſiuè ſubſtantialia, ſiuè accidentalia, habent eumdem modum eſſendi in multis, nempè per modum partis potẽtialis, ergo omnia illa ſub ſpecie infima generis continentur.

6. Sed Ob. Illa ſpecie differunt, quæ diuerſas habent definitiones, & paſſiones, ſed genus ſupremum, & ſubalternum ſunt huiuſmodi, ex Porphy. c. de ſpecie; ergo &c. ℞. quòd licèt hæc genera, vt talia sũt .ſ. cũ illo reſpectu ſupremi, & ſubalternationis differant ſpecie, non tamen in ratione generis, & vniuerſalis, cùm eodem modo ſint in multis, & prædicantur de multis; quòd autem nulli vnum genus ſubijciatur, & alterum ſic, accidit illis, ſicut etiam accidit, quòd genus ſupremum plura habeat inferiora, quam ſubalternum, &c.

Quærunt etiam hic Doctores, quod nam ſit correlatiuum generis, quod ei correſpondeat in ratione ſubijcibilis. Ad quod breuiter reſpondetur, quod primum, & immediatum ſunt ſpecies, mediatum verò correlatiuum ſunt indiuidua, quando de illis prædicatur per modum generis, nam quando prædicatur de indiuiduis incõpletis immediatè, & per ſe ipſum, induit modum ſpeciei, & ad ſecundũ ſpectat prædicabile ex dictis; Hinc aliqui dicunt, ſpecies eſſe terminũ formalem genereitatis, indiuidua materialem; ille .n. dicitur terminus formalis alicuius relationis, qui propriè, & per ſe illi correſpõdet, materialis verò qui eam terminat ratione ipſius termini formalis, cum quo coniunctus reperitur.

ritur, & non tàm ſe ipſo, quàm interuentu alterius.

7. Nec audiēdi ſunt aliqui ex Recētioribus, qui aſſerunt indiuidua merè per accidēs ſe habere ad genus in ratione ſubijcibilis, ac proinde adæquatum correlatiuū generis eſſe ſolam ſpeciē, & ad indiuidua comparatum, ſiuè ſint eiuſdē, ſiuè diuerſæ ſpeciei, nullo modo habere rationem generis. Non ſunt inquam audiendi, nam Porphy. cap. de ſpecie apertis verbis docet, non ſolū eſſe genus reſpectu ſpecierum ſub ſe contentarum, ſed etiam indiuiduorum, ad quæ refertur; & hoc etiam expreſsè colligitur ex definitione generis, ꝙ ſcilicet ſit illud, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ꝙ etiam indiuidnis competit, non. n. tantū homo, & equus ſpecie differunt, ſed etiam Petrus, & Bucefalus; Si igitur genus, vt genus eſt, prædicatur propriè de indiuiduis, indiuidua quoq; propriè erūt ſubijcibilia reſpectu illius. Vel vt aliqui Recentiores faciunt, poni poſſet pro toto correlatiuo generis, plura ſpecie diſtincta, quaten⁹ ſpecies, & indiuidua in ratione ſubijcibilis ad genus, conueniunt. Nec obſtat, quòd ſpecies ſubijciatur generi immediatè, indiuidua verò mediatè, nā adhuc cum tali diſparitate, poſſunt rationem communem, & vniuocam habere in ratione ſubijcibilis, ſicut de facto ratio ſubſtantiæ vniuoca eſt corpori, & tali corpori, cùm tamen ad tale corpus, non niſi mediante corpore deſcendat, vt ſic; ſicut etiam in ratione actus, forma ſubſtantialis, & accidentalis conueniunt vniuocè, licèt accidentalis non actuet, niſi mediante forma ſubſtantiali.

# DISPVTATIO V.

## DE SPECIE.

### TEXTVS,

*Species autem dicitur quidem, & de vnius cuiuſq; forma, ſecundum quam dictum eſt. Prima quidem ſpecies digna eſt imperio. Dicitur autem ſpecies, & ea, quæ ſub aſsignato genere ſecundum quam ſolemus dicere hominem quidem. &c.*

HOC eſt ſecundum caput huius tractatus, in quo Porphy. de ſecundo prędicabili, .ſ. de ſpecie determinat. Et meritò quidem, quamuis .n. cognitio totius pendeat ex partibus, vndè videtur priùs de differentia tractare debuiſſe, quatenùs eſt altera pars principalis ſpeciei, attamèn, quia hic non agimus de ſpe-

cie

cie ſecundum eſſe reale, & Methaphyſicum, ſed intentionale, & logicum, & ſpecies prius refertur ad genus, vt correlatiuum, quàm ad differentiam, vt ad partem, ideò immediatè poſt genus, agimus de ſpecie, vt ipſe Porphyrius egit.

1. Hoc igitur caput in tres diuiditur partes: in prima Porphyr. tradit acceptiones ſpeciei, & definitiones: in ſecunda conſtituit ordinem prædicatorum: in tertia definit, & diuidit indiuiduum. Species autem dupliciter ſumitur; vno modo pro forma, & pulchritudine rei, quo pacto dicimus, præſtantiſſima ſpecies digna eſt imperio .i. homines pulchri, & formoſi, digni ſunt, vt alijs imperet. Secūdo modo ſpecies dicitur, quæ ſubijcitur generi, vt homo eſt ſpecies animalis, de qua Porphyr. in præſenti loquitur.

Et quia ei obijcere poteramus, quare ſpeciem per genus definiat, cùm genus per ſpeciem definierit & circulum in definitione commiſerit, vnum per alterum definiendo? ſe excuſat, dicendo, quòd in his, quæ relata, & ad aliud ſunt, nō inconueniēs, imò neceſſarium eſt, vnum per aliud definiri.

2. Huius autem ſpeciei tres aſſignat definitiones, prima eſt: *Species eſt, quæ ponitur ſub genere*: ſecunda, *ſpecies eſt, de qua genus in eo quod quid prædicatur*. Et an hęc ſit duplex, vel vnica definitio, probabili' eſt, quòd ſit vnica .ſ. ſpecies eſt, quæ ponitur ſub genere, de qua genus in eo quod quid prædicatur, ità vt poſterior, pars ſit prioris declaratio. Tertia, *ſpecies eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid*, vt homo prædicatur de Petro, Paulo &c. Diſcrimen autem inter iſtas ſpecies eſt, quòd illæ 2. priores definitiones cōpetunt omni ſpeciei, iſta vltima ſoli ſpeciei vltimæ ſpecialiſſimæ; duplex eſt. n. ſpecies, quædam, quæ ſolùm eſt ſpecies, tàm relata ad ſuperiora, quàm ad inferiora; ad ſuperiora, quia inferius dicitur ſpecies ſuperiorum; ad inferiora, quia ſolùm ſub ſe habet indiuidua, de quibus dicatur; vt homo reſpectu Petri, Pauli &c. & hæc dicitur ſpecies ſpecialiſſima; ſeù athoma. Altera ſpecies eſt, quæ relata ad ſuperiora eſt ſpecies, ad inferiora verò eſt genus, nam inferiora eius sūt plura ſpecie differentia, vt animal reſpectu hominis, leonis. &c. Et hæc dicitur ſpecies ſubalterna. Illæ duę definitiones priores competunt vtrique ſpeciei, ſpecialiſſimæ .ſ. & ſubalternæ, tertia autem ſoli ſpeciei ſpecialiſſimæ, modo quæritur à Doctoribus, an præfatæ definitiones ſint rectè traditæ.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An ſpecies rectè fuerit à Porph. definita.*

1. SCot. omnium eruditorum ſchola doctrinarum, & litterarum decus, q. 21. Vniuerſalium. ℞t. affirmatiuè cum communi, loquendo tàm de ſpecie ſubalterna, quàm ſpecialiſſima. Pro cuius notitia ſupponimus, quòd eadē omnino

nino natura in ſerie prædicamentali dicitur ſecundum diuerſos reſpectus ſubijcibilis, & pręedicabilis; ſubijcibilis reſpectu ſuperiorum, prædicabilis reſpectu inferiorum; quę relationes ſũt eſſentialitèr oppoſitæ, & diuerſæ, ſicut relationes Patris, & Filij; Domini, & Serui; licèt in vno, eodemque ſubiecto vniantur; & ratio eſt, quia relationum diuerſitas attẽditur à formali diuerſitate fundamẽti, & termini; & talis in propoſito reperitur, nam terminus prędicabilitatis ſũt inferiora, de quibus natura prædicatur; fundamentum verò eſt ipſa cõitas, in qua illa indiuidua cõueniũt; terminus aũt ſubijcibilitatis eſt ipſum ſuperius, cui eadẽ natura ſubijcitur, fundamentũ verò eſt inferioritas, ſeu dependẽtia ab illo, quę oppoſitæ relationes eidem cõuenire poſſunt reſpectu diuerſorũ.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, vtramque ſpeciem tam p̃dicabilem, quam ſubijcibilem, tam athomam, quàm ſubalternam eſſe rectè definitam.* Eſt cõis cum Scoto loc. cita. & ità facilè Pr. quoad ſpeciem ſpecialiſſimã, & prædicabilem: Illa eſt bona definitio, in qua explicatur natura rei per genus, & differentia, ſed hæc ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt huiuſmodi, ergo &c. Ma. eſt clara, Min. patet ex dictis de genere, habet .n. quòd ſit vniuerſale prædicabile de pluribus loco generis, habet etiam alias particulas loco differentiæ, quibus omnibus ab alijs Vniuerſalib' diſtinguitur; ſicut .n. id, quod prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie, neceſſariò dicit partẽ eſſentiæ illorũ, ſic quod prædicatur in quid de pluribus differentibus numero, dicit totam eſſentiam illorum, cũ differentia numeralis non ſit eſsẽtialis, ſed materialis. Numerus autẽ hic, non accipitur pro prædicamentali, qui ſpectat ad prædicamentum quantitatis, & dicitur quantitatiuus, ſed pro numero traſcẽdẽtali, & entitatiuo, qui reſultat ex pluralitate quarumcũque rerum, & per res numeratas intelligimus illas, quæ per differẽtias intrinſecas indiuiduales multiplicantur; quæ à Scoto hæcceitates appellantur, ac proinde indiuidua dicuntur.

3. Quòd etiam ſpecies ſubijcibilis ſit rectè definita, patet per ei' particulas diſcurrendo; nam cùm dicitur ſpecies eſt, quæ ſubditur generi, poteſt explicari cum cõi, q. ſ. ſit illud ſubijcibile, quòd immediatè generi ſubijcitur, per quod excluditur indiuiduum, quòd immediatè non ſubijcitur generi, ſed mediāte ſpecie, & licèt indiuidua incompleta, & generica immediatè generi ſubdantur, adhuc tamen illi ſubduntur ſub ratione ſpeciei, vt ſupradictum eſt; q̃a verò ex hac expoſitione ſequitur, quòd homo non eſſet ſpecies ſubſtãtiæ, vel corporis animati, cùm ſub nullo iſtorum immediatè ponatur, ideò melius præſtat dicere cum Franciſco de Mayrone paſſu 4. ſenſum illius definitionis eſſe, quòd ſpecies eſt



Digitized by Google

Vniuerſale, quæ generi ſubijcitur, quo ſẽſu etiam indiuiduum excluditur, quod licèt generi ſubijciatur, non tamen tamquam Vniuerſale. Dum tandèm additur, de qua genus in eo quodquid eſt prædicatur, explicatur modus ſubſtantialis, .ſ. ſubijci in quid; per quod etiam ab alijs diſtinguitur.

*Obiectiones.*

4. Ob. primò contra definitionẽ ſpeciei ſpecialiſſimæ. Hæc definitio competit alijs à definito, ergo non eſt bona, patet conſequentia, nam definitio debet cum definito conuerti. Pr.añs, quia hæc definitio competit etiam Deo, qui prædicatur in quid de pluribus numero differentibus, nempè de Patre, Filio, & Spiritu Sancto. ℞. neg. aſſumptum cum ſua probatione; vt .n. patet ex dictis, eſtò natura Diuina in tribus perſonis reperiatur, quia tamen nõ eſt in eis cũ ſui diuiſione, & multiplicitate, ſed eadẽ numero in omnibus, vt Doct. docet in primo d. 8. quæſt. 3. propè finem, & Tat. quæſt. 1. Prædicam. dub. 3. nõ poteſt dici Vniuerſalis, & per modum ſpeciei.

5. Secundò, & fortius. Datur à Scoto in 1. d. 13. q. vn. in fine, & d. 16. q. vn. V. Conceptus abſtrahibilis à tribus perſonis Diuinis, qui de illis tribus, vt perſonæ ſunt in quid prædicetur, quæ perſonalitas in ipſis multiplicatur, ſicut humanitas in Petro, Paulo, &c. Tres .n. perſonæ Diuinæ realiter inter ſe diſtinguuntur, vt perſonæ ſunt, & tamèn perſona Diuina nõ eſt ſpecies, ergo talis definitio competit alijs à definito. ℞. quòd ſi reuera datur talis conceptus cõis perſonæ ad tres Diuinas perſonas, quod Scotus ſatis probabile exiſtimat, maiorem patitur difficultatem, nã talis ratio cõis verè in illis multiplicata eſſet, & ideò variè Authores reſpondent. Alij admittunt rationem cõem perſonę habere modum ſpeciei, nam in ratione perſonæ, illæ perſonæ diuinæ non differunt niſi numero. Arriaga admittit habere modum generis, nã perſonæ Diuinæ in ratione perſonæ differunt ſpecie, cùm Paternitas, Filiatio, & Spiratio ſint relationes ſpecię diuerſæ. Hoc etiam Hurtad. concedit, ſed adhùc non admittit propriè differre ſpecie, cũ ſint prorſus æquales in perfectione, ſpecies autem inæquales; vndè concludit conceptum perſonæ vt ſic, de vtraq; ratione participare, & de genere, .ſ. & de ſpecie, & eſſe quoddam vniuerſale, quod Porphy. ignorauit. Paſqual. in ſua Meth. tom. 1. diſp. 24. num. 4. fol. mihi 595. dupliciter Reſpondet, primò, quòd etiam ſi daretur huiuſmodi cõceptus de perſona cõi, non ſequeretur eſſe ſpeciem, quia nõ haberet ſub ſe plura indiuidua; nam relationes habent eamdẽ entitatem cum eſſentia Diuina, ſpecies autem requirit plura indiuidua phyſica entitatiuè, Quã reſpõſionem nos admittimus in eo ſenſu, quo Scot. in primò d. 24. q. vn.

docet, tria Diuina ſuppoſita non poſſe abſolutè, & ſimpliciter dici numero differentia, ſed tantùm ſecundum quid, & cum determinatione perſonarum, quatenus sũt tres numero perſonæ. Reſpondet ſecundò, quòd ſpecies dicit aliquã eſſentiam coaleſcentem ex pluribus gradibus Entis, quorum vnuſquiſq; eſt limitatus, & finitus; at quicquid in Deo eſt, illimitatũ eſt, & ſuper Ens; & hoc etiam concedimus, ſed ipſe nõ explicat, qualis eſſet Vniuerſalitas talis cõceptus.

6. Ideò nos dicimus, quòd ſuppoſito tali conceptu cõi de perſonis, cui nulla realitas à parte rei correſpõdeat, talis conceptus haberet modum prædicandi ſpeciei, nõ tamèn eſſet vera ſpecies, nã hæc ex Scoto in primò d. 8. q. 3. in fine præſefert realitatem potentialem ad hæcceitates; & quamuis Paternitas, & Filiatio, & Spiratio quatenùs relationes sũt, alterius ſint ſpeciei, in ratione tamèn perſonalitatũ, ſolo numero differunt. Poſſet etiam dici ex Doct. loco cit. quòd haberet modũ generis, cũ per intellectum inadæquatè concipientem abſtrahi poſſet conceptus cõmunis à perſonis creatis, & increatis; cũ quo etiam firmum ſtat, q quicquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus, tales enim conceptus inadæquati ex imperfectione intellectus noſtri pendent, qui percipere non poteſt adæquatè, & diſtinctè res, vt ſuaptè natura ſunt.

Tertiò. Anima rationalis, materia prima, & alia multa ſunt, quę de pluribus numero differentibus prædicantur, quæ tamen non ſunt ſpecies, cùm ſint Entia incompleta, & à ſerie prędicamentali excluſa, & remota, ergo, &c. Multi ex Thomiſtis, cum Caiet. Reſpondẽt, quòd entia incompleta, ſicut non ponũtur in recta linea, ità nec ſimpliciter ſunt vniuerſalia genera, aut ſpecies, ſed tãtũ ſecundũ quid. Nõ placet, nam vt ſupra diximus, etiam naturæ incompletæ fundare poſſunt perfectam vniuerſalitatẽ, cùm eodem modo ſua inferiora conſtituãt, ſicut naturæ completæ; ſicut .n. animal, quia eſt pars materialis hominis, & equi, de illis predicatur, ità quia anima eſt pars materialis vegetatiuæ, & ſenſitiuæ de illis prædicatur; quare etſi ò tales naturæ in ſe ſint incompletæ, vniuerſalitas tamen, quæ illis conuenit, eſt completa. Nec officit, quòd in prædicamento directè nõ ponantur, nam ſufficit, quod directè ponantur in prædicabilibus, vt patet de differentia, quæ eſt vnum prædicabile, licèt directè in prędicamento non ponatur. Dicuntur igitur huiuſmodi genera, & ſpecies incompleta fundamentaliter tantũ, non formaliter ratione vniuerſalitatis, vt benè hic Murcia quæſt. 3. dub. 6. Blanch. diſput. 3. ſect. 16. & alij defendunt. Et ità ad argumentum negatur aſſumptum, quo ad ſecundam partem.

Quartò. Differentia, Proprium, & Accidens etiam prædicantur in

quid de ſuis inferioribus,& vt tota eſſentia, rationale .n. verè de hoc, & illo rationali prædicatur, ſicut riſibile, &c. ergo vel iſta non ſunt diſtincta prædicabilia à ſpecie, vel ſi diſtinguuntur, definitio ſpeciei cõpetit alijs à definito. ℞.ex Mayrone paſſu 3. quòd illa omnia in aſſumpto numerata, in ordine ad propria inferiora, benè rationem ſpeciei habent; tunc verò rationẽ differentiæ, proprij, & accidentis, quando ad ſua ſubiecta quæ afficiunt comparantur, & ideò prædicantur in quale.

7. Obijcies adhuc contra definitionem ſpeciei ſpecialiſſimæ: homo eſt ſpecies, & tamen prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie, vt patet de Maſculo, & Fæmina, nã plus differunt Titus, & Berta, quã Paulus, & Petrus; ſed iſti differunt numero; ergo illi ſpecie, cùm inter differentiam numericam, & ſpecificam non detur medium. ℞. breuiter, quicquid alij dicant, Maſculum, & Fæminam non differre niſi ſpecie accidentali, admittimus .n. in differentia numerali latitudinẽ accidentium.

8. Ob. Contra ſpeciem ſubijcibilem: Datur aliqua ſpecies prædicabilis, quę nulli generi ſubijcitur, vt patet de materia prima quæ de illa, & hac materia prædicatur, & de puncto quantitatis, quæ nõ ponuntur ſub Genere, cùm ſint Entia incompleta, ergo falſum eſt, quòd ſpecies prædicabilis, ſit ſubijcibilis. Tũ quia genus generaliſſimum ſubſtantiæ, quando de indiuiduis incompletis prædicatur, induit rationem ſpeciei, ex dictis, & tamen nulli generi ſubijcitur, ergo, &c. Aliqui ex Thomiſtis, cum Caiet.c. de ſpecie, ſicut non habent pro inconuenienti dari ſpeciem ſubijcibilem, quæ non ſit prædicabilis, vt de ſpeciebus Angelicis affirmant, ità etiam quod poſſit dari ſpecies prædicabilis, quæ non ſit ſubijcibilis autumant, & conſequenter datam definitionem negare videtur: At nos vtrumque pro abſurdo habemus, & ratio eſt, quia omnis ſpecies componitur metaphyſicè ex genere, & differentia, & conſequẽter ſemper gradum ſuperiorẽ ſupponit. Quod deinde in aliquo genere prædicamentali nõ ponatur, ex hoc non ſequitur, quòd ratio vniuerſalitatis ad genus requiſitę ei deficiat, ſed ſolũ, quòd non fundatur in natura completa, vt modò diximus. Et fundamentum huius veritatis eſt, quia ſemper quælibet natura ſpecifica cum alia aliqua ſpecie in aliquo gradu ſuperiori eſſentiali conuenit, vt etiã patet de materia prima, & pũcto quantitatiuo; nã materia conuenit cũ forma ſubſtantiali in cõceptu ſubſtantiæ, prout ab accidente diſtinguitur; & punctũ quantitatis cõuenit cũ inſtanti temporis in conceptu quãtitatiui indiuiſibilis abſtrahendo à quantitate permanẽte, & ſucceſſiua; & ideò ſicut diximus definitionem ſpeciei prędicabilis etiã naturis incompletis conuenire,

uenire, ſic etiam de ſubijcibili libéter aſſerimus, quam doctrinam amplectitur Auerſa quæſt. 2. de ſpecie cum multis alijs.

Ad illud de genere generaliſſimo, quod prędicatur de indiuiduo generico, & tamen nulli generi ſubijcitur, admittimus, ſed tunc genus non eſt vera ſpecies, ſed tantū rationem ſpeciei induit per intellectum immediatè indiuiduantem naturam genericam, ſpreto ordine naturali; Porphy. verò locut' fuit de ſpecie ſubijcibili, vt ad ſeriem prædicamentalem ſpectat. Ità Didacus à Ieſu diſput. 7. quæſt. 1. cū multis ex recentioribus, vt videre eſt apud Maſtr. & Bell.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### *An Species conſtituatur in eſſe Vniuerſalis per eſſe ſubijcibile, an potius per eſſe prædicabile.*

1. SCotus, cuius ſolida argumētorū iacula fortiores aduerſariorum Athletas facilè frangūt, q. 21. Vniuerſalium ad quartum docuit, quòd eſtò ſpecies ſecundū ſuam propriam rationem formalem referatur ad genus, vt ad eius primum correlatiuum, ſecundum tamen rationem ſui generis .ſ. vniuerſalis, dicitur correlatiuum ad inferiora, de quibus prædicatur. ex quo infertur, quòd licèt definitio eius in ratione ſubijcibilis .ſ. in ordine ad genus, ſit ſecundum ſe ſpeciei propria, cū detur per eius primum correlatiuum; ſecunda tamē quę datur per ordinem ad inferiora, quamuis detur per poſterius correlatiuum, .ſ. per indiuidua, eſt tamē magis ad propoſitū, quia eſt propria ſpeciei in quantum eſt vniuerſalis, quōmodo hic Porphy. præſertim cōſiderauit; Vnde ſubtiliſſimus Doctor paucis verbis, & ſuam ſent. explicuit, & ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ reſpondit. Suppoſito ergo tanquam certum in ſpecie infima, quæ eſt ſecūdum vniuerſale, duplicem concurrere habitudinem, nempè ſubijcibilitatis ad ſuperiora, & prædicabilitatis ad inferiora; Meritò hic quæritur à Doctoribus, per quam habitudinem formalē in eſſe vniuerſalis conſtituatur, an .ſ. per eſſe ſub jcibile, an potius per eſſe prædicabile? Opinio Caiet. c. de ſpecie eſt, quòd ſpecies, vt ſpecies eſt, & vt ſecundum vniuerſale, conſtituatur in eſſe tali per ſubijcibilitatem ad genus, cuius vnicum fundamentum eſt, quia propria ratio ſpeciei eſt eſſe correlatiuum generis, quod non habet per ordinē ad inferiora, de quibus prædicatur, ſed ad genus, cui ſubijcitur; ergo &c. cōis tamen opinio eſt cū Scoto loco cit. tota ad oppoſitum.

*Concluſio.*

2. *Dicimus cum Scot. & cōi, ſpeciem intrinſecè, & formaliter conſtitui in eſſe Vniuerſalis, non per ordinem ad ſuperiora, ſub quibus ponitur, ſed ad inferiora, de quibus prædicatur*; & ità facilè probatur: Vniuerſale in cōi conſtituitur in eſſe tali per habitudinē ad inferiora, diximus .n. vniuer-

uerſale eſſe id, quod aptum eſt eſſe vnum in multis, & de multis, ſed ſpecies ideò eſt, vnum de numero vniuerſalium, quia participat rationem vniuerſalis in communi, quicquid .n. dicitur de ſuperiori, dicitur etiã de inferiori, ergo ſpecies nõ conſtituitur in eſſe vniuerſalis per eſſe ſubijcibilem ſuperioribus, ſed per eſſe prædicabilem de inferioribus. Tũ quia ſubijcibilitas ſpeciei, & indiuidui eſt formaliter eiuſdem rationis, licèt differant ex parte fundamenti, ergo cũ eadem ſubijcibilitas competat indiuiduo, nõ poteſt ſpeciem in eſſe vniuerſalis conſtituere. Et fundamentum Caiet. remanet ſolutũ ex doctrina Scoti loc. cit. quod .ſ. valet de primo correlatiuo, vt ſpecies eſt, non de ſecundò, vt vniuerſalis eſt, ſequuntur Scot. plures Patres Societ. vt videre eſt in Centuria relata, Propoſitione 54.

*Obiectiones.*

3. Ob. 1. quod immediatè ſubijcitur generi, eſt Vniuerſale, ſed ſpecies quatenùs ſubijcibilis immediatè ſubijcitur generi, ergo quatenùs ſubijcibilis eſt vniuerſalis. ℞. Ma. eſſe veram ſpecificatiuè, & materialiter, non tamen formaliter, & reduplicatiuè, vt ſenſus ſit, quòd ſpecies eſt vniuerſalis, quia illi ſubijcitur; ſed potius quia ad inferiora referatur.

Secundò, ideò ſpecies eſt vnum de numero vniuerſalium, quia cõtinetur ſub Vniuerſali in communi, vt pars eius ſubiectiua, ſicut homo dicitur animal, quia continetur ſub animali, ſed ſpecies, quatenùs ſub vniuerſali continetur, eſt ſubijcibilis, ergo, &c. ℞. concedendo ma. eodem modo ſpecificatiuè, nõ reduplicatiuè, &c. vel fortè melius cum Maſtrio, & Beliut. diſp. 5. ſuæ logicæ q. 2. art. 2. negando aſſumptum cum ſua probatione, nõ .n. homo dicitur animal, quia animali vt ſub genere ſuo ſubijcitur, ſed potius è contra ſubijcitur animali, quia rationem animalis participat, nam hoc eſt fundamentum relationis ſubijcibilitatis, quæ illi per intellectum accidit; ità in propoſito, non ideò prædicabilia ſunt vniuerſalia formaliter, quia ſub vniuerſali continentur, ſed potius ideò vniuerſale de his quinq; prædicatur, quia hæc ſunt vniuerſalia, & rationẽ vniuerſalis participant, quod in ordine ad inferiora conſiſtit.

Tertiò. Species ſubijcibilis prędicatur de hac, & illa ſpecie ſubijcibili, ergo in quãtum ſubijcibilis, eſt formaliter vniuerſalis. ℞. neg. conſeq. quando .n. ſpecies ſubijcibilis de hac, & illa ſpecie ſubijcibili prædicatur, induit modum ſpeciei prædicabilis, & dicitur prædicabilis, vt modus, eſtò ſit ſubijcibilis, vt quod.

Quartò. Species ſubijcibilis ſemper eſt vniuerſalis, & ſpecies vniuerſalis ſemper eſt ſubijcibilis, ergo in quantum ſubijcibilis, eſt vniuerſalis, ℞. neg. conſeq. quamuis .n. ſpecies, quæ eſt ſubijcibilis, ſit etiam vniuerſalis, nõ talis eſt, qua-

tenùs

tenùs ſubijcibilis eſt, ſed quia de pluribus prædicatur; Vndè antecedens eſt verum tantùm ſpecificatiuè, non reduplicatiuè.

4. Sed fortius vrgebis, genus generaliſſimum non conſtituitur in ſupræma vniuerſalitate per ordinem ad inferiora, ſed per hoc præcisè, quia ſupra ſe non habet aliud genus, ergo genus ſubalternum in ſua coarctata vniuerſalitate, cõſtituitur per hoc præcisè; quod ſupra ſe habet aliud genus. Aſſumptum Pr. ex Scoto in primo d. 8. q. 3. lit. O, vbi aſſerit, non eſſe de ratione generis generaliſſimi, plures ſub ſe habere ſpecies, & ſe exemplificat de quando, quod eſt etiam genus generaliſſimum, & tamen ſub ſe paucas, aut nullas habet ſpecies, ſed hoc ex eo præcipuè, quia non habet ſupra ſe aliud ſuperius genus. ℞. ex Mauritio, q. 12. Vniuerſalium, cum Braſauol. & alijs diſtinguendo, aliud .n. eſt loqui de genere, vt genus eſt, aliud de generaliſſimo vt generaliſſimum, loquendo de generaliſſimo vt generaliſſimum eſt, verum eſt Antecedens, in quo ſenſu intelligitur Sco. cum Porphyr. in textu. benè .n. ait Subtilis Doctor, generaliſſimo vt tali eſt, accidere, quòd habeat ſub ſe ſpecies, cum in tali eſſe non conſtituatur per ordinem ad inferiora, ſed per negationem ordinis ad aliud ſuperius, ſicut è contra, ſi generaliſſimum, & ſubalternum conſideretur vt genera, & vniuerſalia ſunt, prorſus eis accidere, quod habeant, vel non habeant aliud eminens genus ſuper ipſa, cũ in tali eſſe per ordinem ad inferiora cõſtituantur.

Solet etiã hic à Doctoribus dubitari, an iſtæ duæ habitudines ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis concurrant in ſpecie veluti diſparatæ, & per accidens, an potius p̃ ſe connexæ, ita quod vna ſit de ratione alterius velut fundamẽtum, & origo. Et relictis diuerſorum Auctorum ſententijs, dicimus breuiter ſubijcibilitatem, & prædicabilitatem in ſpecie neceſſariò connecti, non tamen vt cauſam, & effectum, quaſi quòd vna ab alia per ſe originetur, ſed poti⁹ velut duos effectus ab eadem cauſa prouenientes, ſub diuerſis tamen rationibus cauſandi. Et quòd illæ habitudines ſint in ſpecie neceſſariò connexæ, ex eo patet, quòd in ordine naturarum, & ſerie prædicamentali, nulla eſt ſpecies prædicabilis, quæ non ſit etiam ſubijcibilis, & ratio eſt, quia cùm ſpecies conſtet ex genere, & differentia, neceſſariò alicui generi ſubijcitur, nec etiam datur ſpecies ſubijcibilis, quæ non ſit prædicabilis, aliter non eſſet Vniuerſalis, Et loquimur de ſpeciebus, non de generibus ſupremis, neque de indiuiduis. Quod etiam non connectantur vt cauſa, & effectus, ex eo patet, quia tales ſunt oppoſitæ, & vnum oppoſitorum non originatur ab alio, nec phyſicè, nec methaphyſicè; quòd opponantur patet, quia tota ratio ſubijci-

cibi-

cibilitatis poſita eſt in relatione inferioris ad ſuperius, ratio verò prædicabilitatis ſuperioris ad inferiora &c. Quòd tandem connectantur, vt duo effectus ab eadem cauſa prouenientes ſub diuerſis rationibus cauſandi, ex eo liquet, quia differentia eſſentialis duo habet, vnum eſt, quòd ſit determinatiua, ſeù contractiua generis ad ſpeciē conſtituendam; Alterum eſt, quòd in ſe formalem gradū eſſentiæ importet adhuc communicabilem, cùm talis eſſentia non conſideretur adhùc indiuiduata; & ità ratione primi muneris cōſtituit ſpeciem ſubijcibilem ad genus; quatenùs verò non eſt vltima omninò differentia, ſed naturam conſtituit adhùc cōmunicabilem, & potentem eſſe in pluribus, eam conſtituit prædicabilem, atque ideò illa duplex habitudo in ſpecie oritur à ſpecifica differentia, ſub diuerſis tamen rationibus, qui plura de hoc dubio ſcire deſiderat, adeat Bellut. & Maſtr. diſp. 5. in Logica quæſt. 2. articulo 2. vbi plures referunt opiniones.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An genus in vnica ſpecie, & ſpecies in vnico indiuiduo conſeruari poſſint?*

1. SCot. apud quem melioribus ſententijs non modò eſt locus, verum etiam eximia dignitas, hūc art. reſoluit q. 18. Vniuerſaliū, vbi eius expoſitores, Pariſiēſes cap. de genere, Ant. Andreas ibidem, Mauritius, Anglicus, Barg. in primo d. 3. q. 6. cum alijs Scotiſtis. Supponimus ex dictis, dupliciter genus, & ſpeciem conſiderari poſſe, vno modo vt tota quædam actualia ſunt, nempè ſecundū ſua prædicata eſſentialia; altero modo, vt tota quædā potentialia, ſuas partes ſubiectiuas reſpicientia. Quæſtio nō eſt de ipſis primo modo inſpectis, ſic enim omnes admittunt genus in vnica ſpecie, & ſpeciem in vnico indiuiduo conſeruari poſſe, nā ſecundum totā ſuā eſſentiam communicantur cuilibet ſuo inferiori, vnde dicimus totum animal eſſe in ſpecie humana, & totam humanitatē in Petro, licèt non totaliter. Remanet ergo difficultas de ipſis, vt tota potentialia ſunt, ſeu vniuerſalia, tā methaphyſica, quā logica, ità vt ſenſus ſit, an genus, ſeù ſpecies ad totalitatem ſuam potentialem conſeruandam, exigat genus plures actu ſpecies, & ſpecies plura indiuidua, an potiùs ſufficiat aptitudinalis reſpicientia, & quòd illa inferiora ſint tantùm poſſibilia?

2. Quantū ad genus, tres exiſtunt opiniones, duæ extremæ, & vna media. prima extrema eſt Cæleſtini diſp. 5. log. ſec. 2. cū alijs, qui affirmat, vniuerſalitatem generis, ſeu totalitatem potentialem, tàm Methaphyſicā, quàm Logicam in vna ſola ſpecie conſeruari poſſe, etiam ſi aliæ impoſſibiles forent. Fundamentum huius eſt, quia ad hoc, vt genus ſit vniuerſale methaphyſicum, ſufficit vt veniat in cō-

poſitionem ſpeciei; tanquam pars materialis illius, quod iam haberet in illa ſpecie, etiam ſi aliæ impoſſibiles eſſent. Item de ratione Vniuerſalis logici eſt, quòd ſit vnũ in multis, velut pars materialis eorum, ſed relatũ ad indiuidua illius ſpeciei actualia, vel poſſibilia, iam habet eſſe vnum, cum ab illis omnib' indiuiduis abſtrahi poſſit ratio vniuerſalis; habet etiam eſſe in multis, .ſ. indiuiduis, ergo nihil illi deficiet requiſitum ad Vniuerſalitatem, tàm logicam, quàm Methaphyſicam. Hinc infert non ità poſſe de ſpecie dici, ſi alia indiuidua implicarent, quia de ratione Vniuerſalis, eſt quòd plura reſpiciat inferiora; at in tali caſu non haberet ſpecies plura inferiora, genus autem eſtò in ſpecie conſeruaretur, haberet, cùm iam pro inferioribus oĩa indiuidua illius ſpeciei haberet.

3. Altera extrema ſententia aſſerit, Genus ad ſuam Vniuerſalitatẽ conſeruandam tàm logicam, quàm Methaphyſicam plures ſpecies reſpicere, non ſolùm poſſibiles, ſed actu exiſtentes. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia cùm natura generis ſit eſſentialiter incõpleta, vt exiſtat ſecundum ſuum ſtatum connaturalem, petit eſſentialiter perfici per differẽtias, perfectus .n. ſtatus potentiæ attenditur in actu ſibi adæquato, ſed vna differentia non eſt actus adæquatus potentiæ generis, cùm poſſit p alias perfici. Vndè deducunt genus nõ poſſe ſaluari, niſi in duabus ſpeciebus ſaltẽ, actu exiſtentibus, vndè aliqui huic ſententiæ ità tenaciter adhærent, vt oppoſitũ nec per Dei potentiam fieri poſſe affirmant. Probatur etiam hoc auctoritate ex 3. met. t. 10. vbi ait Philoſophus: *neceſſe eſt vniuſcuiuſque generis differentias eſſe*. Quoad ſpeciem verò nõ ita ſentiunt, ſed quòd poſſit in vnico indiuiduo conſeruari, & ratio eſt, quia licèt ſpecies dicat potentiam per differentias indiuiduales perfectibilem, quia tamẽ hæ differentiæ nõ ſunt eſſentiales, ſed materiales, & quaſi accidentales, ad ſuum perfectum ſtatum naturalem non indiget natura ſpecifica, vt actu in pluribus indiuiduis exiſtat, nam tota ſua perfectio eſſentialis conſeruari poteſt in vnico indiuiduo, vt patet de ſole, luna, &c. & ità ſufficit pluralitas indiuiduorũ poſſibilis. Ità D. Thom. 1. poſt. cap. 5. lec. 12. Boetius lib. de diuiſione, Alexand. lib. 1. naturalium, Fonſeca 5. Meth. c. 28. q. 15. ſec. 3. Toletus c. de ſpecie. Complut. diſp. 6. q. 2. Ioãnes de S. Thoma, q. 8. artic. 4. & alij Thomiſtæ, qui etiam admittunt vniuerſalitatem præſertim logicam ſpeciei cõſeruari poſſe in ſpecie ſub, qua non niſi vnum indiuiduum ſit poſſibile, quod de ſpeciebus Angelicis affirmant.

4. Tertia media defendit, ad vniuerſalitatem generis ſeruandã requiri vtrique pluralitatem ſpecierum, ſicut ad vniuerſalitatem ſpeciei

ciei multitudinem indiuiduorum, tam logicã, quàm methaphyſicã, negat tamen hanc eſſe debere neceſſariò actualem; & hæc eſt ſententia Scoti, & Scotiſt: loc. cit. & ſequuntur ex Recentioribus Auerſa q. 10. ſec. 4. Ruu. q. 4. de ſpecie. Gratia Dei ſec. 4. dub. 3. Hurt. diſ. 5. ſec. 4. Blanch. diſp. 3. ſec. 5. de genere. Rocc. cap. de genere q. 4. Didacus diſp. 7. q. 4. Paſqual. tom. 1. meth. diſp. 16. & alij.

*Concluſio Prima.*

4. *Dicimus primò, Hæc Vniuerſalia formaliter conſiderata, quantùm ad logicam Vniuerſalitatem, licèt non requirant plura inferiora à parte rei actu exiſtentia, requirere tamen illa actu exiſtentia obiectiuè in intellectu, ita tamen, vt eſtò illa à parte rei nõ exiſtant, ſint tamen poſſibilia exiſtere.* eſt Scoti q. 14. vniuerſalium, vbi ait in fine: genus multas actu ſpecies requirere per intellectum apprehẽſas; quo in loco eius diſcipuli interpretantur locutum fuiſſe de vniuerſalitate logica. Et quoad primam partem ita facilè probatur. ſ. quòd plura inferiora non requirãtur actu exiſtentia: Ad veritatem prædicationis eſſentialis, nec ſubiecti, nec prædicati exiſtentia requiritur, vt ex ſũmulis patet, hæc .n. propoſitio homo eſt animal rationale, ſemper eſt vera, licèt extrema non exiſtant; ſed hæc ſunt Vniuerſalia eſſentialia, ac proinde de ſuis inferioribus quidditatiuè prædicantia; ergo non requirũtur plura inferiora exiſtentia in actu.

5. Sed dices ſaltèm illa plura sũt neceſſaria, vt ab eis illæ rationes vniuerſalis abſtrahantur. ℞. quòd licèt regulariter, & vt plurimum ſic abſtractiones fiant, abſolutè tamèn poteſt ab vnico ſolo fieri abſtractio; imò & ſi nullum indiuiduum exiſteret, poteſt à poſſibilib⁹ abſtrahi, ſaltèm ab intellectu Angelico, vt benè aduertit Paſqualig. loc. cit. ſec. 4. cum alijs.

6. Quòd verò illa inferiora actu exiſtentia obiectiuè in intellectu requirantur, ex eo patet, quia vniuerſalitas eſt relatio cõueniens naturæ per opus intellectus, ſed relatio ſine ſuo termino cognoſci non poteſt, cùm igitur adæquatus terminus vniuerſalitatis ſint inferiora, non poteſt talis relatio in natura fundari, niſi ad illa plura terminata intelligatur, per intellectũ apprehenſa, quod eſt exiſtentiam obiectiuam habere; & hoc patet, nam relatio non requirit maiorem actualitatem in termino, quàm in ſe ipſa habeat, ergo genus logicũ vt obiectiuè tantùm in intellectu exiſtat, non plus requirit in termino, ſ. pluſquam eſſe obiectiuum. Et tandẽ quòd illa plura actu concepta debeant à parte rei ſub illis naturis poſſibilia eſſe, conſtat ex dictis contra Thomiſtas, ſatis. n. probauimus naturas non eſſe capaces vniuerſalitatis logicæ, niſi ſint à parte rei plurificabiles. Et etiam adhuc probatur, nam de ratione naturę vniuerſalis eſt, vt ſit vel poſſit eſſe vna in multis, ſed na-

tura Angelica, vt à Thomiſtis ponitur, non poteſt eſſe vna in multis, ergo nequit Vniuerſalis eſſe; minor patet, quia vel illa multa ſunt actu exiſtentia à parte rei, & hoc non admittunt, quia vnũ tantum volunt indiuiduum ſub talib' ſpeciebus reperiri; vel illa multa ſunt poſſibilia, & neque hoc concedunt; vel ſaltèm ſunt ab intellectu conficta, vt poſſibilia, vel actu exiſtentia, ſed neque hoc admitti poteſt; nam natura Angelica reſpectu talium indiuiduorum fictorum non poteſt quidditatiuè prædicari, cùm ens reale de ente rationis quidditatiuè pdicari nequeat.

*Obiectiones.*

7. Ob. primò pro Thomiſtis, qui conſtituũt aliquas ſpecies Vniuerſales in ordine ad multa, etiam ſi illa plura nõ ſint à parte rei poſſibilia ſub illis ſpeciebus: Poteſt natura Gabrielis præſcindi per intellectum à differẽtia indiuiduali, ſub qua actu eſt, quæ, vt ſic accepta non eſt ſingularis; ergo Vniuerſalis, cùm ſub tali præciſione concipi poſſit, vt apta ad eſſendum in multis. ℞. neg. antecedens, nam vt benè Hurt. aduertit diſp. 5. ſec. 3. abſtractio naturæ ab indiuiduatione fundatur in diſtinctione naturæ à ſingularitate, vel formali, vel ſaltem virtuali, quæ in naturis Angelicis non reperitur, cùm in ſententia Thomiſtarum quælibet ſit de ſe hæc, & cõſequenter talis abſtractio ſine mendacio fieri non poteſt. Et adhùc antecedente admiſſo, negatur conſequentia, nam etiam natura ſic abſtracta non erit formaliter Vniuerſa, nam tunc ad abſtractionem ſequitur Vniuerſalitas, quando natura abſtracta nõ eſt de ſe determinata intrinſecè ad talem ſingularitatem, vt patet in alijs naturis materialibus, q̃ ideò vniuerſalitatem conſequuntur, quia non ſunt ad hæcceitatem intrinſecè determinatæ, ſed natura Angelica ponitur de ſe determinata ad talem ſingularitatem intrinſecè, ergo &c.

8. Dices natura ſic abſtracta non eſt ſingularis, quia nihil eſt ſingulare ſine ſigularitate, ergo eſt Vniuerſalis. ℞. neg. conſequentiam, nam etiam ipſi cum Caiet. fatentur, naturas à ſingularibus abſtractas, non eſſe neq. ſingulares, neq; vniuerſales, ſed eſſe naturas ſecundum ſe, & in ſuis prædicatis eſſentialibus. Dices, ſaltèm dici debet vniuerſalis talis natura abſtracta, quia tunc vt indeterminata, & indifferens conciperetur. Nõ valet, nam talis conceptus de illa natura eſſet omnino fictitius, & eius naturali conditioni repugnans, cùm ſit ad vnum ſingulare determinatus, & de ſe hic; vndè tunc non poſſet natura dici verè vniuerſalis, ſed tãtum ad modũ vniuerſalis cõcepta.

Secundò. Indiuiduũ Michaelis ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, at non ponitur immediatè ſub genere, ergo ſub aliqua ſpecie infima, quæ de ipſo eſt prædicabilis. ℞. quòd in tali caſu illud indiuiduum

duũ poneretur immediatè ſub genere, nã in tantũ indiuidua mediatè ſub genere ponuntur, quatenùs diſtinctionem inter naturã, & indiuiduũ ſupponunt, ꝙ ipſi in naturis Angelicis negãt; vel ſi ſub ſpecie athoma poneretur, tunc talis ſpecies ſubijcibilis tãtũ foret, nõ prædicabilis, niſi de vno ſolo, & conſequenter non eſſet vniuerſalis.

Tertiò. Conceptus naturę vt ſic, quando de indiuiduo in quo eſt prædicatur, eſt prædicatio ſuperioris de inferiori, conceptus enim ille non eſt ità determinatus, ſicut conceptus indiuidui, ergo &c. ℞. neg. aſſumptum, tunc .n. eſt prædicatio ſuperioris de inferiori, quando natura eſt de ſe multiplicabilis ex ſua intrinſeca indeterminatione, quòd ſi illa indeterminatio ſolũ prouenit ab intellectu, cum repugnantia ex parte obiecti, talis conceptus erit implicatorius, & illa prædicatio ſuperioris de inferiori erit ficta, & chimerica, verè .n. eſſet prædicatio æqualis de æquali, cùm eiuſdem ambitus eſſet natura, & hæcceitas, eſtò natura cùm maiori latitudine, quàm indiuiduum conciperetur.

Quartò. Naturæ Angelicæ ſunt in prædicamento, vt ſecundæ ſubſtantiæ, ſed hæ ſunt vniuerſales, ergo, &c. ℞. quòd illæ naturæ ſunt de facto vniuerſales, quia sũt multiplicabiles, & plura ſub vna ſpecie ſunt, vel eſſe poſsũt indiuidua; Data autem Hypoteſi in ſententia Thomiſtarum, dicerentur ſecundæ ſubſtantiæ, quia vniuocè prædicarentur de primis, non vt genera, & ſpecies, quia à parte rei non forent maioris latitudinis quã primæ, ſed poti' eſsẽt prædicationes identicę.

Quintò. Natura Michaelis, & Gabrielis differunt ſpecie, & conſtãt ex genere, & differentia, ergo ſunt ſpecies prædicabiles, & nõ niſi de vno ſolo indiuiduo, cũ alia ſint impoſſibilia, ergo, &c. ℞. neg. conſeq. nã illa compoſitio ex genere, & differentia ſolùm efficit, vt ſint ſpecies ſubijcibiles, vt verò ſint prædicabiles, neceſsè eſt, vt ſint plura indiuidua ſaltem poſſibilia. Ex his ſatis ſit fundamento primæ ſententiæ; quæ aſſerebat ſeruari poſſe vniuerſalitatem generis in vna ſola ſpecie, etiam ſi aliæ eſſent impoſſibiles, dummodò talis ſpecies ſub ſe plura haberet indiuidua, quatenus de illis adhuc incõpletè, & per modum partis materialis prædicaretur, quod propriũ eſt generis. Non ſatisfacit, Et ratio eſt, quia ideò Animal v.g. prædicatur incompletè, & vt pars materialis de Petro, quia eſt indifferens, & contrahibile ad alias ſpecies animalis; at ſi nullũ aliud animal eſſet poſſibile præter hominẽ, tunc non magis pateret animal, quàm homo, & conſequenter non minus per animalitatẽ, quàm per hominẽ Petrus à Bucefalo diſtingueretur, vndè dato caſu non per modũ partis potentialis, & materialis de indiuiduis illius ſpeciei ꝑdicaretur, ſed poti' ꝑ modũ totius.

9. Sed

9. Sed contra, adhuc in tali caſu dicendo Petrus eſt Animal, nō explicatur tota eſſentia Petri, ſicut dicendo Petrus eſt homo, nam per animal, tantùm haberet principiū ſentiendi, ergo ſemper prædicatur incompletè per modum partis ℞. neg. aſſumptum, nam data Hypoteſi, quòd Animal non eſſet poſſibile in alia ſpecie, niſi in humana, tunc ſaltèm implicitè, & concomitanter animal conuerteretur cum rationali propter mutuam connexionem, quam inter ſe haberent. Eſt tamen hìc valdè notandum, quòd omnia illa argumenta, ideò vera ſunt, quia verè natura Angelica eſt multiplicabilis in plura indiuidua, ſicut aliæ naturæ.

*Concluſio Secunda.*

10. *Dicimus ſecundò, Vniuerſalia hæc .ſ. genus, & ſpeciem fundamentaliter ſumpta, nempè Methaphyſicè, requirere plura inferiora .ſ. genus plures ſpecies, & ſpecies plura indiuidua, non tamen actu exiſtentia, ſed tantum poſſibilia.* Colligitur ex Scoto loc. cit. & eſt communis Scotiſtis, & Doctorib' pro tertia ſententia; & quoad primam partem ita probatur. Vt aliqua natura ſit Vniuerſalis methaphyſicè, debet eſſe capax Vniuerſalitatis logicæ, ſed natura generica, quæ ſolum vnam ſpeciē poſſibilem habet, & ſpecifica, quæ vnicum ſolum indiuiduum, non poſſunt eſſe Vniuerſalia logicè, ergo nec methaphyſicè. Confirmatur, quia etiam Vniuerſale methapyſicū definitur eſſe illud ꝙ eſt aptum eſſe in multis, ſaltèm remotè, ſicut Vniuerſale logicum eſt illud, quod aptum eſt eſſe in multis proximè, ergo ſicut terminus adæquatus vniuerſalitatis genericæ ſunt plures ſpecies poſſibiles, ità & Vniuerſalitatis ſpecificæ plura indiuidua poſſibilia. Vtraque concluſio amplectitur à noſtro Baudunio diſp. 6. log. ſec. 2. & 3.

11. Sed quia Authores primæ ſententiæ contendunt poſſe Vniuerſalitatem genericam in vnica tantū ſpecie ſeruari, etiam ſi aliæ implicarent, ex eo præcisè, quia veniret in eius compoſitionem per modū partis materialis, hoc oſtenditur eſſe falſum. Et ratio eſt, quia ideò genus modò eſt pars potētialis, & materialis ſpeciei, quia eſt ad plures ſpecies contrahibile, ergo ſi vna tantùm poſſibilis eſſet, nō poſſet eius pars materialis contrahi; patet aſſumptum, nam ſi genus nō eſſet communius ſpecie, quam cōſtituit, & differentia, qua contrahitur, non poſſet verè dici contrahi per differentiam, non .n. eſſet maioris ambitus, quàm differentia, nec eſſet ratio conuenientiæ cū alijs ſpeciebus, ſed potius ſpectaret ad vltimum conſtitutiuum illius naturæ, illud .n. ſpectat ad vltimū conſtitutiuum alicuius rei, quod ei ſoli conuenit. Tùm quia ſicut in compoſito phyſico, materia, ideò dicitur pars potentialis, quia eſt receptiua aliarum formarum præter illam, quàm habet, ità in compoſito methaphyſico, natura

tura

tura generica dicitur pars potentialis, quia eſt ſuſceptiua aliarum differentiarum, & ita ſi aliæ ſpecies implicarent, eius potentialitas destrueretur. Tùm tandem, quia ſi genus non eſſet latius differentia, nō magis diceretur genus per differentiā determinari, & coarctari, quā differentia per genus.

12. Probatur quoad ſecundā partem. ſ. quòd non requirantur plura inferiora actu exiſtentia ad vniuerſalitatem methaphyſicam, ſed ſufficit, vt ſint poſſibilia. & præcipuè de Vniuerſalitate generica, de qua videtur maior difficultas: Vniuerſalitas methaphyſica generis non conſiſtit in hoc, quòd plures partes ſubiectiuas habeat, in quibus actu exiſtat, ſed ſolùm in quibus exiſtere poſſit ex dictis, ergo ſufficit terminus aptitudinalis pro tali Vniuerſalitate, vt ſunt ſpecies poſſibiles ſub genere.

Reſpondent Auctores ſecundæ ſententiæ, non requiri plures ſpecies actu exiſtentes propter Vniuerſalitatem generis, ſed propter perfectum, & connaturale ſtatum naturæ genericæ. Sed pace tantorum virorum, ex hac ratione, non ſolùm plurium ſpecierum exiſtentia actualis requireretur, ſed etiā omnium ſpecierum ſub ſe poſſibilium, vt genus vndequaque perfectum eſſet, quod eſt falſum. ſi ergo genus modò conſeruatur, & exiſtit iuxta ſtatum connaturalem eius ſine numero ſpecierum ſub ſe poſſibilium, poterit etiam ſine omnibus quas de facto habet, conſeruari, vnica tamen ſaltem exiſtente. Tùm quia nec libenter admittimus, quod genus in vnica ſpecie exiſtens, non haberet omnem perfectionem, quàm haberet in pluribus, vt benè hic aliqui Scotiſtæ aduertunt; nā talis perfectio eſt tantùm extrinſeca, vt patet etiam de pfectione ſpeciei reſpectu indiuiduorum, non .n. ſol perfectior intrinſecè putaretur, ſi haberet plures ſoles, quàm modò in vnico tantùm indiuiduo ſolis exiſtens; Vndè licèt animalitas hominis dicatur perfectior, quàm animalitas leonis, hoc tamen erit tantùm extrinſecè, ratione differentiæ adiunctæ; de facto non deſinit eſſe genus, per hoc quòd non exiſtat ſecundùm illam perfectionem, quam poſſet habere in alijs ſpecieb' poſſibilib'.

13. Ex his ſatiſfit fundamento ſecundæ ſententiæ, quod congruitatem, non neceſſitatē oſtendit; Congruum equidem eſt, quòd genus ſub ſe plures ſpecies actuales habeat; Tùm iuxta rerum diſpoſitionem, cùm de facto ſub genere nobis noto plures ſpecies exiſtere videamus, quod nō euenit de ſpeciebus, vt patet de ſole, & luna; Tū etiam quia magis conducit ad varietatem rerū, & ſplendorem Vniuerſi multiplicatio ſpecierum, quā indiuiduorum. Et in hoc ſenſu interpretādi ſunt priſci Authores, qui ſecundæ ſentētiæ fauebāt.

*Obiectiones.*

14. Obr. contra hanc concluſio-

nem

hē pluribus Ariſt. teſtimonijs, quibus inſinuare videtur, genus plures ſpecies neceſſariò ſub ſe habere debere. ità primo Topic. c. 3. loc. 29. & 3. meth. 10. & 7. meth. 42. & alibi. Probatur etiam rationibus, nam non poteſt genus intelligi per vnam differentiam diuidi, & ad vnam ſpeciem cōtrahi, niſi ſimul ab alia condiuidatur, & in alia ſpecie reponatur, ergo ſaltē duæ ſpecies actu exiſtētes ad integritatem generis requiruntur. ℞. ad Auctoritates Ariſt. quòd ſolùm intellexit genus plures ſpecies reſpicere, quod nos libenter admittimus, ſed ſufficit ſi ſolùm ſint poſſibiles. Quod ſi alibi de exiſtētia actuali loquatur, vel loquitur de genere phyſico, iuxta naturalem rerum diſpoſitionem, quod concedimus, vel de genere logico, quod plures actu ſpecies exigit, quoad exiſtentiā obiectiuam. Et ad primā rationem, negatur conſequentia, nā eſtò ex diuiſione generis facta per differentias inferatur neceſſariò genus reſpicere debere plures ſpecies, non tamen neceſſariò exiſtentes, poterunt .n. plures ſpecies poſſibiles concipi, quæ conceptum genericū includant tanquam partem potētialem ipſarum conſtitutiuam.

Secundò, Genus non poteſt eſſe ſine differentia cū qua ſpeciē conſtituit, ſed differētia facit actu differre ſpeciem conſtitutā ab omni alia ſpecie, ergo aliæ ſpecies actu exiſtere debent. ℞. Quòd ſi ratio hæc valet de genere, valet etiā de ſpecie, nam etiam differentia numeralis diſtinguit numericè indiuiduum, quod conſtituit, ab omni alio; Vndè verū eſt, quòd differentia diſtinguit ſpeciem, quam conſtituit, ſed non ſolùm à ſpeciebus, quæ actu exiſtunt, ſed etiam poſſibilibus, diſtinctione reali negatiua in ſententia Scotiſtarum.

Tertiò, Differētiæ ſpecificæ sūt oppoſitæ, & veluti contrariæ, ſed ex ſecundo cæli tex. 18. exiſtente vno contrario, debet exiſtere, & aliud ergo, &c. ℞. Differētias ſpecificas nō eſſe propriè contrarias, ſed potius earum oppoſitio reducitur ad priuatiuā, quatenùs vna ſēper eſt perfectior alia. Et Ariſt. 2. de Cælo fuit locutus de contrarijs propriè dictis.

Quartò, Fruſtra eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actū, ſed potentia generis ad plures ſpecies eſt potentia naturalis, ergo, &c. ℞. Argumentum plus probare, quā aduerſarius contendat, potētialitas .n. generis non eſt ad duas tantū differentias, ſed ad infinitas ſynchategorematicè, vndè cōcluderet, quòd etiam ſub ſe infinitas ſpecies cōtinere deberet. Nec potētia naturalis fruſtratoria diceretur ex Scoto in 4. d. 49. quæſt. 10. ſufficit enim vt ad actū reducatur in vnica ſpecie, vel indiuiduo, &c.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De definitione Indiuidui.*

1. SCot. qui in certamine rationum cum Strenuiſſimis Duci-

cib. nunquam diuortium fecit, docet ab vltimis differentijs, & per eas cõſtitutis abſtrahi poſſe ab intellectu inadæquatè concipiente rationẽ communem in quid, vt conſtat in primo diſt. 23. q. vn. in fine, vbi ait: *Poteſt dici quod ab indiuiduis non tantum poteſt abſtrahi ſpecies, quæ dicit quidditatem indiuiduorũ, ſed etiam aliquod quaſi proprium*. Sed clarius diſt. 26. q. vn. lit. y. vbi Lichetus cum expoſitoribus, & d. 2. q. 3. §. *ad illa*, vbi affirmat hanc ꝓpoſitionem eſſe concedendã: Singulare eſt vniuerſale, nã licèt id, quod concipitur ſit ſingularitas, modus tamen ſub quo concipitur, eſt vniuerſalitas, nam dicit indifferentiam ad plura. Et q. 12. Vniuerſalium in ſol. ad tertium ait, quòd indiuiduũ vt ſic, eſt ſpecies reſpectu inferiorum, vbi eius expoſitores præſertim Braſauol. inquit: Indiuiduum vt ſic, eſt vniuerſale denominatiuè, & vnum illorũ quinq; .ſ. ſpecies, quia exercitè prædicatur de hoc, & illo indiuiduo. Sequuntur Barg. 1. d. 24. in fine §. *ad quæſtionem*. Fuentes q. 8. num. 33. Tatar. Maſtr. & Bellut. Baudunius, ex Exteris Cõplutẽſ. Arriag. Ruu. Hurtad. & fauet D. Thom. 1. p. q. 30. art. 4. quem ibi ſequitur Caiet. cum multis ex Thomiſtis.

2. Porphy. igitur cap. de ſpecie in fine agit de indiuiduo, tãquã proprium correlatiuũ ſpeciei, pro cuius intelligentia notandum primò ex Tatar. q. de ſpecie. §. *quarto ſciẽdum*, quod indiuiduũ vt ſic poteſt ſumi dupliciter: Vno modo prò ſecunda intentione attributa illi, cui repugnat diuidi in plura ſe ipſa .i. in plura inferiora eiuſdem rationis, quorum quodlibet ſit ipsũ; Alio modo primò intentionaliter .ſ. pro denominato ab illa relatione rationis: primo modo ſumptũ, duplicem poteſt fundare relationẽ rationis, .ſ. ſubijcibilitatis, qua cõſtituitur relatiuũ ſpeciei, ſub qua immediatè ponitur; & prædicabilitatis, qua cõſtituitur potens prædicari, non de aliquo inferiori, ſed de ipſo iuxta quam triplicem acceptionem, tres quoq; Porphy. aſſignauit indiuidui definitiones. prima eſt indiuidui pro prima intẽtione, quæ talis eſt: *Indiuiduũ eſt, cuius collectio proprietatũ in nullo alio eadẽ erit*. q̃ proprietates iſtis duob⁹ carminibus explicari ſolent, .ſ.

*Forma, Figura, Locus, Tempus, cum nomine Sanguis.*
*Patria, ſunt ſeptem, quæ non habet vnus, & alter.*

Alias duas definitiones tradidit de indiuiduo pro ſecunda intẽtione, vnã ex parte prædicabilitatis, dicens: indiuiduum eſt illud, quod de vno ſolo prædicatur; alterã ex parte ſubijcibilitatis, ſcilicet: indiuiduum eſt illud, quod ſub ſpecie continetur.

3. Aduertimus ſecundò, in Schola ſubtiliũ, vt videre eſt apud Tatar. cap. de ſubſtantia q. 2. §. 3. ſciendũ, diſcrimen eſſe inter indiuiduũ, ſeu ſingulare, aut vnum numero, (quæ ſunt ſynomina;) & inter ſuppoſi-



Digitized by Google

tum, ac perſonam; indiuiduum .n. ſeu ſingulare, eſt cui repugnat diuidi in plures partes ſubiectiuas, .ſ. in plura inferiora, vt hic lapis, hæc albedo, &c. quod in quolibet reperitur prædicamento tàm ſubſtātię, quā accidentis; ſuppoſitū autem ſolū in prædicamento ſubſtantiæ reperitur, & dicitur illud, quòd eſt alteri incommunicabile, tā vt quo .ſ. vt forma ſubiecto, quā vt quod .i. vt ſuperius inferiori, vt Scot. explicat in primo diſt. 2 q. 7 § *ad primam quæſtionem*; Et tandē perſona in genere naturæ intellectualis tā tū reperitur, quæ ex Ricar. 4. de Trinit. cap. 22. à Doct. relato in primo diſt. 23. q. vn. §. *Ad quæſt.* definitur; quòd ſit intellectualis naturę incommunicabilis exiſtentia; Vndè ſuppoſitum addit ſupra indiuiduum, quod ſit ſubſtantia, & perſona ſupra ſuppoſitum, quòd ſit ſubſtantia intellectualis; quarè iſta tria ſe habent, vt magis amplum, & minus amplum, nā omnis perſona eſt ſuppoſitū, ſed non è contra; & omne ſuppoſitum eſt vnum numero, ſeu indiuiduum, & ſingulare, ſed non è contra.

4. Quæritur igitur in præſenti, an per has definitiones aliqua ratio communis explicetur, in qua vltra conuenientiā ſpecificā, conueniāt quoque, vt indiuidua ſunt. Deinde quæritur, an ſint rectè à Porph. aſſignatæ. Et quantum ad primū, Caiet. cap. de ſpecie. Albert. Soto, Tolet. Moriſanus. Paſquialig. tom. 2. meth. diſp. 24. nu. 11 & alij, negant hic deſcribi indiuiduum ſub aliqua ratione communi, quia cùm indiuidua ſint primò diuerſa non poteſt eis aſſignari aliqua ratio communis, vt etiam innuere videtur Subtiliſſimus Doctor in primo d. 3. q. 3. lit. F. & in ſecundò diſt. 3. q. 6. & alibi, & ità dicūt hic definiri indiuiduum confusè ſumptum, ità vt omnia immediatè deſcribantur, nullum tamen eorū determinatè, vt de indiuiduo vago dicere ſolemus, quod non ſignificat vnam rem cōmunem, ſed particularem indeterminatè ſumptā.

*Concluſio.*

5. *Dicimus tn̄, per has definitiones explicari poſſe rationē indiuidui in cōi, ſiue nunc omnibus indiuiduis conuenientē, & de ſingulis prædicabilem in quid, quæ ratio communis habebit modum prædicandi ſpeciei.* Eſt Scoti, & Scotiſt. loc. cit. cum Doctoribus loco eodem relatis, & ità facilè Pr. Definitio indiuidui, vt ſic, eſt communis omnibus indiuiduis, ergo aliquod cōe ipſis per eam exprimitur, & certè cōe vniuocum, cū æquiuocum definiri non poſſit. Tùm quia indiuiduo in cōi apponuntur ſigna quātitatiua, vt omnis, nullus, aliquis; dicimus .n. omne indiuiduum, nullum, aliquod, ergo eſt terminus communis, quia hæc ſunt ſigna termino communi conuenientia. Tùm quia ſi hìc non definitur aliqua ratio communis indiuiduorū, ergo tot aſſignandæ erunt definitiones, quot ſunt indiuidua. Tùm quia hic ſyllogiſmus eſt bon⁹, omne

Digitized by Google

ne indiuiduum eſt incommunicabile, ſed Petrus eſt indiuiduum, ergo &c. Si verò nihil cōe vniuocū indiuiduis daretur, etiam vt indiuidua ſunt, Syllog. eſſet falſus, qa medium erit æquiuocum, aut taliter analogum, quod eius vnitas nō ſufficeret ad vnitatem medij. ex qua ratione Scot. in primo d. 3. q. 3. vniuocationē Entis demōſtrat. Tùm tandèm quia indiuidua concipere poſſumus, vt ſimilia in hoc, quòd non ſunt vlterius diuiſibilia in plura inferiora, ergo in ratione indiuidui vniuocè conueniunt.

*Obiectiones.*

6. Contra hanc concluſionem ità primò obijci ſolet: ſi ab vltimis differentijs abſtrahi poteſt talis ratio cōis, quæ hic definitur, iam non erunt primo diuerſæ, cùm in aliquo quidditatiuè cōueniant. Tùm quia non haberent conceptum ſimpliciter ſimplicem, & vltimò determinantem, quia adhuc reſolui poterunt in conceptum cōem, & proprium. Et tandèm daretur proceſſus in infinitum, nam ſi vltimis differentijs aſſignari poteſt id, in quo conueniunt, & per quid differunt, eadem erit ratio de iſtis differentijs per quas differunt, & hæ ſunt rationes, quibus Scot. 1. d. 3. q. 3. probat vltimas differentias nō includere quidditatiuè conceptū Entis. Et eſt aduerſariorum vnicū fundamentum.

Reſpondetur, per has rationes ſolùm concludi, quòd ab vltimis differentijs non poſſit abſtrahi cōceptus cōis adæquatus, realitatem communem importans, quam ſi haberent, non eſſent vtique primò diuerſæ, quia conuenirent in realitate, & ſic haberent id, in quo cōuenirent, & aliquod, per quod differrent, & ità in realitatibus daretur proceſſus in infinitum, ſed quia nos ponimus talem conceptum abſtractum, in quo cōueniunt inadęquatè, ideò talis proceſſus in cōceptibus euitatur, indiuidua .n. conſiderata ſub illa ratione cōmuni, non iterum diſtinguuntur per alias differentias indiuiduales, ſed per eaſdem adæquatè, & clarè cōſideratas, vt benè hic notant Maſt. & Bellut. cum Arriaga, Ruuio, & Hurtad.

Quòd ſi inſtabis, quia etiam videtur ſequi proceſſum in infinitū ſaltèm in cōceptibus inadęquatis, cùm poſſent rationes differētiales iterū inadęquatè concipi, & rurſus indiuiduationē præſcindi, & ità in infinitum. ℞. non ſequi, ſed dari debet ſtatus in prima abſtractione obiectiua, nam ratio conueniendi, quæ manet in illis, eſt eadem, quæ abſtracta fuit, quòd ſi iterum, atq; iterum redeat intellectus per varias reflexiones ad illam abſtrahēdam, dabitur vtique proceſſus in infinitum, ſed in pręciſionibus formalibus, .i. in actibus intellectus, non autem in præciſionibus obiectiuis; nam ratio, quæ per ſecundū, & tertium actum abſtrahitur, eſt eadem, quæ abſtracta fuit per primum actum; ponere autem pro-

ceſſum in infinitum in actib. intellectus, qui ad libitum redeat ad huiuſmodi abſtractiones faciẽdas; nullum eſt incõueniens, ſed abſurdum foret in obiectiuis, tũc .n. admitterentur in indiuiduis infinitæ rationes communes, & gradus cõueniendi, & differendi: Scot. autẽ negat conuenientiam in realitate, & conceptu adæquato.

Ob. 2 cõis ratio differendi, non poteſt eſſe ratio conueniendi, ſed indiuiduatio eſt formalis ratio differendi. ergo, &c. ℞. diſtinguendo min. Indiuiduatio adęquatè, & pfectè cognita, quæ explicatur per Petreitatem, Pauleitatem, &c. eſt ratio differendi; at confuſè, & inadæquatè cognita, eſt ratio conueniendi, ꝙ eſt dicere, indiuiduatio vt quid, eſt ratio differendi, vt modus, ſeu denominatiuè eſt ratio conueniendi, & ideo nihil.

Tertiò, Porphy. definiuit indiuiduum eſſe id, quòd de vno tantũ prædicatur, & cuius cõnexio proprietatum in nullo alio reperitur; ergo non eſt pluribus commune. ℞. Quòd ſicut ratio communis indiuiduorum, vt indiuidua ſunt, eſt ſolũ communis vt modus, ſed ſingularis vt quid, ità de vno ſolo ꝑdicatur vt quid, ſed de pluribus vt modus, tàm exercitè, quàm ſignatè; Porphy. autem definiuit indiuiduum vt quid, & ſub ratione clara, & adęquatè.

Quartò, Implicat aliquã rationem eſſe ſimul communem, & ſingularem, at ſi talis ratio cõmunis indiuidui daretur, eſſet huiuſmodi, cõis quidem, quia conueniret omnibus indiuiduis; ſingularis, quia ſingularitas, & vltima differentia eſſet, quod implicatorium eſt. ℞. Nullam eſſe implicantiã, illam rationem eſſe cõem vt modum, & ſingularẽ, vt quid, & adęquatè &c.

Quintò, Si hæc doctrina eſſet vera, ſequeretur reſultare compoſitum, quod nõ eſſet, neq; cõe, neq; ſingulare; non cõe, quia hic natura illa non eſſet indiuiduata, nec ſingulare, quia ſic ratio indiuiduationis non eſſet communis. ℞. negando ſequelam, illa .n. ratio eſſet cõis vt mod', & ideò induit rationem ſpeciei, & eſſet ſingularis vt quid, adæquatè, & diſtinctè.

Sextò. Si daretur talis ratio cõmunis indiuiduationis, deberet eſſe contrahibilis per differẽtias indiuiduales, ſed hoc implicat, quòd .n. eſt contrahibile per differẽtias indiuiduales, non eſt de ratione indiuiduationis, ſed eſſentiæ ſpecificæ. ℞. Min. eſſe verã de realitate potẽtiali adæquatè concepta, vti eſt ſpecies propriè dicta, & vt q.d., quæ eſt contrahibilis per differentias indiuiduales, & non de illo, ꝙ eſt contrahibile tantũ vt modus, & veluti cõceptus inadæquatus eiuſdem realitatis confuſè cognitæ, vt eſt indiuiduatio in cõi, quæ dicitur ſpecies tantùm, vt modus.

Septimò, Si ratio indiuidui eſſet cõis omnibus indiuiduis, hæc eſſet prædicatio mediata: Petrus eſt homo, nam inter Petrum, & hominẽ

media-

mediaret ratio indiuidui humani, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. ℞. Nõ habemus pro inconuenienti inter indiuiduum, & ſpeciem athomam dari medium per rationem, licèt ſint immediata à parte rei, vt diximus de indiuiduo incompleto reſpectu generis, &c. & ita concedimus indiuiduum humanum, vt ſic, non poni in prædicamento, vt medium inter Petrum, & hominem, quia ibi ponuntur naturæ, & realitates à parte rei, non modi naturę, & conceptus inadequati, vt eſt indiuiduatio.

Octauò, Si dari poſſet cõceptus indiuiduationis dictus in quid de vltimis differentijs, idem quoq; de conceptu Entis aſſerendum eſſet, quod eſt directè contra Scot. in primo diſt. 3. q. 3. lit. F. & alibi, vbi negauit ens in quid de vltimis differentijs prædicari. Reſp. quòd Vera deciſio huius puncti ſpectat ad Metaphyſicum, pro modo Lychet. in 1. diſt. 26. qu. vn. gloſando Scot. non habet pro inconuenienti ens poſſe vniuocè dici etiam de vltimis differentijs eo modo, quo dicitur de Deo, & creatura, quia vt ſic dicit cõceptum inadæquatũ, & nullam præſefert realitatem, non tamen eo modo, quo dicitur de decem prædicamentis, cùm vt ſic dicat conceptum adæquatum, & realitatem, quod repugnat vltimis differentijs, cum in ea ſint primò diuerſæ, & ita intelligẽdus eſt Scotus citatus pro oppoſita ſententia.

Dices, poſt datas definitiones de indiuiduo, Porphy. ſe exemplificauit, dicens, Socrates, hoc albũ, ergo deſcripſit immediatè hæc omnia indiuidua confusè, non autem aliquid ipſis cõe. Negatur conſequentia, nam ideò illa exẽpla Porphy. attulit, quia in logica, quæ ſignantur in ſecundis intẽtionibus, exercentur in primis, vt de definitione generis, & ſpeciei patet, ideò poſt definitiones de indiuiduo, ſtatim ſe exẽplificauit in actu exercito, dicendo Socrates, hoc albũ, &c.

Quantũ verò ad ſecundum dubium de ſufficientia definitionum. Supponimus Porphy. non definiſſe indiuiduũ vagum, ſed ſignatum, vt in exẽplis ab ipſo adductis patet, Socrates, hoc album; illud .n. dicitur propriè de vno ſolo prędicari, quia illud determinatè ſignificat; At indiuiduum vagum non ſignificat quid vnum, ſed immediatè plura ſub disiũctione, vt aliquis homo, idem ſonat, quòd hic, vel ille homo; ſed licèt hic definiatur indiuiduum ſignatum, non tamen definitur particulariter tentum .ſ. pro Petro, & Paulo, cùm ſic non ſit definitionis capax, ſed vniuerſaliter tentum, nempè pro conceptu indiuidui in cõi, qui conceptus ab eis etiam vt indiuidua ſunt abſtrahi poteſt, vt dixim⁹, quo modo induit modum vniuerſalis, & definiri poteſt. Sed dices, hic definitur indiuiduum, vt ſic, ergo nõ ſub ratione vniuerſalis. ℞. aſſumptum eſſe verum in quãtum ly, vt, excludit conuenientiam ſpecificam, quę

ſub

ſub ſe habet indiuidua, non autē conuenientiam in aliqua ratione communi præcisè ſub ratione indiuiduationis.

Prima igitur definitio erat de indiuiduo primò intentionaliter capto, & ità definiebatur: *Indiuiduum eſt, cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem erit*. Et eſt definitio indiuidui realis in cōcreto in cōi, quæ definitio non eſt intelligenda de eiſdē numero proprietatibus, in quo ſenſu non ſolùm tota collectio, ſed neq; aliquod ex illis poteſt eſſe in eodem ſubiecto, quia non poteſt idem numero accidens naturaliter eſſe in duob⁹ ſubiectis, ſed intelligenda eſt de accidentibus omnibus ſimilibus, ſecundū.n. communē naturæ curſum, nullum indiuiduum eſt alteri ſimile in omnium proprietatum collectione, ſed quia licèt hoc ſit naturaliter impoſſibile, non tamen repugnat de potentia Dei abſoluta, ideò illa definitio non cenſetur in toto rigore tradita, ſed potiùs eſſe deſcriptionem per accidētia extrinſeca collectim ſumpta.

Altera Definitio: *Indiuiduum eſt illud, quod de vno ſolo prædicatur*, eſt ſecundò intentionaliter capta, & ſub ratione prædicabilis; pro cuius intelligētia ſupponimus, duplicem eſſe prædicationem, vnam formalem, & directam, alteram identicam: prima eſt, in qua prædicatum eſt aliquo modo à ſubiecto diuerſum, vel in re concepta, vel ſaltem in modo cōcipiendi explicitè, vel implicitè, dicitur autem directa, quando in ea eſt ſubiectum, quod ex natura rei natū eſt ſubijci, & prædicatum quod natum eſt prædicari; Vndè hæc prædicatio, homo eſt Animal rationale, dicitur formalis, nam eſtò ſubiectum, & prędicatum in re ſignificata non differant, differunt tamen reſpectu modi ſignificādi implicitè, vel explicitè, nam prædicatum dicit explicitè, quod ſubiectum confusè dicebat, quarè dici ſolet prædicatio doctrinalis, & ſciētialis, cùm ſcire faciat aliquid, quod priùs non ſciebatur, vel ſaltèm non ſciebatur tali modo, .ſ. ità diſtinctè; Identica verò prædicatio eſt, in qua vtrumque extremum eodem modo concipitur, nec diſtinguuntur niſi ratione ratiocinānte, vt homo eſt homo, Petrus, eſt Petrus, quę prædicatio dicitur naturalis, vndè Boetius dicebat, nulla eſt verior prædicatio, quàm ei⁹dem de ſe ipſo, non dicitur tamèn artificioſa, & ſcientifica, quia non aliquid ignotū per eā notificatur.

Et quoad explicationem huius definitionis, Sotus, Tolet. & alij explicant, quòd prædicabilitas, q̄ indiuiduo conuenit, cùm ſit ſolùm de ſe ipſo, non ſit niſi identica, & naturalis, & conſequenter ad ſciētiam inepta: ſed hæc explicatio ſic abſolutè ſumpta, non ſatiſfacit, nam certum eſt indiuiduum accidentis verè, & propriè prædicari de indiuiduo ſubſtantiæ, & hanc eſſe prędicationem formalem, ſcil.

Petrus

Petrus eſt hoc album, vbi ly album tenet locum formæ reſpectu ſubiecti, & explicitè dicit aliquid, quod non dicit ſubiectum; neque iſta prædicatio eſt nugatoria, vt aliqui putant, nam per prædicatum aliquid amplius explicatur, ſ. quòd Petrus habeat rationem ſubiecti reſpectu huius albedinis; Et Ariſ. in anteprædicamentis, cùm dixit hoc album de nullo prædicari, intellexit tanquam de inferiori, non tanquã de ſubiecto, vt ex ipſo contextu patet. Quando autem prædicatio fit tantùm de ſe ipſo, valet explicatio Soti, Toleti, & aliorum.

31. Vltima definitio eſt, *indiuiduum eſt quod ſub ſpecie continetur*. quæ intelligitur ſecundo intentionaliter, & in ratione ſubijcibilis de indiuiduo ſpecifico, & ſubiectione immediata, nam indiuidua generica, etiam immediatè generi ſubijciuntur. Dicendum tamen eſt, quòd cùm genus non prædicetur de ſuis indiuiduis genericis niſi per modum ſpeciei, vt ſuprà dictum eſt, abſolutè dici poteſt omnia indiuidua immediatè contineri ſub ſpecie. Poſtquam Porphy. dixit indiuiduum cõtineri ſub ſpecie, ſubdit, ſpeciem quoque contineri ſub genere, qua particula oſtendere voluit, indiuiduum eſſe vltimum ſubijcibile, vtpotè ſub genere, & ſpecie contentum; & nullum dari indiuiduũ ſub aliqua ſpecie, quod non ſit etiam ſub aliquo genere. Et quia indiuiduum opponitur Vniuerſali, ſicut inferius ſuo ſuperiori, hinc colligitur, quòd ſubijcibilitas, q̃ eſt relatio indiuidui, vt inferioris ad ſuperius, ſit principalius, q̃ in indiuiduo importatur.

# DISPVTATIO VI.

## DE DIFFERENTIA.

### TEXTVS.

*Differentia verò communiter, & propriè, & proprijſſimè dicitur. Nam communiter quidem &c.*

POST quàm Porphy. egit de Vniuerſalibus, quæ prædicantur in quid, acceſſit ad Vniuerſalia, quæ prædicantur in quale, & primò egit de Differentia, quæ prædicatur in quale eſſentiale. Hoc igitur caput in duas diuiditur partes; in prima ſunt quinq; diuiſiones, in ſecũda quinque differentiæ definitiones. Prima diuiſio. Differentia triplex eſt, quædã communis, quædam propria, quędam proprijſſima. Differentia cõis eſt accidens ſeparabile, per quod vnum ab alio, vel à ſe aliqualiter differt, vt Petrus ſedens à Paolo

non

nõn ſedente, Senex à ſe ipſo puero &c. Differentia propria, eſt accidens inſeparabile, per quod vnum ab alio differt, vt Sortes ſimus differt à Platone aquilo &c. Differẽtia proprijſſima eſt forma ſubſtantialis, per quam vnum ab alio eſſẽtialiter differt, vt homo ab equo differt per rationale.

2. Subdit Porphyrius ſecundam diuiſionem Differentiæ dicens: q̃dam Differentiæ faciunt alterum, .i. diuerſitatem in accidente, quędam faciunt aliud, .i. diuerſitatem in ſubſtantia, ſub priori membro continentur prima, & ſecunda differentia, nempè communis, & propria; ſub poſteriori tertia .ſ. proprijſſima, inter quas eſt diſcrimen, quòd Differentiæ facientes alterũ dicuntur tantũ differentiæ ſimpliciter; at facientes aliud, dicuntur differentiæ ſpecificæ, quod additum dicit perfectionem, vt rationale adueniens animali; ſecundum differentias facientes aliud, fiunt diuiſiones generum in ſpecies, & aſſignationes definitionum ſpecierum, quæ conſtituuntur ex genere, & differentia; at ſecundum eas, quæ ſolùm faciunt alterũ, non fiunt prædicta, ſed ſolùm fit alteratio, vel accidentalis ꝑmutatio.

3. Tertia Diuiſio: quædam Differentiæ ſunt ſeparabiles, quædam inſeparabiles: ſeparabiles ſunt accidentia, quæ non conſtant, vt ſedere, currere &c. ſub quo membro continetur differentia communis; Inſeparabiles ſunt, quæ nunquam à ſubiecto dimouentur, vt ſunt Differentia propria, & proprijſſima.

4. Quarta Diuiſio. Hic ſubdiuidit Differẽtiam inſeparabilem, & ait, quod vna eſt inſeparabilis per accidens, qualis eſt propria, quæ eſt quoddam accidens inſeparabile, alia eſt inſeparabilis per ſe, qualis eſt proprijſſima, quæ ad rei naturam, & ſubſtantiã pertinet. Quæ diuiſio potius eſt ſubdiuiſio ſecũdi membri diuiſionis præcedentis. Deindè conſtituit duplex diſcrimẽ inter has duas inſeparabiles. Vnũ, inſeparabilis per accidens facit diuerſum in accidente, vt ſupradiximus; ſed inſeparabilis per ſe, facit aliud .i. diuerſum in ſubſtantia. Alterum diſcrimen, Differentia inſeparabilis per accidens ſuſcipit magis, & minus .ſ. non æqualiter ſemper ineſt, nam aliquis homo ẽ magis ſimus, quàm alius; at inſeparabilis per ſe, non ſuſcipit magis, & minus, nam vnus homo nõ eſt magis rationalis, quàm alius. Et huius dat rationem, quia Differentia pertinet ad naturam, & q̃dditatem rei, natura autem nõ ſuſcipit magis, & minus.

5. Quinta diuiſio. Poſtea Porphy. Differẽtiam inſeparabilem per ſe, nempè ſpecificam ſubdiuidit, aſſerens; quædam ſunt alicuius generis diuiſiuæ, .i. per quas genus diuiditur; quædam illius generis cõſtitutiuæ, .i. per quas genus illud conſtituitur, V.g. Animal habet has differentias, animatum, ſenſibile, rationale, irrationale &c. harum



Digitized by Google

rum quędam ſunt per quas animal conſtituitur, vt ſunt duæ priores, animal .n. eſt animatum, & ſenſibile, per alias diuiditur .ſ. per rationale, & irrationale.

6. Quamuis autẽ hæc Diuiſio non ſit bimembris, vt lex bonæ diuiſionis expoſcit, facilè tamen eſt ad bimẽbrem reducibilis, vt eius expoſitores aduertunt. Differẽtia enim vt ipſe Porphy. ait, vel facit aliud, vel facit alterum, ſeu alteratum, .i. vel facit differre eſſentialiter, vel accidentaliter; ſi primo modo habetur differentia proprijſſima, in quo ſenſu dicimus, hominem per rationalitatem differre à bruto; ſi ſecundo modo, hoc poteſt cõtingere dupliciter, vel per accidens proprium, & inſeparabile, & ſic habetur differẽtia propria, & in hoc sẽſu Sortes ſimus differt à Platone aquilo; vel tandèm per accidens commune, & ſeparabile, quomodò Sortes ſedens differt à Platone ſtante &c. Et dicitur differentia communis, quia attenditur penes accidentia rei prorſus extrinſeca, & ſeparabilia. Aliæ ſubdiuiſiones ad iſtas reducuntur, vt Porphyrius ipſe inſinuauit.

7. Circa quàm Diuiſionem tria occurrunt dubia. Primum eſt, an hæc diuiſio ſit adæquata, plures .n. formæ facientes differre ad hanc diuiſionem reduci non poſſe vidẽtur; nam differentia indiuidualis non videtur aliqua ex aſſignatis, non .n. eſt cõis, vel propria, quia non conuenit indiuiduis accidentaliter, neque proprijſſima, quia non facit indiuidua eſſentialiter differre. Etiam ipſa genera habent rationem differentiæ, nam animal V.g. diſtinguit hominem à lapide, ſubſtantia ab accidente &c. & tamèn in membris iſtius diuiſionis non continentur. Item proprietates ab eſſentia manantes ſunt veræ differentiæ, nam riſibilitas differre facit hominem à rudibili, & tamẽ non ſunt differentiæ cõis, vel propria, cùm non ſint accidentia ſeparabilia, vel inſeparabilia, ſed cum ſubiecto, vndè emanant, realiter identica; neque proprijſſima cùm non faciant eſſentialiter differre, & tandẽ formæ ſubſtantiales phyſicæ faciunt differre, ſed nullo iſtorum modorũ, cùm aliquod genus non diuidant.

8. Aſſerendum tamèn eſt, hanc diuiſionem eſſe adæquatam, & totũ diuiſum exhaurire, nam omnis differentia, vel facit differre eſſentialiter, & ad hos modos reducuntur formæ omnes facientes aliqua differre, etiam illæ de quibus dubitatur. Et quantùm ad differentiam indiuidualem, patet, facit enim differre accidentaliter, non accidentalitate prædicamentali cùm ſit gradus ſubſtantialis penetrans per identitatem totam eſſentiam rei, cuius eſt vltima determinatio, ſed accidentalitate pdicabili, quatenùs facit indiuidua differre non ſpecificè, ſed indiuidualiter, & citra eſſentiam; quare reducitur ad differentiam propriam, quia præ-

dicatur in quale extra eſſentiam neceſſariò. Verum tamen eſt, non eſſe intentionẽ Porphy. vt omnes fatentur, ſub hac diuiſione differẽtiam indiuidualem includere, ipſe enim intendebat ſolùm agere de illis differentijs, quæ Vniuerſalitatem fundare poſſunt, & de multis prædicari.

9. Genera propriè ſortiri nõ poſſũt rationẽ differentiæ, nã differẽtia eſt illa formalitas, quæ concipitur ſuperuenire rei, quatenùs cõuenienti cum alia re per aliquã rationem cõem, faciens illam differre; hinc aduertũt noſtri formaliſtæ ex Doctore.1. d. 3. q. 3. §. *ad queſtionem*, non eſſe idem differens, & diuerſum; nam illa dicuntur differentia, quæ priùs in aliquo cõi conueniunt, deinde per aliud illi cõi ſuperueniens, differunt; illa verò dicuntur diuerſa, quæ non per aliquid ſuperadditum, ſed ſe ipſis, & ſe totis ſecernũtur, quæ doctrina (ait Scotus) eſt Ariſ. 10. met. 12. ſi tamèn differentia amplè ſumatur pro ratione quocumq; modo faciente differre, tunc genera ad tertium membrum reduci poſſent, quatenus faciunt eſſentialiter differre.

10. Paſſiones, quia non faciunt eſſentialiter differre, ſpectant potius ad propriam, quàm ad proprijſſimam. Nec impedit, quòd Porphy. dixerit differentiam propriam ſuſcipere magis, & minus, & eſſe inſeparabilem per accidens, quod paſſionibus nõ conuenit; Nam primum nõ intelligitur vniuerſaliter de omnibus eiuſmodi differentijs, multa ſunt .n. accidentia, quæ nõ ſuſcipiunt magis, & minus, vt locus, figura &c. ſecundum verò q; dicit differentiam propriam eſſe inſeparabilẽ per accidens, intelligitur extra eſſentiam, vt multi ei9 inſignes expoſitores interprætantur, quomodo etiam proprietatibus conuenit. Et tandèm formæ ſubſtantiales ſpèctant ad differentiam proprijſſimam, nam faciunt eſſentialiter differre, non diuidunt tamen genus, quia hoc eſt Munus formarum methaphyſicalium, de quibus Porphyr. expreſsè agere intellexit, licèt ipſæ formæ phyſicæ, etiam ad hoc membrũ reduci debeant.

11. Secundum dubium eſt, an hìc diuidatur res; vel potius Intentio ſecunda. Et R. cum cõi (quicquid Caiet. dicat cum pluribus Thomiſtis) hìc rem, non intentionem diuidi, & membra huius diuiſionis eſſe differentias reales. Et hoc ex eo patet, quia Entia inter ſe differunt per veras formalitates, non per intentiones. Tùm quia ſecluſa intellectus operatione, reperiũtur tres iſti modi differendi, & tota ipſa ratio differentiæ in Entib. realibus eſt realis. Tùm tandèm, quia Porphyrius aſſignando mẽbra huius diuiſionis, affert exẽpla realia.

12. Tertium tandèm eſt, an hæc diuiſio ſit Vniuoci in ſua Vniuocata, vel potius analogi, vel æquiuoci &c. Communis opinio aſſerit eſ-

ſe analogi in ſua analogata, & pręſertim in ſententia cõi, quæ tenet diuiſionem iſtam eſſe primò intentionaliter accipiendam. Et ratio eſt, quia differentia eſſentialis facit differre ſimpliciter, ſicut rem ſimpliciter conſtituit, accidentaliter verò facit differre tantùm ſecundum quid, ſicut etiam rem hoc modo conſtituit; nam modus faciendi differre, fundatur in modo conſtituendi; ergo tantùm analogicè conueniunt; ei enim quod eſt ſimpliciter tale, & ei quod eſt ſecundum quid tale, nihil eſſe poteſt cõe Vniuocum: Sed licèt hic modus dicẽdi ſit ſatis probabilis, poſſet tamèn adhuc dici eſſe Vniuoci in ſua vniuocata, eſtò cum aliquali analogia admixta, vt aliqui Scotiſtæ Sentiunt, Fuentes diſp. 1, art. 3. Roccus cap. de differentia q. 1. & ſequitur Paſqualig. tom. 1. meth. diſ. 62. & licèt Scotus q. 27. Vniuerſalium videatur ſentire eſſe diuiſionem analogi in ſua analogata, vt etiam Tatar. ſentit q. de differentia, quia tamèn in ſententia ipſius Doctoris Analogia ſemper eſt, vel cum Vniuocatione, vel cum æquiuocatione, ideò poteſt benè admitti eſſe diuiſionem Vniuoci in ſua vniuocata, & ratio fundamentalis huius aſſertionis eſſe poteſt, quia à differentia eſſentiali, & accidentali abſtrahi poteſt conceptus cõis differentiæ illis vniuocus, ſicut conceptus Entis ad ſubſtantiam, & Accidens; & rationes oppoſitæ ſolùm probant, differentiam in cõi ad eſſentialem, & accidentalem eſſe nõ poſſe vniuocum purum, ſed cum analogia admixtum, vt patet de ſubſtantia, & accidente.

13. Differentia igitur eſſentialis, propriiſſima, eſt primum analogatum, de qua principaliter hìc agitur, quæ tertium obtinet locum inter vniuerſalia, nam alię duæ differentiæ .ſ. propria, & cõis ad duo vltima prędicabilia ſpectãt. Et tria vel quatuor ſunt munera differentiæ ex Doctor. q. 27. Vniuerſaliũ. Primò diuidere genus, Secundò cõſtituere ſpeciem, Tertiò diſtinguere ſpecies à quocumque alio; & tãdèm prędicari de ſpecie conſtituta, & de omnibus contentis ſub illa, quæ ſingula munera exprimit, ac declarat Porphyr. per quatuor definitiones, quas de Differentia affert; quinta .n. ex Tatar. hìc, & alijs Doctoribus potius eſt aliorũ declaratiua.

14. In vltima parte huius capitis ponit Porphyr. quinque Differentiæ definitiones, prima eſt. *Differentia eſt, in qua ſpecies excedit genus.* Et vult dicere, quia ſpecies conſtat ex genere, & differentia plus in ſua quidditate includit, quàm genus, q in ſua natura differentiã non includit; Sed dices, vndè habet ſpecies differentiam? non ex genere, quia in eodem eſſent plures differentiæ oppoſitæ, non ex nihilo, à quo ergo habet? ℞. quòd differentiæ in genere cauſæ efficientis ſunt à producente, in genere cauſæ ma-

terialis ſunt in genere, non actu, .i. non ſunt de natura eius, ſed in potentia, quia ex illo fiunt, ſicut e cera extrahitur forma alicuius imaginis, imò & multæ figuræ oppoſitæ.

Secunda Definitio. *Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid.*

Tertia. *Differentia eſt per quam genus ſeparatur .ſ. diuiditur in ea, quæ ſub ſe ſunt.*

Quarta. *Differentia eſt, ſecundum quam vna ſpecies ab alia differt.*

Quinta. *Differentia eſt, qua vna ſpecies ab alia ſeparatur, cùm ſit ipſius naturæ ſpeciei pars.*

15. Sed inſtabis, quomodò genus poteſt eſſe diuiſum per differentias in ſingulas ſpecies, & eſſe totũ eſſentialiter in ſingulis. ℞. quòd Animal v.g. poteſt cõſiderari, vt totum eſſentiale reſpectu ſuorũ prædicatorum eſſentialium, quæ formaliter in ſe actu cõtinet; & vt totum potentiale reſpectu ſuorũ inferiorum, quæ in potentia continere dicitur, ex eo quia non ſunt de conceptu eſſentiali illius; Genº igitur Animal, & quodlibet vniuerſale diuiditur in ſua inferiora, non quatenus totum eſſentiale eſt, ità vt in plures partes ſuæ eſſentiæ diuidatur, & vna pars contrahatur ad Petrum, & alia ad Paulum, quia ſic tota eſſentia hominis non eſſet in vnoquoq; homine, ſed quilibet eſſet quaſi dimidiatus homo, vel potiùs non homo; diuiditur igitur vt totum potentiale in plures partes ſubiectiuas, .i. in plura inferiora, retinẽdo in ſe totalitatẽ actualem, & hoc ſignificat vniuerſale eſſe totũ in quolibet inferiori, ſed non totaliter. Dicitur totũ in quolibet inferiori quoad totalitatem eſſentialem, non autem totaliter, quia ab illo inferiori non adæquatur totalitas eius potentialis.

16. Obijcies, Tota eſſentia naturæ v.g. animalis eſt in homine, & equo, ergo non diuiſa per differentias, tunc enim non eſſet in quolibet integra. Confirmatur, natura eſt verè vna in omnibus inferioribus, quia omnia ſunt eiuſdem naturæ, ergo verè non diuiditur per differentias, nam per diuiſionẽ cõſumitur vnitas. ℞. rationem illam probare ſolùm, quòd non ſit quædã diuiſio realis, ſicut totius actualis in ſuas partes, quod cõcedimus; at nos ideò dicimus naturam animalis ab hac, & illa differentia diuidi, in quantum per ipſas contrahitur, & determinatur ad hanc, & illam ſpeciem. Vnde negatur cõſequentia. Ad confirmationem dicimus, naturam eſſe vnam in omnibus non per inexiſtentiam, vt ſupra diximus, ſed per indifferentiã, quæ vnitas non deſtruitur, ſed tantùm ab extrinſeco contrahitur, & determinatur.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*Quomodo differentia cum genere ſpeciẽ conſtituat; vbi de compoſitione Methaphyſica.*

Scotus, qui in enucleandis veritatũ ſpeculationibus, & Theologo-

logorum præſtantiſſimus,& philoſophorum vexillifer appellatur,q. 27.Vniuerſalium in ſolut.ad 5.aduertit hoc ſecundum munus differentiæ,quod eſt conſtituere ſpeciẽ per modũ partis actualis, ſufficiẽter à Porphyrio indicatum fuiſſe per primam eius definitionem, cũ ait: *Differentia eſt, qua ſpecies excedit genus*, cuius ſenſus eſt, quòd differentia eſt illa, quæ cum genere cõſtituit ſpeciem,vbi ponitur ſpecies vt correlatiuum differentiæ, quatenus ſpecies eſt conſtituta, differentia verò conſtitutiua. Et quòd differentia ſimul cum genere conſtituat ſpeciẽ, in nulla ſchola vertitur in dubium, cùm ſit clara, & expreſſa Ariſt. ſententia 7. Meth. ſed ſolũ dubium eſt de modo, quo Differentia hoc munus exercet in ſpeciei conſtitutione, an .ſ. modo reali,ità vt hæc additio differẽtiæ, & conſtitutio ſpeciei ſit realis, an potiùs ſit additio rationis ad maiorem explicationem,per noſtrum concipiendi modum. Ad maiorem tituli declarationem ſupponimus, quæſtionem hanc procedere de ſpeciebus naturarum realium,non de ſpeciebus,quæ in actibus rationis fingi ſolẽt,quia cũ iſtæ ſint mera entia rationis,clarũ eſt non poſſe in illis realem compoſitionẽ ex genere,& differentia reperiri. Nec etiam quæſtio eſt de ſpecie formaliter ſumpta, & pro ſecunda intentione,relatio.n genereitatis, & relatio differẽtię sũt inter ſe eſſentialiter diuerſæ, & ſingulæ conſtituũt diſtinctũ pdicabile, quare quæſtio eſt de ſpecie materialiter ſũpta, ideſt, de natura ſpecifica Entium realium.

2. Circa quã tres ſunt opiniones, prima eſt Nominalium, qui ſicut nõ admittunt vniuerſalia in eſſendo,ſed tantùm in ſignificando, ità negant compoſitionem ſpeciei ex genere,& differentia, ſiuè realem, ſiuè rationis. Ita Ocham in primo d.2. q. 6. Gabriel ibidem, Aureol. & alij; & ex Recentioribus ſequũtur Hurt.5.Meth.ſec.3.& 10. & ex parte conſentit Auerſa q. 13. log. ſec. 6. vbi inquit,cõſtitutionẽ ſpeciei ex genere, & differentia non ſemper eſſe per modum compoſitionis,ſed interdũ per modũ ſolius explicationis,quando .ſ. genus nõ perfectè præſcindit à differentia.

Secunda opinio eſt Thomiſtarũ, qui ſicut negãt gradus methaphyſicos eſſe ex natura rei actualitèr diſtinctos,affirmantes ſola ratione diſtingui cùm fundamento in re, quatenùs intellectus virtute præciſiua,qua pollet,eandem ſimplicẽ entitatem diuidit in diuerſas formalitates obiectiuas, quarum vna habet rationem determinabilis, & alia determinatiui, ità in propoſito aſſerunt compoſitionem ſpeciei ex genere, & differentia eſſe tantummodò rationis cum fundamẽto in re, ità vt cũ dicimus ſpeciem componi ex genere,& differentia, ſenſus ſit,quòd conceptus obiectiuus ſpeciei componatur ex cõceptu obiectiuo generis,& differentię.

Ità

Ità D.Thom. de Ente,& eſſentia c. 4. vbi Caiet. cũ plurib. Thomiſtis. Ruu.c.de Differẽtia Suar. Murcia, Paſqual.diſp.70.& Alij.

Tertia opinio eſt Scotiſt.q ſicuti inter grad' methaphyſicos diſtinctionem ex natura rei formalem agnoſcunt, ità cõſequenter defendunt talem compoſitionẽ ex genere, & differentia eſſe aliquo modo realem, & ſi non ex diuerſis rebus, vt eſt compoſitio phyſica, ſaltẽ ex diuerſis realitatibus eiuſdem rei, ante intellectus operationem formaliter ad inuicem diſtinctis. Ità Scot.2.d.3.q.6. & 1.d.8.q.3.§.*teneo opinionem meã mediam*, Vbi fusè Lichet. & ſequũtur Scotiſt. cõiter, quos citat Faber 7. meth. diſp.18. & Maſt.& Bell.diſp.5.lóg.q.3.art. 2. Et ex Exteris Fonſeca, Molina, Amicus,& alij.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, Compoſitionem ex genere, & differentia, quæ Methaphyſica dicitur eſſe realem, & ſi non ex re, & re vt phyſica, ſaltèm ex realitate, & realitate formaliter inter ſe diſtinctis, nõ tñ ſolius ratiocinatæ ex ſolis conceptibus obiectinis*. Eſt Scoti loc.cit. Et eſt deciſio Methaphyſica pendens ex illa famoſa controuerſia de diſtinctione formali actuali ex natura rei præcedente intellectus operationem, iuxta enim modum diſtinctionis horum gradũ methaphyſicaliũ, vt ſunt genericus, & differentialis, explicandus eſt modus compoſitionis ſpeciei. Et quòd iſti gradus à parte rei diſtinguantur, ex eo patet, quia grad' genericus eſt ratio conuenientiæ à parte rei, gradus verò differentialis eſt ratio à parte rei differendi, ergo non eſt vnus, & idem gradus formaliter, aliter idẽ eſſet ratio conueniendi, & differẽdi. Tùm quia gradus genericus, vt ratio magis cõis dicitur præcedere ex natura rei, & per differentiam contrahi, ergo. &c. Tũ quia gradus genericus eſt ſuaptè natura perfectibilis, differentialis perficiẽs, & nõ è contra, quæ ſine aliqua diſtinctione ex natura rei ſaluari non poſſunt. Quòd ſi ex libito intellectus huiuſmodi munera cuilibet formalitati tribueremus, tunc non minùs poſſet cum veritate cõcipi rationalitas vt contrahibilis per animalitatem, quàm è contra, &c; vt benè hanc diſtinctionẽ Scotus aſtruit 7.meth.19. vbi defendit conceptibus obiectiuis genericis, & differentiæ diſtinctas realitates correſpondere debere, vt ſua munera verè exercere dicantur. Sed de hoc exactiùs in Meth.

4. At reſpondent aliqui ex Thomiſt. quòd licèt hęc compoſitio ſit rationis, non inde ſequitur poſſe, ad libitum, intellectum concipere gradum hunc, vel illum promiſcuè potentialem, vel contrahentem, & determinantem, quia hæc diſtinctio habet fundamentum in re, ratione cuius poteſt, & debet intellectus concipere gradum hũc, qui .ſ. eſt principium conueniendi cũ pluribus, vt potentialem, illum verò qui eſt principium differendi, vt actua-

actua-

actualem, & determinantem, & nõ è contra.

Sed hæc ſolutio tota in verbis conſiſtit, petimus enim, vel ſtante tali fundamento, quòd gradus hìc concipitur vt potentialis, & ille vt cõtrahẽs, & determinãs, poſſit intellect⁹ inuertere ordinẽ, vel nõ: Si primũ, ergo talis diſtinctio, & cõpoſitio nõ eſt dum fundamento in re, nam per fundamentum in re, intelligimus occaſionem, ſeu motiuum neceſſitantem intellectũ ad ità concipiendum, & non alio modo: Si ſecundum ergo tales conceptus ſupponunt realitates à parte rei formaliter diſtinctas, & non tantũ vnam inadęquatè conceptã, eſt enim de natura ordinis, vt ſupponat diſtinctionem inter extrema inuicem ordinata cùm nihil ad ſeipſum ordinetur. Confirmatur, quia qualis eſt ordo, talis eſt diſtinctio, ſed ordo ex rei exigentia eſt ità pręfixus, nõ mutabilis ab intellectu, ergo ſimiliter, & diſtinctio ex natura rei. Tùm quia iſta inadæquatio ſe tenet ex parte imperfectionis intellectus, ergo apud intellectum adæquatè concipientẽ, eadem realitas erit perfectibilis, & perfectiua, & ratio conueniendi, & differendi.

5. Confirmatur Concluſio, nã ad compoſitionem realem duæ conditiones requiruntur, vt à compoſitione rationis diſtinguatur. Prima eſt diſtinctio realis componẽtium, vt in compoſitione phyſica patet, vel ſaltèm, quòd nõ ſint perfectè idem inter ſe, ſ. quòd non ex ſuis rationibus formalibus identificentur, ſed quatenùs in tertio vniuntur, cui ſunt idem realiter. Secunda eſt, quòd vna pars habeat rationem potẽtiæ, altera actus, ſed conceptus generis, & differentiæ ſunt huiuſmodi, ergo &c. habent primam conditionem, nam quamuis illi gradus nõ diſtinguãtur realiter in illo, in quo inueniuntur, tamen illorum identitas nõ attendi debet ex eorum rationibus formalibus, vt ſunt attributa Diuina inter ſe propter infinitatem formalẽ, quam habent, ſed tantùm ratione illius tertij, in quo vniuntur, itàut in tãtum ſunt idem inter ſe, quatenùs ſunt realiter identificati in illo tertio, à quo ſi abſtrahantur, non remanet in eis ſufficiens ratio identitatis, vt benè hìc aduertunt Maſtr. & Bellut. ex Doct. in 1. d. 8. q. 1. *ad primum princ.* vndè non valet dicere animalitas eſt rationalitas, ſed benè in homine animal eſt rationale: Habẽt etiam ſecundam conditionẽ, nam ex Ariſt. 7. meth. 42. ideò ex genere, & differentia reſultat ſpecies per ſe vna, quia gradus genericus rationem habet potentialis, & cõtrahibilis, gradus autem differentialis rationem habet determinantis, contrahentis, & actuantis.

*Obiectiones.*

6. Ob. 1. ex Aureolo. Si genus eſſet diſtinctum à parte rei à differentijs, cum quibus realem compoſitionem efficeret, tunc tranſmutari

poſſet

poſſet de vna differentia ſpecifica in aliam, ſed hoc eſt falſum, & impoſſibile ex Philoſopho 2. Meth. c. 16. ergo &c. probatur ſequela maioris, nam quando res potentialis, & prior reſpicit plures actualitates oppoſitas, poteſt illam ſaltem Deus de vna tranſmutare in aliam, vt conſtat de materia habente potentiã ad oppoſitas formas; & ratio huius deſumitur ex Scoto in 2. d. 12. q. 2. vbi docet, quòd omnis realitas abſoluta prior alia, & ab ea realiter diſtincta, poteſt ab illa ſeparari, cùm non dependeat ab illa. Tùm quia idem nõ poteſt cũ ſeipſo realem compoſitionem efficere, ſed genus eſt idem realiter cum differentia, ergo non poteſt realem compoſitionem efficere, ſed rationis. Reſp. negando ſequelam, quæ ſolùm tenet inter diſtincta realiter, nõ inter diſtincta formaliter, vt eſt genus, & differentia, & Doctor locut⁹ fuit de diſtinctis realiter, vt ſunt materia, & forma. Ad aliud reſpondetur id, quod eſt idem realiter perfectè cũ alio, nequit cum eo compoſitionem efficere, vt clarum eſt de perfectionibus, & attributis Diuinis, quæ ob propriam infinitatem cuiuslibet, ſibi inuicem perfectè identificantur, atque ideò nullã efficiunt cõpoſitionem, quæ verò imperfectè identificantur, ſolùm ſ. ratione tertij, in quo vniuntur, vt ſunt genus, & differentia, poſſunt aliquã cõpoſitionẽ ex natura rei efficere.

Ob. 2. ex Ocham. Genus non eſt verè, & realiter potentiale ad differentiam, ſed tantùm per noſtrum concipiendi modum, ergo non poteſt cum ea aliquo modo realem compoſitionẽ efficere, ſed tantùm rationis. Añs pr. nam nulla res eſt in potentia ad ſeipſam, nec à ſe ipſa perfectibilis; Neq; dicas ſufficere ad id diſtinctionem formalem, quia hæc non ſufficit, vt vnum dicatur potentiale ad aliud, nam in ſententia Scoti eſſentia Diuina, eiuſq; attributa ſunt ex natura rei formaliter diſtincta, & tamen non eſt ab eis perfectibilis, ob identitatem realem cum eis. Confirmatur. Si genus eſſet verè potentiale ad differentiam, tunc quãtum eſt de ſe, nõ minus poſſet eſſe ſub hac, quã ſub alia differentia, & ſic diſtingueretur realiter ab illa, quod .n. eſſe poteſt ſine alio, realiter ab illo diſtinguitur, cùm igitur implicet genus eſſe ſine differentia, ſub qua eſt, fatendum eſt non eſſe verè potentiale ad illam, ſed ſolùm per noſtrum concipiendi modum.

Reſpondetur neg. ant. cum ſua probatione, nam licèt genus non ſit verè potẽtiale ad differentiam, vt ad aliquid realiter diſtinctum, vt eſt Materia ad formam, eſt tamẽ ad illã potentiale, vt ad id, cum quo eſt imperfectè identificatum ſ. ratione tertij. Quod eſt cum alio perfectè identificatum, nõ poteſt reſpectu illius eſſe potentiale, quia eſſet in potentia ad ſeipſum, quod nos non aſſerimus reſpectu generis, & differentiæ. Neq; nos dici-

dicimus genus eſſe potentiale ad differentiam propter ſolam diſtinctionem formalem ab ea, quia ſic eſsētia Diuina potētialis dici poſſet ad attributa, & perfectiones diuinas, vt benè inſtātia vrgebat; ſed affirmamus eſſe ad illam potentiale, ob eius imperfectam identitatē cum ea, quia eſt identitas à tertio mendicata; à quo ſi abſtrahantur, non ſunt idem realiter. Ad confirmationem. ℞. vt ſupra, ſequelam eſſe veram, ſi genus realiter diſtingueretur à differentia, ſed quia in tertio cū illa identificatur, licèt imperfectè, ideò implicat eſſe ſub alia differentia. Quòd ſi genus cōſideretur in ſe, vt prius naturaliter differētia cōtrahēte, nō videtur ei repugnare eſſe ſub alia differentia; nam hæc repugnātia oritur propter coniunctionem cum illa in tertio, cum qua identificatur, vt benè hìc multi Scotiſtę aduertunt ex Doct. 7.meth. q. 13. num.20. vbi ait: *Contradictio includitur quòd ſeparetur propter vnitiuam continentiam.* & deinde ſubdit, reddens rationē: *quædam naturæ in ſe non repugnāt, & tamen repugnant naturæ poſitæ in eſſe, vel facta.*

Sed dices, Si genus, & differentia extra tertium non ſunt realiter idem, ergo per vnionem in tertio, nequeūt fieri idem, nam talis vnio non habet vim realem eorum diſtinctionem tollendi, vt de materia, & forma patet, quæ etiam in compoſito vnitæ, adhùc inter ſe realem diſtinctionem retinent. ℞. ex Scoto in 2.d.12. q.2.ad 1.quòd aliqua poſſe vniri in tertio, ſtat dupliciter, vno modo ſola vnitate vnionis, altero modo vnitate idētitatis tranſeundo.ſ.in realem idētitatem ipſius; Vnio primo modo non aufert diſtinctionem realem vnitorum, quomodo vniuntur materia, & forma in compoſito phyſico, in quo etiam vnitæ realiter inter ſe, & ab eo diſtinguuntur; vnio autem ſecundo modo diſtinctionem realem deſtruit, vt ſunt genus, & differentia in compoſito methaphyſico, quæ illud cōſtituūt ſeipſa illi realiter identificando, quæ identitas in ipſa quoq; redundat, quatenùs quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt etiam eadem inter ſe, ratio fundamentalis eſt, quia iſti gradus identificantur realiter cum ipſo compoſito Methaphyſico, & quādo diſtincti realiter concipiūtur, habetur per abſtractionem intellectus, cōcipientis illos gradus in ſe, ſecundum proprias ſuas rationes formales.

7. Ob.3. ex Auerſa. Si natura generis diſtinguitur à differentia, q̄ritur, aut Animalitas, quæ eſt in homine, ſecundùm illam entitatē, qua dicitur diſtingui à rationalitate, eſt à parte rei determinata, & diſtincta ab animalitate, quæ ē in equo, vel indifferēs, & indiſtincta; non hoc ſecundùm, nam entitas animalitatis, quæ eſt in homine, non eſt intrinſecē entitas ani-

malitatis quæ eſt in equo, nã videmus equum interire, & hominem ſecũdùm ſuã entitatẽ remanere. Si primũ, ergo genus in illa formalitate dicit differentiam determinãtem, & diſtinguentem, & conſequenter ab ea ex natura rei nõ diſtinguitur. ℞. hoc argumentum prolixam petere diſputationem in Methaphyſica diſſoluendam, de quo multa dicit Lychetus in 2. d. 3. q. 1. pro modo reſpondemus, vt ſupra in diſ. de Vniuerſali in genere ex doctrina Scoti 7 met. q. 13. vbi quærens, an natura Sortis realiter diſtiguatur à natura Platonis, ſeclusis hæcceitatibus, inqt quòd natura Sortis, ſicut differentia numerali circumſcripta, non manet vna maxima vnitate in ſe, ſed tãtùm illa vnitate minori, quæ eſt communis, ſic nec eſt diuiſa ab humanitate Platonis diuiſione numerali; nec aliqua alia. Ità Scotus quam reſponſionem etiam applicat ibi naturis genericis; circumſcriptis .n. differentijs ſpecificis, nulla remanet eſſentialis differentia inter hominem, & equum, nam animalitas hominis, & equi, præciſis illis, ſunt eadem entitas, & eſſentia, ſumendo Ens formaliter, & nominaliter.

At pro maiori facilitate, ad vim argumenti euertendum, iterum adnotamus, quòd ens dupliciter accipi poteſt; primò formaliter, ſeù nominaliter, & ſignificat eſſentiam poſſibilem; ſecundò materialiter, ſeù participialiter, & ſignificat exiſtentiam; primo modo abſtrahit ſecundum ſe ab omnibus conditionibus indiuiduantibus, alio modo omnes concernit. Cùm dicitur quòd vna, & eadem natura, ſeu entitas communis ſit in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei, non eſt intelligendum de entitate ſecundo modo, ſic .n. nulla entitas, quæ in Petro eſt à parte rei, eſt in Paulo, tamèn vna formaliter eſt vtriuſque eſſentia; entitas, .n. vt dicit eſſentiam, nullam dicit determinationem, nec loci, nec temporis, nec indiuiduationis, nec exiſtẽtiæ, nec determinationis, cùm ab omnibus his eſſẽtia abſtrahat. Vndè ad arg. ℞. quòd animalitas, quę eſt in homine, ſi nominaliter, & formaliter accipitur ſecundum eius præciſam eſſentiam, non diſtinguitur ab animalitate, quæ eſt in equo, cùm habeat eadem eſſentialia prædicata, ſicut humanitas in Petro, & Paulo &c. ſeclusis differentijs contrahentibus, & ideò non ſequitur, quòd mortuo equo, moreretur homo, quia tunc animalitas accipitur participialiter, & verbaliter, quomodo includit exiſtentiam, & conditiones determinantes, & conſequenter differẽtiam contrahentem, & ad talem ſpeciem determinantẽ. Vndè ſicut humanitas, in ſuo conceptu formali, & eſſentiali non includit hæcceitatem, ſic neque animalitas in ſua quidditate eſſentiali includit differentiam; cui etiam fauet illud Auicen-

cen-

Digitized by Google

cēnæ: *Equinitas eſt tantū equinitas &c.*

8. Dices, in ſententia Scoti non diſtinguitur Eſſentia ab exiſtentia, igitur mortuo equo, moreretur homo, & ideò falſa reſponſio. ℞. nos hic accipi eſſentiam tantùm nominaliter, & pro Ente poſſibili, in quo fundātur veritates illarum propoſitionum eſſentialium, non pro Ente verbaliter, quomodo dicit eſſentiam extra ſuas cauſas, & exiſtentem; & communitas quam tunc habet natura, ſecluſis differētijs, eſt communitas negatiua per indifferentiam ex dictis.

9. Dices, ſi genus differt à differētia ſua, ergo differentiā includit, per quam à tali differentia differt, & ita proceſſus in infinitum. ℞. q genus, & differentia non dicuntur propriè differre cùm in aliquo qdditatiuè non conueniant, niſi fortè in Ente, vt in Meth. patebit. Vndè propriè dicuntur diuerſa .i. ſe totis diſſimilia, & non per aliquid ſui, quàm doctrinam ex Ariſt. 3. met. 10. multi Doctores colligūt.

Ob. 4. Ex Ariſt. 7. met. vbi ait: Genus nihil dicit à parte rei vltra ſpeciem. ℞. Scot. 7. meth. q. 19. authoritatem illam truncatam adduci, nàm Ariſt. ait: *genus autem non eſt aliquid præter eas, quæ ſunt generis ſpecies, aut ſi eſt vt materia eſt*; Et ſecunda pars diſtinctionis eſt vera, ait Doctor.

Quintò. Omnes gradus methaphyſici fundantur, vt plurimum in vna ſimplici entitate, vt in Angelis, & accidentibus patet, quæ ſunt formæ ſimplices, ergo non ſupponunt diſtinctionem realitatū, vnde ſumantur, atque ideò non efficiunt compoſitionem niſi rationis. ℞. neg. conſeq. quamuis .n. gradus methaphyſici aliquādo in vna entitate phyſica fundētur, prout ſimplicitas excludit compoſitionē ex re, & re, illa tamen entitas erit cōpoſita Methaphyſicè ex realitate, & realitate, vna potentiali, à qua ſumatur genus, altera actuali à qua ſumatur differētia, qualē cōpoſitionē habent Angeli, & accidentia.

Sextò. Vt horū graduum abſtractio fiat ab intellectu ſine fictione, non indiget pro fundamēto diſtinctione ex natura rei plurium realitatū illis cōceptibus correſpōdentium, vt ipſe Scotus fatetur 7. meth. q. 19. ſed ſufficit diſtinctio virtualis, & eminentia eiuſdem ſimplicis entitatis, ratione cuius poſſit ab intellectu partiri ſine mendacio in diuerſas formalitates obiectiuas, vt multi Scotiſtæ concedunt de conceptibus traſcēdentalibus, quibus nolunt eis correſpōdere plures realitates à parte rei, ne in Deo compoſitionem admittant, quibus etiam Doctor fauet in 1. d. 8. q. 3. in fine, ergo &c. ℞. negando Antecedens cum ſua probatione, non .n. eſt eadem ratio de gradibus prædicamentalibus, & traſcendentalis, in his vtique nulla realitas correſpondere debet à parte rei adęquatè concepta, aliter in Deo cōpoſitio poneretur vt Sco. loc. cit. oſtendit, & ibi Bargius, & Ly-

Lychetus benè aduertunt; at gradibus prædicamentalibus correſpõdere debent realitates adæquatæ, vt veram compoſitionem methaphyſicam efficere poſſint, vt Scot. et docuit in meth. loc. cit. & in 2. d. 3. q. 1. vt fuſius in methaphyſica explicabitur.

5. Hic dubitari ſolet, an Differẽtia ſit prefectior genere, quod cõtrahit, & ℞. affirmatiuè cum cõmuni, quicquid dicant Murcia, Blanc. & alij). Cuius ratio deducitur ex Scoto in 1. diſt. 8. q. 1. ad .1. principale, vbi docet, quòd quãdo aliqua duo comparantur in perfectione, conſiderandum eſt quænã illarum perfectionum ſimpliciter, & abſolutè magis excellat, ex quo concludit, quòd eſtò materia ſit ſimplicior compoſito, quia tamẽ compoſitum eſt actualius materia, abſolutè dicendum eſt, compoſitũ eſſe perfectius materia, quia actualitas eſt perfectior, & abſolutè prę ſtantior ſimplicitate, cùm igitur differentia ſemper genus excedat in actualitate; quæcumque perfectio in genere reperiatur, ſemper tamen maior erit perfectio differẽtiæ, quia magis de actualitate habet, cùm ſit grad' determinatiuus generis, illudque perficiens. Sed de hac compoſitione methaphyſica fuſius; præſtante Deo, ſuo loco agemus.

## ARTICVLVS SECVNDVS

### *An Differentiæ in ſuo conceptu obiectiuo Genus formaliter includant, & è contra.*

1. SCotus in Methaphyſicalibus diſciplinis adeò profundus, vt eius ſcripta paucis ſint penetrabilia. Hoc dubium reſoluit 1. Poſt. quæſt. 24. & 7. meth. q. 17. & in 4. d. 11. q. 3. §. *Ad rationes*, vbi ſic ait: *quod etiam additur quòd hoc §. ſi differentia inferior includat ſuperiorem declarat hoc eſt manifeſtè falſum; quia tunc impoſſibile eſſet p genus proximũ, & differentiam proxima diffiniri, quia idem bis diceretur .ſ. illa differentia ſuperior per ſe incluſa, tàm in ratione differentiæ inferioris, quàm in ratione generis proximi.* Vbi manifeſtè pro falſo habet, quòd differentia in ſuo conceptu formali genus vel differentiã ſuperiorem includat. Et ſequuntur eius expoſitores locis omnibus citatis. Pro cuius maiori declaratione aduertimus, ꝗ Prophyrius per quartam definitionem à ſe explicatam, & correctam, ità differentiam definiuit .ſ. *eſt id, quò differunt eſſentialiter inter ſe ſingula*, videlicet, ſingulæ ſpecies, vel ſingula indiuidua vnius ſpeciei, à ſingulis alterius differunt; ſpecies enim non differunt ſecundum genus, in quo conueniunt, ſed per proprias differentias ipſum genus contrahentes.

*Scot. in meth. Ariſt. explicuiſſe lit. Cc.*

2. Queritur ergo hic, an Differentia includat in ſuo cõceptu genus, ꝗ diuidit, & differentiam ſuperiorem, cui ſubordinatur? V. g. an rationale includat in ſuo conceptu ani-

Digitized by Google

Animal, vel ſenſibile tantùm, nam ſi includit, non magis dici poterit ratio differendi, quàm conueniẽdi, & definitio non fuiſſet recta; ſi autem non includit, tunc differentia erit præciſa ratio differendi, & definitio eſſet bona. Hùc etiam reducuntur aliæ quæſtiones ſub alijs titulis, an .ſ. Differentia ſubalterna per ſe prædicetur de infima, & an Genus includatur in differẽtijs vltimis, & an genus per ſe prædicetur de differentijs, per quas diuiditur; & valdè notandũ eſt, quòd hìc non loquimur de differentia in ſenſu materiali, & identico, pro vt .ſ. ſignificat rationale, ſeu hominis rationalitatem, ſic .n. clarum eſt, differentiam includere genus, & differentiam ſuperiorem illud cõſtituentem, ſed lis eſt de differentia pro formali, ſecundum .ſ. gradum illum, per quem hanc, vel illã ſpeciem cõſtituit.

Duæ ſunt extremæ opiniones, prima eſt affirmatiua, quæ tenet differentiam inferiorem ſuperiores includere, quibus ſubordinatur, ac genus ipſum, quod diuidit; quæ opinio tribui ſolet Themiſtio, & Nominalibus, ſed quoad incluſionem differentiarum ſuperiorũ etiã tuentur Iandunus, 2. meth. q. 12. Soncin. 7. meth. defenſ. 16. & alij. Altera extrema eſt negatiua, quod .ſ. neque genus, neque differentia ſuperior in inferiore includantur. Et eſt Scoti, & Scotiſt. locis citatis, vt videre eſt apud Mauritium q. 13 Vniuerſalium, Antonium Andr. q. 15. Meth. Fabr. diſp. 19. Canonic. 1. phyſic. q. 7. Bellut. & Maſtr. & ſequuntur paſſim Thomiſtæ Complutentes, Capreol. Suaſſan. Iauel. Fonſec. Tolet. Hurt. Paſqual. & alij.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, nec genus in ſuo conceptu obiectiuo differentias formaliter includere, neque è contra; nec pariter differentiam inferiorem includere ſuperiorẽ.* Et quòd genus non includat differentias in ſuo cõceptu formali patet ex dictis art. præcedenti, vbi determinauimus, genus, & differentiam ſumi à diuerſis realitatib' ex natura rei diſtinctis, & probatur etiam experientia, nam quando cõcipimus animal, vel tunc concipitur rationalis, & irrationalis, vel non; non primum, quia tunc nil aliud menti obijcitur, quàm ſubſtãtia animata ſenſibilis, ergo ſecundum; & hoc eſt vnum ab alio objectiuè preſcindere, ideſt cognoſcere vnum ſine alio, aut potius cognoſcere vnum nõ cognito alio, quod etiam probatum remanet ex illa deciſione, quòd genus nullo modo actu, & formaliter differentias continet, nec explicitè, nec implicitè, ſed tantùm poteſtatiuè.

4. Sed quòd neq; differẽtia includat gen', vel differẽtias ſuperiores, eſt Ariſt. 4. Topic. cap. 2. & 3. meth. 10. & l. 11. c. 1. quib' in locis expreſſè docet genus nõ eſſe de eſſentia differentiarũ, & cõſequenter neq; differentiã ſuperiorẽ eſſe de cõceptu inferioris, nã ſi ſẽſibile eſſet de eſſentia rationalitatis, etiam & Animal

mal eſſet de eſſentia eiuſdem, ſicut cui intrinſecè conuenit rationalitas, intrinſecè etiam conuenit eſſe hominem. Probatur etiam rationibus Scoti, ſi .n. differentia inferior continet ſuperiorem eſſentialiter, & genus, quod diuidit, iam ſpecies nō differret à differentia, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. patet ſequela, quia in ſpecie nihil quidditatiuè continetur præter genus, & differentiam. Probatur ſecūdò: differētia eſt ſimpliciter principium diſtinguendi ſpeciem, quam cōſtituit, ab illis, quæ ſub eodem genere continētur, ergo nō poteſt eſſentialiter includere genus, aut differentiam genericam ſuperiorem, aliter ſicut eſt principium differendi, eſſet etiam principium conueniendi cum illis ipſis, à quibus ſpeciem diſtinguit, cùm includeret eſſentialiter illud, in quo conueniunt. Probatur 3. ſi ità eſſet, hæc definitio, homo eſt animal rationale, eſſet vitioſa, nam bis repeteretur genus, & differentia generica ſuperior, ſemel quidē per ſe loquendo de genere, & iterū vt incluſum in rationali, ſic etiam de ſenſibili, quæ eſt ratio Ariſt. 6. Top. c. 6. Probatur 4. quia tunc daretur proceſſus in infinitum, ſi .n. rationale, & irrationale, vt ſic includunt ſenſibile, vel animal, in quo conueniunt, per alias differētias ſecerni debebunt, de quibus reddit eadem quæſtio, ergo dicēdum eſt, differentiam inferiorem eſſe gradum ſimpliciter ſimplicem non reſolubilem in vlteriores conceptus generis, quod diuidit, & differentiæ ſuperioris, quibus ſubordinatur. Aliæ ſunt rationes, quę apud Scot. loc. cit. videre poteritis.

5. At Reſpondent alij, has, & ſimiles rationes nō concludere, quia eodem modo cōuincerent etiā de traſcendentibus v. g. Ens non includi in differentijs ſuorum inferiorum &c. quod eſt manifeſtè falsū. Sed pace iſtorum virorum adducere inſtantiam, non eſt ſoluere argumentum. Deinde neque abſurdum eſt hoc idem aſſerere de traſcendentibus, vt multi Scotiſtæ defendunt, & apud noſtros formaliſtas patet, & tenet Vulp. to. 1. p. p. diſp. 21. art. 8. num. 6. cum alijs, qui nolunt ens in quid prædicari, & eſſentialiter de modis intrinſecis, de vltimis differentijs, ac de affectionibus ſuis; modus enim ſubiecti, ſicut & paſſio, non eſt eſſentialiter ſubiectum, ſicut riſibilitas non eſt humanitas, vel homo eſſentialiter. De vltimis differentijs etiam probant ex hoc, quòd ſi ens quidditatiuè includerent, non eſſent omninò primo diuerſæ, ſed in aliquo conuenirent, & in aliquo differrent, ac proinde non eſſent differentiæ vltimæ, ſed potius darentur differrentiæ differentiarū in infinitum. Imò videtur expreſſa Scoti ſententia in primo d. 3. q. 3. §. *Adquæſtionem*. ſed quia hic pūctus non eſt pręſentis loci; adhuc data Hypoteſi, negamus paritatē, non .n. tanta neceſſitas vrget, vt

ens

ens excludatur ab illis, ſicut genus à ſuis differentijs, nam genus, & differentia faciunt cõpoſitionẽ methaphyſicam, & conſequenter debent habere rationem cõpartis, & de ratione partis eſt, quod vna non includatur in altera; Ens autem cum ſuis contrahentibus non facit cõpoſitionẽ, vt patet in Deo, quod benè Subtiliſſimus Doctor aduertit in 1.d.8.q.3.*ad principale.*

*Obiectiones.*

6. Obijci ſolet primò auctoritate Ariſt:7.meth.tex.43 Vbi duo pręcipuè de vltima differentia dicit; primum quòd in definitione parũ refert, ſi vltima tantùm differentia ponatur, vel etiam omnes ſuperiores, quia includit omnes; ſecundum quòd vltima differentia eſt tota rei ſubſtantia, & ideo ſi ea tantùm ponitur in definitione, nõ licere aliã ſuperiorẽ addere, quia committeretur nugatio.

Reſpondet ad vtrumq; Scotus, ꝙ ibi Ariſt. duplicem modum definiendi aſſignauit, vel per ſupremum genus,& omnes differentias, vel per genus proximum, & vltimam differentiam; & ſubdit deinde parum referre, quòd in definitione, quæ datur per genus proximum, ponãtur differentię ſuperiores, quia omnes includuntur in genere proximo, non autem dicit, quòd in differentia vltima includantur differentiæ ſuperiores, niſi in ſenſu materiali, & identico. Et cùm dicit vltimam differẽtiam eſſe totã ſpeciei ſubſtantiã, id non eſſe intelligendum (ait Scotus) totaliter, ſed completiuè, quatenùs differentia ſubſtantiã rei cõplet, & in vltimo eſſe ſpecifico determinat.

Ob. Auerſa, per inductionem in diuerſis prædicamentis: Subſtãtia diuiditur in ſpiritualem,& corporalem, quæ rationes ſubſtantiales dici debent, aliter ſi à tali ratione præſcinderent, eſſent etiam cõmunes accidentibus. Sic etiam in prędicamento quantitatis, quę diuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam &c. quæ inductio etiam fieri poteſt in prædicamento qualitatis, & relationis, ergo tales differẽtiæ ipſum genus neceſſariò includunt. ℞. quicquid ſit de alijs reſponſionibus; quòd differentia diuidens ſubſtantiam, non eſt ſubſtantia formaliter loquendo, & in recto, neque accidens, ſed ſubſtãtiã in obliquo, ſ. aliquid ſubſtantię, quatenus eſt determinatio ſubſtãtiæ. Vndè non dicitur ſubſtantia niſi realiter, & identicè; Hinc etiã ſecundũ modum loquendi differẽtiæ illius prædicamenti dicuntur ſubſtantiales, non ſubſtantię; ſic ẽt Auerſa ipſe quoſdam modos ſubſtantiales V.g. vnionem inter materiam, & formam &c. non ſubſtantias vocat, ſed ſubſtantiales, quia formaliter ſubſtantiæ nõ ſũt, ſed ſubſtantiæ modificationes; ſic etiam de differentijs dicẽdum eſt, quòd ſint ſubſtantiales, quatenus ſunt intra eumdem ordinẽ, in quo eſt ſubſtantia, eam ſub eodem ordine contrahentes, & determinã-

tes

tes. Sed dices, ſi differentia diuidens ſubſtantiam non eſt formaliter ſubſtantia, quid igitur erit formaliter, & eſſentialiter? Reſpondemus, quòd eſt differentia ſubſtantiam contrahens, & diuidens &c. Ità etiam dicendum erit de differentijs aliorum generum ſeruata proportione.

Ob. Secundò: In tantùm poteſt aliquod prædicatum præſcindi à ſubiecto de quo dicitur, in quātùm poteſt etiam dici de alio, vt Animal ideò poteſt præſcindi ab homine, quia poteſt dici etiam de leone, & alijs, ergo ſi datur ꝓpria differentia alicuius generis, ità vt nequeat alteri applicari, non poterit ab eo præſcindi. ℞. ant. nō eſſe vniuerſaliter verum, nam à ſubiecto præſcindimus propriā paſſionem, & è contra, & tamen talis paſſio non poteſt dici de alio ſubiecto.

Ob. 3. Non poteſt hoc à Scoto negari de hæcceitate in communi in ordine ad hanc, & illam hæcceitatē, quæ nō poteſt, niſi imperfectè ab illis præſcindere, q̄a ſine dubio quidq̄d eſt in ſingulis hæcceitatib. eſſentialiter talē conceptum inuoluit, nec ſunt cogitabiles aliæ differentiæ extra latitudinem eius. ℞. nihil contra nos concludit, nā admittimus inter hæcceitatem in communi, & hanc, & illam in particulari, non poſſe intercedere mutuam præciſionem, quia comparantur ſicut ſuperius, & inferius, & licèt poſſit ſuperius ab inferiori præſcindi, non tamen inferius à ſuperiori, cùm illud ſemper eſſentialiter includat; aliud autem eſt comparare differentiam ad genus, quod contrahit, contractiuū enim benè præſcindi poteſt à ſuperiori, quod contrahit.

Ob. Arriaga diſp. 8. log. ſec. 1. Non poteſt cōcipi rugibile formaliter, quin formaliter concipiatur ſenſibile, & viuens, ergo hæ differentiæ ſuperiores includuntur formaliter in illa inferiori rugibilitatis; Probatur aſſumptum, nam rugitus leonis eſt formaliter quædā ſenſatio, & quidam actus vitalis. ℞. neg. aſſumptum cum ſua probatione, & ratio eſt, quia differentia inferior non eſt ſimpliciter, & adęquatè principium operationū, quæ ſunt propriè talis ſpeciei, q̄a hæ operationes dependent à tota natura, quatenus talem eſſentiam cōpletā important; Vndè differētia inferior ſolùm eſt principium talium operationū, quatenus tales ſunt v.g. rugitus non addit nouam actionem diſtinctam à ſenſatione, ſed tantùm nouam formalitatem, quia ſenſatio, quæ priùs erat indeterminata, determinatur ad talem ſenſationem, quæ dicitur rugitus; & quamuis ſenſatio neceſſariò præſupponatur formalitati rugitus, vt ratio per eam determinabilis, non tamèn in ea formaliter, & intrinſecè includitur, nam in ratione formali determinatiua, non cōtinetur formaliter id, quod determinari debet, ſed tantùm p̄-

ſup-

ſuppoſitiuè, ſicut non poteſt intelligi formam determinare materiã, niſi ipſa materia præſupponatur; eſt igitur verum aſſumptum in sẽſu identico, & materiali, non in ſenſu formali.

Obijciunt alij: Si hæc doctrina eſſet vera, ſequeretur, quòd realitas differentiæ eſſet omnino ſimplex, & purus actus, ſed hoc eſt falſum, ergo, & id vndè ſequitur. ℞. neg. ſeq. & ratio eſt, quia cùm ſit pars, includit potentiam ad componendum totum, & conſequenter includit imperfectionem. Et eadẽ difficultas fieri poterit de genere ſupremo cùm non habeat conceptum reſolubilem in vlteriores realitates ſuperiores, & licèt careant compoſitione ex his methaphyſicè, non tamen compoſitione cum his, quia ſunt cum alijs compoſſibiles; & licèt dicantur ſimplices, quia non reſolubiles in vlteriores gradus, non tamèn puri actus, qui omnem excludant imperfectionẽ.

Ob. Ex hac ſentẽtia ſequeretur, quòd differentia vltima eſſet ſupma, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. patet ſequela, quia differentia ſuprema dicitur illa, quæ nullam aliam ſupra ſe habet, quam includat; ſicut genus ſupremum illud dicitur, quod nullum aliud habet ſupra ſe, quod includat, ſic eſſet differentia vltima, ſi nullam includeret. ℞. neg. ſeq. cum ſua probatione, non .n. ex eo differentia dicitur ſuprema, quia nõ habeat ſuperiorem, quam includat; ſed quia in conſtituto per eam, non ſupponat priorem differentiam, cui ſubordinetur, &c.

7. Ob. Hęc propoſitio eſt eſsẽtialis, & per ſe, rationale eſt ſenſitiuum, eſt animal, ergo differentia eſſentialiter genus, & differentiam ſuperiorem in ſuo cõceptu formali includit. ℞. aſſumptum eſſe verũ accipiẽdo rationale in ſenſu materiali, & identico .ſ. pro habente rationalitatem, non in ſenſu formali.

Sed inſtabis, accipiendo rationale formaliter, vel allatæ propoſitiones ſunt per ſe, vel per accidens; non ſecundùm, quia tunc ex rationali, & ſenſibili, ſeù animali fieret vnũ per accidẽs, ergo primũ. ℞. quòd prędicari p accidens ſtat dupliciter, vel per accidens prędicamẽtale, vel p accid. prædicabile, gen', vel differẽtia ſuperior prędicãtur per accidens de differẽtia infe. riori ſecũdo modo, quatenus ſunt extra rationem illius.

Sed contra, hæc cõſequentia eſt optima in Darapti, omnis homo eſt ſẽſibilis, omnis homo eſt rationalis, ergo aliquod rationale eſt ſenſibile; ſed in præmiſſis maior, & minor extremitas includuntur, & prædicantur formaliter, & per ſe de medio, ergo in concluſione maior extremitas .ſ. ſenſibile prædicatur formaliter, & per ſe de minori extremitate .ſ. rationali. ℞. Scotus 1. poſt. q. 23. quem cæteri Auctores ſequuntur; quòd ex virtute formæ Syllogiſticæ ſolùm extremitates vniuntur inter ſe in cõcluſio-

cluſione ob vnionem earum in præmiſſis, non tamen ex vi eiuſdẽ formæ oportet, quòd vniãtur eodem modo in concluſione, ſicut in præmiſſis, & quòd propoſitiones eamdem habeant perſeitatem; & ità contingere poteſt, quòd præmiſſæ in ſenſu formali ſint veræ, concluſio verò tantũ in ſenſu idẽtico, & materiali, quatenùs quæ conueniunt vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Et dat exemplum Doctor loco cit. quòd hic Syllogiſmus nõ tenet, homo eſt per ſe Animal, homo eſt ꝑ ſe rationalis, ergo rationale eſt per ſe Animal; nam licèt ex neceſſarijs ſequatur concluſio neceſſaria, nam aliàs ex vero poſſet ſequi falſum, non tamen ex per ſe, ſemper ſequitur per ſe, ſic in propoſito &c.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*Quomodo Differentia prædicetur de pluribus.*

1. SCot. non minori morum ꝓbitate, quàm doctrina præditus q. 27. Vniuerſalium, poſtquã determinauit differentiam poſſe definiri, & hoc loquendo in ſecundis intẽtionibus, de quibus hìc eſt principale intentum, aſſignat definitionem eius in communi, prout etiam differentiam vltimam ſpecificam in illa comprehendat. Pro maiori notitia recolimus, quòd ſecunda definitio differẽtię à Porphyr. in textu fuit hæc: *Differentia eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid,* quæ data eſt in ratione Vniuerſalis, vt ex ſe patet, in ordine .n. ad ea, de quibus prædicatur, in ratione Vniuerſalis conſtituitur. Nec per talem definitionem omnes differentias definiuit, ſed ſolùm genericas, quæ de pluribus differentibus ſpecie prædicantur, res .n. definiri debẽt ſecundum ea, quæ actu habẽt, non ſecundum illa, quæ ex ratione cõi illi non repugnãt, vt Caiet. & Sot. autumant, aliter definitio vnius ſpeciei, conuenire poſſet alteri, cũ differentia conſtitutiua vnius ſpeciei non repugnet alteri ob rationem genericam, & communem, ſed ob propriam, & ſpecificam. Cur autem Porphyr. has ſolas definierit, non eſt certum, quidam .n. putant, quòd tantùm differentias genericas agnouerit; alij autẽ, quòd etiam differentias vltimas penetrauerit, ſed ſolùm genericas definiuit, q̃a nobis ſũt notiores, & frequentiores: ſed quicquid ſit de eius intellectu, nos indagare debemus definitionem differentiæ, quę etiam vltimæ conuenire poſſit, & prædicari de pluribus differentib. numero, vt perfectè, & completè tertium prędicabile in numero Vniuerſalium conſtituatur, quo ſuppoſito, etiam inquirimus, an differentia conſtituatur in eſſe vniuerſalis per ordinem ad ſpeciem, quam conſtituit, an potius per ordinem ad inferiora illius ſpeciei.

2. Vt magis hui⁹ dubij veritas elucescat, aduertendum eſt, quòd differentia ad quatuor comparari poteſt

poteſt. Primò ad genus cuius eſt differentia, vt rationale ad animal, & per hãc comparationem in eſſe tertij vniuerſalis conſtitui non poteſt; tùm quia de illo non prædicatur eſſentialiter, ſed merè in quale, & cõſequẽter eſt prædicatio quinti vniuerſalis; tũ quia vniuerſale conſtituitur tale per ordinem ad inferiora, genus autem potiùs eſt ſuperius reſpectu differentiæ. Secundò comparari poteſt ad alias differentias inferiores, vt corporeum ad animatũ, & hac comparatione neq; conſtituitur in ratione vniuerſalis, quia nõ includitur in illis eſſentialiter, vt in articulo præcedenti concluſum eſt, & conſequenter non poteſt de illis eſſentialiter prædicari, quomodo prædicari debet in ratione vniuerſalis. Tertiò cõparari poteſt ad propria inferiora, vt rationale ad hoc, & illud rationale, neque ſic habet rationem tertij vniuerſalis, quia de illis non prædicatur in quale, ſed merè in quid, & per modum ſpeciei, vt poteſt etiam prædicari in abſtracto, de hac, & illa rationalitate. Quartò tandem comparari poteſt ad ſpeciem, quam conſtituit, & cuius eſt pars formalis, vt ſentiens ad Animal, & rationale ad hominem, ac etiam ad inferiora illius ſpeciei, vt ſentiens ad hominem, & equum; & rationale ad Petrum, & Paulum, quibus poſitis reſpondetur ad artic. duabus concluſionibus.

*Concluſio Prima.*

3. *Dicimus primò, Differentiam tertium vniuerſale, vt communem ſubalternæ, & infimæ, ità definiri debere, ſ. eſſe id, quod prædicatur de pluribus in quale quid*. Eſt Scoti loc. cit. vbi ei' expoſitores Sarnan. Maurit. Braſauol. Anglic. Antonius Andreas. Tatar. Maſtr. & Bellut. & alij Scotiſtæ, & ſequuntur etiam Auctores aliarum ſcholarum, vt Complut. Hurt. Arriag & Pr. faciliter, quia omittendo illam particulam, ſpecie differentibus ampliatur definitio, & adæquatè comprehendit tã differẽtiam genericam, quàm ſpecificam, & facilè etiam explicari poſſet, addendo particulam, ſpecie, vel numero differentibus, per quam definitionem benè explicatur eſſentia differentiæ, vt eſt tertium vniuerſale, conſtat .n. ex genere, & differentia, nam per prędicari de pluribus conuenit cũ alijs prædicabilibus, per prædicari in quale quid, differt ab omnibus, & per hoc quòd prædicatur in quid, oſtenditur pertinere ad eſſentiam rei; per hoc quòd adiungitur in quale, oſtenditur eſſe partẽ formalem eſſentiæ, & qualificantẽ, nam prædicari in quale eſt prædicari per modum informantis, & adiacentis alteri.

4. Sed dices, modus iſtę prædicãdi videtur impoſſibilis, & ſibi repugnans, nam prædicari in quid eſt prædicari, vt quid eſſentiale, & quidditatiuè; prædicari in quale eſt prædicari vt aliquid extra eſsẽ-

tiam,& denominatiuè, quæ rationes ſunt ſibi inuicem incõpoſſibiles; at Reſpondetur faciliter exẽplo compoſiti phyſici, nã ſi forma comparetur cum materia eſt vtiq; omnino extra eſſentiam eius, nam merè illi adiacet; ſi verò comparetur cum cõpoſito, ſic non eſt extra eius eſſentiam, adhùc tamẽ dicitur illi adiacere,quia adiacet vni parti illius, quod etiam ex cõmuni vſu loquendi patet, ſolemus .n. vocare animam formam hominis, licèt ſit tantũ forma corporis pro altera parte compoſiti,ſic etiã in cõpoſito methaphyſico; eſtò differẽtia ſit de illius eſſentia, adhuc tamen dici poterit adiacere, quia alteri eius cõparti accidit,& ità de ipſo in quale q.d prędicari poterit; in quid,q.a eius eſsẽtiã ingreditur; in quale,q.ã ratione alterius partis ci adiacet; ſequitur ex parte Palqualigius 1.p.meth.diſp.19.ſec.3.

5. Ex qua doctrina colligitur, ꝙ iſti duo modi non ſunt incõpoſſibiles reſpectu eiuſdem, quia non eodẽ modo differentia prædicatur in quale de genere, & de ſpecie, de genere .n. propriè, & ſecundũ rem prædicatur in quale,de ſpecie autem,& eius inferioribus in quale tantùm ſecundum modum,quatenùs per terminum adiectiuum ſignificatur adiacere alteri eius comparti; & ità prædicari in q.d, & in quale non opponuntur in differentia(ait Scot. q. 28. Vniuerſalium) benè opponeretur, ſi prædicaretur in quid ſecundum rem, & in quale ſecundum rem; at prædicari in quid ſecundum rem, & in quale ſecundum modum, non vtique opponuntur, ſicut plurale, & ſingulare non opponuntur, ſi illud ſumatur vt quid, hoc verò vt modus. Et cũ opponebatur, quòd prædicari in quale, eſt denominatiuè prædicari, quod prædicationi eſſentiali opponitur. ℞t. Doctor ibidem in fine, hoc eſſe verum quo ad prædicari in quale ſecundũ rẽ, quod eſt prædicari accidẽtaliter, & propriè denominatiuè, nõ autẽ quoad prædicari in quale ſecundũ modum; modus .n. prædicandi in quale poteſt etiam formæ ſpecificæ conuenire, quatenùs nomine adiectiuo ſignificatur. Hinc Ariſt. 5. phyſ. 18. & 5. meth. cap. de quali, formam ſpecificam vocat qualitatem eſſentialem.

*Concluſio Secunda*.

6. *Dicimus ſecundò, Differentiã non cõſtitui in ratione Vniuerſalis per ordinem ad ſpeciem, quam conſtituit, ſed per ordinem ad inferiora ſpeciei*. Concluſio eſt contra Caiet. Sot. Tolet. Petron. & alios, qui volunt differentiam cõſtitui in eſſe Vniuerſalis p ordinem ad ſpeciem, quam conſtituit. Et eſt Scot. & Scotiſt. qui differentiam per prędicari de plurib⁹ conſtituunt, vt Porphy. fecit, & ſequuntur Recentiores ferè omnes, Complut. Ruu. Sanch. Auer. Onna, Didacus à Ieſu, Arriaga, Paſqualig. &c. & ità euidenter demoſtratur: Vniuerſale dicitur tale quatenùs plura inferiora reſpicit, reſpectu

ctu quorum habet rationem ſuperioris, cùm in quid de illis prædicetur; at reſpectu ſpeciei, quã cõſtituit, differentia non eſt ſuperior, ſed omninò æqualis, æquale autẽ non eſt Vniuerſale reſpectu æqualis, ergo &c. Maior patet, minor probatur; tùm quia ſuperius non conuertitur cum inferioribus in ſubſiſtendi cõſequẽtia in poſt prędicam. cap. de priori, benè tamen æquale cum æquali; at Differentia conuertitur cum ſpecie, quam cõſtituit, vt patet de homine, & rationali, ergo &c. Tùm quia ſuperius contrahitur ad inferius, quod non militat de æquali &c.

Tùm tandẽ, qa Porphy. ipſe cap. de ſpecie in fine apertè diſtinguit prædicationẽ æqualis de æquali à predicatione ſuperioris de inferiori, aſſerens: *Non aũt paria de paribus, vt hinnibile de equo, ſed maiora de minoribus prædicentur oportet*. vbi ꝑ prædicationẽ maiorũ de minorib⁹ intellexit ꝓdicationẽ Vniuerſaliũ de inferioribus ſecundum eius præcipuos expoſitores.

At reſpondere ſolent, quòd ſpecies habet ſuam pluralitatem, ſaltẽ virtualem, quatenus ſub ſe inferiora continet, & ideo prædicationẽ de ſpecie æquiualere pluribus prædicationib⁹ de indiuiduis. Non placet, nam Vniuerſale conſtituitur per ordinem ad inferiora plurà formaliter, in quibus vtique ſit actu multiplicatum, vel multiplicabile, quare ſemper reſpicit ſimpliciter multa; at indiuidua prout in ſpecie continẽtur non ſunt ſimpliciter multa, ſed potiùs ſimpliciter vnum. Vndè Porphy. aiebat: participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo. Tùm quia ex hac reſponſione ſequeretur, quòd etiam differẽtia eſſet virtualiter vniuerſalis reſpectu ſpeciei, non formaliter, & actualiter, nam qualis eſt multitudo, talis eſt Vniuerſalitas ipſam reſpiciens, ſpecificatiuum .n. non poteſt vltra ſuã virtutem ſpecificare.

*Obiectiones.*

7. Ob. 1. Natura cõſtituitur vniuerſalis in ordine ad ea, de quibus primò, & immediatè prædicatur, ſed differentia immediatè, & primariò prædicatur de ſpecie, & mediante ſpecie de inferioribus, ergo &c. Rẽ. Tatar. cap. de Proprio. *Tertio ſciendum*. fol. mihi 41. negãdò aſſumptum, non .n. eſt de ratione prædicabilis, vt prædicetur immediatè de pluribus, ſed quòd ſolùm prædicetur de pluribus ſiuè mediatè, ſiuè immediatè, cũ nullũ tale ponatur in definitione. Quo etiã admiſſo, dicimus nõ quãcũque prædicationem immediatam conſtituere vniuerſalitatem, ſed illam tantùm, quæ eſt ſuperioris de inferiori, quod non habet differentia in ordine ad ſpeciem, ſed tantùm in ordine ad inferiora eius; Vndè quamuis Petrus, & Paulus ſint rationales, quia ſunt homines, tamẽ rationale non eſt vniuerſale, quia reſpicit hominem, ſed quia reſpicit Petrum, & Paulum &c.

Ob. 2.

Ob. 2. Differentia prædicatur de ſpecie, & non vt ſingularis, ergo vt vniuerſalis, ℞. conced. conſeq. materialiter, & ſpecificatiuè, non formaliter, & reduplicatiuè, ita vt ſenſus ſit, differentia, quæ prædicatur de ſpecie, eſt vniuerſalis, non tamẽ reſpectu illius, ſed reſpectu inferiorum ſuorum.

Tertiò: Eodem genere predicationis differentia prædicatur de ſpecie, & inferioribus eius, ſed de eius inferioribus prædicatur tanquam Vniuerſale, igitur etiam de ipſa ſpecie ℞. aſſumptum eſſe verum in quantum tàm de ſpecie, quàm de eius inferioribus prædicatur in quale quid, ſed nõ ſub eadem relatione, & habitudine, nam de ſpecie prædicatur vt æquale de æquali, de inferioribus verò, vt ſuperius de inferiori.

Quartò. Differẽtia reſpectu ſpeciei exercet proprium prædicandi modum in quale quid, & potiori ratione, quàm reſpectu inferiorũ, reſpectu quorum potius habet rationem partis materialis, quàm formalis, cùm ad illa contrahatur per alias rationes peculiares ipsã determinantes, ergo potius reſpectu ſpeciei cõſtituitur vniuerſalis. Reſponſio patet ex præcedenti ſolutione, Et falſum eſt differentias ſuperiores contrahi per inferiores ad modum partis materialis, nam ſolùm id verificatur identicè, & concomitanter ratione generis, quod conſtituunt; at reſpectu ſpeciei, & inferiorum eius, ſemper prædicatur in quale quid; & licèt reſpectu ſpeciei habeat ſufficientem modũ prædicandi vniuerſalis, non tamẽ habet ſufficientem terminum vniuerſalitatis, quæ ꝓ termino multa inferiora requirit.

# DISPVTATIO VII.

## DE PROPRIO.

### TEXTVS,

*Proprium verò quadrifariam diuidunt: nam & id, quod ſoli alicui ſpeciei accidit, ſed non omni &c.*

1. SEquitur quartũ caput, in quo Porphy. agit de Proprio. Et meritò quidẽ accidenti preponitur, quia licèt de rei ſubſtantia non ſit, eſt tamẽ ſubſtantię, & eſſentiæ rei ſatis proximum, cùm ab ea immediatè emanet, & cum qua realiter identificetur. Sumitur autem quadrupliciter, vt in inſtitutionib' diximus: Primo modo, quòd conuenit ſoli, non tamen omni, vt hominem eſſe Medicum: Secundo, quòd conuenit omni, ſed non ſoli, vt hominẽ

eſſe bipedem: Tertio, quòd conuenit, omni, & ſoli, ſed non ſemper, vt hominem caneſcere. Quarto modo, quòd conuenit omni, ſoli, & ſemper vt hominem eſſe riſibilem. Poteſt tamen hoc nomen Proprium, dupliciter accipi; primò vt opponitur improprio, & dicitur illud, quod propriè, & abſquè methaphora conuenit rei; Secundò, vt communi opponitur, & ſignificat illud, quod ità conuenit rei, vt alijs competere non poſſit, vt paſſio dicitur propria naturæ, à qua dimanat, ſicut riſibilitas hominis, & Proprium in hoc ſenſu à Porphyrio definitur. Sed quia adhùc dupliciter capi poteſt, vel pro ipſa proprietatē reali, quæ realiter ab eſſentia emanat, & cum eadem reciprocatur, vel pro eadē affecta logica vniuerſalitate in ordine ad ſpeciem, & eius indiuidua, hic de Proprio in vtroq; ſenſu agemus.

2. Circa textum multa oriuntur dubia, ex quibus nos ea tantùm, quæ magis neceſſaria ſunt, ſeligemus, reliqua ad methaphyſicam remittentes. Primum dubium eſt, quomodò Propriū in ratione proprij definiendum ſit; & R. ità ab Ariſt. 1. Topic. c. 4. definitum fuiſſe .ſ. Proprium eſt, *quod non indicat quid rei, ſoli autem ineſt, & conuerſim prædicatur.* Quæ quidem definitio datur de Proprio ſub ratione Proprij, non ſub ratione Vniuerſalis, vt benè hic Tatar. aduertit, & ratio eſt, quia definit illud p ordinem ad vnum ſolum, & per prædicari conuertibiliter, quæ duo repugnant Vniuerſali, ex dictis. Et cùm ait, proprium non indicare quid rei, hoc intelligendum eſt à priori, nam à poſteriori benè indicare poteſt, vt infra patebit; ſed ſignificare voluit, propriū non eſſe prædicatum intra eſſentiam, quia ſic illam indicaret à priori, ſed extra eſſentiam; addit, *ſoli autem ineſt.* vt oſtenderet Proprium ſub ratione proprij differre à communi, & ideò ſicut commune dicit relationem conuenientiæ ad multa, ità Proprium dicit relationem conuenientiæ ad vnum, cum excluſione communicationis ad extraneum; addit tādem, *& conuerſim prędicatur*, vt oſtenderet neceſſariam, & mutuam connexionem, quæ inter ſubiectum, & paſſionem eius intercedit, ratione cuius ſe inuicem inferunt in ſubſiſtendi conſequentia, vt ſi homo eſt, riſibilis eſt, & è contra, quod Ariſt. probans dixit (*Nemo .n. Proprium dicit, quod contingit alij ineſſe, vt homini dormire, neque ſi forſitan per aliquod tempus ineſt ſoli)* per quod denotat, quòd Propriū debet ineſſe ſoli, & ſemper, quod poſtea Porphy. cap. præſenti magis explicuit. Ex his colligitur, ꝙ tres conditiones requiruntur, vt aliquod prædicatum dicatur Proprium: Prima eſt, quòd non ſit ꝑdicatum intra eſſentiam: Secunda, quòd conueniat ſoli, quia ſi alteri naturæ conueniret, non eſſet accidēs Proprium, ſed commune: Tertia eſt, quòd neceſſariam habeat

cum

cum ſubiecto connexionem, ità vt vbicumque talis res inuenitur, & quandocumque ſemper annexam habeat talem proprietatem ex intrinſeca illius exigentia.

3. Sed inſtabis, calor eſt Propriũ ignis, & tamèn conuenit alijs, & riſibilitas eſt proprium Petri, & tamen cum ipſo non couertitur, ergo particulæ definitionis non sũt benè aſſignatæ ℞. admittendo calorem non dici proprium ignis in toto rigore, quia non conuerſio ſoli; & quando dicimus, quòd Proprium debet cum ſuo ſubiecto cõuerti; id intelligimus de ſubiecto primo, & adæquato, non de ſubiectis ſecundarijs, & inadæquatis, vt ſunt inferiora ſubiecti adæquati; ratio .n. Proprij, vt diſtinguitur à communi; habetur ſolùm in ordine ad eſſentiam, à qua immediatè pullulat, non in ordine ad inferiora talis eſſentiæ, cùm ſic potius habeat rationem communitatis, & vniuerſalis, quàm Proprij.

4. Secũdò dubitatur, quodnam ſit Proprium, quod in hac definitione definitur. Eſt opinio aliquorum Recentiorum, aſſerentium illa accidentia, quæ alicui ſoli ſpeciei conueniunt, & ſi non ſemper illi conueniant, abſolutè propria cenſenda eſſe, vt ridere, V. g. diſcurrere &c. quæ ſoli homini conueniunt, & ſi non ſemper homo rideat, vel diſcurrat, Et eorum ſententiam fulcire nituntur authoritate Ariſt. 1. Topic. c. 4. Vbi ſolũ excludere videtur à ratione Proprij, id, quod alij conuenire poteſt dicens *(Nemo proprium alicuius rei dixerit, quod alijs conuenire poteſt.)* Vndè tantùm Proprium in ſecunda acceptione excludunt à rigoroſa Proprij acceptione, quia conuenit alijs, vt eſſe bipedem &c. Sed communis opinio eſt, ꝙ tantùm quarto modo ſumptum eſt cenſendum Proprium rigoroſum, iuxta mentem Ariſt. & Porphyr. quod ex eo patet, quia tres illæ prædictæ conditiones ad Proprium rigoroſum requiſitæ, tãtùm Proprio in quarto modo inueniuntur; Proprijs autem aliorum modorum ſemper aliqua illarum conditio deficit; Et patet per ſingula, nam Proprium primi modi conuenit ſoli, ſed non ſemper, vt eſſe medicum &c. & ratio eſt, quia vt ibi notat Tatar. eſſe Medicum accipitur ibi à Porph. prout dicit actum, & ideò eſt ſeparabile etiam naturaliter, quia eſſe poteſt, quòd nullus homo ſit Medicus; Et idem dicendum eſt de Proprio tertio modo, quia caneſcere accipitur, vt dicit actum, quomodo non conuenit ſemper homini; Proprium autem ſecundo modo licèt accipiatur aptitudinaliter, non conuenit tamèn ſoli homini; Vndè remanet, quòd ſolùm Proprium quartò modo ſit Proprium rigoroſè acceptum, quod hic definitur, & Auctoritatem Ariſt. trũcatam afferunt, non integram, vbi ſic ait *(Nemo .n. Proprium dicit, quod contingit alijs ineſſe, neque ſi forſitan per aliquod tempus ineſt ſoli)* Vbi alios mo-

modos ibi Ariſt. appellat non propria, ſed aliquando. Tùm quia Ariſt. excludit illa, quæ conueniunt rei ſeparabiliter, & contingenter per illam particulam *(conuerſim prædicatur de re)* per quam oſtenditur, quòd Proprium ſemper rei conueniat, ità vt ſe inuicem inferant in ſubſiſtendi conſequentia, quod nō poteſt de actib' verificari, qui abſunt, & adſunt, vt accidentia communia.

Tertiò. Dubitatur an Proprium quarto modo dicat ſemper aptitudinem, ità quod nequeat dicere actum. quaſi cōmunis opinio eſt, quòd ſemper aptitudinem dicat; Vnde paſſiones rerum aptitudines appellantur, quibus, & fauere videntur Ariſt. & Porphy. qui quartum modum Proprij explicantes, exemplificant de aptitudinibus, non de actibus, imò hos excludūt. Verùm licèt hoc ità ſit, vt plurimum, & regulariter, interdum tamèn non ſolùm aptitudinem, ſed etiam actum dicunt, vndè dicimus Proprium eſſe trianguli habere tres angulos æquales, duobus rectis, non tantùm in aptitudine, ſed etiam actu, ſic etiam dicimus inhærere eſſe proprium accidentis reſpectiui non ſolùm vt aptitudinē dicit, ſicut in accidente abſoluto, ſed etiam vt dicit actum, cuius ratio eſt, quia talibus naturis nō ſolùm neceſſariò connectuntur relatæ aptitudines, ſed etiā actus illis correſpondentes; quod etiam in paſſionibus diſiunctis apparet, vt ſunt par, & impar reſpectu numeri, rectum, & curuū reſpectu lineæ, quæ ſuis ſubiectis neceſſariò conueniunt, non ſolùm aptitudine, ſed etiam actu; & ſi Ariſt. & Porphy. videntur actus excludere, hoc intelligi debet ſolū de illis actibus, qui non habent neceſſariam connexionem cum ſubiecto.

Dubitatur quartò de identitate inter Proprium, & ſubiectum, ſed quia hæc eſt controuerſia alicuius momenti inter Scotiſtas, & Thomiſtas, ideò pro eius reſolutione, præſentem inſtituimus articulum.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An proprium poſsit à ſubiecto ſeparari, etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam.*

SCot. cuius ſapidæ doctrinæ laetices ex lepidiſſimo decurrentes fonte tātū doctiſſimi viri propināt, pluribus in locis de hoc dubio diſſerit, ſed prǽcipuè q. 33. vniuerſalium, & in 2. d. 12. quæſt. 2. ad 1. lit. E. & d. 25. q. vn. C. & in 4. d. 12. q. 3. §. *Dico ergo ad Quæſtionē, &c.* & alibi, vbi ſemper reſpondet negatiuè. Sequuntur omnes eius diſcipuli, Lich. q. 3. Prol. Faber. 4. Meth. diſput. 6. Tromb. 4. Meth. q. 4. Canon. 1. phyſ. q. 4. art. 2. Tatar. cap. de Proprio dub. 3. Roc. Bellut. & Maſtr. & alij communiter cū Schola Nominalium. Thomiſtæ non conueniunt inter ſe, aliqui .n. licèt diſtinctionem realē admittant inter ſubiectum, & paſſionem, non tamèn ſeparationem,



Digitized by Google

etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam, & hoc propter neceſſariam connexionem, quæ inter ſubiectum, & paſſionem reperitur ità Caiet. p. p. q. 54. art. 3. Capreol. 1. d. 3. q. 3. Soncin. 8. Meth. quæſt. 1. ad 4. cum alijs. At Ferrarienſis 4. contra gentes c. 65. Sot. q. 2. de Proprio, Bannes p. p. q. 73. art. 6. cum multis alijs tenent poſſe paſſionem à ſubiecto ſeparari ſaltèm per potẽtiam Dei. Alij verò diſtinguũt duplex genus proprietatum; quædam cum ſuis ſubiectis identificantur realiter, vt ſunt paſſiones entis, & appetitus materiæ ad formas, & hæ nequeunt à proprio ſubiecto ſeparari, neq; etiã per abſolutam Dei potentiam, quædã verò realiter diſtinguũtur, vt quãtitas in materia, calor vt octo in igne, frigiditas sũma in aqua, & hæ poſſũt à Deo ſeparari; ità Auerſa q. 14 ſec. 3. Didac. à Ieſu d. 9. q. 1. dubit. 4. cum aliquibus Recentioribus.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Neceſſitatem connexionis Proprij cum ſubiecto, non ſolùm eſſe phyſicam, ſed etiam methaphyſicam, & ità nec etiam per potentiam Dei abſolutam ſeparari poſſe.* Eſt Scoti loc. cit. & ità probatur: Concluſio demõſtrationis in qua paſſio demonſtratur inhærere ſubiecto, eſt adeo vera, vt per nullam potẽtiam poſſit reddi falſa, ergo nequit à ſubiecto ſeparari, aliter falſificari poſſit & ità æternę veritatis non eſſet. Ait Didacus loc. cit. quòd hæc cõcluſio .ſ. homo eſt riſibilis, eſt æternæ veritatis radicaliter, quatenùs in homine ſemper manet neceſſariò radix riſibilitatis, quæ eſt rationalitas, non eſt autem æternæ veritatis formaliter. Sed contra, ergo formaliter eſt contingens, & ideò poteſt aliter ſe habere, & falſificari; Vndè hæc ſolutio oſtendit ſolas præmiſſas demoſtrationis, quę pertinent ad primum modum eſſe formaliter neceſſarias, concluſionem verò eſſe in ſe contingentem, quod nullus philoſophorum hucuſq; conceſſit; Ideò ſentit alij cõcluſionem illam eſſe veram etiã formaliter, non tamèn, quia actu exiſtat in homine riſibilitas; ſed quia connexio illius cum ſubiecto eſt in ſecundo modo dicendi per ſe, & ità ſemper eſt riſibilitas in homine ſecundum connexionem per ſe, licèt non ſecundùm exiſtẽtiam; eſtò igitur hæc propoſitio; homo exiſtit riſibilis, eſſet falſa, illa tamen ſcil. homo eſt riſibilis ſemper foret vera, veritas .n. neceſſaria abſtrahit ab actuali exiſtentia. Sed neq; hæc ſolutio ſatisfacit, nam connexio per ſe prædicati cum ſubiecto oritur ex neceſſaria inhærẽtia talium extremorum, ergo ſi riſibilitas non ineſt homini neceſſariò, propoſitio non erit vera ſecũdum connexionem per ſe in ſecundo modo; & licèt verùm ſit, quòd veritas propoſitionum neceſſariarum non pẽdeat ex actuali exiſtẽtia extremorum, petit tamèn, quòd ſi extrema exiſtant, prædicatum verè exiſtere in ſubiecto debet, quare ea-

rum

Digitized by Google

rum veritas ampliatur ad omne tempus, vt patet in ſummulis, & explicatur per hypoteticam cōditionalem. V.g. homo eſt riſibilis, ampliatur, ſi homo fuit, fuit cum riſibilitate; ſi eſt, cum riſibilitate; ſi erit, cum riſibilitate erit, ergo ſi modò Deus riſibilitatem ab homine extingueret, tolleretur connexio per ſe, & propoſitio eſſet falſa. Tùm quia exiſtentia non diſtinguitur realiter ab eſsētia rei, vt ſuo loco oſtendemus.

3. Rẽt. aliter Arriaga cum alijs, quòd propoſitiones ſecundi modi dicuntur neceſſariæ, quia neceſſariò competunt ſubiecto ſecundum naturalem facultatem, & innatam eius exigentiam, non tamèn abſolutè, & in ordine ad Diuinam potentiam. Nō valet, imò ex hac ſolutione confirmatur magis noſtra deciſio, nam ſi Deus poſſet à proprio ſubiecto paſſionem ſeparare, nullum erit diſcrimen quo ad hoc, inter accidens proprium, & commune inſeparabile, nam vtriuſque cōnexio cum ſubiecto eſſet neceſſaria eodem modo .ſ. neceſſitate phyſica. Dicendum eſt ergo, quòd prædicata ſecundi modi debēt neceſſariò competere ſubiectis abſolutè, etiam in ordine ad Diuinam potentiam. Reſpondent aliqui, negando ſequelam, & rationem aſſignant, nam ſeparata ab homine riſibilitate, adhùc diceretur homo radicaliter riſibilis, quia maneret in homine rationalitas, quæ eſt radix, & principium exigitiuum riſibilitatis, quod non poteſt dici de coruo reſpectu nigredinis. Non placet, & facilè reijcitur, nam eadem ratione coruus dici poteſt radicaliter niger, ſeparata nigredine, quia nimirum remaneret in eo principium radicale, & exigitiuū talis nigredinis .ſ. talis complexio, & temperamentum, quod induceret debitum habendi nigredinem. Iterum reſpondent, aſſerētes aliud diſcrimen, quòd .ſ. ſeparata riſibilitate per Dei potentiam, adhùc homini conueniret eſſe riſibile ſecundum propriam virtutem ſubiecti, & facultatem naturalem; ſi .n. Deus poſt eius ſeparationem, ſubiectum in ſuo naturali ſtatu relinqueret, ſtatim talis paſſio ab eo pullularet, quod de accidente inſeparabili dici non poteſt. Sed neq; hæc reſponſio ſoluit; nam etiam in multis accidentibus communibus experimur, quòd ſubiectum illis iam naturaliter denudatum, ſi non Impediatur ſua naturali virtute, ea denuo ſibi comparat; vt patet de aqua calida remota ab igne, quæ ad priſtinū ſtatum frigiditatis ſe reducit, ꝙ tāto magis de accidētibus inſeparabilibꝰ affirmari debet, atq; adeo nulla eſt diſparitas aſſignata. per hęc exploſę manēt reſpōſiones Sāch. & aliorū Recentiorum cōtra noſtras rationes.

4. Addunt Scotiſtæ, tantam eſſe cōnexionem inter ſubiectum, & paſſionem, vt ſit etiam logica; itaquòd non poſſit ſubiectum ſinè paſſione diuiſiuè intelligi, vel ſub

oppoſito eius; quòd colligunt ex Scot. q. 32. vniuerſalium ad vltim. & alibi, vbi docet, quòd licèt intelligere poſſimus hominem non cum riſibilitate, præciſiuè, quia ex 2. phyſ. tex. 12. abſtrahentium non eſt mendacium, non poſſumus tamèn hominem intelligere ſine riſibilitate, vel ſub oppoſito ipſius hominis, negando, ſcilicèt, riſibilitatem de homine, vel affirmando eius oppoſitum; & fundamentum eſt; quia ſicut ex negatione riſibilitatis rectè infertur negatio humanitatis, ità ex poſitione riſibilitatis, infertur poſitio humanitatis, ergo neceſſitas connexionis inter ſubiectum, & proprietatem eſt etiam logica. Aſſũptum eſt ab omnibus conceſſum, vt apud Compl. patet diſp. 8. q. 1. vbi docet, & benè, per hoc diſtingui proprium ab accidente communi, etiã inſeparabili, quia tale ſubiectum ſine tali accidente diuiſiuè poteſt intelligi; imò, & ſub oppoſito eius, vt Porphyr. cap. de Accidente docuit; non autem ſubiectum ſine paſſione; quomodò ergo poſſunt Thomiſtæ aſſerere, quòd ſit à parte rei ſeparabilis, ſi nec per intellectum ſeparari, & diuidi poſſit paſſio à ſuo ſubiecto?

*Obiectiones.*

5. Ob. 1. Auctoritate Ariſt. 5. meth. 16. vbi docet, priora natura illa dici, quæ ſine alijs eſſe poſſunt, non tamen alia ſine ipſis, ergo ſi ſubiectum eſt prius naturà paſſione, poteſt eſſe ſine illa, ſaltem de potẽtia Dei abſolutà. ℞. quòd duplex eſt prioritas naturæ, vt articulo de Priori dicemus; vna eſſendi, quæ explicatur per poſſe eſſe prius ſine poſteriori; alia intelligendi cũ fundamento in re, quæ non rectè explicatur per poſſe eſſe ſine poſteriori, ſed ſolùm per poſſe vnum abſque alio, vel pri⁹ alio intelligi; quatenus non includit illud in ſuo conceptu, vt Scot. docet in 3. d. 3. quæſt. 1. lit. G. Ariſt. loquitur de prioritate naturæ primo modo, nõ ſecũdo modo, quomodò eſt ſubiectum in ordine ad paſſionem.

Ob. 2. Omne prius in quantum prius, eſt ſaltem per Diuinam potentiam ſeparabile à ſuo poſteriori, ſed ſubiectum eſt prius natura paſſione ex Ariſt. in poſtprædic. cap. de ſimul, ergo. ℞. ex Scoto in 2. d. 12. q. 2. A. Ma. eſſe veram de illo, quod eſt realiter diſtinctũ à poſteriori, quomodo nõ eſt paſſio reſpectu ſubiecti; Vel cum Tatar. maior eſt vera reduplicatiuè, quia prius in quantum prius nõ dependet à poſteriori, & ità ſine illo eſſe poteſt, ſi ex alio capite non ſit impedimẽtum .ſ. ex identitate reali; vel ex dependentia eſſentiali &c.

Tertio. Si ſubiectum non poteſt ſine paſſione reperiri, ergo dependeret ab illa, & conſequenter eſſet poſterius ea; quòd ſi non depẽdet, ergo poteſt eſſe ſine illa. ℞. quòd dependeret ab illa dependentia, ſeu potiùs exigentia à poſteriori; quatenùs cum illa identificatur, in quo ſenſu etiã dicimus, quòd cau-



Digitized by Google

ſa formalis dependet à ſuo effectu formali, quatenùs ſine illo reperiri non poteſt.

Quartò. Quidquid eſt in aliquo inſtanti, in quo non eſt aliud, põt à Deo conſeruari pro tali inſtanti ſine illo, ſed ſubiectũ eſt in aliquo inſtanti naturæ, in quo non eſt ſua propria paſſio, ergo. ℞. neg. min. & ratio eſt, quia prius natura non eſt prius in aliquo ſigno, in quo nõ ſit poſterius; cùm nullius rei exiſtentia menſuretur per inſtans naturæ, ſic quòd in aliquo exiſtat id, quòd dicitur prius natura, in quo non exiſtat, quòd eſt natura poſterius, vt benè Canonicus aduertit 1. phyſ. loco cit. ſed ſolũ verũ eſt, ꝙ in aliquo inſtãti intelligitur illud, in quo non intelligitur poſterius. ſola prioritas durationis explicatur per verbum eſt, & in quo &c.

Quintò. Quãtitas eſt paſſio ſubſtantiæ corporeæ, calor vt octo ignis, frigiditas aquæ, & tamen ab his ſeparari poſſunt, ergo ℞. negãdo illa eſſe propria talium ſubiectorum in rigore, ſed ſunt quędam accidentia illis connaturalia, licèt propenſitas ad talia accidentia recipiẽdo, eſſet potius eorum ſubiectorum proprietas appellanda.

Seſtò. Vel paſſio cauſatur à ſubiecto in genere cauſæ efficientis, vel in genere cauſæ materialis; ſi primum, ergo ſubiectum ſine paſſione eſſe poteſt; Deus .n. impedire poteſt omnem effectum in genere cauſæ efficientis; ſi ſecundũ dicatur, etiam habetur intentum, nam cauſalitas materiæ, ſiuè potẽtiæ paſſiuæ eſt contradictionis, & cõtingens ex 9. meth. 17. ℞. ſubiectum eſſe cauſam paſſionis in genere cauſæ efficientis, non quidem phyſicæ, & per verum, ac realẽ influxum, in hoc .n. ſenſu aliam cauſam non habet ab illa, quæ ipſum ſubiectum produxit; ſed in genere cauſæ efficientis methaphyſicæ, ꝙ explicatur per emanationem, vel pullulationem à ſubiecto; Vndè licèt Deus poſſit omnem cauſalitatem phyſicam efficientem impedire, non tamen methaphyſicam.

Sed inſtabis; Deus liberè concurrit cum ſubiecto ad emanationem paſſionis, ergo poterit ſuum ſubtrahere concurſum, alioquin non concurreret liberè, quo caſu iam ſubiectũ ſine paſſione maneret. ℞. ſine tremore concedendo Deum neceſſariò concurrere ad productionem paſſionis, non quidem neceſſitate ſimpliciter, & abſoluta, ſed neceſſitate ſuppoſitionis, & conſequentiæ, nam producẽdo ſubiectũ, neceſſariò tenetur concurrere cum eo ad productionem ſuæ paſſionis. ſic Maſt. & Bellut. doctiſſimè, & poteſt hæc doctrina explicari, ſuppoſito enim, ꝙ Deus velit producere hominẽ, non poteſt ſine rationalitate eũ producere.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Quomodo Paſsio à ſuo ſubiecto diſtinguatur.*

SCot. Methaphyſicalium literarum peritia clariſſimus, dubiũ hoc

eſt Accidens, ſimiliter etiam potẽtia erit Accidens. ℞. quòd ſi hoc Argumentum valeret, concluderet etiã de intellectione reſpectu intellectus, & volitione reſpectu voluntatis &c. quare aſſumptum ſolùm valet de potentia reſpiciente actum ſubſtantialem, ipſum perficientem &c. Non de actu accidentali. Si tamen actus acciperetur reduplicatiuè, vt actus eſt, valet aſſumptum, nam ſic vt actus eſt, eſt nobilior potentia, ſed hoc nihil officit nobis, nam tunc abſtrahit à conceptu ſubſtantiæ, & accidẽtis.

Quintò. Illa contradictoria, ꝙ ſubiectum eſt prius, paſſio poſterior &c. non ſolùm diſtinctionem formalem inferunt, ſed etiam realem, nihil .n. poteſt ſe ipſum præcedere; ergo. ℞. negando aſſumptum, non .n. quæcumque contradictoria realem diſtinctionem inferunt, ſed ſolũ illa, quæ in diuerſis reb. radicantur, nõ illa, q̃ in diuerſis formalitatibus, licèt ergo prioritas, & poſterioritas temporis ſẽper fundentur in diuerſis rebus, & conſequenter, vt contradictoria, diſtinctionem realem inducant, nõ tamẽn prioritas naturæ, & præſertim intelligendi, qualis eſt inter ſubiectum, & paſſionem talem infert diſtinctionem. Sed dices, Proprium, vel eſt ſubſtãtia, vel eſt Accidens, at non ſubſtantia, vt patet, ergo Accidens. Reſpondet Canon. loc. cit. quòd formaliter neutrum eſt, ſed per idẽtitatem vtrumque, nam in ſubſtantijs eſt realiter, & identicè ſubſtantia, in accidentibus, Accidens.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *An Proprium ſit Vniuerſale.*

1. Scotus, qui omnium luce doctrinatum mirum in modũ clareſcit, quæſitum hoc ex inſtituto diſſoluit q. 30. Vniuerſalium, vbi Sarnan. Tatar. & communiter eius ſequaces. Pro cuius notitia ſuppponimus ex dictis, Proprium nõ benè diſtingui in ratione quarti Prædicabilis per conuertibiliter prædicari; Et ratio eſt, quia prædicari cõuertibiliter repugnat rationi vniuerſalis, quod debet de pluribus prædicari, de quibus non conuertitur in ſubſiſtendi conſequentia, non .n. valet, homo eſt Animal, ergo Animal eſt homo; quare per prædicari conuertibiliter diſtinguitur ab accidente, ſolũ in ratione Proprij; Aliud .n. eſt loqui de Proprio in ratione proprij, aliud de Proprio in ratione Vniuerſalis, vt Tatar. adnotauit c. de Proprio 3. ſciendum ſit. E. vbi ait, non oportet Proprium in ratione prædicabilis prædicari de ſuis ſubijcibilibus conuertibiliter, licèt benè in ratione Proprij. Cuiꝰ ratio eſt, quia vt Proprium, reſpicit ſolũ naturam, cui adæquatur; vt Vniuerſale verò reſpicit inferiora illiꝰ naturæ, de quibꝰ prædicatur. Hinc Scot. q. cit. docuit repugnare eũdẽ reſpectu eiuſdem eſſe Propriũ, & Vniuerſale; & ſi aliquando Proprium ab Accidente diſtinguitur

per

per prædicari conuertibiliter, intelligendum eſt in ratione Proprij, non Vniuerſalis, vt benè hic Recentiores Scotiſtæ aduertunt.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Proprium conſtitui in ratione Vniuerſalis, & quarti Prædicabilis per prædicari de pluribus in quale accidentale neceſſariò, & intraſmutabiliter, ſeù in ſecundo modo dicendi per ſe.* Ità Scot. loc.cit. Tatar. cap. de Proprio, Et Scotiſtæ communiter, quæ concluſio ità declaratur, & probatur: per hoc, quòd dicitur prædicari de pluribus, oſtenditur Proprium non eſſe Vniuerſale reſpectu ſolius ſpeciei, vt aliqui autumant, vniuerſale enim plura reſpicit &c. qua etiam ratione negauimus differẽtiam conſtitui in ratione Vniuerſalis, & prædicabilis in ordine ad ſpeciem, quam conſtituit: Per hoc, quòd non additur differentibus ſpecie, vel numero, denotatur quòd ad hoc prędicabile non ſolùm ſpectat Proprium ſpecificum, licèt illud tantùm Porphyrius definierit, ſed etiam Proprium genericum, vt ſenſibile, eo quidem modo, quo de Differentia diximus: Per hoc, quòd adiungitur in quale accidentale, ſignificatur diſtinctio à tribus vniuerſalibus prioribus, quæ dicuntur eſſentialia, ad eſſentiam rei ptinentia, & etiam inſinuãtur ſubijcibilia ipſius Proprij, quæ non sũt inferiora qualificatiuè, vt hoc riſibile, vel illud, quia de iſtis prędicatur in quid, ad modum ſpeciei, ſed eius ſubijcibilia in ratione vniuerſalis ſunt inferiora illius naturæ, cuius eſt Proprium, de iſtis .n. in quale accidentale prædicatur: Additur tandèm neceſſariò, & intraſmutabiliter, vt oſtendatur diſtinctio Proprij ab Accidẽte communi, Proprium .n. de ſuis ſubijcibilibus ità neceſſariò prædicatur, vt de illis omnino negari nequeat; & ratio eſt, quia ex nagatione paſſionis, valet inferri deſtructio ſubiecti, quod non admittitur de Accidente quinto prædicabili, etiam inſeparabili. Hic multa dubia mouentur ab Authoribus ſupra citatum textũ Porphyrij, quæ ſi omnia diſcutere voluerimus, nũquam erit finis, & ideò ad magis curioſos, ſeu potius otioſos examinanda relinquimus.

*Obiectiones.*

3. Ob. 1. ꝙ Propriũ nõ ſit Vniuerſale, nã propriũ, & cõe opponũtur, ſed vniuerſale eſt cõmune, ergo, &c. ℞. ex Scoto q. 30. Vniuerſaliũ ad primum, ꝙ Proprium quatenùs Proprium, & reſpectu cuius eſt Proprium non eſt vniuerſale, ſed ſolùm reſpectu illorum, quib⁹ eſt commune; & ità Proprium, & quartum Vniuerſale sũt idem materialiter, licèt non idem formaliter; poſſet etiam dici Proprium reſpectu illorum plurium, de quibus prædicatur, quatenus hæc cõmunitas non eſt ad extranea, ſed ad indiuidua propriæ naturæ.

Ob. 2. Vniuerſale debet prædicari de pluribus immediatè, ſed



Digitized by Google

Ob. 2. Differentia prædicatur de ſpecie, & non vt ſingularis, ergo vt vniuerſalis, ℞. conced. conſeq. materialiter, & ſpecificatiuè, non formaliter, & reduplitatiuè, ità vt ſenſus ſit, differentia, quæ prædicatur de ſpecie, eſt vniuerſalis, non tamẽ reſpectu illius, ſed reſpectu inferiorum ſuorum.

Tertiò: Eodem genere predicationis differentia prædicatur de ſpecie, & inferioribus eius, ſed de eius inferioribus prædicatur tanquam Vniuerſale, igitur etiam de ipſa ſpecie ℞. aſſumptum eſſe verum in quantum tàm de ſpecie, quàm de eius inferioribus prædicatur in quale quid, ſed nõ ſub eadem relatione, & habitudine, nam de ſpecie prædicatur vt æquale de æquali, de inferioribus verò, vt ſuperius de inferiori.

Quartò. Differẽtia reſpectu ſpeciei exercet proprium prædicandi modum in quale quid, & potiori ratione, quàm reſpectu inferiorũ, reſpectu quorum potius habet rationem partis materialis, quàm formalis, cùm ad illa contrahatur per alias rationes peculiares ipsã determinantes, ergo potius reſpectu ſpeciei cõſtituitur vniuerſalis. Reſponſio patet ex præcedenti ſolutione. Et falſum eſt differentias ſuperiores contrahi per inferiores ad modum partis materialis, nam ſolùm id verificatur identicè, & concomitanter ratione generis, q̃ conſtituunt; at reſpectu ſpeciei, & inferiorum eius, ſemper prædicatur in quale quid, & licèt reſpectu ſpeciei habeat ſufficientem modũ prædicandi vniuerſalis, non tamẽ habet ſufficientem terminum vniuerſalitatis, quæ ꝑ termino multa inferiora requirit.

# DISPVTATIO VII.

## DE PROPRIO.

### TEXTVS,

*Proprium verò quadrifariam diuidunt: nam & id, quod ſoli alicui ſpeciei accidit, ſed non omni &c.*

1. Sequitur quartũ caput, in quo Porphy. agit de Proprio. Et meritò quidẽ accidenti preponitur, quia licèt de rei ſubſtantia non ſit, eſt tamèn ſubſtantię, & eſſentiæ rei ſatis proximum, cùm ab ea immeditatè emanet, & cum qua realiter identificetur. Sumitur autem quadrupliciter, vt in inſtitutionib' diximus: Primò modo, quòd conuenit ſoli, non tamèn omni, vt hominem eſſe Medicum; Secundo, quòd conuenit omni, ſed non ſoli, vt hominẽ eſſe

eſſe bipedem: Tertio, quòd conuenit, omni, & ſoli, ſed non ſemper, vt hominem caneſcere. Quarto modo, quòd conuenit omni, ſoli, & ſemper vt hominem eſſe riſibilem. Poteſt tamen hoc nomen Proprium, dupliciter accipi; primò vt opponitur improprio, & dicitur illud, quod propriè, & abſquè methaphora conuenit rei; Secundò, vt communi opponitur, & ſignificat illud, quod ità conuenit rei, vt alijs competere non poſſit, vt paſſio dicitur propria naturæ, à qua dimanat, ſicut riſibilitas hominis, & Proprium in hoc ſenſu à Porphyrio definitur. Sed quia adhùc dupliciter capi poteſt, vel pro ipſa proprietatē reali, quæ realiter ab eſſentia emanat, & cum eadem reciprocatur, vel pro eadē affecta logica vniuerſalitate in ordine ad ſpeciem, & eius indiuidua, hic de Proprio in vtroq; ſenſu agemus.

2. Circa textum multa oriuntur dubia, ex quibus nos ea tantùm, quæ magis neceſſaria ſunt, ſeligemus, reliqua ad methaphyſicam remittentes. Primum dubium eſt, quomodò Propriū in ratione proprij definiendum ſit; & R̷. ità ab Ariſt. 1. Topic. c. 4. definitum fuiſſe .ſ. Proprium eſt, *quod non indicat quid rei, ſoli autem ineſt, & conuerſim prædicatur*. Quæ quidem definitio datur de Proprio ſub ratione Proprij, non ſub ratione Vniuerſalis, vt benè hic Tatar. aduertit, & ratio eſt, quia definit illud p̱ ordinem ad vnum ſolum, & per prædicari conuertibiliter, quæ duo repugnant Vniuerſali, ex dictis. Et cùm ait, proprium non indicare quid rei, hoc intelligendum eſt à priori, nam à poſteriori benè indicare poteſt, vt infra patebit; ſed ſignificare voluit, propriū non eſſe prædicatum intra eſſentiam, quia ſic illam indicaret à priori, ſed extra eſſentiam; addit, *ſoli autem ineſt*, vt oſtenderet Proprium ſub ratione proprij differre à communi, & ideò ſicut commune dicit relationem conuenientiæ ad multa, ità Proprium dicit relationem conuenientiæ ad vnum, cum excluſione communicationis ad extraneum; addit tādem, *& conuerſim prędicatur*, vt oſtenderet neceſſariam, & mutuam connexionem, quæ inter ſubiectum, & paſſionem eius intercedit, ratione cuius ſe inuicem inferunt in ſubſiſtendi conſequentia, vt ſi homo eſt, riſibilis eſt, & è contra, quod Ariſt. probans dixit (*Nemo .n. Proprium dicit, quod contingit alij ineſſe, vt homini dormire, neque ſi forſitan per aliquod tempus ineſt ſoli*) per quod denotat, quòd Propriū debet ineſſe ſoli, & ſemper, quod poſtea Porphy. cap. præſenti magis explicuit. Ex his colligitur, ꝙ tres conditiones requiruntur, vt aliquod prædicatum dicatur Proprium: Prima eſt, quòd non ſit p̄dicatum intra eſſentiam: Secunda, quòd conueniat ſoli, quia ſi alteri naturæ conueniret, non eſſet accidēs Proprium, ſed commune: Tertia eſt, quòd neceſſariam habeat

cum

cum ſubiecto connexionem, ità vt vbicumque talis res inuenitur, & quandocumque ſemper annexam habeat talem proprietatem ex intrinſeca illius exigentia.

3. Sed inſtabis, calor eſt Propriū ignis, & tamèn conuenit alijs, & riſibilitas eſt proprium Petri,& tamen cum ipſo non couertitur, ergo particulæ definitionis non sūt benè aſſignatæ R. admittendo calorem non dici proprium ignis in toto rigore, quia non conuerſio ſoli; & quando dicimus, quòd Proprium debet cum ſuo ſubiecto cōuerti; id intelligimus de ſubiecto primo, & adæquato, non de ſubiectis ſecundarijs, & inadæquatis, vt ſunt inferiora ſubiecti adæquati; ratio .n. Proprij, vt diſtinguitur à communi; habetur ſolùm in ordine ad eſſentiam, à qua immediatè pullulat, non in ordine ad inferiora talis eſſentiæ, cùm ſic potius habeat rationem communitatis, & vniuerſalis, quàm Proprij.

4. Secūdò dubitatur, quodnam ſit Proprium, quod in hac definitione definitur. Eſt opinio aliquorum Recentiorum, aſſerentium illa accidentia, quæ alicui ſoli ſpeciei conueniunt, & ſi non ſemper illi conueniant, abſolutè propria cenſenda eſſe, vt ridere, V. g. diſcurrere &c. quæ ſoli homini conueniunt, & ſi non ſemper homo rideat, vel diſcurrat, Et eorum ſententiam fulcire nituntur authoritate Ariſt. 1. Topic. c. 4. Vbi ſolū excludere videtur à ratione Proprij, id, quod alij conuenire poteſt dicens (*Nemo proprium alicuius rei dixerit, quod alijs conuenire poteſt.*) Vndè tantùm Proprium in ſecunda acceptione excludunt à rigoroſa Proprij acceptione, quia conuenit alijs, vt eſſe bipedem &c. Sed communis opinio eſt, ꝙ tantùm quarto modo ſumptum eſt cenſendum Proprium rigoroſum, iuxta mentem Ariſt. & Porphyr. quod ex eò patet, quia tres illæ prædictæ conditiones ad Proprium rigoroſum requiſitæ, tātùm Proprio in quarto modo inueniuntur; Proprijs autem aliorum modorum ſemper aliqua illarum conditio deficit; Et patet per ſingula, nam Proprium primi modi conuenit ſoli, ſed non ſemper, vt eſſe medicum &c. & ratio eſt, quia vt ibi notat Tatar. eſſe Medicum accipitur ibi à Porph. prout dicit actum, & ideò eſt ſeparabile etiam naturaliter, quia eſſe poteſt, quòd nullus homo ſit Medicus; Et idem dicendum eſt de Proprio tertio modo, quia caneſcere accipitur, vt dicit actum, quomodo non conuenit ſemper homini; Proprium autem ſecundo modo licèt accipiatur aptitudinaliter, non conuenit tamèn ſoli homini; Vndè remanet, quòd ſolùm Proprium quartò modo ſit Proprium rigoroſè acceptum, quod hìc definitur, & Auctoritatem Ariſt. trūcatam afferunt, non integram, vbi ſic ait (*Nemo .n. Proprium dicit, quod contingit alijs ineſſe; neque ſi forſitan per aliquod tempus ineſt ſoli*) Vbi alios mo-

mo-

modos ibi Ariſt. appellat non propria, ſed aliquando. Tùm quia Ariſt. excludit illa, quæ conueniunt rei ſeparabiliter, & contingenter per illam particulam *(conuerſim prædicatur de re)* per quàm oſtenditur, quòd Proprium ſemper rei conueniat, ità vt ſe inuicem inferant in ſubſiſtendi conſequentia, quod nō poteſt de actib' verificari, qui abſunt, & adſunt, vt accidentia communia.

Tertiò. Dubitatur an Proprium quarto modo dicat ſemper aptitudinem, itàquod nequeat dicere actum. quaſi cõmunis opinio eſt, quòd ſemper aptitudinem dicat; Vnde paſſiones rerum aptitudines appellantur, quibus, & fauere videntur Ariſt. & Porphy. qui quartùm modum Proprij explicantes, exemplificant de aptitudinibus, non de actibus, imò hos excludũt. Verùm licèt hoc ità ſit, vt plurimum, & regulariter, interdum tamèn non ſolùm aptitudinem, ſed etiam actum dicunt, vndè dicimus Proprium eſſe trianguli habere tres angulos æquales, duobus rectis, non tantùm in aptitudine, ſed etiam actu, ſic etiam dicimus inhærere eſſe proprium accidentis reſpectiui non ſolùm vt aptitudinē dicit, ſicut in accidente abſoluto, ſed etiam vt dicit actum, cuius ratio eſt, quia talibus naturis nō ſolum neceſſariò connectuntur relatæ aptitudines, ſed etiā actus illis correſpondentes; quod etiam in paſſionibus diſiunctis apparet, vt ſunt par, & impar reſpectu numeri, rectum, & curuũ reſpectu lineæ, quæ ſuis ſubiectis neceſſariò conueniunt, non ſolùm aptitudine, ſed etiam actu; & ſi Ariſt. & Porphy. videntur actus excludere, hoc intelligi debet ſolũ de illis actibus, qui non habent neceſſariam connexionem cum ſubiecto.

Dubitatur quartò de identitate inter Proprium, & ſubiectum, ſed quia hæc eſt controuerſia alicuius momenti inter Scotiſtas, & Thomiſtas, ideò pro eius reſolutione, præſentem inſtituimus articulum.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An proprium poſſit à ſubiecto ſeparari, etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam.*

Scot. cuius ſapidæ doctrinæ latices ex lepidiſſimo decurrentes fonte tãtũ doctiſſimi viri propinãt, pluribus in locis de hoc dubio diſſerit, ſed præcipuè q. 33. vniuerſalium, & in 2. d. 12. quæſt. 2. ad 1. lit. E. & d. 25. q. vn. C. & in 4. d. 12. q. 3. §. *Dico ergo ad Quæſtionẽ, &c.* & alibi, vbi ſemper reſpondet negatiuè. Sequuntur omnes eius diſcipuli, Lich. q. 3. Prol. Faber. 4. Meth. diſput. 6. Tromb. 4. Meth. q. 4. Canon. 1. phyſ. q. 4. art. 2. Tatar. cap. de Proprio dub. 3. Roc. Bellut. & Maſtr. & alij communiter cũ Schola Nominalium. Thomiſtæ non conueniunt inter ſe, aliqui .n. licèt diſtinctionem realē admittant inter ſubiectum, & paſſionem, non tamèn ſeparationem,

etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam, & hoc propter neceſſariam connexionem, quæ inter ſubiectum, & paſſionem reperitur ità Caiet. p. p. q. 54. art. 3. Capreol. 1. d. 3. q. 3. Soncin. 8. Meth. quæſt. 1. ad 4. cum alijs. At Ferratienſis 4. contra gentes c. 65. Sot. q. 2. de Proprio, Bannes p. p. q. 73. art. 6. cum multis alijs tenent poſſe paſſionem à ſubiecto ſeparari ſaltèm per potẽtiam Dei. Alij verò diſtinguũt duplex genus proprietatum; quædam cum ſuis ſubiectis identificantur realiter, vt ſunt paſſiones entis, & appetitus materiæ ad formas, & hæ nequeunt à proprio ſubiecto ſeparari, neq; etiã per abſolutam Dei potentiam, quædã verò realiter diſtinguũtur, vt quãtitas in materia, calor vt octo in igne, frigiditas sũma in aqua, & hæ poſſũt à Deo ſeparari, ità Auerſa q. 14 ſec. 3. Didac. à Ieſu d. 9. q. 1. dubit. 4. cum aliquibus Recentioribus.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Neceſſitatem connexionis Proprij cum ſubiecto, non ſolùm eſſe phyſicam, ſed etiam methaphyſicam, & ità nec etiam per potentiam Dei abſolutam ſeparari poſſe.* Eſt Scoti loc. cit. & ità probatur: Concluſio demõſtrationis in qua paſſio demonſtratur inhærere ſubiecto, eſt adeo vera, vt per nullam potẽtiam poſſit reddi falſa, ergo nequit à ſubiecto ſeparari, aliter falſificari poſſit & ità æternę veritatis non eſſet. Ret. Didacus loc. cit. quòd hæc cõcluſio .ſ. homo eſt riſibilis, eſt æternæ veritatis radicaliter, quatenùs in homine ſemper manet neceſſariò radix riſibilitatis, quæ eſt rationalitas, non eſt autem æternæ veritatis formaliter. Sed contra, ergo formaliter eſt contingens, & ideò poteſt aliter ſe habere, & falſificari; Vndè hæc ſolutio oſtendit ſolas præmiſſas demonſtrationis, quæ pertinent ad primum modum eſſe formaliter neceſſarias, concluſionem verò eſſe in ſe contingentem, quod nullus philoſophorum hucuſq; conceſſit. Ideò ſunt alij, cõcluſionem illam eſſe veram etiã formaliter, non tamèn, quia actu exiſtat in homine riſibilitas, ſed quia connexio illius cum ſubiecto eſt in ſecundo modo dicendi per ſe, & ità ſemper eſt riſibilitas in homine ſecundum connexionem per ſe, licèt non ſecundùm exiſtẽtiam; eſtò igitur hæc propoſitio, homo exiſtit riſibilis, eſſet falſa, illa tamen ſcil. homo eſt riſibilis ſemper foret vera; veritas n. neceſſaria abſtrahit ab actuali exiſtentia. Sed neq; hæc ſolutio ſatisfacit, nam connexio per ſe prædicati cum ſubiecto oritur ex neceſſaria inhærẽtia talium extremorum, ergo ſi riſibilitas non ineſt homini neceſſariò, propoſitio non erit vera ſecũdum connexionem per ſe in ſecundo modo; & licèt verùm ſit, quòd veritas propoſitionum neceſſariarum non pẽdeat ex actuali exiſtẽtia extremorum, petit tamèn, quòd ſi extrema exiſtant, prædicatum verè exiſtere in ſubiecto debet, quare ea-

rum

rum veritas ampliatur ad omne tempus, vt patet in ſummulis, & explicatur per hypoteticam cōditionalem. V.g. homo eſt riſibilis, ampliatur, ſi homo fuit, fuit cum riſibilitate; ſi eſt, cum riſibilitate exiſtit; ſi erit, cum riſibilitate erit, ergo ſi modò Deus riſibilitatem ab homine extingueret, tolleretur connexio per ſe, & propoſitio eſſet falſa. Tùm quia exiſtentia non diſtinguitur realiter ab eſſētia rei, vt ſuo loco oſtendemus.

3. ℞t. aliter Arriaga cum alijs, quòd propoſitiones ſecundi modi dicuntur neceſſariæ, quia neceſſariò competunt ſubiecto ſecundum naturalem facultatem, & innatam eius exigentiam, non tamèn abſolutè, & in ordine ad Diuinam potentiam. Nō valet, imò ex hac ſolutione confirmatur magis noſtra deciſio, nam ſi Deus poſſet à proprio ſubiecto paſſionem ſeparare, nullum erit diſcrimen quo ad hoc, inter accidens proprium, & commune inſeparabile, nam vtriuſque cōnexio cum ſubiecto eſſet neceſſaria eodem modo .ſ. neceſſitate phyſica. Dicendum eſt ergo, quòd prædicata ſecundi modi debēt neceſſariò competere ſubiectis abſolutè, etiam in ordine ad Diuinam potentiam. Reſpondent aliqui, negando ſequelam, & rationem aſſignant, nam ſeparata ab homine riſibilitate, adhùc diceretur homo radicaliter riſibilis, quia maneret in homine rationalitas, quæ eſt radix, & principium exigitiuum riſibilitatis, quod non poteſt dici de coruo reſpectu nigredinis. Non placet, & facilè reijcitur, nam eadem ratione coruus dici poteſt radicaliter niger, ſeparata nigredine, quia nimirum remaneret in eo principium radicale, & exigitiuū talis nigredinis .ſ. talis complexio, & temperamentum, quod induceret debitum habendi nigredinem. Iterum reſpondent, aſſerētes aliud diſcrimen, quòd .ſ. ſeparata riſibilitate per Dei potentiam, adhùc homini conueniret eſſe riſibile ſecundum propriam virtutem ſubiecti, & facultatem naturalem; ſi .n. Deus poſt eius ſeparationem ſubiectum in ſuo naturali ſtatu relinqueret, ſtatim talis paſſio ab eo pullularet, quod de accidente inſeparabili dici non poteſt. Sed neq; hæc reſponſio ſoluit; nam etiam in multis accidentibus communibus experimur, quòd ſubiectum illis iam naturaliter denudatum, ſi non Impediatur ſua naturali virtute, ea denuo ſibi comparat; vt patet de aqua calida remota ab igne, quæ ad priſtinū ſtatum frigiditatis ſe reducit, ꝙ tāto magis de accidētibus inſeparabilib' affirmari debet, atq; adeo nulla eſt diſparitas aſſignata. per hęc exploſę manēt reſpōſiones Sāch. & aliorū Recentiorum cōtra noſtras rationes.

4. Addunt Scotiſtæ, tantam eſſe cōnexionem inter ſubiectum, & paſſionem, vt ſit etiam logica; itaquòd non poſſit ſubiectum ſine paſſione diuiſiuè intelligi, vel ſub



Ddd 2 oppo-

oppoſito eius; quòd colligunt ex Scot. q. 32. vniuerſalium ad vltim. & alibi, vbi docet, quòd licèt intelligere poſſimus hominem non cum riſibilitate, præciſiuè, quia ex 2. phyſ. tex. 12. abſtrahentium non eſt mendacium, non poſſumus tamèn hominem intelligere ſine riſibilitate, vel ſub oppoſito ipſius hominis, negando, ſcilicèt, riſibilitatem de homine, vel affirmando eius oppoſitum; & fundamentum eſt, quia ſicut ex negatione riſibilitatis rectè infertur negatio humanitatis, ità ex poſitione riſibilitatis infertur poſitio humanitatis, ergo neceſſitas connexionis inter ſubiectum, & proprietatem eſt etiam logica; Aſſumptum eſt ab omnibus conceſſum, vt apud Compl. patet diſp. 8. q. 1. vbi docet, & benè, per hoc diſtingui proprium ab accidente communi, etiã inſeparabili, quia tale ſubiectum ſine tali accidente diuiſiuè poteſt intelligi; imò, & ſub oppoſito eius, vt Porphyr. cap. de Accidente docuit; non autem ſubiectum ſine paſſione, quomodò ergo poſſunt Thomiſtæ aſſerere, quòd ſi à parte rei ſeparabilis, ſi nec per intellectum ſeparari, & diuidi poſſit paſſio à ſuo ſubiecto?

*Obiectiones.*

5. Ob. 1. Auctoritate Ariſt. 5. meth. 16. vbi docet, priora natura illa dici, quæ ſine alijs eſſe poſſunt, non tamen alia ſine ipſis, ergo ſi ſubiectum eſt prius natura paſſione, poteſt eſſe ſine illa, ſaltem de potẽtia Dei abſoluta. ℞. quòd duplex eſt prioritas naturæ, vt articulo de Priori dicemus; vna eſſendi, quæ explicatur per poſſe eſſe prius ſine poſteriori; alia intelligendi cũ fundamento in re, quæ non rectè explicatur per poſſe eſſe ſine poſteriori, ſed ſolùm per poſſe vnum abſque alio; vel pri' alio intelligi; quatenùs non includit illud in ſuo conceptu, vt Scot. docet in 3. d. 3. quæſt. 1. lit. G. Ariſt. loquitur de prioritate naturæ primo modo, nõ ſecũdo modo, quomodò eſt ſubiectum in ordine ad paſſionem.

Ob. 2. Omne prius in quantum prius, eſt ſaltem per Diuinam potentiam ſeparabile à ſuo poſteriori, ſed ſubiectum eſt prius natura paſſione ex Ariſt. in poſtpræd ic: cap. de ſimul, ergo. ℞. ex Scoto in 2. d. 12. q. 2. A. Ma. eſſe veram de illo, quod eſt realiter diſtinctũ à poſteriori, quomodo nõ eſt paſſio reſpectu ſubiecti; Vel cum Tatar. maior eſt vera reduplicatiuè, quia prius in quantum prius nõ dependet à poſteriori, & ità ſine illo eſſe poteſt, ſi ex alio capite non ſit impedimẽtum, ſ. ex identitate reali, vel ex dependentia eſſentiali &c.

Tertiò. Si ſubiectum non poteſt ſine paſſione reperiri, ergo dependeret ab illa, & conſequenter eſſet poſterius ea; quòd ſi non depẽdet, ergo poteſt eſſe ſine illa; ℞. quòd dependeret ab illa dependentia, ſeu potiùs exigentia à poſteriori, quatenùs cum illa identificatur, in quo ſenſu etiã dicimus, quòd cau-



Digitized by Google

ſa formalis dependet à ſuo effectu formali, quatenùs ſine illo reperiri non poteſt.

Quartò. Quidquid eſt in aliquo inſtanti, in quo non eſt aliud, põt à Deo conſeruari pro tali inſtanti ſine illo, ſed ſubiectũ eſt in aliquo inſtanti naturæ, in quo non eſt ſua propria paſſio, ergo. ℞. neg.min. & ratio eſt, quia prius natura non eſt prius in aliquo ſigno, in quo nõ ſit poſterius, cùm nullius rei exiſtentia menſuretur per inſtans naturæ, ſic quòd in aliquo exiſtat id, quòd dicitur prius natura, in quo nón exiſtat, quòd eſt natura poſterius, vt benè Canonicus aduertit 1.phyſ.loco cit.ſed ſolũ verũ eſt, ꝙ in aliquo inſtãti intelligitur illud, in quo non intelligitur poſterius. ſola prioritas durationis explicatur per verbum eſt, & in quo &c.

Quintò. Quãtitas eſt paſſio ſubſtantiæ corporeæ, calor vt octo ignis, frigiditas aquæ, & tamen ab his ſeparari poſſunt, ergo ℞. negãdo illa eſſe propria talium ſubiectorum in rigore, ſed ſunt quędam accidentia illis connaturalia, licèt propenſitas ad talia accidentia recipiẽdo, eſſet potius eorum ſubiectorum proprietas appellanda.

Seſtò. Vel paſſio cauſatur à ſubiecto in genere cauſæ efficientis, vel in genere cauſæ materialis; ſi primum, ergo ſubiectum ſine paſſione eſſe poteſt. Deus .n. impedire poteſt omnem effectum in genere cauſæ efficientis; ſi ſecundũ dicatur, etiam habetur intentum, nam cauſalitas materiæ, ſiuè potẽtiæ paſſiuæ eſt contradictionis, & cõtingens ex 9.meth.17. ℞. ſubiectum eſſe cauſam paſſionis in genere cauſæ efficientis, non quidem phyſicæ, & per verum, ac realẽ influxum, in hoc .n. ſenſu aliam cauſam non habet ab illa, quæ ipſum ſubiectum produxit; ſed in genere cauſæ efficientis methaphyſicæ, ꝗ explicatur per emanationem, vel pullulationem à ſubiecto; Vndè licèt Deus poſſit omnem cauſalitatem phyſicam efficientem impedire, non tamen methaphyſicam.

Sed inſtabis; Deus liberè concurrit cum ſubiecto ad emanationem paſſionis, ergo poterit ſuum ſubtrahere concurſum, alioquin non concurreret liberè, quo caſu iam ſubiectũ ſine paſſione maneret. ℞. ſine tremore concedendo Deum neceſſariò concurrere ad productionem paſſionis, non quidem neceſſitate ſimpliciter, & abſoluta, ſed neceſſitate ſuppoſitionis, & conſequentiæ, nam producẽdo ſubiectũ, neceſſariò tenetur concurrere cum eo ad productionem ſuæ paſſionis. ſic Maſt. & Bellut. doctiſſimè, & poteſt hæc doctrina explicari, ſuppoſito enim, ꝙ Deus velit producere hominẽ, non poteſt ſine rationalitate eũ producere.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Quomodò Paſsio à ſuo ſubiecto diſtinguatur.*

SCot. Methaphyſicalium literarum peritia clariſſimus, dubiũ hoc

hoc diſertè, & ſubtiliter reſoluit in 2 d. 1. q 5. §. *Ad quæſtionem iſtam, &c.* M. quem omnes eius diſcipuli ſequũtur; circa quod quæſitum tres extant opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema eſt Thomiſt. qui inter ſubiectum, & paſſionem, realem diſtinctionem cõcedunt, ità Caietanus, Capreol. Soncin. & alij paſſim: Alia extrema eſt Nominalium, qui ex oppoſito nullã diſtinctionem ex natura rei inter illa admittere volunt, ſed tantùm rationis ratiocinatæ; ita Gregor. in 2. d. 16. q. 3. Gabriel, Marſil. Durandus, &c. Media eſt Scotiſt. cum ſuo Doctore, qui defendunt inter ſubiectum, & paſſionẽ intercedere diſtinctionẽ ex natura rei formalem, qua frequenter in rebus methaphyſicis vtuntur.

*Concluſio.*

1. *Dicimus, ſubiectum à ſua paſſione non diſtingui realiter, ſed tantum formaliter.* eſt Scot. loc. cit. & contra Thomiſt. & probatur ex dictis tract. 3. Inſtitut. c. 5. de principijs regulatiuis ſyllog. vbi diximus, ꝙ tota vis & robur in Demonſtr. ſumitur ex illo generali principio: quæ conueniunt in tertio ſunt eadem inter ſe, eadem idẽtitate, qua in tertio conueniunt, ideò .n. benè inferuntur in Concluſione maior, & minor extremitas, quia identificantur in medio termino; Vndè ad propoſitum, in hac Demonſtr. homo eſt riſibilis, ideò eſt vera, neceſſaria, & infallibilis, quia ſubiectum, & paſſio ſunt idẽ realiter in tertio, & conſequenter idẽ realiter inter ſe eadem identitate, &c. Tũ quia ſi paſſio non identificatur realiter cũ ſuo ſubiecto, ergo erit accid. cùm omne ens diuidatur in ſubſtantiam, & accidens, at hoc eſt falſum, ergo, &c. probatur minor, quia ſi prædicatio paſſionis de ſubiecto non erit in 2. modo dicendi per ſe, iam confunderentur modi perſeitatis ab Ariſt. aſſignati. Nec paſſio eſſet conuertibilis cum ſubiecto. Nec de paſſione daretur vera demonſtratio data per causã, cum accidentia communia non habeãt cauſam intrinſecam, & per ſe conuertibilem cum ipſis. Tùm, quia ſi paſſio eſt accid. realiter diſtinctum, peto de illa aptitudine, & capacitate in ſubiecto ad tale accid. nam vel erit identificata cũ tali ſubiecto, vel non, ſi non, peto de illa alia aptitudine ad tale accidens, & ità proceſſus in infinitũ, cùm ſemper agens media potentia agat, ſi ſic habetur intentum, quia ſicut illa aptitudo identificatur realiter cum ſubiecto, ità poterit iſta identificari. Tũ quia paſſiones entis ſunt idem realiter cum ipſo Ente ex 4. Meth. & Thomiſtæ concedunt, ergo ſimiliter, & aliæ paſſiones cum ſuis ſubiectis; ſicut .n. ſe habet paſſio entis ad ipſum ens, ità talis paſſio ad tale ens.

2. Probatur etiam quoad aliã partem .ſ. quòd diſtinguãtur formaliter ex natura rei, ex illo generali principio, quòd nullum abſolutum identificat ſibi formaliter reſpe-

reſpectiuum, cū abſolutū vt ſic ſit ad ſe, reſpectiuum verò ad aliud, ſiuè relatio ſit prædicamentalis, ſiuè traſcendentalis pro modò parum curamus; ſed ſubiectū vt plurimum eſt quid abſolutum, paſſio eſt relatio aptitudinalis ad actum naturaliter ſubiecto conuenientē; ergo &c. Tū quia de ſubiecto, & paſſione verificantur contradictoria ex natura rei; ergo ex natura rei diſtinguntur, contradictio n. ſemper diſtinctionē arguit, vt infra dicemus, & quidem diſtinctionem talem, qualis eſt cōtradictio, Antecedens patet, nam ſubiectum dicitur cauſa paſſionis, & nō è cōtra, ſubiectum eſt naturaliter prius paſſione, paſſio poſterior, &c. Quod deinde non ſufficiat diſtinctio rationis ratiocinatæ, ex eo cōuincitur, quòd talis diſtinctio admittitur tantùm in conceptibus inadæquatis, vt ſunt traſcendētia; non vbi natura importat verā realitatem. Vnde opinio Nominaliū ſolùm admitti poteſt de paſſionibus traſcendentalibus.

*Obiectiones.*

3. Obijciunt Thomiſtæ, quòd ſubiectum, & paſſio diſtinguantur realiter: cauſa, & effectus diſtinguuntur realiter, ſed ſubiectum eſt cauſa paſſionis, ergo, &c. ℞. aſſūptum eſſe verum de cauſa phyſica, agente per verū, & realē influxum, non de methaphyſica, ſicut eſt ſubiectum cauſa paſſionis, hinc propriè non dicitur paſſionem effici, vel cauſari, ſed potiùs pullulare, ab eo, & ebullire, quæ vocabula actionē methaphyſicā oſtendunt.

Secundò. Actus, & potentia ponuntur in eodem prędicamento ex 9. meth. 13. ergo propria paſſio, q̄ dicit potentiam ad actum accidētalem, vt riſibilitas ad ridendum, collocari debet in prædicamento accidentis, cuius eſt potentia, & conſequenter diſtinguitur realiter à ſubiecto, quod eſt in prædicamēto ſubſtantiæ, ℞. ex Scoto in 2. d. 16. q. vn. lit. A. aſſumptum eſſe verum de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, vt Antichriſtus modo in prædicamēto ſubſtantiæ ponitur, ſicut quando actu erit, Non autem de potentia, vt eſt principiū operandi, vt eſt in propoſito paſſio in ordine ad ſuū actum. Sed dices, paſſio eſt in prædicamento qualitatis in tertia ſpecie, ergo &c. Negatur aſſumptum, loquendo de paſſione pro innata rei proprietate, nā hæc ponitur reductiuè in p̄dicamēto ſui ſubiecti propter realē identitatem, quā cū illo habet.

Tertiò. Paſſio ſuſcipit magis, & minus; nā vnus homo dicitur magis riſibilis alio, ergo eſt accidens realiter diſtinctum à ſuo ſubiecto, ℞. neg. aſſumptum, aptitudo enim non ſuſcipit magis & minus, ſed illa ma. facilitas ad ridendum, oritur potius ex peculiari temperamento, quæ facilitas dicitur potentia naturalis ad ſecundam ſpeciem qualitatis pertinens.

Quartò. Actus eſt nobilior potentia, ergo ſi riſus, qui eſt actus, eſt

eſt Accidens, ſimiliter etiam potẽtia erit Accidens. ℞. quòd ſi hoc Argumentum valeret, concluderet etiã de intellectione reſpectu intellectus, & volitione reſpectu voluntatis &c. quare aſſumptum ſolùm valet de potentia reſpiciente actum ſubſtantialem, ipſum perficientem &c. Non de actu accidentali. Si tamen actus acciperetur reduplicatiuè, vt actus eſt, valet aſſumptum, nam ſic vt actus eſt, eſt nobilior potentia, ſed hoc nihil officit nobis, nam tunc abſtrahit à conceptu ſubſtantiæ, & accidẽtis.

Quintò. Illa contradictoria, ꝙ ſubiectum eſt prius, paſſio poſterior &c. non ſolùm diſtinctionem formalem inferunt, ſed etiam realem, nihil .n. poteſt ſe ipſum præcedere, ergo. ℞. negando aſſumptum, non .n. quæcumque contradictoria realem diſtinctionem inferunt, ſed ſolũ illa, quæ in diuerſis reb. radicantur, nõ illa, q̃ in diuerſis formalitatibus, licèt ergo prioritas, & poſterioritas temporis ſẽper fundentur in diuerſis rebus, & conſequenter, vt contradictoria, diſtinctionem realem inducant, nõ tamèn prioritas naturæ, & præſertim intelligendi, qualis eſt inter ſubiectum, & paſſionem talem infert diſtinctionem. Sed dices; Proprium, vel eſt ſubſtãtia, vel eſt Accidens, at non ſubſtantia, vt patet, ergo Accidens. Reſpondet Canon. loc. cit. quòd formaliter neutrum eſt, ſed per idẽtitatem vtrumque, nam in ſubſtantijs eſt realiter, & identicè ſubſtantia, in accidentibus, Accidens.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *An Proprium ſit Vniuerſale.*

1. SCotus, qui omnium luce doctrinatum mirum in modũ clareſcit, quæſitum hoc ex inſtituto diſſoluit q. 30. Vniuerſalium, vbi Sarnan. Tatar. & communiter eius ſequaces. Pro cuius notitia ſuppponimus ex dictis, Proprium nõ benè diſtingui in ratione quarti Prædicabilis per conuertibiliter prædicari; Et ratio eſt, quia prædicari cõuertibiliter repugnat rationi vniuerſalis, quod debet de pluribus prædicari, de quibus non conuertitur in ſubſiſtendi conſequentia, non .n. valet, homo eſt Animal, ergo Animal eſt homo; quare per prædicari conuertibiliter diſtinguitur ab accidente, ſolũ in ratione Proprij; Aliud .n. eſt loqui de Proprio in ratione proprij, aliud de Proprio in ratione Vniuerſalis, vt Tatar. adnotauit c. de Proprio 3. ſciendum ſit. E. vbi ait; non oportet Proprium in ratione prædicabilis prædicari de ſuis ſubijcibilibus conuertibiliter, licèt benè in ratione Proprij. Cui' ratio eſt, quia vt Proprium reſpicit ſolũ naturam, cui adæquatur; vt Vniuerſale verò reſpicit inferiora illi' naturæ, de quib' prædicatur. Hinc Scot. q. cit. docuit repugnare eidẽ reſpectu eiuſdem eſſe Propriũ, & Vniuerſale; & ſi aliquando Proprium ab Accidente diſtinguitur per

per prædicari conuertibiliter, intelligendum eſt in ratione Proprij, non Vniuerſalis, vt benè hic Recentiores Scotiſtæ aduertunt.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Proprium conſtitui in ratione Vniuerſalis, & quarti Prædicabilis per prædicari de pluribus in quale accidentale neceſſariò, & intraſmutabiliter, ſeù in ſecundo modo dicendi per ſe.* Ità Scot. loc.cit. Tatar. cap. de Proprio, Et Scotiſtæ communiter, quæ concluſio ità declaratur, & probatur: per hoc, quòd dicitur prædicari de pluribus, oſtenditur Proprium non eſſe Vniuerſale reſpectu ſolius ſpeciei, vt aliqui autumant, vniuerſale enim plura reſpicit &c. qua etiam ratione negauimus differētiam conſtitui in ratione Vniuerſalis, & prædicabilis in ordine ad ſpeciem, quam conſtituit: Per hoc, quòd non additur differentibus ſpecie, vel numero, denotatur quòd ad hoc prędicabile non ſolùm ſpectat Proprium ſpecificum, licèt illud tantùm Porphyrius definierit, ſed etiam Proprium genericum, vt ſenſibile, eo quidem modo, quo de Differentia diximus: Per hoc, quòd adiungitur in quale accidentale, ſignificatur diſtinctio à tribus vniuerſalibus prioribus, quæ dicuntur eſſentialia, ad eſſentiam rei p̄tinentia, & etiam inſinuātur ſubijcibilia ipſius Proprij, quæ non sūt inferiora qualificatiuè, vt hoc riſibile, vel illud, quia de iſtis prędicatur in quid, ad modum ſpeciei, ſed eius ſubijcibilia in ratione vniuerſalis ſunt inferiora illius naturæ, cuius eſt Proprium, de iſtis.n. in quale accidentale prædicatur: Additur tandèm neceſſariò, & intraſmutabiliter, vt oſtendatur diſtinctio Proprij ab Accidēte communi, Proprium .n. de ſuis ſubijcibilibus ità neceſſariò prædicatur, vt de illis omnino negari nequeat; & ratio eſt, quia ex nagatione paſſionis, valet inferri deſtructio ſubiecti, quod non admittitur de Accidente quinto prædicabili, etiam inſeparabili. Hic multa dubia mouentur ab Authoribus ſupra citatum textū Porphyrij, quæ ſi omnia diſcutere voluerimus, nūquam erit finis, & ideò ad magis curioſos, ſeu potius otioſos examinanda relinquimus.

*Obiectiones.*

3. Ob. 1. ꝙ Propriū nō ſit Vniuerſale, nā propriū, & cōe opponūtur, ſed vniuerſale eſt cōmune, ergo, &c. ℞. ex Scoto q. 30. Vniuerſaliū ad primum, ꝙ Proprium quatenùs Proprium, & reſpectu cuius eſt Proprium non eſt vniuerſale, ſed ſolùm reſpectu illorum, quib⁹ eſt commune; & ità Proprium, & quartum Vniuerſale sūt idem materialiter, licèt non idem formaliter; poſſet etiam dici Proprium reſpectu illorum plurium, de quibus prædicatur, quatenus hæc cōmunitas non eſt ad extranea, ſed ad indiuidua propriæ naturæ.

Ob. 2. Vniuerſale debet prædicari de pluribus immediatè, ſed



Digitized by Google

Proprium prædicatur de illis tantùm mediatè, riſibile .n. prædicatur de Petro, & Paulo mediante homine, ergo &c. ℞. ex dictis, ad rationem vniuerſalis non oportet vt mediatè, vel immediatè prædicetur, ſed ſufficere, vt de pluribus prædicetur; vel etiam cum Tatar. hic, quòd dupliciter aliquid dicitur immediatè de aliquo prædicari, vno modo immediatione modi prædicandi, ſic videlicet, quòd inter ipſum, & ſua ſubijcibilia nihil mediet, quod habeat talem modum prædicandi reſpectu illorum, & ità riſibile immediatè prædicatur de Petro, & Paulo, quia nihil eſt inter ipſum, & hæc indiuidua, quod habeat talem modum prædicandi, ſcilicèt in quale accidentale neceſſariò, ſpecies enim non prædicatur in quale, ſed in quid, de ſuis inferioribus, alio modo immediatione cauſæ, vel ſubiecti, & ſic non prædicatur immediatè, ſed talis medietas non impedit, quin aliquid ſit propriè Prædicabile.

Ob. 3. quòd Proprium non ſit diſtinctum vniuerſale ab Accidente; nam communiter diuiditur Accidens in prædicabile, & prædicamentale, ſub quo etiam comprehenditur proprium, cùm Accidens prædicabile ſit id, quod extra eſſentiam prædicatur. ℞. concedendo id, quod aſſumitur, accidens tamen ſubdiuiditur per diuerſos modos prædicandi accidentaliter, quales ſunt prædicari extra eſſentiam cum neceſſaria connexione, cùm ipſa & ſine tali connexione, & quando eſt cum neceſſaria connexione eſt Proprium; quando ſine tali connexione, eſt accidens prædicamentale.

Sed Contra, modus prædicandi eſt idem in Proprio, & Accidente, quòd autem res, quæ prædicatur ſit connexa, vel non cum ſubiecto, ſe habet per accidens in ordine ad prædicationem, in qua non explicatur illa connexio, nec ratione illius vnũ alio modo prædicatur, quàm aliud. Hac ratione victus Arriag. diſp. 8. log. in fine aſſerit Proprium non eſſe diſtinctum vniuerſale ab accidẽte. Reſpõdent tñ Bellut. & Maſtr. & benè, negando aſſumptum, nam ratione neceſſariæ, vel contingentis connexionis prædicati cum ſubiecto variantur eſſentialiter prædicabilia, quoad modum prædicandi, nec obſtat, q; in actuali prædicatione non explicitè exprimatur talis modus prædicandi, aliter genus, & ſpecies nõ conſtituerẽt diuerſa prædicabilia, nam in actuali prædicatione ſolũ exprimitur modus prædicandi in quid, qui eſt vtrique communis, non autem exprimitur, quòd genus dicat partem eſſentiæ, ſpecies verò totam, ſic in propoſito &c.

Ob. 4. quòd Proprium ſit Vniuerſale reſpectu ſpeciei, cum qua conuertitur: Species de qua prædicatur Proprium, eſt Vniuerſale, ergo etiam & Proprium, cùm in tali prædicatione ſit ei æquale. ℞. neg. Antecedens, nam ſpecies in tali p̃dica-

dicatione habet rationem ſubijcibilis, vel æqualis, & ideò non eſt Vniuerſalis logicè, ſed tantùm methaphyſicè.

Ob. Tandèm, ſi ſubijcibilia proprij in ratione vniuerſalis ſunt indiuidua ſpeciei, vel generis, ſecundum quod Proprium eſt ſpecificū, vel genericum, ergo eadem erunt ſubijcibilia proprij, ac generis, & ſpeciei & ità non erunt diuerſa ſubijcibilia. R. neg. Conſeq. nam licèt ſint eadē ſubijcibilia materialiter, non tamen formaliter, nam generi, & ſpeciei ſubijciuntur in quid, Proprio autem in quale &c.

# DISPVTATIO VIII.

## DE ACCIDENTE.

### TEXTVS.

*Accidens verò eſt quod adeſt, & abeſt à ſubiecto, præter ſubiecti corruptionem &c.*

AGIT Porphy. in hoc quinto Capite de quinto prædicabili, quod eſt Accidens, quod ſic definit: *Accidens eſt, quod adeſt, & abeſt à ſubiecto præter ſubiecti corruptionem, vt album, nigrum &c.* Deindè ipſum diuidit in duo, .ſ. in ſeparabile, & in inſeparabile; nam dormire eſt accidens ſeparabile, nigrum autem inſeparabiliter accidit Coruo, & Ethiopi. Poſtea remouet dubium, quia dixit, quòd accidens adeſt, & abeſt, nūc autem dicit, quòd nigredo accidit Coruo, & Ethiopi inſeparabiliter, & ità ſibi cōtradicit. Soluit, dicēs, quòd Coruus poteſt intelligi alb⁹, & Ethiops nitens candore præter ſubiecti corruptionem. Deindè ponit alias duas definitiones Accidentis, quarum prima eſt. *Accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe.* Secunda, *Accidens eſt, quod nec eſt genus, nec ſpecies, nec Differentia, nec Proprium, ſemper autem eſt in ſubiecto ſubſiſtens;* & finaliter recapitulat omnia dicta de quinque vniuerſalibus, dicens, quòd determinatis omnibus, quæ dicta ſunt .ſ. de genere, ſpecie, Differētia, Proprio, & Accidente, deindè dicendum eſt de his, quæ ſunt communia ad ipſa quinque prædicabilia, nempè de communitatibus ipſorum &c. Circa textum occurrūt aliqua dubia, quæ breuiter per tres articulos reſoluentur.



### ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrum Accidens quinta vox induat rationem Vniuerſalis.*

SCot. ingeniorum Phænix, inter philoſophicarum ſpeculatio-

ne accuratiſſimè exercitatus, per ordinem de hoc diſſerit q.34. Vniuerſalium, & Reſpondet affirmatiuè, vbi Sarnan. & eius diſcipuli cōiter. Supponimus pro quæſiti deciſione, non eſſe hic quæſtionem de Accidente reſpectu ſuorum inferiorum, vt de colore reſpectū albedinis, &c. nam eſt ſententia cōis in ordine ad illa rationem habere generis, vel ſpeciei; ſed dubium eſt de Accidente in ordine ad ſua ſubiecta, quorum reſpectu dicitur propriè Accidens, vt de albedine, v. g. in ordine ad niuem, & parietē, ad lac, &c. quę in concreto ſūpta poteſt verè de ſubiectis, quibus accidit accidentaliter prædicari, ſcilicèt in abſtracto poſſit de ſuis inferioribus prædicari tantùm eſſentialiter, vt hæc albedo eſt albedo, &c. quærimus igitur an quando Accidens prædicatur in concreto de ſuis ſubiectis, inducat nouam vniuerſalitatem à quatuor iā poſitis diſtinctam. Multi ex Recentioribus partem negatiuā defendunt, autumantes eſſe cōem Græcorum ſententiam, quibus Suar. diſp. 6. meth. ſec. 4. fauet, aſſerēs Propriū, & Accidens non eſſe propriè Vniuerſalia, cùm in ſuis inferioribus eſſentialiter non contineantur.

*Concluſio.*

2. *Dicimus cū cōm communi ſententia, Accidens quintum Prædicabile eſſe verè, & propriè Vniuerſale.* Eſt Scoti loc. cit. & ità ex dictis facilè probatur. De Eſſentia Vniuerſalis eſt, quòd ſit vnum in multis cū ſui multiplicatione, præſcindendo ab hoc, quòd ſit eſſentialiter in multis illis, vel accidētaliter, ſed Accidēs in concreto eſt huiuſmodi, ergo, &c. maior patet, minor probatur, nam Accidens ſic ſumptum, eſt vnum in pluribus ſubiectis, quia Petrus eſt albus, & Paulus eſt albus, &c. Et etiam cum ſui multiplicatione, nam eſſe album Petri non eſt à parte rei eſſe album Pauli, &c. licèt non ſit vniuerſale eſſentiale, quia accidentaliter illis conuenit. Confirmatur, nā Accidens in concreto ſumptum reſpectu ſuorum ſubiectorū habet conditiones requiſitas ad rationē Vniuerſalis, ergo, &c. probatur aſſūptum, nam habet vnitatem, & multiplicationem in pluribus; habet vnitatem per abſtractionem intellectus, qui non ſolū abſtrahere poteſt naturam albedinis ab hac, & illa albedine, ſed etiam album ab hoc, & illo ſubiecto albo, vnde album in cōi, vt ad hoc Vniuerſale ſpectat, connotat ſubiectum in cōi præſcindendo à ſingulis ſubiectis in particulari; habet etiā cōmunitatem cum ſui multiplicatione, quia album ſic abſtractum concipitur contrahi, & diuidi per differentias in plura alba.

*Obiectiones.*

3. Ob. 1. de ratione Vniuerſalis eſt, ꝙ includatur eſſentialiter in ſibi ſubiectis, & cum illis identificetur, ſed accidens nō ità ſe habet in ordine ad ſubiecta, quibus accidit, &c. ℞. neg. maiorem, & ratio eſt,

eſt,quia nõ eſt de eſſentia vniuerſalis,quòd prędicetur de pluribus in quid, & eſſentialiter, quia hoc non ponitur in eius definitione, ſed ſufficit,vt etiam prędicetur denominatiuè,dummodo ratio prædicandi ſit in ſe vna; nec etiam requiritur identitas realis naturæ cũ pluribus, in quibus eſt, ſed ſufficit identitas quędã accidentalis;quare ſicut in prædicationibus eſſentialibus intellectus prędicãdo idẽtificat naturam vnã cum pluribus inferioribus eſſentialiter, & ſi reuerà non ſit eadem in illis per inexiſtentiam, ſed ſolùm per indifferentiam; ità in accidentalibus idẽtificat,ſeù potius vnit naturã albedinis cum pluribus ſubiectis, licèt à parte rei in illis non ſit vna,& eadem albedo per inexiſtentiam, ſed ſolum per indifferentiam.

Ob. 2. Si Accidens haberet rationem vniuerſalis in ordine ad plura ſubiecta, quib' ineſſe poteſt, ſequeretur dari poſſe vniuerſale à parte rei, caſu, quo poneretur à Deo idem Accidẽs in pluribus ſubiectis. ℞.neg. ſequelam,nam vniuerſale dicitur eſſe in multis per ſui multiplicationem,& diuiſionẽ, at eo caſu Accidens non diceretur de pluribus per ſui multiplicationem,ſed potius idem numero indiuiſum,diceretur de pluribus per ſolã ſui replicationẽ; & ratio fundamẽtalis eſt,qa forma accidentalis eſt illa, q̃ principaliter importatur per concretũ huius vniuerſalis,.ſ. albũ,ſubiectũ verò habens illam,ſolũ connotatur, & ideò licèt ſubiecta multiplicentur, dummodo illa forma non multiplicatur, nunquam rationem vniuerſalis induet. Ità communiter, vel cũ Maſtrio, & Belluto dici poteſt, quòd in eo caſu eſſent plura alba, & ratio eſt, quia ad multiplicationem concretorum accidentalium ſufficit ſola ſubiectorũ multiplicatio; Vndè verè ab illis abſtrahi poſſet ratio communis albi, .ſ. ſubiecti habentis albedinẽ, quæ ratio multiplicaretur in illis, quia verè eſsẽt plura habentia albedinem; non tamen ex hoc ſequitur dari Vniuerſale à parte rei, quia quod eſt vniuerſale non eſt albedo, ſed album, album autem non eſt vnum à parte rei, ſed multiplex.

Tertiò. Vniuerſale poteſt prædicari de pluribus, antequã à parte rei in illis exiſtat, ſed hoc Accidenti conuenire non poteſt, ergo, &c. Ma.patet ex dictis, in natura .n. ſufficit, vt præcedat aptitudo eſſendi in pluribus, mi. Pr. quia Accidens non poteſt verè prædicari de ſubiecto, niſi præſuppoſita actuali exiſtentia illius. ℞. negãdo mi. & ratio eſt, quia licèt exercitium prædicationis accidentalis de pluribus fieri nõ poſſit ſine exiſtẽtia ſubiectorum, quibus actualiter inſit, attamen ob inhærentiã aptitudinalem, quam Accidẽs habet ad ſubiecta poſſibilia, fieri poteſt prædicatio aptitudinalis de pluribus, quibus ineſſe aptum eſt, quod ſufficit ad vniuerſalitatem

quæ

quæ optimè per aptitudinem eſſē-di in multis ſaluatur. Et hoc eſt diſcrimen inter hoc vniuerſale, & cætera alia, nam in illis exercitiū prędicationis verè fieri poteſt, etiā nullo inferiori exiſtente, vt homo eſt Animal, eſt rationalis, eſt riſibilis, albedo eſt color, &c. non autē in accidente, nam vt dicatur: homo eſt alb', neceſſariò requiritur, vt ei inſit albedo; aptitudinalis tamèn erit vera in omnibus propter aptitudinē naturæ eſſendi in multis, ſiuè eſſentialiter, ſiuè denominatiuè; verè .n. homo poteſt eſſe albus, poteſt eſſe niger, &c.

Sed Contra: ſubiecta non exiſtentia non poſſunt ab accidente reſpici, niſi per modum poſſibiliū, in quibus Accidens poſſibiliter eſſe poteſt, ſed exiſtentia poſſibilis non prędicatur accidentaliter, ſed eſſentialiter, & neceſſariò, Vndè hæc propoſitio modalis, Adā poſſibiliter eſt albus, eſt neceſſaria vt ex ſummulis conſtat, ergo vniuerſalitas quinti prædicabilis non benè conſtituitur in ordine ad ſubiecta tantū poſſibilia, ſed debent eſſe exiſtentia. ℞. quòd in prædicationibus aptitudinalibus quinti prædicabilis non eſt poſſibilitas, aut exiſtentia poſſibilis, quæ de ſubiectis non exiſtentibus prædicatur, quomodo concluderet argumentum, ſed ipſa forma accidentalis prædicatur, quæ illis ineſſe poteſt contingenter, & poſſibiliter, licèt ſit neceſſariò apta ad eſſendum in illis, atq; ideò per hanc aptitudinalem prædicationem accidentis de ſubiectis poſſibilibus, quibus ineſſe poteſt, benè eius vniuerſalitas explicatur.

Quartò. Quodlibet conſtituitur vniuerſale per ordinem ad ea, à quibus abſtrahitur, ſed album, quod eſt quintum prędicabile non abſtrahitur à Petro, & Paulo, vt ſic, ſed quatenùs hæc alba, ergo conſtituitur Vniuerſale in ordine ad illa, tanquam inferiora, quæ eſt vniuerſalitas eſſentialis, non tanquam ſubiecta, & conſequenter quintū Prædicabile non erit Vniuerſale diſtinctū, ſed poti' ad primū, vel ſecundū ſpectat. ℞. ad minorē, verū eſſe, ꝙ albū non abſtrahitur à Petro, & Paulo, cùm hoc modo ſint inferiora naturæ humanæ, nec ab ipſis vt formaliter alba, quia hoc modo cenſentur inferiora albi in cōi, ſed abſtrahitur ab illis quatenùs ſunt denominatiuè alba, & vt ſunt ſubiecta ab albedine denominabilia, & hoc modo conueniunt in albo denominatiuè, & accidentaliter, à quibus album abſtrahi poteſt, vndè quintū Vniuerſale reſultat.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Vtrum definitum in hac definitione ſit ſecunda Intentio, vel prima?*

SCot. apud omnes eruditos famæ reuera incorruptę, hoc dubium reſoluit q. 34. Vniuerſalium, vbi Sarnan, & Scotiſtæ communiter; Et notat ibi Doctor, quòd Accidens dupliciter ſumi poteſt, vno

modo

modo primòintentionaliter, & idem ſonat, quòd inhærens, vel alteri adiacens; altero modo ſecundòintentionaliter, quomodò non importat niſi ſecundam intentionem, quæ attribuitur alicui, quod ſine implicantia poteſt affirmari, & negari de ſubiecto; ſubdens, ꝙ Porphy. in hoc tantùm ſenſu fuit hic de Accidente locutus. Deinde q.35. Vniuerſalium, explicãs præfatam Accidẽtis definitionem, ait, quòd per nomen ſubiecti intelligitur ſubiectum prædicationis, & nõ inhæſionis; & illa verba adeſſe, & abeſſe hic non capi primò intentionaliter, & realiter, vt ſenſus ſit inhæret, & non inhæret, afficit, & non afficit ſubiectum præter ipſius ſubiecti corruptionem, ſed accipi ſecundò intentionaliter, vt ſenſus ſit, quòd affirmatio, & negatio nihil derogat eſſentiæ ſubiecti.

Et licèt hæc ſit communis Doctorum opinio, Ruui. tamen q.3. Ioannes de S. Thom. q.12. art.1. Arriag. diſp.8. ſec.3. cum multis ex Recentioribus affirmant per definitiones Accidentis à Porphy. traditas, quod poteſt adeſſe, & abeſſe, ineſſe, & non ineſſe non definiri ſecundam intentionem, & vniuerſale formaliter, ſed Accidens reale, & pro prima intentione, nam abeſſe, & non abeſſe habet Accidens ex natura ſua à parte rei.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, hic definiri Accidens ſecundò intentionaliter captum, & conſequenter in ratione Vniuerſalis ſaltèm implicitè.* Eſt Scoti loc. cit. quẽ ſequũtur communiter, & probatur; nam Accidens primò intentionaliter acceptum ſpectat ad Methaphyſicum, & potiùs eſt conſideratio Accidentis prædicamentalis, quàm prædicabilis, de quo hic loquimur. Tũ quia ſi definitio traderetur de Accidẽte reali, tunc diuiſio accidentis realis in ſeparabile, & in inſeparabile definitioni repugnaret, Accidẽs .n. inſeparabile non poteſt ſine corruptione ſubiecti ſeparari. Confirmatur ex mente ipſius Porphy. qui videns difficultatem, quę ab accidentibus inſeparabilibus oriebatur contra definitionem, reſpondit præfatam definitionem etiam Accidenti inſeparabili cõuenire, quia rectè ſubiectum ſine tali accidente intelligi poteſt, vt Ethiops non niger, imò, & albus ſine ipſius corruptione, ergo Porphy. locutus fuit in tali definitione de coniunctione, & ſeparatione per intellectum, quæ non fiunt, niſi per ſecundam intellectus operationem. Et eſt adnotandum, quod illa particula, &, in definitione poſita, ſi adeſt, & abeſt ſumãtur pro actu affirmãdi, & negandi teneri debet diſiunctiuè, ſi autem ſumantur, vt dicunt aptitudinem, quod magis præſtat, cùm non ſit de eſſentia Accidentis, ꝙ actu affirmetur, vel negetur, ſic teneri poteſt copulatiuè, nã licèt affirmari, vel negari ſint oppoſita, non tamẽ potẽtia ad illa, qa non eſt ad illos actꝰ ſimul, ſed tãtũ ſucceſſiuè.

3. In hoc ſenſu explicatur etiã Deſinitio in ratione quinti Vniuerſalis, nam vt ait Scotus, per totum illud copulatũ, Adeſt, & abeſt pręter ſubiecti corruptionem inſinuatur genus, & differentia .ſ. prædicari in quale accidẽtalę traſmutabiliter, & ideò diximus hoc explicari implicitè, quia non definitur explicitè per ordinem ad plura ſubiecta vt fieri deberet, ſed tãtũ implicitè, quatenùs p ſubiectũ in cõmuni ſignificatur hoc, vel illud in particulari, cum quo poteſt accidens cõtingenter connecti. Et ꝙ de prima definitione dicimus, etiam de ſecunda aſſerimus, quæ cum prima coincidere videtur.

4. Explicata hoc modo Accidentis definitione, facilè diſſoluũtur difficultates omnes ex illis accidẽtibus, q̃ vel ſuo aduentu deſtructionẽ ingerunt ſubiecto, vt Mors viuentibus, combuſtio ligno, calor ſummus aquæ, &c. Vel abſentia ſua, corruptionem ſubiecto ingerunt, vt viuere, calor naturalis, debita temperies animalibus &c. cũ .n. dicitur Accidens adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, intelligitur quoad eſſentiam, non quoad exiſtentiam, vt ſenſus ſit, ꝙ Accidens adeſt, & abeſt .i. affirmatur, vel negatur de ſubiecto abſq; eſſentiæ præiudicio, & ità verum eſt, quòd eſſentia homins integrè concipi poteſt ſine vita, & ſub oppoſito eius, cùm neutrum ſpectet ad eius eſſentiam, nec mors eſſentiæ rei opponitur, ſed exiſtentiæ. Sed inſtabis de morte, nam quando mors prædicatur de Animali, tollit ab eo pręḍicatum eſſentiale, quod eſt viuens, ergo non poteſt affirmari, & negari de homine, integra manente eſſentia hominis. Relictis aliorum reſponſionibus, quia reuera non ſoluunt, ℞. viuẽs poſſe dupliciter accipi, vno modo verbaliter, ſeu participialiter, vt dicit actum; vel nominaliter, vt dicit aptitudinem, & abſoluitur à tẽpore; primo modo eſt prædicatum contingens, & ei ſic mors opponitur; non autem opponitur ei ſecũdo modo, quo pacto eſt prædicatum eſſentiale. Ità Maſtr. & Bellut. & acceperunt à Tatar. q. vltima p̃dicabilium dub. 3. vbi ait, ad hoc quòd iſta propoſitio ſit vera, homo eſt Animal, non requiritur quòd homo ſit cõpoſitus realiter ex corpore, & Anima, ſed ſufficit, quòd homo, & Animal ſint in eſſe cognito, ideò non ſequitur homo eſt Animal, ergo homo eſt compoſitus ex corpore, & anima, quia prima eſt neceſſaria, & ſecunda contingens, licèt benè ſequatur homo ẽ, ergo homo eſt compoſitus ex corpore, & anima, ideò in iſta, homo eſt animal, ly homo ſupponit pro homine in eſſe cognito, & poſſibili, & etiam Animal pro animali in eſſe cognito, quod ſufficit ad veritatem talium propoſitionum. Hæc Tatar. qui eſſe nominaliter vocat eſſe cognitum, & accipitur pro poſſibili.

5. Hoc modo explicata definitione,

tione, omni definito conuenit, & ita ſecundæ intentiones dicuntur accidentia primarum, adſunt, vel abſunt præter earum corruptionē modo explicato, conuenit etiam terminis ſubſtantialibus, vt veſtis, arma &c. Saluatur etiam diſcrimē inter accidens prædicamentale, & prædicabile, nam primum contra ponitur ſubſtantiæ, & ſtat pro accidente inhęrente, Accidens verò prædicabile contradiſtinguitur à prædicato eſſentiali, & ita quicqd eſſentialiter non conuenit, dicitur Accidens prædicabile, ſiuè ſit aliquid reale, ſiuè rationis, ſiuè inhęrens, ſiuè ſubſiſtens, quo ſenſu hęc propoſitio, Animal eſt homo, dicitur eſſe per accidens, non quod animal, vel homo ſit accidens, ſed in quātum inferius ſemper accidit ſuperiori prædicabiliter &c.

*Obiectiones.*

6. Ob. 1. Si Definitio hęc Accidentis intelligeretur de ſeparatione per intellectum, ſequeretur, ꝙ nullum eſſet Accidens inſeparabile, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. Pr. ſequela, nam omne accid. eſt per intellectum ſeparabile. ℞. negando ſequelam, nam Porphyrius definiuit accidens intentionale, & poſtea induſtrioſè diuiſit reale, vt ſtatim aſſignaret ſubiecta realia, quæ à tali intentione denominari poſſunt, quod etiam in alijs Vniuerſalibus obſeruauit, eorum definitiones per naturas reales explicando; & licèt verum ſit, quòd omne accidens eſt per intellectum ſeparabile, realiter tñ vnum accidēs eſt ſeparabile, aliud inſeparabile.

Ob. 2. Si Definitio Accidentis hoc modo intelligeretur, cōueniret etiam Proprio, quod etiam ſaltèm per intellectum à ſubiecto ſeparari poteſt. ℞. neg. ſeq. licèt .n. Propriū poſſit à ſubiecto præſcindi, non tamen ſeparari, quod fieri poteſt de Accidente inſeparabili; & ratio eſt, quia ex negatione paſſionis, rectè infertur deſtructio eſſentiæ ſubiecti, cùm dicantur ad conuertentiam, quod non militat de accidente communi etiam inſeparabili. Reſpōdet Arriaga, quòd licèt hoc verum ſit de Proprio realiter indiſtincto à ſubiecto, vt eſt riſibile, non tamen de illo proprio quòd realiter diſtinguitur, ſed qa nos nullum tale proprium admittimus, ideò nihil contra nos &c.

Ob. 3. Id, quod explicant iſtæ definitiones, inuenitur etiam in Accidente ſingulari, quia adeſſe, & abeſſe à ſubiecto cōuenit etiam accidenti indiuidualiter, ſed quicquid in ſingularibus inuenitur, & ad illa deſcendit, non pertinet ad intentionem vniuerſalitatis, ergo non ſecunda, ſed prima intentio hic definitur. ℞. ad maiorem, concedendo, quòd id, quod explicant definitiones Accidentis in cōmuni, inuenitur etiam in quolibet accidente in particulari, imò etiam ſecundointentionaliter captum, quatenùs .ſ. hæc, & illa ſecunda intentio accidentalitatis huic, &

illi reali accidenti aplicatæ, ſunt indiuidua accidentalitatis in cõi; ſicut hæc, & illa genereitas ſunt indiuidua intẽtionalia genereitatis in communi, ſed ex his nihil contra nos.

7. Dubitabis adhuc, an præfata definitio explicari poſſit de Accidente reali, ità vt ly adeſt, & abeſt de reali præſentia, vel abſentia intelligi poſſit. ℞. breuiter, quòd ſi adeſt, & abeſt accipitur pro inhærere, & non inhærere, non poteſt Accidẽti reali applicari, vt eſt fundamẽtum huius vniuerſalitatis, quia inherere, & non inhærere ſolùm conuenit accidenti predicamentali; nos autem affirmamus etiam ſubſtantiam hanc vniuerſalitatem fundare poſſe, vt in ſequenti articulo patebit; ſi verò adeſſe, & abeſſe ſumatur, vt dicit contingenter conuenire, & citra vllam rei eſſentiæ exigentiam, ſic etiam accidenti reali applicari poteſt, non tantùm ſeparabili; ſed etiam inſeparabili, & ratio eſt, quia talis inſeparabilitas nõ attenditur ex principijs indiuidualibus, quarè cùm hoc, quod ſit cum indiuiduo neceſſariò connexum, ſtat etiam; quòd ſit connexum cõtingenter cum eius eſſentia, reſpectu cuius omne Accidens dici poterit ſeparabile.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De Naturis, quibus Vniuerſalitas Accidentis competit.*

Scotus cuius immortales laudes ſunt plectro meliore canendæ, huic dubio ſatisfecit in 3. d. 7. q. 1. Vbi licèt dicere videatur, quòd nihil quòd eſt in prædicamento ſubſtantiæ fundet habitudinem Accidentis, quod eſt quintum prædicabile, tamèn frequenter docet prædicationem formæ ſubſtantialis de ſubiecto denominatiuam, & accidentalem eſſe. Sequitur Lychet. ibidem in expoſitione textus, & ſequuntur Scotiſtæ communiter. Eſt etiam D. Tho. opinio 1. poſt. 9. & 1. Topic. c. 4. & ſequuntur Thomiſtæ. Diſcrepant Tolet. c. de Accidente dub. 1. Antic. ibidẽ, Burleus q. 1. & ex noſtris Angelicus q. 3. & Braſauol. q. 34. Vniuerſalium, qui defendũt vniuerſalitatẽ quinti prædicabilis fundari tantùm poſſe ſuper Accidens commune à ſubſtantia contradiſtinctum.

*Concluſio.*

1. *Dicimus, Vniuerſalitatem quinti prædicabilis fundari poſſe ſuper quodcumque prædicatum contingenter conuenìens alteri, ſiuè illud ſit prædicatum ſubſtantiale, ſiuè Accidens prædicamentale.* Recipitur communiter, & ità Pr. Numerus prædicabilium non attenditur ex varietate rerum quæ prædicantur, ſed ex varietate modi, quo prædicatum cum ſubiecto connectitur, ſed prædicata ſubſtãtialia poſſunt alteri contingenter conuenire, non minùs, quã accidẽtia, ergo poterunt etiam ipſa talẽ fundare vniuerſalitatem. Maior eſt clara, minor probatur, nã forma ſubſtantialis afficit materiam, & de ea prædicatur, non in quid, ſed in quale.



Digitized by Google

in quale,& denominatiuè,nam dicimus materiam eſſe informatam, ſicut, & corpus pro altera parte compoſiti dicitur animatum ex Scot.quol. 3. O. ſic etiã homo denominatur veſtitus à veſte. Vas deauratum ab auro, & è contra forma ab ipſa materia, vt hæc corona eſt aurea,argentea, &c. quæ omnes prædicationes ad quintum ſpectant prædicabile,&c.

Reſpondet Toletus,in ſimilibus prædicationibus non prædicari ſubſtantiam auri de vaſe, & corona, ſed tantũ reſpectum vaſis, vel coronæ, ad aurum, vel argentum, ex quibus conflata ſunt, qui reſpectus eſt accidens ſpectans ad prædicamentum habitus, ſicut.n. vas eſſe album, eſt habere albedinem, vt ibi docet Auctor ſex principiorum, ità eſſe aureũ, vel deauratum eſt habere aurum circumſtans, vel tamquam materiam ſui, affirmans, quòd hæ prædicationes vas eſt deauratum, homo eſt veſtitus, æquiualent illis, homo eſt habens veſtes, vas eſt habens aurum, in quibus ſolùm ille reſpectus habitionis prædicatur de ſubiecto,nõ verò veſtis, vel aurum. Sed ſi hæc ſolutio valeret, ſequeretur nullum Accidẽs de ſubiecto prædicari,ſed tantùm illum reſpectum habitionis, ſpectantem ad prædicamentũ habitus, patet ſequela, nam corpus eſſe quantum, eſſe album &c. eſt habere quantitatem, habere albedinem &c. quod ſi dicas, in his prædicationibus id, quòd formaliter prædicatur ſunt illa accidentia .ſ. album, & quantum, quia ſumũtur in concreto; quãdo vero reſoluuntur in illas, corpus eſt habens quantitatem, eſt habens albedinẽ, id, quod formaliter prædicatur eſt ille reſpectus habitionis, non autẽ accidentia quantitatis, & albedinis, quia ſumuntur in abſtracto, & in obliquo, ità & nos in propoſito dicimus, quòd in iſta propoſitione, homo eſt veſtitus, corona eſt aurea &c. id, quod formaliter prędicatur eſt veſtis, aurum &c. adiectiuè, & per modum formæ accidentalis, licèt in alijs prædicationibus, in quas reſolui poſſunt, ſcil: homo eſt habens veſtem &c. id, q formaliter prædicatur ſit illę reſpectus de prædicamento habitus; & tandem roboratur noſtra cõcluſio manifeſtiſſimè illis propoſitionib. vt Animal eſt homo, Animal eſt rationale, in quibus id, quod prædicatur eſt ſubſtantia, ſed quia modus prædicandi eſt accidẽtalis, & contingens, quia inferiora accidunt ſuperioribus, ideò tales propoſitiones dicuntur per accidens prædicabiliter.

*Obiectiones.*

2. Obijciunt Author. Porphyrij, qui attulit exempla de Accidente prædicamentali &c. ℞. Porphyriũ hoc feciſſe, quia modus prædicandi quinti vniuerſalis magis prædicatur in accidente reali, quàm in ſubſtantia, ità vt vulgariter illi ſoli conuenire cenſeatur, nullibi tamen negauit, poſſe etiam ſubſtantiæ

tiæ conuenire.

Ob. 2. Author. Ariſt. 1. phyſ. vbi ait, quod verè eſt, nulli accidit, ſed ſubſtãtia verè eſt, ergo de nullo per modum accidentis prædicari poteſt. ℞. Ariſt. intelligendum eſſe de accidente prædicamentali, quod ſemper eſt accidens, non de prædicabili, quomodo Porphyrius accepit.

Ob. 3. Quod prædicatur per modum quinti Vniuerſalis, debet habere rationem informantis, & inhærentis reſpectu ſubiecti, actualiter, vel ſaltem aptitudinaliter, nã prædicatio accidentis de ſubiecto eſt ſolùm vera per inhærentiam; ſed hoc repugnat ſubſtantiæ, ergò &c. ℞. neg. aſſumptum, nam Accidens prædicabile non dicitur tale per ordinem ad ſubiectum inhæſionis, ſed prædicationis; & ideò dicimus, quòd adeſſe in definitione accidentis non ſumitur per inhærere, & non inhærere, ſed per affirmari, & negari de ſubiecto abſque eius deſtructione, & ſi ſubſtãtia accidere nequit methaphyſicè, poteſt tamen accidere logicè.

Ob. Tandèm, modus prædicandi ſequitur modum eſsẽdi, ſed ſubſtantia, & accidens differũt in modo eſſendi, ergo & in modo prædicandi. Negatur maior, falſum. n. eſt modum prædicandi ſequi modum eſſendi, ſed vt ſubſtat noſtrò concipiendi modo, & ſecundum habitudinem, quam ad ſubiectum habet; alioquin numerus prædicabilium deberet adæquare numerũ prædicamentorum.

Hic dubitari ſolet, an ſubiecta, reſpectu quorum accidens conſtituitur quintum vniuerſale, debeãt eſſe ſolùm numero differentia, ità vt dari nequeat accidens genericum, v.g. album niuis, Cigni, lactis, hominis &c. ℞. cum communi quicquid dicat Sanch. non ſolũ dari accidens ſpecificum reſpectu diuerſorum indiuiduorum, ſed etiã genericum reſpectu diuerſarũ ſpecierum. Et hoc patet euidenter, nam ſunt quædam accidentia, quę non tantùm communia ſunt pluribus indiuiduis, ſed etiam pluribus generibus, & ſpeciebus, vt diximus de albedine &c. de quibus omnibus accidens commune prædicatur, & eodem modo, ſ. in quale accidentale traſmutabiliter; & licèt ſubiectũ inhæſionis accidentium realiũ propriè ſit indiuiduum ex Ariſt. c. de ſubſtantia, ſpecies tamen eſſe poteſt ſubiectum prędicationis accidentalis, quod ſufficit, vt conſtituatur ſubijcibile huius quinti vniuerſalis. Et confirmatur, quia ſunt aliqua accidentia rationis, q̃ prædicãtur immediatè de naturis communibus, vt cum dicimus, homo eſt ſpecies; Animal eſt genus, quę prædicationes ſunt quinti prædicabilis, & competunt homini, & animali, non vt quædam naturæ communes diſtinctæ ab indiuiduis; Vnde concludimus, ſubiectum adæquatum huius quinti prædicabilis, eſſe quodcumque ſubiectum, cum quo accidens con-

tin-

tingentem habet connexionem, ſiuè illud ſit genus, ſiuè ſpecies, ſiuè indiuiduum, cui etiam fauet expreſſa Porphyrij Authoritas Cap. vlt. vbi dixit accidens prædicari de pluribus ſpecie differentibus.

# DISPVTATIO IX.

## DE DEFINITIONE.

POſtquam Porphyrius in ſua introductione oſtendit neceſſariam eſſe ad prædicamenta Ariſt. notitiam quinque Vniuerſalium, ſeu prædicabilium. ſubdit: *& ad definitionum aſsignationem, & omninò ad ea, quæ de diuiſione, & demonſtratione ſunt, vtili exiſtente iſtarum rerum ſpeculatione.* Et quamuis definitio, vt rei quidditatem, & eſſentiā dicit, ad meth. ſpectet, tamèn, vt eſt medium in demonſtratione, & modus, ſeu inſtrumētum ſciendi, ad logicum pertinet, vt Auerr. inſinuauit 7. meth. com. 24. & licèt ipſam inueſtigare, vt medium in demonſtratione potiſſima ad lib. poſt. attineat, tamèn vt inſtrumentum eſt cognoſcendi ad præſentem ſpectat diſputationem; tùm ob maiorem propinquitatem, quam habet cum genere, & differentia, ex quibus bona definitio conſtare debet; Tùm etiam, quia nō debet diutiùs differre vtilitas tanti medij ad aliarum rerum notitiam comparandam; & ſi .n. rigorosè loquendo ſola argumentatio dici poſſit inſtrumentum ſciendi, vtpotè quæ ſola ex noto ignotum per vim illatiuam manifeſtat, tamèn propriè loquēdo modus ſciendi, & inſtrumentum logicum eſt illud, quod habet vim manifeſtandi ignotum, quomodocūque id faciat, quod etiam definitioni, & Diuiſioni cōuenit, vt Scot. docuit q. 2. lib. 1. prior. & ſequitur Tatar. q. 1. præamb. log. Et Summuliſtæ omnes. Tres ſunt igitur modi, ſeù inſtrumenta ſciendi. .ſ. Definitio, Diuiſio, & Argumētatio. De Argumentatione partim egimus in Summulis, regulas rectè argumentandi tradendo, partim agemus infra de eius ſpeciebus loquendo; modo hanc, & ſequentem diſputationem de definitione, & diuiſione inſtituimus.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Quid, & Quotuplex ſit Definitio.*

2. SCot. ille, cuius tanta eſt gloria, vt nullius laude creſcat, nullius vituperatione minuatur, in 4. d. 1. q. 2. §. *Hic primo videndum &c.* adnotauit, quòd cuiuſcumque ſiuè entis, ſiuè non entis, quod poteſt concipi, & ſignificari, poteſt eſſe aliqua ratio nominis, quæ .ſ. expli-

explicet explicitè, & diſtinctè illud quod nomen importat implicitè, & confusè, & quælibet ratio talis poteſt dici Definitio, extendendo nomen definitionis; ſed definitio propriè dicta, non eſt niſi ratio verum eſſe ſignificās ſecundum phyloſophum .1. Topic, c.4. & ſubdit, non eſt ergo propriè non entis, & hoc ſiuè non ens accipiatur pro impoſſibili, quod includit cōtradictionem, ſiuè pro negatione, vel priuatione, quia non ens non habet quid rei. Ex quibus verbis non rectè Fuentes deducit definitionē quid nominis eſſe rationem tantū entis impoſſibilis, quo genere definitionis definitur Chymera, Hyrcocervus &c. Citans pro ſe Scot. loc. c. Etenim Doctor diſertis verbis ait, cuiuſcumque ſiuè entis, ſiue non entis, quod concipi poteſt, eſſe poteſt aliqua ratio, nam entia realia habent quoque definitionē quid nominis, vltra definitionem quid rei, & Ariſt. 1. poſt. oſtendit ad demonſtr. neceſſariam eſſe prægcognitionem quid nominis, & ſolùm negat Scot. quòd definitio rigoroſa quid rei non niſi vero enti competat, non autem enti impoſſibili, quod vtique verum eſt, nam hæc eſt vna conditio entis definibilis, vt infra dicemus.

2. Supponimus hic 1. (contra antiquiores quoſdam Antiſtenis Sectatores, qui aſſerebant impoſſibiles eſſe rerum definitiones) non ſolùm poſſibiles eſſe, ſed etiam de facto dari, vt cæteri omnes phyloſophi docuerunt, ita Plato apud Alcim. de doctrina Platonis, Pythagor. & Socr. apud Laert. in vitis eorum, Democr. quem Ariſt. laudat 1. de partibus Animal c. 1. & Ariſt. ipſe plurib. in locis id aſſeruit, ſed præcipuè.6. Topic. c.2. & 2. poſt.7. & 8. Meth. & ratio cōuincit, nam definitione ablata, tollitur demōſtratio, cuius eſt mediū, & ablata demonſtratione, omnis ſcientia corruit, nihilque reuera ſciremus etiam de his, quæ obuia ſunt ſenſibus, & cognitu facillima.

3. Supponimus ſecundò tamquā certum apud omnes, duplicem eſſe definitionem, vnam quid rei, alteram quid nominis. Definitio q̄d rei, vt cōmuniter amplectitur, eſt illa, quæ explicat eſſentiam, & q̄dditatem rei; ſed definitio quid nominis non eodem modo explicatur ob omnibus. Auerſ. tract. 1. inſtitut. cap.3. Amic. tract. vlt. q. 1. dub.4. Blanc. lib. 4. inſti. ſec. 4. & alij volunt, quòd definitio, quid nominis ſit illa, quæ explicat vim, & ſignificatum nominis, vt ſi definiatur hoc nomen homo, dicendū eſt, quòd ſit nomen ſignificatiuum animalis rationalis. Nō placet, & ratio eſt, quia cùm natura nominis, eiuſq; eſſentia in ſignificatione conſiſtat, & ipſum nomen quoq; ſit res quædam verè definibilis per definitionē quidditatiuā, certè ſi definiretur per genus, & differentiam, dicendo, hoc nomen homo, eſt nomen ſignificatiuum animalis rationalis, talis definitio

erit

Digitized by Google

erit quid rei; nam per genus, & differentiam verè explicat totam eſſentiam talis nominis homo.

4. Fuentes 2. part. ſum. q. 2. difficult. 1. art. 1. vult, quòd definitio nominis competat tantùm entibus impoſſibilibus; & probat auctoritate Ariſt. 2. poſt. vbi docet, de rebus quibus actu eſſe, & exiſtere repugnat, nõ poſſe ſciri quid ſint ipſæ, ſed tantũ quid nomina ſignificẽt. Affert etiam pro ſe Scot. loc. cit. ſed neq; hoc recipitur, nã entia quoq; realia vltra definitionem quid rei, habent etiam definitionem quid nominis, quod manifeſtè Ariſt. docuit 1. poſt. tex. 2. 5. 24. 25. & alibi, vbi ait, ad demonſtrationem neceſſariam eſſe præcognitionẽ quid nominis, imò è contra etiam entia impoſſibilia poſſunt ſuo modo explicari definitione quid rei, nempè per rationem explicitè, & diſtinctè explicantem illud, quod nomen importat implicitè, & confusè, & Ariſt. loc. à Fuent. cit. tantũ ſignificare voluit, definitionem quid rei propriè ſolũ enti reali conuenire, & ideò dicebat entia impoſſibilia præſertim per definitionem nominis explicari, quia non poſſunt propriè, & rigorosè definiri.

5. Melius ergo dicendũ eſt cũ Scoto in 1. d. 22. q. 1. §. *Poteſt dict.* & in 4. d. 1. q. 2. §. *ex his prædictis*, quod Definitio quid nominis, vt à quid rei diſtinguitur, ſit explicatio, ſeu ſignificatio nominis, vel per aliud nomen clarius, vel per Ethymologiam eius, vel alio cõſimili modo, ſic quoad quid nominis, Mulier definitur, quod ſit mollis aer; homo, quòd ſit ab humo trahens originẽ; ſol, quòd ſolus ſit in orbe; lapis .i. lædens pedes, &c. in quo ſenſu non verè explicatur natura ipſius nominis, vt res quædam eſt, ſed craſſo quodam modo eius ſignificatũ. Vnde Tatar. in 2. poſt. q. 1. §. *Primo ſciendum*, ait, quòd Definitio quid nominis propriè, idem eſt quòd nominis interpretatio, & ſequuntur Complut. præamb. de modis ſciendi, Caſilius tractatu 3. cap. 1. & alij, licèt diſcrepet Fuentes loc. cit. Ex quibus ſequitur, quòd ſola definitio quid rei eſt propriè, & ſimpliciter definitio, atq; ideo prefata diuiſio in quid rei, & quid nominis eſt æquiuoca, cum aliquali analogia admixta, &c. & ideò ad veram definitionem accedimus.

6. Definitio quid rei, & propriè ſumpta, ici ab Ariſt. 1. Topic. c. 4. & 2. poſt cap. 10. deſcribitur. ſ. *eſt Oratio, quod quid eſt eſſe rei ſignificans*: ſ. eſt oratio explicans naturã, & eſſentiam rei; nam apud Ariſt. ſæpè loco eſſentiæ ponitur quod quid eſt eſſe rei, & rationabiliter quidẽ, nam per illam reſpondetur ad interrogationem factam de re, per quid. In qua definitione ponitur *Oratio* loco generis, qua conuenit cum alijs modis ſciendi, per alias particulas, differt ab alijs orationibus, quæ non explicant eſſentiã rei. Dicitur *Oratio*, quia eſſentia rei non poteſt vnico nõe diſtinctè exprimi, vt Doctor innuit. 6. Meth.

tex. 33. quælibet enim res definibilis habet rationem quamdã communem, qua cum alijs conuenit, & aliam peculiarem, qua ab alijs ſecernitur, quæ duæ rationes cũ ſint per definitionem explicandæ, plures termini vocales, aut mentales adhibendi ſunt.

7. Definitio autem formaliter ſumpta .i. pro Actu, quo intellectus rem definit, accipitur dupliciter, vno modo pro ſola apprehẽſione quidditatis rei, quæ importatur per genus, & differentiam, vt animal rationale reſpectu hominis; altero modo pro enunciatione, qua talis eſsẽtia affirmatur de homine, dicendo, quòd homo eſt Animal rationale; primo modo ſpectat ad primã intellectus operationem, quia eſt oratio imperfecta, & diminuta præſcindens ab omni affirmatione, quo ſenſu loqutur Ariſt. 1. poſt. cap. 10. cùm ait, definitionem non eſſe enunciationem, ſeu affirmationem, ſed eſſe id, quod affirmatur de re, ſolùmque percipi, & apprehendi, vt ibi Commentator exponit; at ſecũdo modo, pro integra .ſ. enunciatione, includendo definitum, & copulam, ita ſpectat vtiquè ad ſecundã operationem, quo ſenſu Ariſt. 1. poſt. c. 2. & 7. vocat definitionem propoſitionem, & eſſe vnam ex p̃miſſis in demoſtratione, & etiam interdum eſſe conclusionem, ſi ex alijs præmiſſis inferatur; quo caſu ſpectaret etiam ad tertiam operationem. Ex quo facilè ſoluũtur illæ difficultates, quæ ex Recẽtioribus circa hanc rem excitãtur, tota .n. difficultas oritur ex diuerſo modo concipiendi ipſam definitionem, magis propriè tamen accipitur primo modo, nam alio modo potius enũciatio definitiua appellanda eſt, quàm pura definitio.

8. Eſt autẽ definitio multiplex, iuxta multiplicem modum explicandi eſſentiam rei; poteſt.n. quidditas rei per definitionem dupliciter explicari .ſ. vel per partes eſſẽtiales, & principia intrinſeca rei, vel per proprias paſſiones, & accidentia extranea; prima dicitur definitio quid rei eſſentialis, & quidditatiua; altera vero deſcriptiua, & accidẽtalis; At quia eſſentia rei explicari poteſt, vel per partes eſſentiales phyſicas, vt homo eſt cõpoſitus ex corpore, & anima rationali; vel per methaphyſicas, vt homo eſt animal rationale; Hinc definitio eſſentialis ſubdiuiditur in phyſicam, & methaphyſicam; & eſſentialis phyſica appellari ſolet definitio cauſalis intrinſeca, quatenus datur per cauſam materialẽ, & formalem, quæ ſunt cauſæ intrinſecæ in compoſito remanẽtes, vt patet de anima, & corpore in homine. Poteſt etiam eſſentia rei p extranea ſignificari tripliciter; Primò per proprias paſſiones, vt dicendo, homo eſt animal riſibile, & hic eſt vſitatus deſcribendi modus; Secundo modo per cauſas extrinſecas efficientem .ſ. & finalem, vt quòd homo ſit animal à Deo crea-

Digitized by Google

creatum, propter beatitudinem, quæ definitio dicitur cauſalis extrinſeca, quæ datur per cauſas extrinſecas extra definitum manentes, De qua agit Ariſt. 2. poſt. 44. dicens, eſſe orationem ſignificantem propter quid eſt, in qua definitione aſſignari debent cauſæ ꝓpriæ definiti, non communes, q̃a ſic non poſſet cõuerti cum ſuo definito. Tertio modo circumſcribi poteſt per accidentia communia, dummodo ſaltèm ſint propria cõiunctim ſumpta, vt homo eſt animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum &c. quæ accidentia licèt ſint alijs ab homine conuenientia, ſi ſeorſim ſumantur, coniuncta tamèn ſimul ſoli homini conueniunt, quæ definitio eſtò à pluribus reijciatur, ità tamen explicata admitti debet, vt Auer. docuit 2. phyſ. text. 28. & 93. & ſequuntur Complut. & alij. Sed dices, ſicut vnius rei eſt vnica eſſentia, ità & vnica definitio, ergo malè aſſignantur tot ſpecies definitionis eſſentialis, & accidentalis, eſſentialis phyſica, & methaphyſica; &c. ℞. quòd res poteſt conſiderari dupliciter, vel quantum ad rem explicatam, vel quantum ad modum explicandi, Inſtantia currit primo modo, non ſecundo modo, eadem .n. res explicari poteſt per eſſentialia, & accidentalia, & eſſentialia phyſica, & methaphyſ.

9. Item definitio Eſſentialis, & quidditatiua duplex eſt ex Scot. 1. Priorum q. 5. & 4. d. 1. q. 2. & alibi, & ſequitur Tatar. q. 1. de genere, quædam eſt purè quidditatiua, cuius omnes partes pertinent ad quidditatem definiti, vt iſta, homo eſt Animal rationale, & hoc modo definiuntur ſubſtantiæ completæ, quia eius entitates ità abſolutæ ſunt ab ordine ad aliud extrinſecum, vt ſine tali habitudine perfectè concipi poſſint; Alia eſt quidditatiua per additamentum, quatenùs ad perfectam rei notitiam manifeſtandam, aliquod extrinſecum in definitione additur, ad quod definitum dicit ordinem ſaltem traſcendentalem; ità definitur relatio per ordinem ad terminum. Accidens per ordinem ad ſubiectum, Anima per ordinem ad corpus, &c. Et ratio eſt, quia cùm non ſint entitates omninò completæ, ſed imperfectæ, ſi nõ ſolùm quidditatiuè, ſed etiam ꝗtatiuè concipi debeant, ab aliquo extrinſeco in tali conceptu pendere debent.

*Obiectiones.*

10. Ob. 1. quòd non ſit poſſibilis alicuiꝰ rei definitio, ex opinione Antiſtenis: prædicata, per quæ res definitur, debent etiam & ipſa per alia definiri, & rurſus hæc per alia, & ità proceſſus in infinitum &c. ℞. ex Ariſt. 8. meth. 7. negando dari proceſſum in infinitum, nam definiendo peruenimus ad ſuprema prædicata, quæ vlterius per alia definiri non exigunt, & tales ſunt cõceptus Entis, & vltimæ differentiæ; & dato etiam, quòd partes

tes definitionis poſſent in infinitũ definiri, non ſequitur, quòd non poſſit de rebus dari definitio, de cuius eſſentia eſt, vt conſtet ex realitate, vel conceptu generis, & differentiæ &c.

Secundò: Non poteſt cognoſci eſſentia rei, niſi cognoſcatur vltima differentia, ſed hæc cognoſci non poteſt, niſi cognitis infinitis rebus à quib' ſecernitur, ergo &c. ℞. neg. min. ex Scot. 2. poſt. q. vlt. & ratio eſt, quia ad cognoſcẽdum diſcrimen definiti à cæteris rebus, non oportet ſingulas in particulari penetrare, ſed ſufficit illas cognoſcere in aliquo conceptu communi, ſaltem negatiuo, quatenus ſcilicet talem eſſentiam aliæ res nõ participant.

Tertiò: Obijcit Ioan. Franciſcus Picus: Subſtantia non cadit ſub ſẽſu ex Ariſt. ergo ſaltem ſubſtantia non poteſt definiri. ℞. neg. antec. quamuis. n. accidentia non valeãt directè nos in notitiam ſubſtantiæ ducere, valent tamen indirectè, & arguitiuè, vt alibi dicemus, quod etiã Ariſtot. innuit, cùm ait, accidentia magna ex parte conferre ad cognoſcendum quodquid eſt; & ità ſubſtantia ſaltem mediatè cadit ſub ſenſu.

Quartò: Ob. Contra definitionem. Idem nequit eſſe Definitio, & Definitum, alioquin eſſet notius, & ignotius ſeipſo, nam definitio ẽ notior definito, ergo definitio definiri nõ poteſt &c. ℞. aſsũptũ eſſe verũ, ſi definitio, & definitum vniformiter accipiantur, non autem difformiter; ſæpè. n. in ſecũdis intentionibus vnam accipimus formaliter, & vt quid, aliam verò denominatiuè, & vt modus. Hinc diximus, quòd genus formaliter eſt intẽtio generis, denominatiuè verò, & vt modus eſt ſpecies vniuerſalis, poteſt. n. intellectus reflectendo ſuper vnam ſecundam intentionem, aliam addere; ità in propoſito, licèt non valeat definitio eſſe ſimul definitio, & definitũ formaliter, poteſt tamen eſſe eſsẽtialiter definitio, & denominatiuè definitum, vt ad ſuam definitionẽ comparatur.

Quintò: Actionis non eſt actio, quia abiretur in infinitum, ergo ſimiliter neque definitionis eſt definitio. ℞. neg. conſeq. & ratio eſt, quia quando definimus definitionem, tunc definitio accipitur in actu ſignato, quatenus omnes definitiones in actu exercito, continentur ſub ipſa definitione in actu ſignato, atque ideò non ſequitur proceſſus in infinitum.

Sextò: Definitio dicitur ad conuertentiam cum definito, ſed præfata definitio non eſt huiuſmodi cũ definito, nam hæc tradita, eſt quædam definitio ſingularis, contẽta ſub definitione in cõmuni, cũ qua conuerti nõ poteſt, ergo &c. ℞. neg. min. & ratio eſt, quia licèt hęc definitio definitionis ſit ſingularis in eſſendo, eſt tamen vniuerſalis in repręſentando, & ſignificãdo, hęc. n. ipſa definitio conuenit om-

Digitized by Google

omnibus definitionibus rerum in particulari.

Septimò: Si Definitio propriè ſpectat ad primā intellectus operationem, ergo malè dicitur quòd ſit oratio. ℞. Definitionem eſſe orationem imperfectam, & diminutam, quæ habet rationem vnius termini complexi prædicabilis de definito, & ideò propriè ſpectat ad primam operationem intellectus.

Octauò: Vna ſola vox poteſt ſignificare totam rei eſſentiam, vt humanitas, ergo non eſt neceſſaria definitio ℞. quòd poteſt tantùm indiſtinctè, & confusè, vt in præfato exemplo, Definitio autem debet diſtinctè, & clarè eſſentiam rei explicare, & ideò pluribus vocibus ſignificari debet, .ſ. rationē generis, & differētię ſignificātibus.

Nonò: De qualibet re efformari poteſt vnus conceptus adæquatus per definitionem explicatus, ergo non eſt oratio neceſſariò plura explicans, conceptum .ſ. conuenientiæ; & differentiæ. ℞. neg. conſeq. & ratio eſt, quia ille idem conceptus adequatus, integratur ex pluribus inadæquatis, ex generico .ſ. & differentiali, qui ambo in definitione exprimi debent.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Modo conſtituendi, & inueſtigandi Definitionem, & quomodo Definitio à definito diſtinguatur.*

1. Scotus omnium Scientiarum peritiſſimus organicus armonicas phyloſoph. rationes ſuauiter modulās, de his agit in 4. ſen. d. 12. q. 1. & ſæpè alibi, pro cuius captu ſupponimus, vt etiam ex Ariſt. colligitur 6. Top. & 7. meth. quòd ille eſt rectus modus conſtituendi definitionē, in qua ponūtur ea prædicata, quæ intrinſecè ſunt de eius eſſentia; & ſi interdum illa non ſufficiunt ad quietandum intellectum, addantur vlterius ea, ad quæ res definienda dicit ordinē quemdam traſcendētalem, & quaſi eſsētialem, ſine quibus perfectè, & quietatiuè intelligi non poſſet, quomodò definitur accidens in ordine ad ſubiectum; vndè etiam deducitur, quòd definitio data per additamentum computari debet inter eſſentiales, nam datur per genus, & differentiam, & licèt aliquid extrinſecum in ea ponatur, non tamen ſpectat ad eam directè, velut pars intrinſeca definiti, ſed ſolùm indirectè, & connotatiuè, veluti terminus, vel ſubiectum, aut aliud conſimile neceſſariò requiſitum ad perfectam rei definitæ notitiam.

2. Illa verò prædicata, quæ ad eſſentiam definiti pertinent, vel sūt partes phyſicæ, vel gradus methaphyſici; ſi primum, conſtituunt definitionem phyſicam, non in recto, ſed in obliquo, quia homo nō dicitur anima, & corpus, ſed conſtans ex corpore, & anima; ſi ſunt gradus methaphyſici, ponuntur in recto in definitione, & conſtituunt definitionem methaphyſicam. Sed eſt hic ſciendum, quòd definitio me-

methaphyſica pōt dupliciter conſtitui, vt Scot. ex Ariſt. 7. met. 43. docet: Vno modo ex genere primo generaliſſimo, & omnibus differentijs vſque ad vltimam, ꝙ tunc eſt, quando genus primum eſt innominatum, & tūc ipſum circumloquimur per genus remotum, & differentias communes vſque ad vltimam; & tunc genus remotum cum omnibus differentijs præcedentibus vltimam, tenet locū generis proximi. Secundo modo inſtituitur definitio ex genere proximo, & vltima differentia, ꝙ tunc eſt, quando genus proximum eſt nominatum, & vltima differentia eſt nobis nota. Exemplum primi, ſi dicatur, quòd homo eſt ſubſtantia corporea, animata, ſenſibilis, rationalis; Exemplum ſecundi, ſi dicatur, quòd homo eſt Animal rationale, dato quòd animal ſit genꝰ proximum, & rationale ſit vltima differentia; & eſtò prior definiendi modus ſit magis exquiſitus, & magiſtralis, poſterior tamèn eſt magis expeditus, & vſitatus; & itá euitatur prolixitas in definitione, quam Ariſt. reſpuit 1. Prior. ſec. 3. c. 39. & habetur intentum, quia iam omnia continet, ſuppoſito, ꝙ genus proximum ſit cognitum explicitè .ſ. quo ad omnes gradus ſuperiores in ipſo contentos, non. n. eſſet exacta definitio, ſi daretur ꝑ genus proximum tantùm confusè cognitum.

3. Quando autem res definitur per illa, ad quæ dicit ordinem, nō tamèn ſecundum ſe in ipſa eſſentia rei incluſa, tenet Auerſa q. 4. ſec. 4. quòd debeant poni omnia, ad quæ res eſſentialiter dicit ordinē, vt perfecta, & adæquata ſit definitio. Aſſerit iſte Doctor cum Amico, & alijs, quòd tales ordines, & reſpectus ad hæc extrinſeca sūt de Eſſentia rei definiendæ, & ideò vt conſequenter loquantur fateri tenentur non ſolùm aliqua illorum in definitione poni debere, ſed potius omnia illa, ad quæ res illa definienda dicit ordinem eſſentialē, vt. n. recta definitio rei aſſignetur, debent in ea exprimi omnia illius prædicata quidditatiua ex doctrina Ariſt. 2. poſt. 21. At hoc eſt falſum, ſic. n. omnia creata per additamentum definiri deberent, cùm nulla res creata ſit ab his reſpectibus abſoluta, omnia. n. dicunt ordinem ſaltem traſcendentalem ad Deum, vt ad primam cáuſam efficientem; Et quidem ſi talis ordo exprimi deberet in definitione, qa eſſet de eſſentia definiti, cùm non magis ſit de eſſentia eius ordo ad hanc rem, quàm ad aliam, non videtur poſſe aſſignari ratio, cur potius hæc cauſa, quàm illa in definitione explicari debeat; & itá oportet in oīi definitione cauſali omnes rei cauſas apponere, & in definitione per effectus oīes proprietates numerare &c. præſtat igitur magis dicere cum Doctore, illa tātùm apponere debere, quæ neceſſaria videntur ad habēdum perfectū, & quietatium cōceptū rei &c.

4. Ex

Digitized by Google

4. Ex quibus colligitur quatuor conditiones ad bonam definitionẽ requiri; Prima, & principalis, quòd conſtet ex genere, & differentia, vel ſaltèm aliquo vicem generis,& aliquo vicem differentiæ ſupplente, quod additur propter definitionem accidentalem, in qua propriè non reperitur genus, & differentia, ſed aliquid loco illorum: Ex hac deducitur Secunda conditio, quæ eſt, vt conuertatur cum ſuo definito, & è contra; & ratio eſt, quia ſi definitio cõtinet totam eſsẽtiam definiti, neceſſariò ſequitur, vt nulli alteri conuenire poſſit, ſed ſoli definito, ità vt de quocumque prædicatur definitio, prędicetur definitum; & è contra: Tertia conditio eſt, vt definitio ſit clarior definito, ſi .n. definitione vtimur, vt definitum declaremus, & manifeſtemus, conſequens eſt, vt definitio ſit clarior definitio, aliter ignotum per æquè ignotum manifeſtaretur; & hoc ſaltem in ordine diſtinctè cognoſcendi, & ſi in ordine confusè cognoſcendi poſſit definitum eſſe notius definitione, vt ſuo loco dicemus: Quarta tandẽ conditio, quæ ex hac ſequitur eſt, vt non ſit diminuta, quia tunc non explicaret totam eſſentiam definiti &c.

5. Quantùm ad aliam quæſiti partem, quomodò .ſ. definitum, & definitio diſtinguantur, eſt controuerſia inter Scotiſtas, & Thomiſtas; Hi .n. aſſerunt non differre niſi ratione, & ſecundum noſtrum intelligendi modum, quia tota eorum diuerſitas nõ ſe tenet ex parte rei conceptæ, ſed ſolùm ex parte intellectus concipientis. Sic Caiet. 1. poſt. c.3. & p.p. q.2. art. 1. Auerſa, Moriſanus, & alij. Scotiſtæ è contra tract. formal. differre etiam ex natura rei contendunt; & ratio, quam aſſignant eſt, quia ſecluſa quacumque intellectus operatione, de ipſis contradictoria verificantur, definitio .n. diſtinctè rem exprimit, definitum confusè; nec quæſtio eſt de definitione formali, pro actu .ſ. intellectus apprehendentis quidditatem rei, ſed de obiectiua, quæ eſt res ipſa definita, diſtinctè repræſentata intellectui per partes eſſentiales; neque eſt altercatio de definitione, & definito pro ſecunda intentione, ſic .n. clarum eſt non poſſe diſtingui, niſi diſtinctione rationis, vt Tròb. aduertit art. 2. formal. ſed cõtẽtio eſt de prima intentione, & pro denominato .ſ. pro ipſa re definita, diſtinctè intellectui repræſentata.

6. Formaliſtæ igitur enixè defendunt inter definitionem, & definitum intercedere diſtinctionẽ, ſaltèm ex natura rei, & ſi non formalem, qualem tantùm agnoſcunt inter ſubiectũ, & paſſionem. Quibus etiam ſatisfacere videtur Doctor in 1. d.2. q. 2. vbi licèt non explicet, qualis ſit diſtinctio inter definitionem, & definitum, probat tamen diſertis verbis, quòd definitio, & definitum non ſunt ſynonima,

ma, ſed diuerſa; & hoc, tùm quia definitum importat conceptum obiectiuum rei confuſum, definitio diſtinctum; tùm quia aliquando ſequeretur, quòd in demoſtratione eſſent tãtùm duo termini, quod eſt manifeſtè falſum. Patet ſequela, in qualibet .n. demõſtratione tantùm ſunt ſubiectum, ſeu definitum; definitio, quod eſt medium; & paſſio demoſtrata de ſubiecto, ergo ſi definitum, & definitio ſunt idem, quando demoſtraretur paſſio de ſubiecto, ſeu de definito per definitionem, tunc probaretur idem per idem, patet in exemplo de riſibilitate demonſtrata de homine per rationalitatem, &c. ita Scot. quam alietatem etiam ipſi Thomiſtę concedunt, ſed tota lis eſt de diſtinctione, quæ ex tali alietate infertur inter definitum, & definitionem; Et quòd nõ infertur diſtinctio rationis ratiocinantis, quæ tota ſe tenet ex parte intellectus concipientis, vt Thomiſtæ contẽdunt, & præcipuè Caiet. & Auerſa, ex eo patet, quia quando Petrus prædicatur de ſe ipſo, talis diſtinctio verſatur inter Petrũ à parte ſubiecti, & ſe ipſum à parte prædicati, quæ tamen propoſitio eſt identica, ergo vt propoſitio non ſit identica, maior diſtinctio requiritur, quàm rationis ratiocinantis, quæ eſt merè ficta per intellectum. Confirmatur ex doctrina Thomiſtarum, quam etiam Auerſa amplectitur q.6. ſec.4 qui volunt, quòd vt voces, & termini non dicãtur ſynonimi, requiritur, vt diuerſi conceptus obiectiui eis correſpondeant. Synonima .n. ſũt, quæ non ſolùm ſignificant eãdem rem, ſed etiam ſecundùm eamdem rationem, & eumdem conceptum, ergo Definitum, & definitio, cùm non ſint termini ſynonimi, vt etiam ipſi fatentur neceſsè eſt, vt differant, non tantùm quoad voces ſignificantes, ſed etiam quoad conceptus ſignificatos, & conſequenter talis diſtinctio non ſe tenet tantùm ex parte intellectus cõcipientis.

7. Sed inſtant Aduerſarij, definitio, & definitum differunt ſolùm ſecundũ confuſè concipi, & diſtinctè concipi, ergo cũ res ſit prorſus eadem in ſe, & ſolũ diuerſitas ſe tẽneat ex parte modi cõcipiendi cõfuſè, vel diſtinctè, certè tota diſtinctio ſe tenebit ex parte intellectus concipientis, nullo modo ex parte rei conceptæ, & conſequenter inter illa erit tantũ diſtinctio rationis ratiocinantis, & quo ad voces ſignificatas, non quoad conceptus obiectiuos. Et hoc videtur Achilles aduerſariorũ, Vnde pro euerſione talis fundamenti prænotandum eſt ex Maſtr. & Bellut. diſp. 1. q.4. art.2. quòd confuſio, & diſtinctio, ſeù claritas non modificãt tãtũ conceptum formalem, ſeù actũ cognitionis, ſed etiam conceptum obiectiuum, quatenùs .ſ. ipſa res eſt hoc, vel illo modo cognoſcibilis confuſè .ſ. per nomen definiti, diſtinctè per nomen definitionis, q; Tho-

Thomiſtæ admittere coguntur ex doctrina, quã habent in materia de Viſione beatifica, vbi loquêtes de comprehenſione aſſerunt, illam eſſe cognitionem obiecti comprehenſiuã, qua diſtinctè, & clarè attingitur obiectum, quantum in ſe intelligibile eſt diſtinctione, & claritate ſe tenente ex parte cognoſcibilitatis obiecti, non autem cognitionis, vt v. g. tàm comprehendit formicã Angelus inferior, quã ſuperior, cũ vterque penetret totã formicam quantum cognoſcibilis eſt, quamuis Angelus ſuperior diſtinctius, & clarius eã attingat claritate ſe tenente ex parte intellectus cognoſcentis; Ità in propoſitò iſta claritas, & confuſio non ſe tenet tantùm ex parte intellectus concipiêtis, ſed etiam ex parte rei côceptę, & ideò optimè dixit Scot. ꝗ definitio, & definitum ſunt diuerſi termini, non ſolũ quo ad voces ſignificantes, ſed etiam quoad conceptus ſignificatos, & obiectiuos, non quòd diuerſas res explicent, ſed eandem, diuerſis tamen modis ſe tenentibus ex parte obiecti; Vndè etiam colligitur, quòd rationabiliter Scotiſtæ eam appellant diſtinctionem ex natura rei actualem, quatenùs à parte rei idê omninò obiectum duplici modo eſt conceptibile, confusè nempè ꝑ definitum, & diſtinctè per definitionem; qui duo modi conceptibilitatis ſunt in obiecto ad inuicem diſtincti, ante intellect' operationem; ità eruditiſſimè Bell. & Maſtr. loco citato.

8. Verùm relati Doctores fatentur inter definitionem, & definitum ſufficere diſtinctionê rationis ratiocinatæ; non .n. inquiunt, ex alietate terminorum in propoſitione, ſtatim inferre debemus inter illas diſtinctionem ex natura rei actualem, omninò ab opere intellectus præſcindentem. Et ratio eſt, quia ne prorſus propoſitio ſit identica, ſufficit, vt idem confusè, & inadęquatè conceptum, dicatur de ſe ipſo diſtinctè, & adæquatè concepto, quod acceperunt à Bargio in p. d. 8. q. 2. §. *Reſpondeo quòd quando, &c.* & ità vniuerſaliter euenit, dum conceptus traſcendentes, quibus à parte rei nulla correſpôdet adæquata realitas, de ſuis inferioribus prædicãtur, & ne petatur principium, ſufficit, vt per rem diſtinctè cognitam, probetur eidem rei confusè cognitæ aliquid conuenire; quod vniuerſaliter accidit dum de traſcendentibus oſtenduntur propriæ paſſiones, per eorum côceptus quidditatiuos. Quæ doctrina eſt communiſſima apud Scotiſtas, & clarè colligitur ex Doctore in 1. d. 8. q. 3. E. vbi docet, Ens traſcendentaliter ſumptũ, ꝗ eſt prædicatum vniuocè dictum de Deo, & creaturis, non præſeferre à parte rei realitatem aliquã actu ex natura rei præciſam à re, quæ eſt Deus, & à re, quę eſt creatura, ſed tantũ conceptum obiectiuum inadæquatum. Et hoc etiam aſſerunt Scotiſtæ vniuerſaliter de affectibus

ctibus Entis inter ſe,& cũ ipſo Ente in communi, vt videre eſt apud Vulp.tom.1.p.p.diſp.30.art.1.nu. 2.vbi ait, affectiones entis inter ſe, & cum ipſo Ente in communi cõparatæ, non poſſunt aliquam huiuſmodi realitatem formaliter imbibere, ſed præſeferunt ſolùm conceptus quoſdã quidditatiuos formaliter diſtinctos à conceptu entis ſecũdum rationem ratiocinatam, cum vero fundamento in re, quæ doctrina eſt veriſſima, & receptiſſima apud Scotiſtas: & facilè eſt hos Scotiſtas cum formalizãtibus reconciliare, hi.n. hanc ſpeciẽ diſtinctionis ratiocinatæ ad ſecundũ membrum diſtinctionis reducunt, quæ eſt diſtinctio ex natura rei, dũmodò tamèn non addant actualiter, (quia vt ſic non actuaretur per intellectum) ſed ſufficit eam nominare ex natura rei, in quantũ habet fundamentum in re, quidquid ſit de illa diſtinctione ex natura rei præciſa, vel non præciſa, &c. Sed de hac diſtinctione rationis ratiocinatæ agemus infra diſp. ſequenti, de hac diſtinctione inter definitũ,& definitionẽ agit Philippus Faber Theor. 7. ſatis eruditè, ad quẽ curioſi recurrere poſſunt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*Quænam propriè definiri poſſunt.*

SCot. cuius ſcripta legẽti in ſtuporem perducũt, dubium hoc diſertis verbis reſoluit in 4. d.1.q. 2.vbi quinque conditiones neceſſarias aſſignat eorũ, quæ propriè, & eſſentialiter definiri debeant, quas Scotiſtæ cõmuniter recipiũt, vt videre eſt apud Tatar. q. 1. de genere §. *tertio ſciendum*. Vulp. to. 1.p.p.diſp.29.art.1.nu.3. Fuentes, Bellut.& Maſtr.& alios,& ſequuntur ex exteris Auerſa, Amicus, & Recentiores paſſim.

1. Prima conditio igitur eſt, quòd definibile ſit Ens poſitiuum, & ratio eſt, quia definitio propriè dicta eſt oratio, verũ eſſe ſignificans ex primo Topic.cap.4.ſed nõ entia, priuationes, & negationes nõ ſunt huiuſmodi, vt patet, ergo, &c. Tùm quia definitio eſſentialis explicat naturam, & eſſentiam rei definitæ, at non Ens non habet eſſentiam, ergo. hinc Ariſt. 1. poſt. tex.7.ait, non Ens poſſe quidẽ habere definitionem, non quid rei, ſed quid nominis; attamèn quia negationes, priuationes,& non entia cõcipiuntur ad modum Entis, & habent ſuum genus, & ſpeciem priuatiuam, ex Doct. quol. 18. §. *ex iſto ſequuntur,&c.* ideò poſsũt definiri ſuo modo, eorum genus, & differentiam aſſignando.

Sed inſtabis, negatio habet diſtinctam formalitatem ab affirmatione, cui opponitur, & priuationes habẽt ſua genera, & ſpecies ex Scoto loc.cit. ergo propriè definiri poſſunt. Reſponſio patet ex dictis, ſicut .n. negationes, & priuationes propriè non ſunt res, nec quid, ità propriè quid rei habere non poſſunt, ſed ſolùm per quamdã analogiã ad entia poſitiua, &c.

2. Se-

2. Secunda conditio eſt; quòd ſit Ens per ſe vnum, & hoc ſiuè vnũ ſit vnitate ſimplicitatis, quatenus partibus caret phyſicis, vt Angelus, albedo, &c. ſiuè vnitate compoſitionis ex per ſe acta, & per ſe potentia, quale eſt compoſitum phyſicum; quare requiritur, vt nõ ſit aggregatum quoddã ex diuerſis naturis, quia ſic erit vnum per accidens, vt homo albus, aceruus lapidum, &c. quæ propriè ſunt plura Entia, & ideò vnica definitione explicari non poſſunt. Vndè Ariſt. 7. meth. tex. 12. & 13. & 42. docuit huiuſmodi entia per Accidẽs, poſſe explicari definitione nominis, non quid rei. Supponimus tamèn ex dictis, quòd iſta per ſe vnitas, nõ impedit, quãdo definitũ includit aliquid tanquã terminũ per ſe dependentiæ ſuæ, vt Accidens includit ſubiectum, & relatiuum ſuũ correlatiuum, cum quo eſt ſimul natura &c. adhùc .n. definitio accidentis, & relatiui eſt quidditatiua, licèt per additamẽtum. Et hæc eſt doctrina Scoti in 1. d. 2. q. 7. lit. H. vbi docuit accidentia definiri debere definitione quidditatiua per additamèntum, in ordine ad ſubſtantiam, quæ eſt expreſſa doctrina Ariſt. 7. methaphyſ. à text. 12. vſque ad 20.

3. Sed dices: Ens per accidens eſt ſcibile, vt etiam Scotus ipſe fatetur 6. meth. q. 2. ergo propriè eſt definibile. Nec dicere valet, quòd cùm non ſit ens per ſe vnum definiri non poſſet, nam hoc ſolùm impedit, quòd non poſſit vnica definitione explicari, ſed pluribus, cũ quo ſtat, quòd adhuc definiri poſſit. R. Antecedens patere in diſp. de Scientia, pro modo dicimus, quòd ſicut Ens per accidens non eſt ſaltèm propriè, & rigoroſè ſcibile, vt eſt ens per ſe vnum, ſic etiam non eſt propriè definibile. Et reſponſio data inter arguendum ſufficit, ex eo .n. quòd aliquid non poteſt vnica explicari definitione, ſtatim conuincitur non poſſe propriè definiri, alîter æquiuocum etiam definiri poſſet, quod eſt falsũ, nam tantùm explicari poteſt pluribus definitionibus, quas Ariſtot. vocat complicatas definitiones 6. Topic. & hoc modo explicare poſſumus ens per Accidens, aſſignando definitionem ſubiecti, & formæ accidentalis, V. g. ſi explicare velimus quid ſit homo albus, aſſignare debemus definitionẽ hominis, & albedinis.

4. Tertia Conditio eſt, quòd ſit Ens reale, quæ etiam poteſt ad primam reduci, & probatur eodem modo, nam vera definitio explicare debet eſſentiam, & quidditatem rei definitæ, ſed entia rationis ſictitia non habent veram eſſentiam ſed tantùm eam habere finguntur per intellectum ex dictis, ergo &c. quæ eſt doctrina Auerr. 1. poſt. cõ. 10. ſubdit tamèn Scotus, quòd licèt Entia rationis in hoc ſenſu propriè definiri non poſſint, quatenus nimirum definitio exprimit veram eſſentiam extra animã, adhuc ta-

mèn in alio ſenſu poſſunt ſuo modo proprias definitiones habere, quatenùs genus, & differentias includunt, quibus explicetur cõceptus in anima per ſe vnus, quomodo definiuntur omnes intentiones logicales, & hoc modo definitionẽ habere ſufficit ad ſcientiam propter quid dictam; Vndè logica ſciẽtia communiter appellatur.

5. Quarta Conditio eſt, quòd habeat aliquam compoſitionem, qua mediãte ſit in plures conceptus reſolubilis dicentes q d, & quale. Ideò quæ non habent, niſi conceptum ſimpliciter ſimplicem, vt ſunt Ens, & vltimæ differentiæ, propriè definiri non poſſunt, ſed tantùm habere poſſunt aliquam explicationem, quæ largo modo ſumpto vocabulo definitio dici poteſt; quam cõditionem Doctor probat ex Ariſt. 8. meth. tex. 9. vbi docuit definitionem eſſe orationem longam exprimentẽ quid, & quale; & ratio eſt, q à diſtinctè, & per partes explicat id, quod definitũ importat implicitè; & ideò diximus Art. præcedẽti, q̀ præcipua cõditio bonæ definitionis eſt, quòd conſtet ex genere, & differentia, conceptu ſ. quidditatiuo, per quem cum alijs conuenit, & qualitatiuo, per quem ab alijs differt.

6. Sed contra hanc conditionẽ multipliciter obijci ſolet, & primò ex Ariſt. 8. met. tex. 11. vbi ait, quòd quidditas conſiſtit in indiuiſibili, ſed definitio explicat quidditatem rei, ergo falſum eſt quòd definibile debeat eſſe compoſitũ. ℞. Ariſt. locutum fuiſſe de indiuiſibilitate quoad intenſionem, quatenùs non ſuſcipit magis, & minus, non ob carentiam compoſitionis realis, vel ſaltem conceptuum.

Ob. 2. Definitio fit per actum ſimplicem, cùm pertineat ad primam intellectus operationem, ſed quæ per actum ſimplicem intelliguntur, non habent partes, ergo &c. ℞. neg. min. & ratio eſt, quia ſimplici intuitu poſſumus cognoſcere quidditatem ex genere, & differentia conſtantem; tùm etiam, quia ex Ariſt. 7. meth. tex. 42. & 8. meth. tex. 15. illa partium multiplicitas non tollit vnitatem.

7. Ob. 3. Deus, & ſumma genera propriè definiuntur, & tamen non componuntur, ergo &c. Reſpondet Amicus, quòd relata propriè non definiuntur duplici de cauſa, & quia cõpoſitione carent, & quia definitũ eſſe debet ſub genere. Sequitur Auerſa, & fuit doctrina D. Thom. 7. meth. lec. 3. At nos, qui Scoti ſequimur veſtigia, affirmamus Deum, & ſumma genera poſſe definiri propriè, quia & ſi non ſint compoſita ex genere, & differentia, non ſunt tamen ſimpliciter ſimplicia, quæ ſolùm excludit Doctor, ſed ſunt adhùc reſolubilia in vlteriores conceptus, quidditatiuum ſ. & qualitatiuum, definitio autem quidditatiua non debet neceſſariò conſtare ex genere, & differentia, ſed vel ex his, vel ex proportionalibus, vt Ariſt. docet 9.

cet 9. meth. tex. 11. & Doctor ſuper eundem textum, & ſequitur Blancus lib. 5. inſtit. ſec. 7. ſolùm igitur Scot. per hanc quartam cõditionem excludit illa, quæ habẽt conceptum ſimpliciter ſimplicem, vti ſunt traſcendentia, & vltimæ differentiæ, & propriæ paſſiones, vt Tatar. explicat quæſt. 1. de genere §. 3. *Sciendum* fol. mihi 24. lit. B. vbi ait, aduerte, quòd duplex eſt definitio purè quidditatiua; quædam eſt, cuius omnes partes pertinent ad quidditatem definiti, ſed non vt genus, & differẽtia, vt definitiones generum generaliſſimorũ, quæ dantur per ens, & modum intrinſecum ipſorum: Alia eſt, quæ datur, per genus, & differentiam, & de illa communiter dicitur, quòd ſola ſpecies definitur, & ibi capitur ſpecies, tàm pro ſpecie ſpecialiſſima, quàm ſubalterna &c.

8. Quinta tandèm conditio eſt, quòd definibile ſit res vniuerſalis, per quam excluduntur ſingularia, & colligitur ex Ariſt. 2. poſt. tex. 2. & 7. meth. tex. 53. & probatur, quia definitio explicat rei quidditatẽ, ſingularitas autem, ſeu differẽtia indiuidualis, quamuis ad integritatem, & ſubſtantiã rei pertineat, non tamẽ ad quidditatem, vt Scot. aduertit in 2. d. 3. q. 6. §. *Et per hoc patet*. Tùm quia quidditas eſt cõicabilis, ſingularitas incõmunicabilis; Tũ quia de ſingulari potius quæritur quis ſit, quàm quid ſit, ergo &c.

9. Sed contra hanc conditionẽ, ita communiter obijcitur. Ariſt. 2. poſt. 22. ait: facilius eſſe definire ſingulare, quàm vniuerſale, & Porphyr. cap. de ſpecie definiuit indiuiduum, & cap. de ſubſtantia definitur prima ſubſtantia. Tùm quia definitio ſpeciei conuenit etiam indiuiduo, ergo poteſt definiri. R. quòd ibi Ariſt. per ſingulare, intellexit minus vniuerſale, vt ex ipſo textu colligitur, & exactius ſuo loco declarabitur. Porphy. definiuit indiuiduum pro ſecunda intentione, & in actu ſignato, non autẽ in actu exercito, quod eſt dicere, definiuit ſingularitatem ipſam in communi, quomodò induit modũ ſpeciei, & quomodò etiam definitur prima ſubſtãtia, vt ibi patebit. Ad vltimum verum eſt, quòd indiuiduo competat definitio ſpeciei, ſed ex hoc Scot. deducit, quòd indiuiduum, vt ſic non poſſit definiri, quia non habet aliam definitionem eſſentialem à definitione ſpeciei, quam ſi haberet, adderet nouum gradum eſſentiæ à ſpecie diſtinctum, & ita indiuidua inter ſe differrent eſſentialitèr; Hinc ſpecies dicitur tota quidditas indiuiduorum.

Ob: Tandèm illa definiri poſsũt definitione eſſentiali, quæ habent plures conceptus intrinſecos, quorum alter ſit principiũ conueniendi, alter diſtinguẽdi, ſed indiuidua ſunt huiuſmodi, ergo &c. nec valet reſpondere, quòd id, quòd ponitur in definitione eſſentiali debet

eſſe aliquid ad eſſentiam definiti pertinens, quod non eſt differentia indiuidualis, nã ſufficit, quòd definitio eſſentialis cõſtet ex gradibus eſſentialibus, aut ſubſtantialibus, cùm omnes ſint intrinſeci rei definitæ, vt eſt in propoſito differentia indiuidualis reſpectu indiuidui &c. ℞. neg. min. differentia .n. indiuidualis non ſpectat ad eſſentiam rei; & quòd ad definitionem eſſentialem ſufficiant gradus intrinſeci, & ſubſtantiales eſt voluntariè dictum, aliquando enim partes integrales ingredi poſſent definitionem eſſentialeam rei definitæ, cùm ſint de eius integritate, & ſubſtantia, & ita in definitione eſſentiali hominis apponi deberẽt caput, brachia, pedes &c. Arriag. diſp. 3. ſummul. ait, indiuiduum poſſe ex ſe definiri, per accidẽs tamen non poteſt à nobis pro ſtatu iſto, quia non cognoſcimus differentias indiuiduales. ſed nõ eſt recedendum à ſententia Doctoris, & eſſentiæ rerum ſunt immutabiles, & abſtrahunt ab hic, & nunc, quomodo nõ abſtrahũt indiuidua, &c.

10. Quantum autem ad modũ inueſtigãdi definitionem, Plato in Sophiſt. de quo tract. Zabarel. lib. 3. de methodo docuit inueſtigare definitionem via diuiſionis, ſumẽdo .ſ. prædicatum, quod eſt communi' rei definiendæ, & illud diuidendo per differentias in ſpecies, deinde illi addendo differentiam ſpecificam, quæ ſi conuertitur cũ re definienda, erit iam inuenta rei definitio; at ſi nõ conuertatur, vlterius progrediendum eſt, donec oratio cum re definita cõuertatur, qui modus vtilis eſt ad definitionẽ indagandam, ait Scot. in 1. d. 3. q. 2. lit. N. Ariſt. verò è contra vtitur via compoſitionis, ità vt primò ſumantur inferiora rei definiendæ, deinde videatur adæquata ratio, in qua ipſa conueniunt. & hæc erit definitio talis rei; vt ſi quis V. g. vult hominem definire, ſumat Petrum & Paulum, & videat prædicata, in quib' eſſentialiter ipſi cõueniũt, alijs ſecloſis, & hæc erit definitio; quia .ſ. indiuidua humana conueniunt in animali rationali, animal rationale erit eorum definitio. Sed melior modus videtur ille, quem Galenus docuit lib. 1. de ſanitate tuenda, & Scot. obſeruaſſe videtur in 4. d. 1. q. 2. Sacramenti definitionem inueſtigando, ꝙ .ſ. primò percipiatur quid nominis illius rei, quæ definienda eſt, quod ſi ignoretur ad inueſtigandam rei quidditatem omnis via præcluditur, quod etiã Ariſt. docuit 2. poſt. poſtea inquirendum eſt, ſub quo genere erit, ꝙ facilè ex proprietatibus generis deprehenditur, cùm raró ſit ignotum, tandẽ inueſtigãdum eſt, quænam differentiarum inſit rei definiendæ, quòd fieri debet, vel inductione, ſi differentia ſenſibilis ſit in ſuis ſingularibus, vel per demonſtrationem quia, & facilè erit intentum inuenire, vt experientia practicari poteſt.



Digitized by Google

# DISPVTATIO X.

## DE DIVISIONE, ET DISTINCTIONE.

NAtura definitionis in præcedenti diſp. explorata, opere prætiū eſt aliquid de Diuiſione explicare, cùm ſit etiam inſtrumentum ſciendi, non minus quàm definitio, ad rerum cognitionem plurimum conducens; & tanto magis, quia diuiſio intrinſecè etiam diſtinctionem includit, omnis .n. diuiſio eſt diſtinctio à noſtro Tromb. initio formalitatū, licèt non è contra, cùm ad plus ſe habeat diſtinctio, quā diuiſio. Et mirum quidem eſt cur Authores de rerum diſtinctionibus in logica aut parum, aut nihil prorſus agant, cùm tā neceſſaria ſit ad alias facultates addiſcendas; imò nec in logica aliquo frequētiꝰ vtimur, quàm varijs generum diſtinctionibus ad varias, & apparentes rationes ſoluēdas, vndè commune illud axioma ortum eſt : *qui neſcit diſtinguere, neſcit ſoluere*. Et licèt diſputatio de rerum identitate, & diſtinctione propriè ad meth. ſpectet, rationabiliter tamèn pro tyronibus aliqua rudis ſaltem ipſarum cognitio præcedere debet, in methaphyſica poſtea difficiliora pro adultis digerēda relinquēdo. Agemus igitur in hoc primo artic. de diuiſione, in ſequentibus de diſtinctione.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Quid, & quotuplex ſit diuiſio, eiuſque leges.*

SCot. literarum Amator magnificus, de hac re agit in 2. d. 3. q. 4. & in 4. d. 11. q. 1. A. loquendo de toto. ſupponimus cum cōmuni, non ſolū dari diuiſionē generis in ſpecies, vt quidam priſci tantùm adniſerunt, aſſerentes ſolam diuiſionem totius vniuerſalis in partes ſubiectiuas per ſe ad logicum pertinere, vt Zabarel. refert lib. 3. de metho. c. 6. ſed etiam omnes modos diuiſionis, inſtrumenta eſſe logicalia, & ad notitiam rerū capeſſendam ſatis vtilia, vt infrà modo patebit. Et vt à definitione diuiſionis incipiamus: Diuiſio *eſt oratio totum in ſuas partes diſtribuens*. Dicitur *oratio* loco generis, & accipitur pro illa, quę eſt modus ſciendi, &c. & ſumi poteſt tàm pro oratione perfecta, quā imperfecta, quo ſēſu coincidit cum termino complexo; & in ipſa diuiſione exercēda interuenire poteſt operatio prima intellectus, vt eſt apprehenſio totius, & partiū, ità quòd in propoſitione cathegorica per modum termini incomplexi habere poſſit rationem prædicati, ſicut ipſa definitio, vt cùm dicimus, Animal aut eſt rationale, aut irrationale; Sed præ-

cipuè

Digitized by Google

cipuè ſumi debet pro oratione pſecta, quæ ſpecialiter per ſecundã operationem exercetur, tunc.n.dicitur propriè intellectus diuidere, quando affirmat huius totius hãc, & illam eſſe partes; quòd ſi tandẽ intellectus talem diuiſionem ex a lijs principijs inferret, tunc actus diuidendi ad tertiam ſpectaret operationem. Additur *totum in ſuas partes diſtribuens*, loco differentiæ, per quã à definitione, & argumentatione diſtinguitur, vt Anton.Andr.aduertit lib.6.diuiſ.Boet. Nam definitio explicat quid ſit res; Argumentatio qualis res ſit .i. rei pprietatem; diuiſio verò quanta res ſit, ſeu quantitatem, .ſ. quantũ ſua continentia ſe extendit per partes; quarè eſtò diuiſio explicando partes, conſequenter manifeſtat eſſẽtiam rei realiter, non tamèn talem eſſentiam explicat formaliter, vt eſſentia eſt, vt definitio facit, ſed ſolũ explicat multiplicitatem exiſtentiũ in tali eſſentia. Ex quibus colligitur, quòd in omni diuiſione datur totum, ꝙ per ipſam diuiditur, & dicitur diuiſũ, & dãtur partes, in quas diuiditur, & dicuntur membra diuidentia; Et ſi aliquando non ſit vera ratio totius, & partium, fieri poteſt diuiſio per imitationem quamdam, vt contingit in diuiſione ſubiecti in ſua accidẽtia, vt modò patebit.

1. Duplex igitur eſt diuiſio, alia nominis, alia rei, diuiſio nominis eſt illa, qua vox in ſuas ſignificationes diſtribuitur, vt nomen canis, quod varias ſignificationes habet, &c. per quam diuiſionem non ſolùm diſtribuuntur termini ſimplices in varias ſignificationes, ſed etiam integra oratio in varios ſenſus, quos recipere poteſt; qui modus diuidendi multum iuuat in diſputationibus ad veritatem propoſitionum indagandam. Diuiſiò rei eſt, qua res in ſuas partes diuiditur, & quia totum diuiſibile multiplex eſt, ità etiam, & ipſius rei diuiſio. Totum igitur aliud eſt per ſe, aliud eſt per accidens; totum per ſe eſt illud, quod conſtat ex partibus per ſe vnitis, & non in vinculo merè accidentali; totum per accidens eſt, cuius partes merè per acccidens vniuntur; ità & diuiſio duplex eſt, alia per ſe, quæ ſcilicet multiplicitatem partium per ſe vnitarum explicat; alia per accidens, quæ è contra multitudinem partium accidentaliter vnitarum manifeſtat.

2. Item totum per ſe duplex eſt ex Doctore in 2. d.3. q.4. vnum potentiale, ſeu vniuerſale, & eſt illud, quod diuiditur in partes ſubiectiuas, prædicando de qualibet illarum, vt Animal de homine, leone, &c. homo de Petro, & Paulo, &c.

Aliud actuale, & eſt illud, quod actu continet partes, ex quibus componitur, nec de qualibet illarum eſt prædicabile, vt homo ex anima, & corpore &c. Ità etiam diuiſio duplex eſt, alia potentialis correſpondens primo toti, qua .ſ.

vni-

vniuerſale diuiditur in partes, quas ſub ſe, & in potentia habet, vt eſt diuiſio generis in ſpecies, & ſpeciei in indiuidua, alia eſt diuiſio actualis alteri toti correſpondens, & eſt, qua tale totum diuiditur in partes, ex quibus actu eſt compoſitum &c.

3. Iterum totum actuale duplex eſt, eſſentiale, & integrale. Eſſentiale eſt, cuius ſingulæ partes ſpectant ad eſſentiam rei, quæ ſi fuerint phyſicæ, componunt totum eſſentiale phyſicum; ſi methaphyſicæ, methaphyſicum conſtituunt; Totum verò integrale eſt, cuius partes ſingulæ, & ſi ad eſſentiam rei non ſpectent, pertinent tamen ad integritatem rei, quæ partes ſolùm in reb⁹ materialibus reperiũtur; & ſi fuerint ſimilares, & eiuſdem rationis, vt gutta aquæ reſpectu totius aquæ cõſtituunt totum homogeneum, ſi fuerint diſſimilares & alterius rationis, vt caput, brachia &c. in animali, componũt totum heterogenium; Sic etiam diuiſio actualis, alia erit eſſentialis, qua totum diuiditur in partes eſſentiales, quæ ſi fuerint phyſicæ, vt corpus, & anima reſpectu hominis, erit eſſentialis phyſica; ſi methaphyſicæ, vt animalitas, & rationalitas, erit eſſentialis methaphiſica; Altera diuiſio erit integralis, qua totum materiale diuiditur in partes ipſum integrantes, quæ partes vel ſũt homogeneæ, vel heterogeneæ &c.

4. Totum verò per accidẽs tripliciter diuidi ſolet; vna eſt diuiſio ſubiecti in accidentia, vt cùm diuidimus hominem in album, & nigrum; homo, qui diuiditur eſt ſubiectum albedinis, & nigredinis, q̃ illi accidunt, ad quam etiam ſpectat diuiſio vocis in ſuas ſignificationes, vt ſupra, nam ſignificatio eſt accidens vocis, & eadem vox, vt ſubiectum plures aliquando ſignificationes habet.

5. Altera eſt Diuiſio accidentis in ſubiecta, vt cùm diuidimus albũ in lac, & niuem, quibus veluti ſubiectis ineſt albedo diuiſa; altera tandèm eſt diuiſio accidentis in accidentia, vt cùm diuidimus dulce in album, vt lac, & flauum vt mel, quæ diuiſio non eſt propriè à cæteris condiſtincta, & ratio eſt, quia ſi diuiſum eſt de eſsẽtia membrorum diuidentium, vt cùm V. g. diuiditur coloratum in album, & nigrum, tunc hæc diuiſio ſpectat ad diuiſionem totius vniuerſalis, & eſt generis in ſpecies, eſt .n. ac ſi diceremus, colorum alter eſt albedo, alter nigredo; ſi verò diuiſum non eſt de eſſentia membrorum diuidentium, vt eſt diuiſio dulcis in album, & flauum, tunc pertinet ad diuiſionem ſubiecti in accidentia, nam dulce, quod eſt diuiſum, non ſumitur pro forma dulcedinis ſed pro ſubiecto dulci, cui etiam album, & flauum accidunt.

6. Quantùm verò ad leges bonæ diuiſionis, multæ ſolent leges afferri; ſed duæ ſunt præcipuæ, ad quas aliæ reducuntur. Vna eſt, q

ſingula membra diuidentia ſint inferiora .i. minora diuiſo, & ratio eſt, quia omne totum eſt maius ſua parte, omnia verò ſimul ſumpta totum diuiſum adæquant, & exhauriunt: Sed dices, homo benè methaphyſicè diuiditur in animal & rationale, in qua diuiſione, animal, quod eſt aliud membrum diuidens excedit hominem diuiſum, vt euidenter apparet, ergo, &c. ℟. verum eſſe animal excedere hominem in ratione totius potentialis, in ratione tamen partis actualis methaphyſicæ exceditur ab homine, in quo ſenſu in allata diuiſione eſt membrũ diuidẽs. Altera regula eſt, vt mẽbra diuidẽtia habeant aliquam contrarietatem, & oppoſitionem inter ſe, diſtincta re, vel ratione, vt in eo ſenſu, in quo ſunt membra diuidentia non coincidant, & vnum non includatur in alio.

7. Sed hic agitari ſolet quædã difficultas, an. ſ. diuiſio tradi poſſit per membra ſolùm priuatiuè, vel contradictoriè oppoſita? v. g. an hæc diuiſio ſit bona, animal, aliud homo, aliud non homo: Ioan. de S. Thom. p. p. logicę q. 4. art. 3. cum alijs affirmat; Et ratio eſt, quia diuiſio per terminos priuatiuos benè fieri poteſt, vt ſi dicam, homo, alius videns, alius cæcus, aer, alius lucidus, alius tenebroſus, ergo etiã fieri poteſt per terminos negatiuos, nam priuatio pro formali, nõ eſt niſi quædam negatio. Tũ quia etiam communiter hęc diuiſio admittitur, animal, aliud rationale, aliud irrationale, irrationale autẽ eſt negatiuum, vel priuatiuum reſpectu rationalis. non quadrat.

8. Complut. præamb. de modis ſciendi admittunt diuiſionem per vnum membrum poſitiuũ, & aliud priuatiuum, non tamèn merè negatiuum, & quando diuiditur animal in rationale, & irrationale, nõ debet intelligi (aiunt) purè negatiuè, nam ſic non ſolùm conuenit brutis, ſed etiam elementis, plantis, &c. quæ ſub animali non continentur, cùm omnia hæc ſint irrationalia, quod eſt contra primam regulam, quæ docet, vt vnum mẽbrum diuidens non poſſit extendi vltra diuiſum; debet igitur membrum negatiuum ſumi priuatiuè .ſ. pro carentia alterius mẽbri poſitiui, non vbicumq; ſed in tali ſubiecto nempè contẽto intra ſphæram totius diuiſi, & ità irrationalitas in præfata diuiſione ſignificat carentiam rationalitatis in ſubiecto apto nato .ſ. intra genus animalis, melius iſti. Ant. Andr. loc. cit. loquendo præſertim de diuiſione generis in ſpecies, negat diuiſionẽ fieri poſſe per priuatiuè, aut contradictoriè oppoſita, & ratio eſt potiſſima, nam genus diuiditur in ſpecies per differentias, ſpecies autem aliquid ponit, & per conſequens etiã differentia, quæ ſpeciẽ intrinſecè conſtituit, negatiuũ autem non poteſt eſſe de intrinſeca ratione poſitiui, &c quæ ratio etiã in alijs diuiſionibus per ſe militare vi-

re videtur, cùm nulla negatio, vel priuatio totum poſitiuum conſtituere poſſit. Subdit tamèn præfatus Doctor, ſed quia differētiæ rerum communiter ſunt nobis ignotæ, nō ſemper ſpecies proprijs nominibus nuncupamus, vnde eas circumloquimur per aliqua vocabula, quibus quādoq; addimus particulam negatiuam, vel priuatiuā, ſemper tamē intelligimus aliquod poſitiuum, & in hoc ſenſu animal diuiditur per irrationale, quod nobis circumſcribit differentiam brutalem, quæ ſolutio ſatis mihi placet, & in ea ſiſtere poſſumus. De Diuiſionibus verò per accidens concedimus tradi poſſe per terminos negatiuos, aut priuatiuos negatiuè ſe habētes, vt quod homo, alius ſit videns, alius cæcus; aer, alius lucidus, alius tenebroſus, &c. Nam ſimiles diuiſiones ſpectant ad diuiſionem ſubiecti in accidentia, habitus.n.& priuatio accidunt ſuo ſubiecto, circa quod immediatè ſe habent, Et ſolùm hoc probant exempla allata à Ioan. de S. Thom.

9. Addunt etiam Authores aliā regulam, quòd .ſ. diuiſio tradatur per proxima membra quātum fieri poteſt, & ſit bimembris, ſi hoc ē poſſibile: Sed hæc regula non ſemper eſt neceſſaria, nam aliquando oportet per tot mēbra tradi, quot ſunt ſpecies immediatè ſubiectę; & ita bonum diuidimus in bonum honeſtum, vtile, & delectabile &c. vbi tamèn nihil obſtat, iuuabit vtique diuiſionem ad bimembrem reducere, ad tollendam membrorum confuſionem; Vndè ſubſtantia non benè diuideretur in Angelum, Cælū, lignum, lapidē &c. Sed priùs diuidi debet in corporeā, & in incorporeā, corporea poſtea in viuentē, & nō viuētem &c. Adhuc tamèn non videtur abſolutè neceſſaria, vt etiam Compl. aduertunt.

10. Si tandèm de vtilitate diuiſionis agamus, ſatis vtilis ab omnibus Phyloſop. cenſetur, & ex eo præcipuè, quia multum ad rerum indagandam definitionem conducit, omnis .n. definitio conſtat ex genere, & differentia, differentiæ autem habentur per diuiſionem generis &c. Et quando Ariſtot. 2. poſt. text. 4. aſſerit viam diuiſionis inutilem eſſe ad quodquid eſt inueſtigandum, quia committeretur petitio principij, hoc intelligendum eſt, ait Anton. Andr. per modum ſyllogizandi, vt ſi velimus probare, quòd Animal rationale ſit definitio hominis, vel eſt animal rationale, vel irrationale; ſed non eſt animal irrationale, hic peteretur principium in minori, nam aſſumitur quod deberetur probari, at per modū colligendi, & componendi differentias cum genere, ſic benè poteſt rei definitio indagari, neque hoc negauit Ariſt. imò ex eodem 2. poſt. tex. 19. com. 74. & 75. dupliciter iuuat, primò vt rectè diſponātur partes definitionis, quæ cùm duæ ſint .ſ. genus, & differentia, diuiſio facit, vt præponatur, quod communiùs eſt; ſecundò

cundò iuuat, vt nihil prætermittatur eorum, quæ prædicantur in quid, nam omnes, & ſingulas colligit, quæ de ſpecie in quid prædicātur. Sed ais; Definitio eſt prior diuiſione, quia antequam aliquid diuidatur, ſcire oportet per definitionem, an ſit vniuocum, vel æquiuocum, ergo non valet ad illam indagandā. Rn. ex Anton. Andr. loc. cit. hoc eſſe verum de diuiſione, quæ definitionem ſui diuiſi ſupponit, ſic enim poſterior eſt, ſed iuuat ad aliam poſteriorē definitionem, V. g. diuiſio animalis non valet ad animalis definitionem, ſed valet ad definitionem hominis, quæ quæritur &c. iuuat etiā ad diſponendas partes ſcientiæ, vt patet ex progreſſu Ariſt. in phyſ. vbi prius egit de corpore naturali in communi in octo lib. phyſ. deinde primo Cæli illud diuiſit in ſimplex, & mixtum, & de ſimplici egit in lib. de Cælo; & quia mixtū diuiditur in perfectum, & imperfectum, & perfectum in homogenium, & heterogenium homogenium in lapides, & metalla &c. heterogenium in plantas, & animalia, & horum ſpecies, vt patet ex primo Metheor. c. p. hinc de his omnibus ordine eodem procedit.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Quid, & quotuplex ſit Diſtinctio.*

SCotus cuius Sapientia, velut ſi contra murum æneum aduerſariorū iacula contorquet. in 1. d. 2. quæſt. 7. §. Sed hic reſtat &c. alibi *Dico ſine aſſertione, & præiudicio ſententiæ melioris, quod ratio, quâ formaliter ſuppoſitum eſt incommunicabile, & ratio eſſentiæ vt eſſentia, habent aliquā diſtinctionem, præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati. Et probo ſic &c.* Idem habet, etiam diſ. 8. q. 4. §. *Ad quæſtionem.* Et in 2. d. 1. q. 5. §. *Ad quæſt. iſtam.* & alibi ſæpè, vbi inter diſtinctionem realē, & rationis, mediam ponit, quam formalem ex natura rei appellat, quem omnes Scotiſtæ ſequuntur. Et quantum ad formalitatem diſtinctionis, magna eſt lis inter doctores, quidam .n. volunt, quòd identitas dicat quid poſitiuum, diſtinctio verò conſiſtat formaliter in ablatione talis poſitiui importati per identitatem; Ita Ioan. de San. Thom. p. 2. log. q. 2. artic. 3. Paſq. tom. 2. meth. diſput. 47. ſec. 1. & plures ſequuntur Recentiores; alij ex oppoſito volūt, quòd diſtinctio conſiſtat in aliquo poſitiuo .ſ. in alietate, ſeu diuerſitate extremorum, identitas verò in negatione talis alietatis, & ſequuntur noſtri Formaliſtæ, vt videre ē apud Mauritium in Epith. formalitatum, & Achillinum lib. de diſt. c. 26. art. 3. attamen quia hic loquimur de identitate, & diſtinctione in tota ſua amplitudine, vt ſ. ſub ſe tam realem, quam rationis, tam poſitiuam, quam negatiuam comprehendit, cum iſ tali communitate ſumpta ſit quoddam æquiuocum, vanum eſt quærere in quo eius formalitas conſiſtat, quia iuxta placitum

citum philoſophorum æquiuoca, prius ſunt diuidenda, quàm diffinienda, inexplicatione igitur earum in particulari, deciſio rei clarius patebit.

1. Quantum verò ad numerum diſtinctionum, Antiquiores Scotiſtæ, qui Formaliſtæ nuncupantur ſeptem aſſignarunt diſtinctionum genera, ſcilicet; Diſtinctionem rationis, ex natura rei, formalem, realem, eſſentialem, ſe totis ſubiectiuè, & ſe totis obiectiuè. ità Antonius Sirecta, qui alijs præiuit, vnde meritò Magiſter formalitatum eſt appellatus, Tròbet. Maur. Vallo. Stephanus Bulcifer, Antonius de Fantes, Hieronimus à Piſtoia, Lychet. in 2. d. 1. q. 4. Zerb. in quæſt. de pluralitate diſtinctionũ, & alij; Multi tamen Scotiſtę tot genera diſtinctionum reſpuunt, tribus tantùmodo contenti, ad quas omnes alias reducunt, quæ ſunt diſtinctio rationis, formalis media, & realis. Diſtinctio rationis eſt illa, quæ fit per opus intellect', diſtinctio realis, quæ verſatur inter rem, & rem; & formalis media inter vtramque, quæ inter plures eiuſdẽ rei formalitates reperitur, citra quodcũque opus intellectus; quo genere diſtinctionis communiter diſtingui volunt inter ſe gradus methaphyſicos in creatis, vt animalitas, & rationalitas in homine, attributa in Diuinis, ſubiectum à propria paſſione &c. Et hęc ſolùm tria genera diſtinctionum agnoſcunt, ità Tat. q. vlt. prædicabilium dub. 2. fol. mihi 49. vbi ait: aliqui dicentes ſe inſequi Doctrinam Scoti, ponunt ſeptem genera diſtinctionum, & tot identitatum .ſ. diſtinctionem rationis, ex natura rei &c. Et dicunt, quòd iſtę diſtinctiones ſe inuicem inferũtur, ſed iſte modus dicendi eſt falſus, neque eſt de mente Scoti. Hæc Tatar. & ſequuntur Recentiores Scotiſtæ. Faber in tract. formal. cap. 7. Bonet. in tract. formal. Vulp. t. 1. p. 1. diſp. 8. art. 5. & 6. Smiſinch. 1. p. tr. 2. diſp. 1. Meuriſſe in Methaph. lib. 2. cap. 3. Maſtr. & Bellut. diſp. 1. q. 5. art. 2. & alij.

2. Veteres Thomiſtę diſtinctionem ad duo tantùm genera reuocarunt .ſ. ad diſtinctionem realẽ, & rationis. Primum genus continet identitatem, & diſtinctionem realem, quæ eſt à parte rei ante opus intellectus, & conuenit ijs, quę vel important res diuerſas, vel ſunt vna, & eadem res; Secundum genus eſt identitas, & diſtinctio rationis, quæ fit per opus intellectus, & tunc eſt quando eadem res in ſe ipſa concipitur cũ diſtinctione ab intellectu, & hoc genus ſub diuidunt in eam diſtinctionẽ rationis, quæ ſine vllo fundamento eſt ex parte obiecti, vt cùm idem diſtinguitur à ſe ipſo ex parte ſubiecti, & prædicati, dicendo, Petrus eſt Petrus &c. Et in eam, quæ fit cum fundamento ex parte obiecti, quomodo diſtinguunt gradus eſſentiales methaphyſicos, & appellant diſtinctionem rationis ratio-

cinatæ, quæ ſententia videtur etiã Nominalium.

3. Neoterici verò Thomiſtæ præter diſtinctionem realem, & rationis, tertium addunt genus diſtinctionis, quam vocant modalem, quæ verſatur inter rem, & modum eiuſdem rei, quorum fundamentum eſt, quia in rerum natura præter res, dantur quædam circumſtantiæ rerum; illas afficientes, & vltimò determinantes, vt ſunt figura reſpectu quantitatis, ſeſſio reſpectu ſedentis, vnio reſpectu extremorum &c. qui modi propriè in ſe ipſis non ſunt entia, vel res, ſed potius rerũ circũſtãtiæ, quibus res ſic, vel ſic ſe habent; quòd genus diſtinctionis inter ea verſatur (ſecundum ipſos) quæ ſic ex natura rei, & præter opus intellectus diſtinguuntur, vt vnum tantùm poſſit ſeparatum exiſtere, & non è cõtra, vt ſedens ſine ſeſſione, quantitas ſine hac, vel illa figura, extrema ſine vnione &c. Eſſentia n. modi ità in actuali modificatione poſita eſt, vt nec per Diuinam potentiam ſeparari poſſit; & ideò nolunt hanc diſtintionem realem appellari, quia diſtinctio realis verſatur inter rem, & rem, quatenus vna ſine altera ad inuicem exiſtere poteſt, reſpectu ſaltem potentiæ Dei abſolutæ, Quæ diſtinctio mediat inter realem, & rationis; cuius ſententiæ ſunt Suar: in meth. diſp. 7. ſec. 1. Fonſec. 5. meth. c. 4. quæſt. 6. ſec. 2. & ſequuntur paſſim Neutrales.

4. Pro reſolutione huius materiæ ex Rada .1. p. controuerſ. quẽ plures Scotiſtæ ſequuntur, duo cõſtituimus prima genera diſtinctionum, & identitatum .ſ. rationis, ſeu per opus intellectus; & ex natura rei, & præter opus intellectus, quæ rurſus ſubdiuiduntur in ſuas ſpecies &c. quę aſſertio patet ex regulis bonæ diuiſionis ſupra aſſignatis, cùm .n. aliquod commune in inferiora diuiditur, debent ea membra diuidentia aſſignari, quæ immediatè ſe habent ad rationem communem, quia ſi vnum membrum aſſignaretur, quod immediatè illud commune diuideret, aliud verò minimè, nimis confuſa, & inordinata talis diuiſio euaderet, ſic .n. quaſi infinita membra diuidentia aſſignari poſſent; ſed membra, quæ immediatè diuidunt ens in tota ſua amplitudine eſt ens reale, & rationis, ergo cùm identitas, & diſtinctio ſequantur ordinem, & rationem entis, vt paſſiones diſiũctæ, ſic primò diuidi debent. Tùm quia illa eſt bona diuiſio, in qua primò diuidentia ità ſe habent ad rationem communem, vt ſub ipſis cõtineantur alia inferiora ſiuè genera, ſiuè ſpecies, ità vt membra diuidentia ſimul ſumpta æquè pateant, ac ipſum diuiſum, ſed membra iam aſſignata ſunt huiuſmodi, omnes enim identitates, & diſtinctiones ad illa reducuntur, ergo &c. Minor patebit infra.

5. Diſtinctio igitur ex natura rei, ſeu præter opus intellectus ex

Scoto

Scoto locis citatis ſubdiuiditur in diſtinctionem ex natura rei realē, & in diſtinctionē ex natura rei formalem; & ratio deſumitur ex Ariſt. 5. meth. tex. 18. Vbi docet identitatē proximè fundari ſuper vnitatem, diſtinctionem verò ſuper multitudinem, ſeu pluralitatem, ergo tot modis dicitur diſtintio ex parte rei, quot modis dicitur pluralitas, & multitudo, ſed pluralitas, ex Scot. in 1. d. 13. q. vn. & in 4. d. 46. q. 3. ad 1. duplex eſt, vna rerum, & dicitur pluralitas ſimpliciter, altera realitatum, ſeu formalitatum, & dicitur pluralitas ſecundum quid, ergo duplex diſtinctio; vna rerum, altera formalitatum. &c. Vbi notandum eſt, quòd per rem, quæ multiplicata facit pluralitatem ſimpliciter, & nata eſt fundare realem diſtinctionem, non tantùm intelligitur id, quod per ſe primò, & immediatè exiſtit, vel ſic immediatè exiſtere poteſt, vt aliqui Formaliſtæ velle videntur, ſed intelligitur omne illud, quod per phyſicam cauſalitatem, & p verā efficientiam accipit eſſe, ſiuè ſolitariè exiſtere poſſit, ſiuè non, quomodo ſe habent omnes phyſicæ entitates, vt ſunt ſubſtantiæ omnes, tàm completæ, quàm incompletæ, vt materia, & forma, & accidentia tàm abſoluta, quàm reſpectiua, hæc .n. omnia verè entia in recto ſunt, propriam eſſentiam, & exiſtentiam habētia, licèt non ſolitariè exiſtere nata ſint; atque ideo fundamenta idonea eſſe poſſunt diſtinctionis realis, & apta facere pluralitatem ſimpliciter, nam veræ res ſunt, & vera entia phyſica à ſuis cauſis per veram cauſalitatem phyſicam producta.

6. Per realitatē verò, quæ multiplicata ſolùm nata eſt facere pluralitatem ſecundum quid, & diſtinctionem ex natura rei formalē fundare, intelligitur omne id, quod eſt aliquid rei, non quocumque modo, ſed per identitatem realē, vndè dici ſolet aliquitas entis, ſiuè perfecta ſit, vt eſt identitas attributorum in Deo, quæ habetur ratione infinitatis extremorū: ſiuè imperfecta, vt eſt identitas graduū methaphyſicorum in creatis, quæ habetur præcisè ex vnione eorum in tertio ex Scot. in 1. diſt. 8. queſt. 4. & ità per realitatē, omne id intelligitur, quod per ſe non recipit eſſe à ſua proxima cauſa per verū influxum phyſicum, ſed per ſimplicem emanationem methaphyſicā, quomodo paſſiones à ſubiecto emanare Doctor docuit in 1. diſt. 3. quæſt. 7. potentias ab anima, & realitates methaphyſicas à rebus phyſicis, vt animalitas, & rationalitas, quæ à corpore, & anima dimanant. His ſuppoſitis ad declarandas formalitates diſtinctionum in particulari accedimus.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De diſtinctione rationis.*

SCot. in quo nullum doctrinæ genus eſt, in quo non apparet exquiſitè verſatus, aperto ore de-

hac diſtinctione agit in 1.d.2.q.7. §. *Sed hic reſtat.* & diſt.8.q.4.§. *Ad quæſt.* & quol.1. §. *de ſecundo art.* & alibi ſæpè, cui' nos veſtigia ſequẽtes, affirmamus cum communi dari diſtinctionem rationis, & eſt illa, qua aliqua diſtinguuntur, non prout in ſe ipſis ſunt, ſed ſolùm prout noſtris conceptibus ſubſunt: Et hæc duplex eſt, vna, quæ nõ habet fundamentum à parte rei, & dicitur diſtinctio rationis ratiocinantis: altera, quæ fundamentũ à parte rei habet, & dicitur diſtinctio rationis ratiocinatæ, & ſic vtraque explicatur: Diſtinctio rationis ratiocinantis fit, cùm ei, quod eſt à parte rei vnum, & idem realiter, & formaliter, adduntur diuerſæ relationes rationis, diuerſimodè illud cõcipiendo, itaquòd diuerſitas nõ fit ex parte rei cõceptibilis, ſed tota ex parte modi cõcipiẽdi; Vndè meritò diſtinctio rationis ratiocinantis, appellatur quia tãtũ à ſolo intellectu ratiocinante, & intelligente originatur; & talis eſt diſtinctio, quæ V.g. verſatur inter Petrum à parte ſubiecti, & ſeipſum à parte prædicati in propoſitione identica, vt Petrus eſt Petrus &c; quæ diſtinctio vniuerſaliter coincidit, quando diuerſo modo cõcipitur idem omnino obiectum, ſiuè diuerſo modo grammaticaliter, vt homo hominis, ſiuè logicè, vt homo, & humanitas, abſtractum .n. aliter à concreto concipitur, cùm illud concipiatur præcisè per modum naturæ, & quidditatis, hoc verò per modum ſubſiſtẽtis; Diſtinctio verò rationis ratiocinatæ, ſeù ratiocinabilis, eſt quaſi inchoata à parte rei, licèt complemẽtum ab intellectu recipiat; vndè dicitur rationis, quia actu, & formaliter non eſt in rebus, ſed fit, & actuatur ab intellectu, ſeu ratione, dicitur rationis ratiocinatæ, quia res, circa quam verſatur ratio, præbet occaſionem, ſeu fundamentum talis diſtinctionis, & hoc propter virtutem, & eminentiam ſuæ naturæ, de qua intellectus format conceptus plures inadæquatos, quatenùs nõ poteſt exprimere totum id, quod in re eſt; ità Thomiſtæ in Deo diſtinguunt omnia attributa, Miſericordiam, Iuſtitiam &c. quia enim non poteſt creatus intellectus ob ſui imperfectionem vnico conceptu totam diuinam naturam adæquare, propter eius perfectionem infinitam, eam per diuerſos conceptus diuidit in ordine ad diuerſos effectus, quos poteſt producere; vel per habitudinem quamdam ad attributa, ſeu virtutes, quas videm' in homine realiter diſtinctas quomodo etiam Thomiſtæ gradus methaphyſicos in creatis diſtinguũt, vt eſſe animal, viuens, rationale in homine, &c. partiuntur .n. cõceptibiliter eamdẽ humanitatẽ ex ordine ad diuerſos effectus ſcil: vegetandi, ſentiendi, intelligendi, quos anima ſe ſola ob ſuam eminentiã producere poteſt; licèt hæc omnia Scotiſtæ ponant formaliter diſtincta ex natura rei.

1. Ex

1. Ex allata doctrina orta eſt altercatio inter Recentiores circa fundamentum huius diſtinctionis, an ſ. tale fundamentum debeat intrinſecè in obiecto reperiri, ità vt aliquam habeat eminentiam diuerſas perfectiones, ſeu formalitates vniẽdi, quatenùs eadem forma virtute ſua facit quicquid multę, & diuerſæ facerent, vndè & diſtinctio virtualis appellatur; an potius ſufficiant ſola extrinſeca connotata, abſque intrinſeco fundamento in obiecto ad talem diſtinctionem inter aliqua inferenda, quatenùs ex illis motus intellectus, ſuppoſita ſua imperfectione, eamdẽ omnino rem, in qua nulla eſt actualis vel virtualis diſtinctio intrinſeca, concipit pluribus inadæquatis cõceptibus, eam in plures rationes conceptas diuidendo? Vaſq. 1. p. diſp. 177. c. 3. quem ſequitur Torrean. Paſqual. & multi ex Recentioribus tenent hanc ſecundam opinionem, ſed magis quadrat primus dicendi modus, vt benè Bell. & Maſtr. loc. cit. aduertunt, & videtur expreſſa ſent. Doct. qui loco cit. docuit concretum, & abſtractum non differre, niſi ratione ratiocinante, nempe penès diuerſũ modum concipiendi idem obiectum, concretum autem, & abſtractum non differunt, niſi per extrinſecum connotatum, quatenùs forma in concreto connotat ſubiectum, à quo abſtrahit in abſtracto. Et quidem, quòd hæc opinio non ſit tenenda, petimus ab iſtis Neotericis, vel in ipſo obiecto, quod diſtinguitur, eſt aliquod fundamẽtum, ſeu ꝓportio, vt concipiatur, ad inſtar extrinſecorum connotatorum realiter diſtinctorum, vel non; ſi primum, ergo præcedit fundamentum intrinſecum diſtinctionis in obiecto, & ità tota ratio diſtinguendi non ſumitur ex parte connotatorum; ſi ſecundum, quia ſine vllo fundamento ex parte ipſius rei eum diſtinguimus in ordine ad ea, quæ ſunt diſtincta, ſeqtur ad libitum noſtrũ eum diſtinguere, quod eſt diſtinctionem rationis ratiocinantis efformare. Hinc Ioãnes de S. Thom. q. 2. art. 3. benè aduertit, quòd hæc diſtinctio ratiocinata coincidit cum diſtinctione ex natura rei virtuali, quaten⁹ ſemper petit fundamentum intrinſecum diſtinctionis in obiecto.

2. Dicimus igitur, quòd fũdamentum requiſitum ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſit quędam virtualis diſtinctio, ſeu rei eminentia, quæ vnica exiſtente plures rationes, ſeù perfectiones in aliquo eſſe cõtinet, quod ſic declaratur; quantò res aliqua ſuperior eſt, & eminentior, tantò plures ꝑfectiones, & ſimpliciori modo vnit, quàm inferior; Si tales perfectiones in ſuperiori ſecũdum ſuas proprias rationes formales adunentur, erunt in eo realiter idem, ac entitatiuè, licèt formaliter, & actu ex natura rei diſtinctæ; at ſi contineantur tantùm virtualiter in ea, & eminenter; virtualiter, & emi-

& emi-

& eminenter tantùm ibi diſtinctæ remanebunt; patet exemplo de ſole, in quo eſt virtus calefactiua, & exiccatiua, & ſecundum aliquos de vegetatiua, & ſenſitiua in anima rationali, in quibus virtutibus, & perfectionibus nulla eſt à parte rei actualis diſtinctio, nec formalis, nec realis, cùm iam in ea non exiſtant, nec ſecundum proprias entitates, nec ſecundum proprias formalitates, ſed tantùm extat fũdamentum cogitandi illas actu diſtinctas, propter effectus diuerſos quos poſſunt producere, vndè intellectus arripit occaſionem illas exprimendi pluribus conceptibus, cùm tamen à parte rei, & realiter diſtincta non ſint, ſed tantùm vnũ; ad quam diſtinctionem ex parte intellectus requiritur etiam impfectus modus intelligendi, quatenùs non vnico actu, ſed pluribus, & ſingulis quidem inadæquatè attingit totã rei eminẽtiã, & virtutẽ.

3. Suar. in Meth. diſp. 7. ſec. 1. Vaſq. loc. cit. Blanch. & alij, contendunt, quòd diſtinctio rationis ratiocinantis, nõ ſit propriè diſtinctio, ſed potius eiuſdem formalis conceptus repetitio circa idẽ omnino obiectum, vt cùm in propoſitione identica dicimus, Petrus eſt Petrus, hic nulla oritur diſtinctio Petri à ſe ipſo per intellectum, cùm potius per hãc prædicationem intellectus concipiat Petrum cum ſe ipſo identificatum. Sed negamus hanc diſtinctionem rationis ratiocinantis eſſe ſolam eiuſdem conceptus repetitionem, nam propriè repetitio eſt, cùm idem obiectum, & eodem modo ſemel, atque iterum concipimus, & nominamus, vt ſi dicamus Petrum, atquè iterũ Petrum &c. Sed in diſtinctione rationis, eſtò idem obiectum concipiamus, non tamen eodem modo, nam dicẽdo Petrus eſt Petrus, primo concipitur, vt ſubiectum, deinde vt prædicatum, vnde non ſolùm pluries concipitur Petrus, ſed etiã vt plures, intentionaliter .n. geminatur, vt ſubſiſtat diuerſis intẽtionibus ſubiecti, & prædicati. Hinc dicũt Formaliſtæ, quòd diſtinctio rationis ratiocinantis fundatur ſuper pluralitatem eſſe obiectiui, & cogniti, quod intellectus per actũ collatiuũ deriuat in idem obiectũ reale; & è contra identitas rationis fundatur ſuper vnitatem eiuſdem eſſe cogniti, cùm .ſ. obiectum non ſubeſt pluribus ſecundis intentionibus, ſed tantùm vni, & tunc dicitur eſſe idem ratione cum ſe ipſo, ità Tromb. tract. form. art. 2. §. *Pro intelligentia primæ concluſionis &c.* & ſequuntur Recentiores, vt videre eſt apud Paſqual. diſp. 54. ſuæ meth. ſec. 2. par. 2.

4. Contra diſtinctionem rationis ratiocinatæ arguitur pro Scotiſtis, quòd non detur vt membrũ diſtinctum à diſtinctione formali, nam Scot. nullibi hãc diſt. aſſignauit, vndè Scotiſtæ communiter aſſerunt, hanc diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſeù potiùs ratiocinabilis omninò coincidere cum diſtin-

diſtinctione ex natura rei, vt apud Formalitas patet. Tùm quia in ſchola Scotiſtarum videtur prorſ. ſuperflua, ideò .n. Thomiſtæ eam admittunt, vt aſſignent diſtinctionem inter attributa Diuina, & inter gradus methaphyſicos, qui hac diſtinctione diſtingui volunt, ſed quia Scotiſtæ volūt præfata diſtingui formaliter ex natura rei, ideò in eorum ſchola ſuꝑflua cenſetur.

Ad ℞. falſum eſſe huius diſtinctionis Doctorem non meminiſſe, ſæpè .n. vt mēbrum à diſtinctione ex natura rei formali condiſtinctū poſuit, vt in eius libris patere poteſt, legant Curioſi locos in principio articuli citatos, & præcipuè in 1. ſent. diſt. 2. q. 7. §. *Sed hic reſtat*, ſupra Hh. vbi Doctor expræſſis verbis ait, *vel alio modo poteſt vocari differētia uirtualis, quia illud, quod habet talem diſtinctionem in ſe non habet rem, & rem, ſed eſt vna res habens virtualiter, ſeu eminenter, quaſi duas realitates ac ſi ipſa eſſet res diſtinctas.* Videant Scotiſtæ, ſi clarius loqui poterat Doctor, & ſi eſt in noſtra ſchola doctrina hæc Thomiſtica, an potius formaliter à Scoto Thomiſtæ eam comparauerint, qui apertis verbis hanc diſtinctionem ratiocinatam explicant ſub ratione obiecti, quod propter ſuam eminentiam, & virtutem pōt plures conceptus inadęquatos intellectus terminare &c. & in eodem primo d. 8. quæſt. 4. §. *Ad quæſtionem* ſic ait: *Inter Diuina attributa non eſt tantum differentia rationis, hoc eſt diuerſorum modorum concipiendi idem obiectū formale, talis enim diſtinctio eſt inter ſapiens, & ſapientiam; nec eſt ibi tantū diſtinctio obiectorum formalium in intellectu, quia vt argutum eſt prius, illa nunquam eſt in cognitione intuitiua, eſt ergo ibi diſtinctio tertia pręcedens intellectum omni modo.* Hæc ibi Scot. vbi euidenter patet, quòd per primum modum intellexit diſtinctionem rationis ratiocinantis, quæ verſatur inter abſtractum, & concretū; per ſecundum modum diſtinctionē rationis ratiocinatæ, quæ quādo actualiter ab intellectu fit, reſultant ex conceptibus intellectus diuerſi conceptus obiectiui, non inesse rei, ſed ineſſe obiecti, & repræſentati, & ideo ait eſſe diſtinctionem obiectorum formalium in intellectu, quomodo etiam ipſi Thomiſtæ explicant; per tertium modum verò intellexit diſtinctionem formalem ex natura rei; & q. 1. artic. 2. §. *de ſecundo articulo &c.* poſt tertiam concluſionem ait: *Si diſtinguantur ratione, & hoc ſiuè ratione ſumpta ex parte rei, ſiuè merè cauſata per actum intellectus.* Vbi Recentiores Scotiſtæ per vltimam intelligunt diſtinctionem rationis ratiocinātis, per primam diſtinctionem ratiocinatam, quæ occaſionē accipit a rebus. Ità Vulpes tom. 2. p. 1. diſp. 6. art. 7. num. 2. fol. mihi 29. vbi citās Scot. in p. d. 2. queſt. 7. & quol. 1. lit. P. ait: aduertendū eſt ex Doctore duplicē eſſe diſtinctionem rationis, alteram deſumptam à parte rei ex aliqua ratione

ratiocinabili, ſeu inadæquatè conceptibili; alteram verò merè cauſatam per actum intellectus; prior dicitur habere fundamentum, & occaſionem in re, appellariq; proinde communiter ſolet diſtinctio rationis ratiocinatæ; poſterior eſt, quæ ſolùm non repugnantiam à parte rei habet, & dicitur diſtinctio rationis ratiocinantis; prima non attenditur ex eo, quòd noſtri Scotiſtæ autumant, ſ. quòd in re, antequã intellectus ratiocinetur, realitatum diuerſitas actualis reperiatur; etenim ex huiuſmodi realitatum diuerſitate omnem operationem intellectus noſtri anteuertente, ſumitur diſtinctio actualis ex natura rei formalis, vel modalis; ſed quia res à parte rei ità eminenter ſe habet, vt poſſit diuerſos conceptus reales inadęquatos terminare &c. hæc Vulpes, & ſubdit, dicitur verò diſtinctio rationis ratiocinatæ, propter fundamentum reale, quod habet à parte rei, quia res eminenter, & virtute ſe habet, ac ſi formaliter realitates plures contineret, ideòque appellari ſolet diſtinctio ex natura rei virtualis, vel eminentialis, non formalis. Et tandem ibidem ait: ex quibus etiam conſtat, quam falsò locuti ſunt illi Scotiſtæ, qui diſtinctionem formalem ex natura rei confundũt cum diſtinctione rationis ratiocinatæ, cùm nec Diuus Thom. nec Scot. eas ſimul reciprocauerint, Sequuntur Maſtr. & Bellut. loc. cit.

Ad ſecundũ negatur antecedẽs, licèt .n. Scotiſtæ hoc genere diſtinctionis non indigeant, quoad diſtinctionem attributorum Dei, & graduum methaphyſicorum p̃dicamentalium, cùm hæc omnia apud Scot. ſint ab inuicem ex natura rei formaliter diſtincta, illo tamẽ egẽt propter diſtinctionem ponendam inter pręedicata quidditatiua Dei; & gradus omnes traſcendentes, quæ hoc genere diſtinctionis diſtinguũtur, vt Pater Vulpes defendit loc. cit. num. 4. concluſione 2. & ſequuntur omnes illi Scotiſtæ, qui docent gradus traſcendentes non præſeferre realitates, ſed conceptus inadæquatos, vt melius in meth. &c.

5. Sed inſtat Tromb. diſtinctio rationis ratiocinatę de illa tantùm re haberi poteſt, de qua intellectus venari poteſt multos conceptus, ſed nullũ obiectũ poteſt plures de ſe conceptus cauſare in intellectu, niſi in ipſo ſit aliqua diſtinctio plurium formalitatum ex natura rei præcedens omnem actum intellectus, ergo diſtinctio rationis ratiocinatæ coincidit cum diſtinctione formali ex natura rei, minor probatur, quia vnum obiectum naturaliter agens ad eius intellectionẽ non cauſat, niſi vnicum conceptũ, quia cùm agat ſecundum vltimum virtutis ſuæ, cauſat omnem conceptum, quem cauſare poteſt, ergo ſi eſt vnicum, tàm realiter, quã formaliter, vnicum tantùm conceptum de ſe cauſabit; nec reſpondere valet vnicum tantùm cauſare con-

conceptum adæquatum, ſed plores cauſare poſſe inadæquatos in intellectu, preſertim imperfectè rem concipiente, nam res vna, vnicum tantùm nata eſt de ſe cauſare conceptum, & hunc adæquatum, quia aliàs nō eſſet vnū cognoſcibile, nec vnico actu intelligibile, ſed plura cognoſcibilia, & plurib' actib' intelligibilia, R. ex Maſtr. & Bellut. ſolutionē inter arguendū eſſe ſufficiētē, eſtò .n. vnius rei nō poſſit in intellectu, niſi vnicus cōceptus adæquatus cauſari, nihil tamen obſtat, quin eiuſdem ſimplicis obiecti plures conceptus inadæquati habeantur per actum præciſiuum, & non collatiuum, quatenùs inadæquatè obiectum intelligendo, vnā rationē præſcindit ab alia, & ideò diximus, quòd neceſſitas efformādi huiuſmodi diſtinctionem oritur ex limitatione, & imperfectione noſtri intellectus, qui vel vnico cōceptu totam rei naturam ob eius eminentiam exhaurire non poteſt, vel in intelligendo cogitur vti ſpeciebus alienis, quæ cùm non repſentent totum obiectum adæquatè, debet pluribus vti, & plures rationes obiectiuas in ea re diſtinguere, vt eū adæquatè intellectus intelligat.

## ARTICVLVS QVARTVS,

### *De Diſtinctione Reali.*

1. SCot. qui in arena, & ſtudio literario ſēper acerrimè digladiatur, plurib' in locis de hac diſt. agit, ſed præſertim in 2. d. 2. q. 2. lit. A. & B. vbi aſſignās regulas diſtinctionem realem cognoſcendi, ait: illa diſtinguūtur realiter, quorum vnum eſt, vel eſſe poteſt ſeparatū ab alio, vel ſaltem talia ſunt, quæ ſic ad inuicem ſe habent, ſicut illa, quæ ſunt ſeparata, vel ſeparabilia, vel propter proportionem iſtorum, &c. Et quòd actualis ſeparatio ſit ſufficiēs ſignum diſtinctionis realis, nulla eſt inter Doctores altercatio; hoc autem intelligi debet etiam de his, quæ exiſtere non poſſunt, qua ratione relatiua, vt Pater, & Filius diſtinguūtur realiter etiā ſi vnum ſine alio exiſtere non poſſit. Separatio etiam potētialis ſufficiens eſt ad diſtinctionē realem inferendam inter illa, quæ ità ſeparabilia ſunt; & ratio eſt, q̃a omne ens eſt vnū, & per conſequēs indiuiſibile à ſe ipſo, & inſeparabile, ergo ſtatim ac, quòd aliqua ſunt ſeparabilia, iam nō vnum, ſed plura entia realiter diſtincta erūt. Neq; oportet ad diſtinctionē realē inferendam, quòd ſeparabilitas illa ſit mutua, ità vt hoc ſine illo, & è contra adinuicem exiſtere poſſit, nam ad diſtinctionem realem ſufficit quòd alterum extremorū exiſtere poſſit ſine altero, & ſi non è contra, quicquid Recentiores autument, impoſſibilitas .n. ex parte vnius extremi exiſtendi ſine alio, tantùm infert, quòd dici non poſſint mutuò ſeparabilia cum retentione propriæ exiſtētiæ; & eſtò entitates modales dici nequeant res, vel entia in rigore, poſſunt tamen dici res eo modo, quo ens in decē præ-

prædicamenta deriuatur, licèt .n. modus rei non ſit ità res, ſicut illa, cuius eſt modus, non tamen eſt nihil. Hinc Scot.quol. 3. Dixit hanc eſſe quæſtionem de nomine, nam iuxta varias acceptiones entitatis poteſt huiuſmodi diſtinctio vocari realis, & modalis. Et reuera in ſe potius diſtinctio realis debet dici, quàm modalis, quæ à modo denominationē tantùm accepit; neq; ex hoc, quòd ſubiectum exiſtere poſſit ſine modo, & non è contra, inferri debet, quòd non ſit diſtinctio realis, ſed modalis, quia etiā Deus realiter diſtinguitur à creatura, licèt hæc exiſtere non poſſit ſine Deo; & tantò magis Scotiſtæ hanc diſtinctionem realem appellare debent, quæ eſt merè extrinſeca, quia per ipſos diſtinctio modalis propriè eſt illa, quæ verſatur inter rem, & modum intrinſecum eius, vt inter eſſentiam, & exiſtentiam, non inter rem, & modū eius extrinſecum, & accidentalem, vt ſeſſio, viſio, &c. de quibus Recentiores agunt.

2. Quòd tandem proportionalis ſeparatio ſufficiat ad diſtinctionem realē inferendā, probat Scot. in 2.diſt.1.q.4.§.*Ad quæſt.*ſuper N. de motu Cæli, quia ſecundū Ariſt. contradictio eſt Cælum eſſe ſine motu, non quippe ex cauſa intrinſeca Cæli, quia ex ſe eſt indifferens ad motum, & quietem, ſed ex cauſa extrinſeca neceſſariò mouente, atq; ideò ex tali inſeparabilitate non rectè infertur Cælum eſſe idē realiter cum motu; Hinc Scot.docuit, quòd proportionalis ſeparatio inter ea verſatur, quæ licèt ſint ab inuicem inſeparabilia, hæc tamen inſeparabilitas non prouenit ab intrinſeco, ſed merè ab extrinſeco; vel quòd ſi inſeparabilitas ab intrinſeco proueniat, adhuc tamē ſe habeāt, vt producens, & productum, cauſa, & cauſatum, & vnum ad aliud dependentiā habeat, quæ contradictoria prædicata ſemper neceſſariò realem inferunt diſtinctionem, ex Scoto in 2.d 25.q.vn. §. *Ad principia*, relatio .n.producentis, & producti reſpectu eiuſdē repugnat, nō ſolū in eadem perſona, ſed etiam in eadem natura, qua ratione, licèt perſonæ Diuinæ ſint in eadem natura, & ab intrinſeco inſeparabiles ob vnitatē eſſentiæ, adhuc tamen realiter diſtinguuntur quatenùs vna eſt producens, & altera producta. ex D. Aug. 1.de Trinit. cap. 1. ſic licèt totum ſit à partibus inſeparabile, etiam ab intrinſeco, quia tamen ad eas dependentiam dicit eſſentialem, vt cauſati ad cauſas intrinſecas, adhuc tamen ab eis diſtinguitur realiter ex Scot.in 3.d.2.q.2.

3. Ex his facilè deducitur quid ſit identitas realis, illa .n. è contra erunt eadem realiter, quæ nec ſeparata ſunt, nec poſſunt ſeparari, nec proportione correſpōdēt his, quæ ſeparabilia ſunt, ità vt adæquatum identitatis realis ſignū ſit inſeparabilitas aliquorū tā actualis, quàm potētialis, & proportio-

nalis. Ex quibus patet minus rectè Recentiores aſſignare pro reali diſtinctione tãquam adæquatum ſignum, ſeparationem ſolùm actualem, vel potentialem, ſicut identitas realis inſeparabilitatem tantũ actualem, vel aptitudinalem.

4. Quæ diſtinctio realis ſic explicata, ſubdiuiditur in poſitiuã, & negatiuã: poſitiua duplex eſt, vna realis, & eſt illa, quæ verſatur inter duo entia realia, quorũ vnũ realiter non eſt aliud; altera eſſentialis, & eſt illa, quæ oritur inter duo ex principijs eorum eſſentialibus, & ita diſtinguuntur res, quæ ſub diuerſis generibus, vel ſpeciebus extant, quã Scot. vocat diſtinctionem realem naturarum in 1. d. 2. q. 7. quæ benè ad diſtinctionẽ realem reducitur, natura. n. & eſsẽtia idem ſunt, vt Tar. aduertit. Diſtinctio realis negatiua eſt, quæ verſatur inter ens, & non ens, vt inter materiam, & priuationem, vel inter duo nõ entia, vt inter duas priuationes, vt Scot. docuit in 3. d. 8. q. vn. Sed quia propriè non eſt inter rem, & rem, dicitur diſtinctio realis imperfecta. Item diſtinctio realis poſitiua diuiditur etiam in accidentalem, & eſt illa, quæ per principia accidentalia cauſatur, quomodo homo albus diſtinguitur à nigro, ad quam etiam reduci ſolet diſtinctio numerica indiuiduorũ, quatenus principia indiuiduationis, vnde oritur, licèt pertineant ad ſubſtãtiam indiuiduorũ, eſt tamen extra eorum eſſentiam ex dictis, quæ etiam diſtinctio appellari ſolet materialis, quatenus differentia indiuidualis, quę eſt talis diſtinctionis principium, dicitur materia totius ex Doct. in 2. d. 3. q. 6. à quo etiã appellatur diſtinctio realis ſuppoſitorum. Et tandem ad hanc reducunt illã diſtinctionem, quæ verſari ſolet inter totum, & ſingulas partes ſingillatim ſumptas, quæ appellatur diſtinctio includẽtis ab incluſo, quomodo totum corpus diſtinguitur à capite, quia includit illud, & adhuc alias partes, quæ diſtinctio ad varia genera diſtinctionum pertinere poteſt ſecundum varietatem compoſitorum. Alij diſtinguũt diſtinctionem realem in mutuam, & non mutuam, qua vnum exiſtere poteſt ſine alio, & non è contra, quomodo diſtinguunt rem, & modum eius, ſed non placet, quia implicat vnum eſſe realiter diſtinctũ ab alio, & quòd hoc conuerſim nõ ſit ab illo realiter diſtinctum, & ideò oportet dicere, quòd omnis diſtinctio realis ſit mutua, quòd autẽ vnũ poſſit ſeparatum exiſtere ab alio, & nõ è cõtra, ſolũ facit, quòd non ſit mutua ſeparabilitas, &c. Hic ſolet moueri dubiũ de diſtinctione reali inter totũ, & partes, ſed hoc in phyſica tãquam in proprio loco differendum remittimus.

5. Ex his colligitur ſuperflua eſſe illa ſeptem genera diſtinctionũ à Formaliſtis excogitata; licèt n. negari non poſſit, quin iſte tractatus ſubtilis ſit, & ingenioſus, & multa

multa doctrinæ Scoticæ cōformia contineat, nulla tamē apparet neceſſitas tot genera diſtinctionum multiplicandi; vt benè aduertunt Tatar. quæſt. vltim. Prædicab. Faber. loc. cit. c. 9. Maſt. & Bell. diſp. 1. log. q. 5. art. 2, & quòd diſtinctio ex natura rei cum formali coincidat, patet ex dictis, & ad illud exēplum de Definito, & definitione, iam in proprio art. reſpōſum fuit. Diſtinctio etiam eſſentialis nō differt ab alijs; quod euidenter patet ex eo, quia ipſi Formaliſtæ dupliciter hanc diſtinctionem explicāt, in vno ſenſu illa dicuntur eſſentialiter diſtincta, quę habent diuerſas eſſentias, & è contra illa dicuntur eadem eſſentialiter, quæ in eadem eſſentia conueniunt; in alio ſenſu illa eſſentialiter diſtinguūtur quorum vnum non eſt de eſſentia alterius; nec eius conceptum formalē ingreditur, & è contra illud eſt idē eſſentialiter alteri, quod conſtituit eius eſſentiam, & eius conceptum formalem ingreditur, in primo ſēſu identitas, & diſtinctio eſſentialis coincidit cum reali, illa .n. quæ habent diuerſas eſſentias, ſunt etiā diuerſæ res; In ſecundo ſenſu coincidit cū diſtinctione formali ſecundo modo capta, ex illis tribus, quæ in ſequenti articulo recenſemus. Diſtinctio etiā ſe totis ſubiectiuè, qua diſtingui volūt, quæ nō cōueniunt in aliqua realitate potētiali ad ipſa cōtrahibili, vt Deus, & Creatura, & Diſtinctio ſe totis obiectiuè, qua diſtingui (aiunt) q̄ in nullo cōceptu quidditatiuo cōueniunt, vt paſſiones entis, & vltimę differentię, non conſtituūt duo genera diſtinctionum ab alijs diſtincta, ſed cum reali, vel formali coincidūt, vt bene Tatar. aduertit, nam quæ diſtinguuntur ſe totis ſubiectiuè, aliquando realiter diſtinguūtur, vt Deus, & creatura, interdum tātum formaliter, vt bonitas, & veritas in Deo, &c. pariter, quæ diſtinguuntur ſe totis obiectiuè, aliquando diſtinguuntur tantū formaliter, vt bonitas, & veritas in Deo, interdum etiam diſtinguuntur realiter, vt duæ vltimæ differentiæ, &c.

## ARTICVLVS QVINTVS.

### *De Diſtinctione formali.*

1. Scot. qui nihil nō eruditè, nihil non diſtinctè ſcitè, & ad amuſſim non ſcripſit, pluribus in locis de hac famoſa controuerſia agit, & præſertim in 1. d. 8. q. 4. §. *Ad quæſt. Q. &c.* vbi loquens de diſtinctione inter Diuina attributa ſic ait; *Dico, quod inter perfectiones eſſentiales non eſt tantum differentia rationis, hoc eſt diuerſorum modorum concipiendi idem obiectum formale, talis .n. diſtinctio eſt inter ſapiens, & ſapientia, nec eſt ibi tantum diſtinctio obiectorum formalium in intellectu, quia vt argutum eſt prius illa nunquam eſt in cognitione intuitiua, niſi ſit in obiecto intuitiuè cognito, eſt ergo ibi diſtinctio tertia, præcedens intellectum omni modo.* Et ne quis inſtare poſſit, quòd hæc diſtinctio ſit tantū virtualis, ſtatim addi-

addidit: *Et eſt ità quod ſapientia eſt in re ex natura rei, & bonitas eſt in re ex natura rei, Sapientia autem in re formaliter non eſt bonitas in re.* Quo modo clarius loqui poterat ad oſtendendam hanc diſtinctionem eſſe actualem, & non virtualem tantùm? Et in eodem 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic reſtat &c.* ſupra F f. loquendo de diſtinctione inter eſſentiam, & relationem Diuinam inquit: *Dico ſine aſſertione, & præiudicio ſententiæ melioris, quòd ratio in qua formaliter ſuppoſitum eſt incommunicabile, & ratio eſſentiæ vt eſſentia habet aliquam diſtinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati.* Et Paulò inferius ſub lit. H h. vt magis mentem ſuam aperiret, ne quis exiſtimaret ipſum loqui de diſtinctione virtuali; ſeu rationis ratiocinatæ, ait: *Breuiter igitur dico, omittendo illa verba de diſtinctione rationis & de diſtinctione virtuali, quod in Eſſentia Diuina ante actum intellectus eſt entitas A. & eſt entitas B. & hoc non eſt formaliter illa; ità quod intellectus Paternus cõſiderans A, & conſiderans B, habet ex natura rei, vndè iſta cõpoſitio ſit vera A. nõ eſt formaliter B. non autẽ præcisè ex aliquo actu intellectus circa A. & B.*

Falſum eſt igitur per diſtinctionem formalem, mediam inter realem, & rationis Scot. intelligere diſtinctionem illam, quam Recentiores vocant virtualem, vel rationis ratiocinatæ, vt eum malè interpretantur Suar. diſp. 7. meth. ſec. 1. nu. 13. & lib. 4. de Trinit. c. 4. Hurtad. diſp. 6. meth. ſec. 3. Salas p. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 4. ſec. 3. & alij, quibus (quod peius eſt) ex noſtris adhæret Herreta to. 1. diſp. 8. q. 3. hoc enim repugnat expreſſis Scoti verbis, vt iam viſum eſt, & in 2. d. 16. q. vnic. §. *ideò dico* lit. K. ait: *Nec eſt eorum, quæ manent diſtincta iſta diſtinctione, quæ fuerunt diſtincta ante vnionem, ſed quæ ſunt vnum realiter, manent tamen diſtincta formaliter,* & ſequitur hoc pluries in eodem §. ergo falſum eſt Scot. nunquam vti hoc vocabulo diſtinctionis formalis, vt aliqui contendunt.

2. Aduertimus primò pro maiori intelligentia, quòd cauſa deceptionis Aduerſariorum hic, ſunt quædam verba Scoti in in 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic reſtat*, lit. H h. vbi agẽs de diſtinctione inter eſſentiam Diuinam, & relationem ait: *Numquid igitur debet concedi aliqua diſtinctio? Sic, melius eſt vti iſta negatiua, hoc non eſt formaliter idẽ, quàm hoc eſt ſic, & ſic diſtinctum.* Ex quibus verbis Aduerſarij occaſionem arripiunt aſſerẽdi, quòd Scot. non poſuerit talem diſtinctionem poſitiuam, ſed negatiuam, ac proinde nõ eſſe actualem, ſed virtualem; At reſpondent Scotiſtæ Doctorem gloſando, Bargius ibidem ait, ità loqui Scot. qa nondum determinauerat, an relationes haberent ſuas proprias formalitates, vel potiùs eſſent modi Diuinæ eſſentiæ, Tatar. & Viger. ibidem, & Baſſol. in 2. d. 22. q. 4. art. 2. Vulp. tom. 1. p. 1. diſp. 8. art. 6. Meuriſſ. lib. 2. meth. cap. 3. q. 4. concl. 4. inquiunt Doct.

ſic

ſic loq, vt oſtēderet diſtinctionem formalē nō importare veram relationem realē inter extrema ſic diſtincta, vt importat diſtinctio realis, nā diſtinctio formalis ex natura rei nō eſt cēſenda actualis rōne relationis formaliter importatæ p diſtinctionem, ſed materialiter tātùm ratione extremorum, quæ ſic à parte rei diſtincta ſe habent ſecundum eſſe proprium actuale extra nihil; vt eſſe formale vnius nō ſit eſſe formale alterius. Alij tandē Recentiores cum Maſtr. & Bellut. aſſerunt, ideò Scot. hāc diſtinctionem potius appellare voluit non identitatem, quàm abſolutè diſtinctionem, quia ex communi modo loquendi præſertim tūc temporis, diſtinctio ex natura rei pro vera, & rigoroſa diſtinctione reali vſurpari ſolebat, hinc pauidus ait: *Nunquid igitur debet concedi aliqua diſtinctio?* ideſt realis? Et quia primus ipſe fuit, qui ſaltem in Diuinis hanc diſtinctionem inuexit, ideò ſobriè, ac modeſtè more ſuo loquitur, ne diſtinctionem realem, inter Diuina attributa, & relationem, & eſſentiam ponere videtur.

3. Aduertimus 2. vt aliqualis æquiuocatio tollatur, quòd apud Scotiſt. identitas formalis, & diſtinctio formalis tribus modis accipi ſolet. Primò in eo ſenſu aliqd dicitur formaliter idem alicui, cū illud includit in ſua ratione formali, & ſic inferius eſt idem formaliter ſuo ſuperiori, vt homo eſt idem formaliter animali, & Petrus eſt idem formaliter homini, quia homo includit formaliter animal, & Petrus hominem; vndè è contra illud erit formaliter diſtinctum ab alio, cùm illud non includit in ſua ratione formali, & in primo modo dicendi per ſe, & ſic animal poteſt dici diſtinctum formaliter ab homine, & homo à Petro, quam explicationem identitatis, & diſtinctionis formalis deducunt formaliſtæ ex Doct. in 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic reſtat*. H h. vbi Doct. ait: *Voco identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur ſic idem, includit illud, cui ſic eſt idem in ſua ratione formali, & per conſequens per ſe in primo modo.* Secūdò, & cenſetur ſenſus magis proprius, tunc aliquid dicitur formaliter idē alicui, cùm eſt de ratione formali illius, quo ſenſu ſuperius eſt idem formaliter ſuo inferiori, vt animal eſt idem formaliter homini, quia eſt de conceptu formali ipſius, ingrediēs eius definitionem, & è cōtra illud non eſt idem formaliter alicui, quod non pertinet ad eius rationem formalem, quo ſenſu de identitate, & diſtinctione formali locutus eſt Scotus in 4. d. 12. q. 1. & coincidit cum identitate, & diſtinctione eſſētiali, de qua Doctor loquitur quol. 1. D. ex quibus locis poſtea magna orta eſt cōtrouerſia inter veteres Formaliſtas de idētitate, & diſtinctione formali inter inferius, & ſuperius, contra quos modos explicandi Scotiſt. inſurgit Paſqual. to. 2. meth. diſput. 61. ſec. 1. cui in Meth. præſtante Deo ſa-

tisfaciemus. Tertiò tandem modo, & eſt ſenſus magis adæquatus, & frequens apud Recentiores Scotiſtas, illa dicuntur formaliter eadē, quæ habent eādem formalitatem, & rationem obiectiuam ſecundum ſe conceptibilem ex natura rei, & è contra ea ſunt formaliter diſtincta, quæ habent aliam, & aliam formalitatem, ſiuè rationem conceptibilem ex natura rei diſtinctā, & in hoc ſenſu ſuperius, & inferiꝰ ſūt formaliter ex natura rei diſtincta, nam ratio humanitatis alia eſt à ratione animalitatis, licèt eam includat, imò per hoc, quòd eam includit, & non ab ea includitur dicitur habere diſtinctam formalitatem, & in hoc ſēſu de diſtinctione formali loquitur Scot. in 1. d. 8. q. 4. vbi docet, Diuina attributa formaliter diſtingui, qa ratio bonitatis non eſt ratio ſapientiæ, quo ſenſu idētitas formalis eſt illa, qua plures rationes ſolùm per intellectum diſtinctæ communicant in eadem conceptibilitate, & ratione obiectiua, & ita ſe habent apud Doct. generatiuitas, generatio, & paternitas in eadem relatione cōſtitutiua primę perſonę in Diuinis quol. 4. & hic eſt reuera proprius modus hanc diſtinctionem, & idētitatem explicandi, nam ſi identitas fundatur ſuper vnitatem, & diſtinctio ſuper multitudinem, ſequtur, quòd ea, quæ vnicam, & eamdem formalitatem habēt, ſint formaliter eadem; quæ verò aliam, & aliam habent, ſint formaliter diſtincta; ex veteribus Scotiſt. hanc diſtinctionem formalem explicant Tatar. Bonet. Burliſ. Rubion, Mayron, & quamplures Formaliſtæ, & ex Recentioribus Faber tractat. Formal. Vulp. tom. 1. p. 1. diſp. 8. art. 6. Meuriſ. lib. 2. Meth. cap. 3. q. 4. Smiſing. tract. 2. de Deo vno diſp. 2. q. 2. Rada 1. p. Controu. 4. Barthol. de Soſa 1. d. 2. q. 7. art. 3. Aret. in Formali. comm. 35. Bell. & Maſtr. in log. diſp. 1. art. 2. Pōcius to. 3. ſui curſus diſp. 20. queſ. 2. & alij, & ex exteris ſic etiam intelligunt Fonſeca. 5. Meth. cap. 6. q. 6. ſec. 2. Amic. tract. 4. log. q. 3. dub. 3. & Galliꝰ lib. 2. de Eſſen. Dei tract. 5. cap. 2. Conimbric. in præfat. Porphy. quæſt. 4. artic. 2. Bonherba in Concord. Egidij trac. 3. de paſſionibus entis artic. 3. & multi alij.

4. Aduertimus 3. de ratione formalitatis eſſe, vt ſit immerſa p identitatem realem in re propriè dicta; ſitque eius aliquitas quatenùs eſt quidam gradus eſſendi eius hinc licèt humanitas V. g. & equinitas ſint rationes obiectiuæ conceptu perfecto, & adæquato conceptibiles, non tamen realitates, aut formalitates appellari debent, quia non ſunt aliquitates rei, ſed potius tota ipſa res, & eſſentia. Dicitur cōceptu perfecto, & adæquato, quia ratio obiectiua inadequatè conceptibilis nō poteſt propriè dici formalitas, vt ſunt ratio entis, boni, & omnium traſcendentium, quæ non ſunt conceptibilia in re

conceptu perfecto, & adæquato, ſed inadæquatè reſpectu intellectorem confusè, & inadæquatè concipientis. Formalitas igitur non eſt propriè res, cùm non importet totam rei eſſentiam, ſed eſt aliquitas rei, ſeu quaſi pars, & quidam gradus eſſendi rei, & ideò dicitur diminutiuè realitas, & formalitas, quaſi ſit quædam reſcula, & formulcula, & ex hoc oritur deceptio Aduerſariorum, neſcientium diſtinguere inter rem, & realitatē, inter formam, & formalitatem, inter ens in recto, & ens in obliquo, inter entitatem, & aliquitatē entis.

5. Adnotamus 4. non conuenire Doctores in aſſignanda differētia inter diſtinctionem realem, & formalem, aliqui ſi. docent ſignū ad cognoſcendum in aliqua re an diſtinctio actualis ſit realis, vel formalis eſſe ſeparabilitatem, vel inſeparabilitatem, ſi ſi. extrema diſtinctionis poſſunt ſeparari, & ſeparata exiſtere ſaltem per Dei potentiam, tunc diſtinguuntur realiter; ſi è contra non poſſunt ſic ſeparari, diſtinguuntur formaliter, ita Amicus tract. de diſtinct. q. 14. art. 2. nu. 3. cum alijs, vbi ità definit diſtinctionem formalem ſ. *eſt illa, quæ verſatur inter duos conceptus obiectiuos, qui dicuntur formalitates, quarum neutra eſt ſufficiens per ſe ſeparatim exiſtere, ſed exiſtunt in re, quam conſtituunt.* Non placet, & ratio eſt, quia licet ſeparatio actualis, vel poſſibilis duorum extremorum ad inuicem ſit ſignum ſufficiens realis diſtinctionis inter illa, non eſt tamen ſignum adæquatum, & conuertibile, quia multa ſunt ab inuicem inſeparabilia etiam per potentiam Dei abſolutam, quæ adhuc realiter diſtinguuntur, vt patet de toto, & partibus in ſententia noſtra, & de materia, & forma, de ſubiecto, & paſſione in ſententi. Thomiſt. ergo non benè per hoc ſecernuntur duæ hæ diſtinctiones. Sic etiam ex noſtris explicare videtur Ioan. Poncius in meth. diſp. 20. q. 2. vbi ait. Diſtinctionem formalē inter ea extrema verſari, quæ inuicem neceſſariò petunt ſemper eſſe connexa, nec vnum ab alio ſeparari poteſt etiam per Dei potētiā.

6. Cæterum alij Scotiſtæ communiter, & præſertim Recentiores defendūt per hoc differre præcise diſtinctionē formalem à reali propriè dicta, quia extrema diſtinctionis realis ſunt res, quæ propriæ exiſtentiæ ſunt capaces, & & phyſicam cauſalitatem terminare poſſunt, ſiue ſolitariè, ſiue cū alijs coniunctæ, extrema verò diſtinctionis formalis sūt realitates, ſeu formalitates ſ. gradus varij eſſentię eiuſdem rei, qui nec propriā habent exiſtentiam, nec phyſicam poſſunt terminare cauſalitatem, ſed omnes, & ſinguli exiſtunt exiſtētia illius integræ eſſentiæ, cuius ſunt gradus eſſendi, & ad eius productionem conſequuntur ſequelā quadam, ſiue emanatione methaphyſica, quod ſatis conſtat ex declaratione nominum rei, & reali-



Digitized by Google

tatis, formæ, & formalitatis. Et declaratur, quia in homine V.g. vltra res phyſicas, quæ ſunt eius partes phyſicæ .ſ. anima, & corpus, reperiuntur etiam realitates methaphyſicæ, quæ ſunt varij gradus eſſentiæ eius, videlicet, realitas animalis, rationalis, riſibilis &c. quæ vtique rationes non plurificantur per ſolas præciſiones formales, vt aſſerunt Nominales, nempè per ſolam pluralitatem, & diſtinctionem conceptuum formaliũ mentis, nam intellectus non producit per ſuam actionem has rationes in homine, ſed illas productas, & plurificatas inuenit, aliter homo non eſſet animal rationale, nec riſibile à parte rei, ſed tantùm per opus intellectus, quod falſiſſimum cenſeri debet. Neque huiuſmodi rationes diſtinguuntur, vel plurificantur in homine per ſolas præciſiones obiectiuas, ideſt, per ſolos conceptus obiectiuos inadæquatos, quibus intellectus mentaliter diuidit rem à parte rei penitùs indiſtinctam, vt affirmant Thomiſtę, quatenùs intellectus imperfectè, & inadæquatè concipiẽs, gradus illos plurificat, quod ſi actu adæquato cõciperet, vnica tantùm ratio conceptibilis ei correſponderet, nam hoc etiam falſum eſt, quia nec homo, nec Angelus à parte rei verè methaphyſicè compoſitus eſſet, Et dicere, quòd ſi nullus eſſet intellectus, qui inadæquatè cõciperet, Angelus ità eſſet à parte rei vna ſimpliciſſima entitas, nullam admittens compoſitionem ſaltem methaphyſicam, ac ſi eſſet ſimplicitas Diuina, & falſum, & parum tutum cenſeo, cùm Angelus etiam compoſitionem phyſicã ex pluribus accidẽtibus admittat.

57. Adnotamus 5. quòd definitio aliquando traditur per conceptus perfectos, & adæquatos, & tunc exprimit rem, vt omnino ſe habet à parte rei, citra quodcũque opus intellectus, & conſequenter, quæ ſic diſtinctas habent definitiones, diſtinctas habent etiam formalitates; aliquando verò datur per conceptus inadæquatos, & tunc non exprimit rem omnino, vt ſe habet à parte rei formaliter, & actualiter, ſed tantùm virtualiter, & ideò pluralitas talium definitionũ non infert inter illa plura diſtinctionem formalem, actualem, ſed tantùm fundamentalem, & virtualem. Aduertimus tamen, ꝙ quando definitio datur per conceptus adæquatos, quib' exprimitur pluralitas formalitatum à parte rei, hoc intelligi non debet definitione propriè dicta, & rigoroſa, quæ datur per conceptos adæquatos importantes genus, & differentiã, quia talis definitio non conuenit formalitatibus methaphyſicis, ſed eſſentijs rerum integris propriam eſſentiam, & exiſtentiam habentibus; vndè ex diuerſitate talium definitionum aſtruitur non ſolùm diſtinctio formalis, ſed etiam realis, & eſſentialis naturarum. Nec etiã ritè colligitur diſtinctio for-



Digitized by Google

malis ex varijs definitionibus, aſſignatis ad oſtendendas varias eiuſdem rei operationes, vt patet de intellectu, qui ſecundum eamdem formalitatem à parte rei, & per eãdem prorſus virtutem eſt principium apprehenſionis, iudicij, & diſcurſus; at quatenùs conſideratur in ordine ad ſimplicem apprehenſionem, non eodem modo definitur, ſicut quando in ordine ad alias operationes, quibus habitis, reſp. breuiter ad quæſitum.

8. Ex allatis Doctrinis ſic mihi videtur colligenda completa, & adæquata Formalitatis definitio .ſ. *Formalitas eſt ratio Obiectiua ſecũdum ſe conceptibilis, adæquatè, propriam exiſtētiam non habens, nec phyſicam cauſalitatem ex ſe terminans, ſed emanatione quadam Methaphyſica ab illa re, cui eſt gradus, ſeù Formalitas pullulans, citra opus Intellectus.* Dicitur, *ratio obiectiua*, ad diſtinctionem puri conceptus formalis, cui non reſpõdet aliquid à parte rei. Dicitur, *ſecundum ſe conceptibilis*, ad diſtinctionẽ alicuius conceptus ſolùm conceptibilis ſecundùm aliquod attributum rationis, Formalitas .n. eſt aliquid à parte rei, cũ ſit gradus entis. Dicitur, *adæquatè*, vt excludatur formalitas inadæquatè cõcepta, cui non correſpondet aliquid à parte rei diſtinctum, ſed plura inadequatè, & imperfectè ab intellectu ſic inadæquatè concipiente. Dicitur, *propriam exiſtentiam non habens*, nam formalitates non ſunt propriè res, ſed gradus, & realitates entis, quæ omnes exiſtunt exiſtētia illius integræ eſſentiæ, cuius ſunt gradus. Dicitur, *nec phiſicam cauſalitatẽ terminans*, quia formalitas non propriè cauſatur, & phyſicè producitur, ſed res phyſica, & in recto eſt, quæ abſolutè producitur, Formalitas verò eſt quæ productionem conſequitur ſequela quadam, ac emanatione methaphyſica, & ideò additur, *Sed emanatione quadam?* Dicitur tandem *Citra opus intellectus*, nam vna formalitas independenter ab intellectu eſt ab alia diſtincta, Paternitas .n. Diuina, non eſt formaliter eſſentia Diuina, nec Animalitas in homine eſt formaliter rationalitas, neque hæc eſt formaliter riſibilitas.

*Concluſio.*

9. *Dicimus, præter diſtinctionem rationis, & diſtinctionem realem dari adhuc diſtinctionem mediam formalem ex natura rei, citra opus intellectus.* Eſt Scoti loc. cit. & Scotiſt. cõtra Thomiſtas, & probatur. 1. varijs Ariſt. teſtimonijs, nec .n. noſtra opinio noua eſt, & purum figmentum, vt Aduerſarij adfremunt, ſed vetuſtiſſima, & Peripatetica, quam Scot. vt optimus methaphyſicus magis ampliauit, & vt Princeps Theologiæ etiam in Diuinis eam iniũxit. Ariſt. 4. meth. 1. docet, quod ens, & vnum ſũt vna natura, & hoc idẽ habet 4. Topic. cap. 1. ergo cùm vnum ſit paſſio entis, & idem non poſſit eſſe ſimul ſubiectum, & paſſio reſpectu ſui ipſi', neceſsè eſt, vt diſtinguantur, & non ratione, quia

paſ-

paſſio verè à parte rei à ſuo ſubie-
ᴄto emanat; neque realiter; quia
ſunt vna natura per Phyloſoph. er-
go diſtinctione media, quę formalis
appellatur. Et nota, quod hęc ratio ſa-
tis Thomiſtas vrget, qui licèt negent
identitatē realē inter ſubiectū, &
paſſionē prædicamētalē ādmittūt
tñ inter ſubiectū, & paſſionem tra-
ſcendentalem. Nec recurſus ad cō-
ceptus inadæquatos ei ſuffragatur,
nam ſcientia realis eſt cognitio p
cauſam propter quam res eſt, &
quoniam illius eſt cauſa, & non
quia ſic eſt conceptibilis, in ſcien-
tia autem demonſtratur paſſio de
ſubiecto, & nō è cōtra, ergo paſſio
à parte rei eſt à ſubiecto diſtincta,
& non ratione ratiocinata, ne co-
gamur in ſcientia demonſtrare tā-
tùm modum concipiendi rem, &
non rem ipſam. Aduerte tñ, quod hęc
ratio nō cōuincit apud illos Scoti-
ſtas, qui tenent traſcendentalia nō
præſeferre aliquam formalitatem
realem à parte rei; ſed conceptum
tantùm inadæquatum; Quare ra-
tio ſolū vrget de ſubiecto, & paſ-
ſione prædicamentali. Item 5. Eth.
ait Ariſt. virtutem, & iuſtitiā eſſe
eamdē rē, eſſe tamē diſtinctā ſecū-
dū rationē quidditatiuā, hoc autē
eſt diſtingui formaliter. 3. Meth.
inquit: genus eſt extra rationem
differentiarum, ità vt formaliter ſe
inuicem excludant ſecundum pro-
prias rōnes formales. Ex hoc de-
ducitur, quòd genus, & differentia
diſtinguantur formaliter, nam ſi à
parte rei eſſent prorſus idē, non ſe
excluderent. 3. phyſ. 21. ait: actio-
nē, & paſſionē eſſe idē realiter, ſed
ratione diſtingui, quia habēt aliud
quod quid eſt, hoc autē ſignificat habe-
re aliā, & aliā quidditatē, ſeu defi-
nitionem, per rationē ſignificatā.

10. Pr. 2. ratione, Quæcumq;
habēt diuerſas definitiones, diuer-
ſum quoq; habent eſſe formale o-
biectiuū, & quidditatiuum, & illas
definitiones pręſertim, quæ p con-
ceptus adæquatos traduntur; Sed
multa realiter identificantur, quæ
diuerſas habent definitiones, ergo
cum tali identitate ſtat diſtinctio
formalitatum, & realitatum, maior
eſt clara, definitio .n. explicat qd-
ditatem rei, minor eſt Ariſt. loc. c.
illa .n. omnia, quæ vnicam rem ap-
pellat, diſtinctas habent definitio-
nes, vt patet. R̷nt. Aduerſarij, quod
cùm definitio fiat per actū intelle-
ctus, & non definiatur aliquid niſi
in quantū apprehenditur, non ex-
plicatur res ſecundū eſſe ſubiecti-
uū, quod habet à parte rei, ſed ſe-
cundū eſſe obiectiuū, quod habet
in intellectu, & ità non repugnat, quod
ſi de eadem re apprehenduntur, &
præſcindūtur diuerſę rationes for-
males, etiā diuerſo modo definian-
tur, & explicētur. Inanis reſpōſio,
definitio .n. explicat naturam rei
ſicuti eſt, res .n. ſicuti ſe habet ad
eſſe, ità ad cognoſci, & ideò res di-
uerſi modo definiūtur, qa diuerſas
habēt naturas in ſe ipſis, & nō quia
diuerſimodè ab intellectu conci-
piūtur. Neq; ex eo, quod definitio fiat
p actū intellectus, ideò ſequitur, quod

explicet formaliter aliquod eſſe obiectiuum tm̃, & intentionale, ſed explicat aliquid verè à parte rei. Etiam intellectus definit hominẽ, quòd ſit ex anima, & corpore cõpoſitus. Etiã intellectus deſcribit Deum, quòd ſit quoddam ens intellectuale, à ſe ſpirituale, independens, immenſum, infinitum &c. Etiam intellectus prædicat, ꝙ ignis ſit calidus, ſol ſit lucidus &c. Et tamèn ex hoc nõ ſequitur, quòd hæc oñia ſint obiectiuè tãtum in intellectu, & nõ ſint verè à parte re, ſed potiùs ideò vt vera, & diſtincta cõcipiuntur ab intellectu, quia verè ità ſunt à parte rei, ex eo, n. quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa; Ità in propoſito diſcurrendum eſt de realitatibus, & formalitatibus, quæ actu plurificatæ in eadem re phyſica reperiũtur, vt animalitas, & rationalitas in homine; intellectus, & voluntas in anima; eſſentia, & relatio, bonitas, Iuſtitia, & varia attributa in Deo &c. Et reſponſio Thomiſt. ſolùm locum habet de formalitatib. quæ virtute tantùm in aliqua re continentur, quia tunc non exprimitur res, niſi vt ab intellectu apprehẽditur. Complut. diſp. 3. log. q. 4. Paſqual. diſp. 60. ſec. 1. cum alijs diſtinguunt de duplici definitione, nam alia eſt phyſica, alia methaphyſica: Prima eſt cùm definitur res per partes phyſicas, vt cũ hõ v.g. definitur, quòd eſt quoddam ens conſtans ex corpore, & anima rationali, & hæc (inquiunt) explicat totum eſſe rei adæquatũ, & infert diſtinctionem actualem, realem, & eſſentialem, inter ea, q̃ diuerſas habent huiuſmodi definitiones: Secunda eſt, cùm non exprimitur obiectum ſecundum totũ ſuum eſſe adæquatum, ſed inadæquatè tantùm, & ideò nõ oportet, vt inter huius generis diuerſas definitiones, intercedat diſtinctio actualis, ſed ſufficit tantùm virtualis, ſeù rationis ratiocinatæ, formalitates, n. methaphyſicæ per abſtractionem, & præciſionem intellectus conſtituuntur. hæc reſponſio eſt magis congrua, non tamèn ſoluit, & ratio eſt, quia quando in re phyſica plures actu continentur formalitates independenter ab intellectu, quæ formalitates ſunt aliquid eius per identitatem, vt patet de animalitate, & rationalitate in homine, tunc aſſignari debet definitio methaphiſica, illas exprimens in ordine ſuo, animalitas .n. & rationalitas nõ tantùm virtute, ſed realiter, & formaliter reperiũtur in homine, cõſtituentes, & cõponentes ens methaphyſicum, ꝙ eſt à parte rei, non aliqd fictum per intellectum, cùm Methaphyſica ſit ſcientia realis de obiecto reali.

12. Pr. 3. Cõtradictio infert diſtinctionem, præciſè cùm ipſa cõmenſuratam, non minorem, neque maiorem, ſi eſt contradictio ſecũdùm eſſe rationis, infert tantùm diſtinctionem rationis, vt patet in propoſitione idẽtica de Petro v.g. poſito ex parte ſubiecti, & de eodẽ

ex parte prædicati, ſi contradictio eſt ſecundum eſſe reale, & entitatiuum, vt eſſe, & non eſſe abſolutè ſumpta, aut ſaltem ſecundum prædicata ad tale eſſe ſpectantia, vt eſſe cauſatum, vel non cauſatum, productum, vel nõ productum &c. infert diſtinctionem realem, & entitatiuam inter extrema; Si tandem eſt contradictio ſecũdum eſſe formale, aut prædicata ad tale eſſe ſpectantia, infert tantum diſtinctionẽ formalem; Sed inter formalitates, & realitates non eſt cõtradictio ſolùm rationis, vt patet, neque contradictio realis inter rem, & rem in recto, & phyſicè, ergo eſt cõtradictio media, quæ per mediã diſtinctionem formalẽ tolli debet, contradictio .n. ſemper oportet, vt reſpectu diuerſorum verificetur.

℞ent aliqui ex Thomiſtis, quòd ſicut definitio eſt opus intellectus, ita & contradictio formalis; ſed à parte rei tantùm datur fundamentum contradictionis, quia contradictio conſiſtit in affirmatione, & negatione, quæ ſolùm habentur per intellectum, alterum de altero affirmantẽ, vel negantem, & ſequitur Paſqualig. diſp. 59. ſed hæc reſpõſio ita infirma eſt, vt etiã Caiet. eã irrideat 1. p. q. 39. art. 1. licèt enim contradictoria enuncientur, tantũ per intellectum, non tamẽ inde ſequitur eorum veritatem actualem, & formalem ab intellectu pẽdere, alioquin nulla propoſitio quamuis neceſſaria eſſet vera citra opus intellectus, nã illa cõnexio prædicati cum ſubiecto ſemper ab intellectu exprimitur, quare ſicut à parte rei verum eſt actualiter, & formaliter hominẽ eſſe ex corpore, & anima compoſitũ, quia hæ partes actualiter in eo continentur, ita hæc contradictoria ſunt actu vera de ipſo, quod per animam differt à rebus materialibus, & per corpus nõ differt, ſubiectũ enim eſſe formaliter tale, eſt habere talem formam.

℞et. Caiet. quẽ ferè omnes Recentiores ſequuntur, concedendo contradictoria actu à parte rei verificari V. g. quod homo per animalitatem formaliter, & actu conuenit cũ Leone, & nõ conuenit per rationalitatem, ſed hinc non inferri (inquit) diſtinctionẽ formalem actualẽ inter animalitatẽ, & rationalitatẽ, ſed tãtũ virtualẽ, quæ ſufficit ad tollendã cõtradictionem.

Sed Contra, cauſa in actu, & effectus in actu ſimul ſunt, & non ſũt ex 2. phyſ. & 5. Meth. Sed cauſa cõtradictionis eſt diſtinctio, quælibet .n. contradictio ſemper aliquã infert diſtinctionẽ, ergo quando cõtradictio eſt formaliter, & actualiter vera à parte rei, arguit diſtinctionem formalem, & actualem à parte rei, & non virtualem tantũ, ex parte intellectus inadæquatè concipientis. ℞et. Caiet. ibidẽ negando, quod ſola actualis diſtinctio ſit cauſa actualis cõtradictionis, nam talis effectus .ſ. contradictio poteſt eſſe à diſtinctione, tanquã à cauſa quaſi vniuoca; & virtualiter continẽte diſtinctionem, qualis eſt emi-

nen-

Digitized by Google

nētia rei, vt à cauſa æquiuoca; habet igitur iſte effectus in actu, cauſam in actu, non tamèn neceſſariò vniuocā, cùm ſufficiat æquiuoca, q̄ eſt eminentia rei, & tunc oppoſita enūciantur de eadē re, non quaten⁹ vna eſt, ſed multiplex eminēter.

13. Sed Cōtra, eminētia rei nō tollit contradictionē actualem, ergo non æqualet diſtinctioni actuali, probatur antecedens, nā contradictio actualis tollitur per multiplicitatē rei actualē, & non virtualem tantū, aliter de eodem ſecundū idem à parte rei actualiter contradictoria verificarentur, non obſtāte enim virtuali diſtinctione, ad huc remanet omnimoda identitas actualis ex parte ſubiecti, prædicati, & copulæ, ergo ratione diſtinctionis virtualis non pōt verificari vtraque pars cōtradictionis, alioquin idem ſimul eſſet, & non eſſet, quod eſt cōtra rationē primi principij. Tùm quia extrema contradictionis, ità pugnant inter ſe, & opponūtur, vt vnum directè deſtruat alterum, vt ex ſummulis patet, ergo ſi duo extrema ſūt omnino eadem à parte rei, non poſſunt equidem à parte rei contradictionem fundare, quòd ſi contradictionem fundant à parte rei, ſignum eſt non eſſe omnino vnum à parte rei, ſed multiplex, & conſequenter diſtinctio à parte rei; diſtinctio .n. fundatur ſuper multitudinem, ſicut idētitas ſuper vnitatē, ne cogamur admittere duo cōtradictoria de vna, & eadem re à parte rei verificari.

14. Sed Cōtra inſtant, inter definitionem, & definitum obiectiuè ſumpta nō eſt diſtinctio actualis, & tamèn de illis verificātur cōtradictoria, quia definitio pōt eſſe medium in demonſtratione, non autem definitum, abſque manifeſta petitione principij. Item intellectus creatus non eſt alius, & alius actu quatenus ſpeculatiu⁹, & practicus, quatenus apprehenſiuus, & diſcurſiuus, & tamèn in quantùm ſpeculatiuus nō eſt diſcurſiuus, ergo ſola virtualis diſtinctio ſufficit in obiecto, vt contradictoria actu de ſe ipſo à parte rei verificentur, ℞. ad 1. neg. aſſumptum, nam ex Doct. in 1. d. 2. q. 2. A. inter definitum, & definitionem eſt diſtinctio ex natura rei, & ſequūtur formaliſtæ, & Scotiſtæ cōmuniter. Et ant. etiam cōceſſo, dicendum eſſet, quòd cōtradictiones illæ de diuerſis, ſolùm verificentur apud intellectum imperfectè, & inadæquatè concipientem, at intellectus intuitiuus, & rem clarè percipiens non magis conciperet definitionē, quā definitum vt mediū, & cauſam paſſionis. Ad 2. concedimus, ꝙ idem eſt intellectus practic⁹, & ſpeculatiu⁹, apprehēſiuus, & diſcurſiu⁹, q̄a eſt vnica tm̄ formalitas, atq; ideò ſufficit diſtinctio virtualis, ſi verò cōſiderentur ſub illa reduplicatiua practici, & ſpeculatiui in ordine ad operationes, ſic extrema ſūt diſtincta realiter, ac proinde diſtinctionē realem fundare poſſunt.

15. Pr. 4. Multæ propoſitiones veri-

verificantur identicè, quæ formaliter ſunt falſæ, ergo cum idētitate reali ſtat diſtinctio formalis, ꝓbatur antecedēs de ſimili in Diuinis, vbi eſſentia Diuina ex eo, quòd eſt cum Paternitate idētificata poteſt dici incōmunicabilis, ſicut paternitas, at in ſenſu formali, hæc propoſitio Eſſentia Diuina eſt incommunicabilis, eſt falſa, quia eſſentia de ſuo cōceptu formali dicit communicabilitatem, ſicut de facto eſt communicata tribus, conſequētia eſt clara, ſi enim in ſenſu identico talis propoſitio eſt vera, & in ſenſu formali eſt falſa, ergo eſt aliqua diſtinctio ex parte extremorum, ne cogamur de vna, & eadē re duo contradictoria admittere: at nō eſt diſtinctio rationis, vt patet, nullo enim intellectu cogitante, Eſſentia Diuina eſt formaliter cōmunicabilis, & Paternitas incommunicabilis formaliter, neq; eſt diſtinctio realis, cùm eſſentia Diuina, & Paternitas realiter identificentur, ergo erit diſtinctio media, q̄ appellatur formalis, cum identitate reali compoſſibilis.

16. Pr. 5. Non pōt eadē formalitas eſſe ſimul, & ſemel ratio conueniendi, & differendi, ſeù aſſimilandi, & non aſſimilandi, ſed homo cōuenit, & differt cum equo, cōuenit per animalitatem, & differt per rationalitatem, per vnam eſt ſimilis, per aliā non eſt ſimilis, ergo oportet vt in homine ſint duæ formalitates, reſpectu quarum talis contraditio tollatur, & quia contradictio infert diſtinctionem, & cōtradictio hæc eſt à parte rei, infert ēt inter huiuſmodi formalitates diſtinctionem formalē ex natura rei.

Rñt Aliqui concedendo, quòd homo, & equus, vt animalia ſunt ſimiles, ſed ille vt rationalis, hic vt hinnibilis nō ſunt ſimiles, at ex his non infertur diſtinctio ex natura rei, ſed ſolum diſtinctio formalis ꝑ rationem, illa .n. ſimilitudo, & non ſimilitudo eſt in cognitionibus.

Sed contra, nulla exiſtente cognitione, adhuc homo aſſimilatur equo in animali, & non ei aſſimilatur in rationali, ergo talis ſimilitudo, & diſſimilitudo non conſiſtunt in cognitionibus, Prob. ant. ex eo, quod res eſt, vel nō eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa, ergo ideò ꝓpoſitio hęc eſt vera homo, & equus aſſimilantur in animalitate, quia ità verè eſt à parte rei, & non quia ſic intellectus cognoſcit, & ideò ēt hæc eſt vera homo, & equus in rationalitate non aſſimilātur, quia ità verè eſt à parte rei, & non quia ſic ab intellectu cognoſcitur; ſicut è contra hæc propoſitio homo, & equus ſunt ſimiles in rationalitate, ideò eſt falſa, quia ita verè eſt à parte rei, & nō quia ſic intellectus cogitat. Tū quia intellectus non facit res, ſed ipſas ſupponit, ex q̄bus eius cognitio origīnatur, ergo ſi intellectus cognoſcit ſimilitudinem, & diſſimilitudinem inter hominē, & equum, ideò ſic rectè cognoſcit quia ità verè ſunt à parte rei, & non quia ſic intellectus co-

gnoſcit, ergo non benè dicitur, ꝙ illa ſimilitudo, & nō ſimilitudo eſt in cognitionibus, ſed primariò eſt in rebus ipſis, ex quib⁹ talis cognitio producitur. Cognoſco Petrum eſſe patrem Pauli, & quod aſſimilantur in prædicato eſſentiali hominis, quod intrinſecè, & vniuocè participant, at non aſſimilantur in relationibus, quia vnus eſt Pater, alius eſt Filius, at non ideò ſimiles, quia ſic in cognitionibus exiſtunt, ſed quia verè ſunt à parte rei, cognitio .n. ex obiecto, & potentia, generatur. Et hic eſt error intolerabilis Aduerſ. tribuentium intellectui, ꝙ ſuum non eſt. Cognoſcit Deus Petrum cras peccaturū, ſed non ideò Petrus peccabit, qa Deus ſic cognoſcit, ſed qa ità erit à parte rei, ideò De⁹ ſic cognoſcit futurum. Cognitio .n. ſupponit obiectum, non illud efficit.

Rñt Aliqui neg. quòd homo, & equus conueniant per animalitatem, & differant per rationalitatē, ſed homo adequatè per totum ſuū eſſe, & per vtrumque prædicatum differt ab equo, nam ēt animalitas hominis, non eſt animalitas equi. Sed contra, homo & equus participant intrinſecè, & eſſentialiter quidditatem, & definitionem animalis in quo vniuocantur, ergo in tali realitate ſunt ſimiles, non diſſimiles; quę .n. vniuocantur in eo, in quo vniuocantur ſimilia dicuntur, non diſſimilia. Tū quia homo Methaphyſicè eſt cōpoſitus ex genere, & differētia, & de ratione generis eſt, vt ſit communius differētia, à qua contrahitur, ergo non adęquatè homo differt ab equo per animal, & per rationale, alioquin non eſſet maioris ambitus genus, quā differētia. Tū qa ſi homo differt ab equo ēt per animalitatem, ergo animalitas in homine non eſſet ratio conuenientię cū alijs ſpeciebus, ſed ſpectaret ad vltimū cōſtitutiuū hominis, faciens illum ab alijs ſpeciebus diſtinguere, ſed hoc eſt falſum cū ſit munus differentię ergo, &c. Tùm tandē quia ſi genus non eſſet latius differentia, nō magis diceretur per differentiā coarctari, quàm differentia per genus, quod ridiculum eſt in Philoſophia, ergo ſi homo conſtat ex genere, & differentia, conſtare ēt debet duplici formalitate, vna contrahibili, & altera contrahente, vna, quæ ſit ratio cōueniēdi cū alijs ſpecieb. altera q̄ ſit ratio differendi ab alijs.

Nec iuuat recurſus ad diuerſitatem conceptuum, nullo .n. intellectu cogitante verè homo aſſimilatur equo in animalitate, & non in rationalitate, quod ab effectu, & operationib. realibus vtriuſq; innoteſcit. Nec etiam valet ad illam fugam recurrere de diſtinſtione adæquata, & inadæquata, quam pre manib. Aduerſarij habent ad illudenda argumenta; nā talis diſtinctio eſt ſolùm penès intellectum inadæquatè, & imperfectè concipiētē, qui talē diſtinctionē actuat, & formalizat; At argumētū currit de diſtinctione actuali, & formali

prout

prout actum intellectus præcedit, illa .n. ſimilitudo, & diſſimilitudo anteuertunt actũ intellectus, non ſequuntur, ꝙ adhuc ſic probatur.

Magis aſſimilatur homo cum equo, quam cũ lapide, peto, vnde oritur talis ſimilitudo? dices, quia ſic concipit intellectus. Contra, ergo dicere poſsũ, quòd magis cõueniat homo cum lapide, quam cũ equo, quia ſic ẽt poteſt intellectus concipere. Rñt negando conſeq. adeſt .n. fundamentum in re, vt magis dicatur homo ſimilis equo, quàm ſimilis lapidi, non .n. poteſt intellectus ad libitum res concipere ſed cum fundamento in re. Sed hæc reſpõſio tota in verbis cõſiſtit, vt diximus diſp. 6. art. 1. de compoſitione methaphyſica, peto .n. de tali fundamento ſimilitudinis, an ſtante tali fundamento poſſit intellectus ad libitũ res aſſimilare, vel non; Si primum, ergo nullum eſt tale fundamẽtum, per hoc .n. intelligimus occaſionẽ, ſeu motiuum neceſſitantem intellectum ad ità concipiendum, & non alio modo; Si ſecundum, hoc ꝙ vos dicitis fundamentum in re ſimilitudinis, hæc eſt natura, ſeu realitas generica animalis, in qua vniuocantur, & aſſimilãtur homo, & equus, non aũt homo, & lapis, veriſſima eſt ergo illa propoſitio, quòd homo duplicem habet formalitatem, & per vnã conuenit cum alijs ſpecieb. animalis, & per aliam differt, & per vnam eſt ſimilis equo; & per aliam non ſimilis.

Et licèt verum ſit animalitatem hominis, nõ eſſe animalitatẽ equi, adhuc tñ quia animal eſt genus, & vt tale eſt eſſentialiter, & intrinſecè extra rationem differentiæ ex Ariſt. 3. meth. propter illã intrinſecam indifferentiam, & potentialitatem, quam ſemper retinet, eſtò ſit ab extrinſeca differentia determinata, põt ẽt in ſenſu diuiſo dici animalitas equi, quatenus ab intrinſeco ei non repugnat à differẽtia equi determinari, & poteſt aliqualiter declarari exemplo materiæ primæ in compoſito phyſico, q̃ licèt ſit ab aliqua forma actuata, & determinata, quia tñ hoc ab extrinſeco ei conuenit, idcirco ſuã intrinſecam potentialitatem non amittit, ſm̃ quam diuiſim ſub alijs formis reperiri põt reſpectu cuius potentialitatis omnia materialia conuenire, & aſſimilari dicuntur, ſic de genere ſuo modo, &c. Quod deinde realitas generica in compoſito methaphyſico identificetur realiter cum realitate differentiæ, hoc non oritur ex proprijs rationib. formalib. ſed ſolùm rõne tertij in quo vniuntur. Quæ doctrina fundata eſt in Ariſ. 5. meth. tex. 20. vbi docet conuenientiam, & ſimilitudinem eſſentialem duorũ fundari ſuper aliquam vnitatẽ naturæ, quæ vnitas eſſe non poterit, niſi vnitas formalis naturę, de qua loqtur Scot. minor vnitate numerali, videatur Maſtr. in meth. diſp. 9. q. 3. art. 2. n. 45. & 46. ſed hæc doctrina lõgiorẽ petit diſcursũ in meth.

Pr. 6. ad hominem. Concedunt Aduerſarij poſſe diſtinctionē à parte rei reperiri inter illa, quæ habēt diuerſam conceptibilitatem adæquatam, quod negant de conceptibilitate inadæquata; Sed gradus genericus, & differētialis sūt huiuſmodi, diuerſam enim habent conceptibilitatem adæquatam, ergo inter tales gradus diſtinctio ex natura rei reperitur, maior eſt ipſorum, minor probatur, nam animal, quod eſt in homine concipi poteſt adæquatè ſecundū totam ſuam propriam perfectionem adæquatā actualem abſq; eo, quod concipiatur rationalitas, genus.n.in ſuo cōceptu adequato non includit differentias, ex Ariſt. loco cit. in meth. aliter non poſſet eſſe eiuſdem omnino rationis intrinſecè in homine in leone, & alijs ſpeciebus. Pr. adhuc minor, Deus nō cognoſcit niſi perfectè, & adequatè res ſicuti ſūt, ſed Deus cognoſcit conuenientiā, & differentiam inter hominem, & brutum, at non cognoſcit cōuenirē in rationalitate, ſed in animalitate, neq; cognoſcit differre in animalitate, ſed in rationalitate, ergo adæquatè animalitas nō eſt rationalitas. Solet etiam noſtra deciſio probari ex cōpoſitione methaphiſica, ſed iam ſupra dictum eſt diſp. 6. de Differentia artic. 1.

Item implicat quod de vna, & eadē re dicatur quod ſit actualiter vna, & multiplex, ſed Deitas eſt vna, & relationes originis ſunt plures, ergo &c. ſi dicant, quod ibi eſt tm̄ vna eſſentia actualiter, & multitudo virtualiter, tūc faciunt Trinitatis Myſterium, tm̄ virtualiter, nōn formaliter, & actualiter.

Ad hanc diſtinctionem reducūt Scotiſtæ diſtinctionem illam, quæ verſatur inter rem, & modum eius intrinſecum; quos ſequuntur Bell. & Maſtr. in log. diſp. 1. q. 5. art. 2. pro cuius intelligētia ſupponimus, quòd modi ſunt in duplici differētia, quidam intrinſeci, quatenus.ſ. intrinſecè rem determinant, vt exiſtentia determinat eſſentiam, infinitas Deum, finitas creaturā &c. quidam verò ſunt modi extrinſeci, qui extrinſecè tantùm, & Accidentaliter rem determināt, vt ſeſſio reſpectu ſedentis, figura reſpectu quantitatis &c. ſicut igitur modi non dicuntur res, & entia in recto, cùm ſeipſis exiſtere nequeāt in rerum natura, ſed ſemper petūt eſſe rebus affixi, ità etiam neque Formalitates propriè res dici poſſunt; & quia modi extrinſeci diſtingūtur realiter à rebus, quas modificāt, cùm res ſine ipſis eſſe poſſint, hinc inter ipſa poni debet diſtinctio realis modalis, eſtò quaſi imperfecta, ratione alterius extremi deficiētis à ratione rei, vndè dici debet diſtinctio realis modalis, ità in propoſito diſtinctio rei, & modi eius intrinſeci poni debet formalis, licèt quaſi imperfecta ratione alterius extremi deficientis à vera ratione formalitatis, & appellari debet formalis modalis, ne cōfundantur termini de diſtinctione modorum.

Obie-

*Obiectiones.*

16. Ob. 1. nulla eſt neceſſitas ponendi huiuſmodi diſtinctionẽ formalem ex natura rei, omnia enim bene, & æquè ſaluantur per ſolam diſtinctionem virtualem, ergo &c. ℞. neg. añs, cum ſua probatione, quia diſtinctio virtualis non ſufficit ad tollendam contradictionem ex natura rei actualem, quæ de eadem re affirmari ſolet, vt quòd per animalitatem conueniat cũ equo, & non per rationalitatem; quòd p intellectum operetur naturaliter, per voluntatem liberè &c.

Ob. 2. Scot. in 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic reſtat*, &c. vocat diſtinctionem (quam ponit inter eſſentiam, & relationes originis) virtualem, ergo nõ eſt diſtinctio formalis ex natura rei. ℞. ibi Scotum non eſſe locutum cum præciſione, quaſi ibi eſſet diſtinctio virtualis tãtùm, hinc poſtea in eodem §. ait: *Breuiter igitur dico omittendo illa verba de diſtinctione rationis, & de diſtinctione uirtuali, quod in Eſſentia Diuina ante actum intellectũ eſt entitas A, & eſt entitas B, & hæc non eſt formaliter illa.* Vnde eſt ſciẽdum, quòd diſtinctio maior infert minorem, licèt nõ è cõtra, & ità quæ diſtinguuntur eſſentialiter, diſtinguuntur realiter, & non è contra, patet in Diuinis, vbi eſt diſtinctio realis perſonalis, non autem eſſẽtialis. Et quæ diſtinguuntur realiter, diſtinguuntur formaliter, & nõ è contra; & quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur virtualiter, & nõ è cõtra, & q̃ diſtinguũtur virtualiter, diſtinguuntur ratione ratiocinantis, & non è contra, vt benè aduertunt Formaliſtæ, & ratio eſt clara, ſi. n. homo, & brutũ habent diſtinctas eſſentias, ergo diſtinctas entitates; & ſi habẽt diſtinctas entitates, ergo & diſtinctas formalitates, quæ in ipſis entibus phyſicis fundantur, & ſic de reliqs. Vel eſt dicendum, quod Scot. tunc locutus fuit in ſẽtẽtia aliorum, vti in margin iſta innuit.

Ob. 3. oñe ens actu, aut eſt reale, aut rationis, ergo omnis diſtinctio actualis, vel erit realis, vel rationis, diſtinctio. n. eſt paſſio entis, & paſſio ſequitur conditionem ſui ſubiecti, ergo non datur diſtinctio media, quæ neque ſit realis, neque rationis. ℞. quòd ſicut ens, & diſtinctio rationis per Aduerſarios habet ſuam latitudinem, & vna dicitur diſtinctio rationis ratiocinãtis, altera rationis ratiocinatæ, ità etiam & nos admittimus latitudinẽ in ente reali, & eius diſtinctione, & vna dicitur realis rigoroſa, quæ verſatur inter rem, & rem in recto, & totalem, alia dicitur formalis, quæ verſatur inter gradus, ſeu realitates, vel formalitates eiuſdem rei in obliquo; & in hoc ſenſu diſtinctio formalis, poteſt dici realis, cùm verſetur ſaltem inter gradus, & formalitates entis realis, & ità nõ eſt media; at ſi ens reale magis rigoroſè accipiatur, pro ente .ſ. in recto, phyſicè & apto cauſalitatem phyſicam terminare, ſicut eſt in creatis, ſic hęc diſtinctio formalis

malis pōt dici media inter diſtin-ctionem rōnis,& realem, nã realis verſatur tantũ inter rē, & rē in recto;& ſi argumētũ vrget cōtra nos, vrget etiam cōtra ipſos, admittentes gradus in diſtinctione rationis, & cōtra diſtinctionem modalem.

Ob.4. relatio realis verſatur inter extrema diſtincta realiter ex Doct. in 1. diſt.13. ſed extrema diſtinctionis formalis non ſunt hoc modo diſtincta, cùm realiter inter ſe identificentur,ergo non poſſunt diſtinctionē ex natura rei fundare. ℞. quòd ſicut diſtinctio realis rigoroſa inter rem, & rem præſefert relationem realem inter extrema diſtincta realiter,ità diſtinctio realis largè sũpta,qualis eſt hæc inter formalitates, importat inter extrema relationem realem ſuo modo ex natura rei, vt Vallo ſentire videtur p.2. formal. art.2. vel ℞. cum Baſſol. & Vulp. quòd diſtinctio formalis cēſenda eſt actualis realis nō ratione relationis formaliter importatę per diſtinctionem, ſed ſolùm materialiter ratione extremorum, quæ ità à parte rei diſtinctum habent in eadem entitate proprium eſſe actuale extra nihil, vt eſſe formale vnius, non ſit eſſe formale alterius.

Ob.5. ex Caiet. & cæteris Thomiſtis communiter:Quãdo hæc diſtinctio formalis ex natura rei daretur in creatis, non poteſt ſaltèm in Diuinis admitti inter attributa Diuina, aut relationes originis cũ eſſentia, quia tũc ſequeretur compoſitio in Deo, ſi non phyſica, ſaltē methaphyſica, quod ſufficit ad deſtruendam ſummam eius ſimplicitatem, ſed hoc eſt falſum, ergo. probatur ſequela, compoſitio .n. eſt diſtinctorum vnio, quæ ſi ſint diſtincta realiter, erit compoſitio phyſica, per ſe, vel per accidens, aut ſaltem per aggregationem; ſi verò diſtincta ſunt tantùm formaliter, erit compoſitio methaphyſica, qualis reperitur inter animalitatem, & rationalitatem; humanitatem,& riſibilitatem; animam, & potētias eius in ſent.Scotiſt. Neque dicas (aiunt) quòd in Diuinis huic compoſitioni obſtat idētitas realis Diuinorum attributorum,& ſumma horum actualitas, ad compoſitionem verò hæc duo requiri .ſ. quòd extrema componentia diſtinguantur realiter,& quod vnum ſit in potentia ad aliud, falſum eſt (inquiũt)hæc duo obſtare compoſitioni. nam realitates methaphyſicę adhùc cōpoſitionem efficiunt, non obſtante earum inter ſe reali identitate,& quæ ad inuicem adunantur, tantò minùs per ſe vnum efficiunt,quantò magis ſunt in vltima actualitate, tunc enim potius faciunt vnum per aggregationem, quàm vnum per ſe, & cōſequenter ſi Diuina attributa, & relationes sũt ab eſſentia ex natura rei diſtincta,magis conferrent ad vnitatem Dei ſi ſe haberent per modum actꝰ & potentiæ, quàm omnia ponendo in vltima actualitate. Et hoc eſt Achilles Thomiſt, Licèt ſolutio hu-

ius

lus argumenti non ſit præſentis negotij. R. tamē pro modo cū Doct. in 1. d. 8. q. 4. quòd eſtò compoſitio neceſſariò diſtinctionem inferat, quia pars vt componens debet eſſe diuerſa ab alia comparte, non tamē diſtinctio infert compoſitionem, q̃a diſtinctio formalis eſt cū ſumma ſimplicitate compoſſibilis, ad compoſitionem autem requiritur, quòd vnum ſit potentia, alterum actus. Neq; omnis diſtinctio formalis ſufficit ad compoſitionē methaphyſicam, q̃a non ideò realitas generica, & realitas differentialis faciunt compoſitionem methaphyſicam, quia ab inuicem formaliter diſtinguuntur, ſed quia nō ſūt perfectè idem realiter inter ſe, cùm identificentur tantùm ratione tertij, in quo coadunātur; at q̃a identitas attributorum, & relationum cum Diuina eſsētia eſt perfectiſſima ratione infinitatis, cuius munus eſt in Ente infinito idētificare illi omne realiter idētificabile ex Scot. quol. 5. idcircò diſtinctio formalis nō infert in Diuinis cōpoſitionem methaphyſicam, & realē; & quando dicebatur, quæ adunantur ad inuicem, tantò minus per ſe vnum efficiunt, quantò magis ſunt in vltima actualitate, hoc eſt verū de per ſe vno vnitate vnionis, & compoſitionis, nō de per ſe vno vnitate identitatis, & ſimplicitatis, quomodo dicuntur facere per ſe vnum relationes, & attributa in Deo. Et quidem miſterium magnū eſt hoc Thomiſtarum, quòd diſtinctio realis perſonalis ex parte extremorum nō inferat compoſitionem in Deo, & diſtinctio formalis, q̃ eſt minor diſtinctio inferre debeat compoſitionem.

Ob. 6. ex Ioan. de S. Tho. 2. p. log. q. 2. art. 3. Diſtinctio formalis non tollit identitatem in ipſa entitate rei, ſic .n. eſſet realis, ſed ſolū identitatem conceptus, ità quòd vnum non ſit de conceptu formali alterius, ad hoc autem non requiritur diſtinctio actualis, ſed ſufficit virtualis, & fundamentalis, quatènus .ſ. præbet fundamentum, vt vnum ſub diſtinctione ab altero cōcipiatur, & ſine illo repræſentetur, & ſic ibi relucet diſtinctio, vbi actu eſt ablata identitas. R. negando ma. licèt .n. talis diſtinctio nō tollat identitatem rei, tollit tamē idētitatem formalitatis rei, nam illa diſtinguuntur formaliter, quæ habēt aliam, & aliam formalitatem, non illa, quæ habent alium, & aliū diſtinctum conceptum, minor etiā eſt falſa, q̃a diſtinctio virtualis nō ſufficit ad tollendam identitatem formalem, ſed tantū ad tollendam identitatem, vel vnitatem conceptus, cū .n. identitas fundetur ſuper vnitatem, & diſtinctio ſuper multitudinem proportionaliter, ſicut multitudo, & diſtinctio rationis deſtruit identitatem rationis, ſic multitudo, & diſtinctio rerum deſtruit idētitatem realem, & diſtinctio, & multitudo formalitatū, deſtruit identitatem formalem, & cū diſtinctione rationis ſtat identitas for-

Digitized by Google

formalis, & cum diſtinctione formali ſtat identitas realis.

Ob.7. ex Aureolo, qui quol. 1. art. 2. contendit impoſſibile eſſe diſtinguere ex natura rei in eadem re plures formalitates, vel aliquitates, quod proportionaliter non ſint plures res, & eſſentię. Quandocumq; aliqua ſunt idem, multiplicato vno, de neceſſitate multiplicatur, & reliquum, aliter idem eſſet ſimul plurificatum, & non plurificatum, ſed iſta quatuor ſunt idem .ſ. aliquid, res, ens, & eſſentia, vt Auic. docuit 1. meth. & Ariſt. 3. meth. ait, ꝙ ſolùm nihil effugit rationem entis, cùm igitur tales formalitates ſint aliquid extra intellectum, alioquin non diſtinguerētur ex natura rei, ſanè opus eſt, ꝙ ſint res, eſſentiæ, & entitates quædam; & cū ponantur plures, erunt plures res, & plures eſsētiæ, ſed ponebantur ſimpliciter vna res, ergo erunt vna res, & plures, quod eſt impoſſibile. Hæc Aureol. quamuis fuerit Scoti diſcipulus, ſed ingrat' diſcipulus. Reſpōſio tamen eſt facilis, & patet ex dictis, & deceptio oritur ex æquiuocatione de re, & realitate rei, nam propriè res, & eſſentia dicitur illa, quæ eſt capax propriæ exiſtentiæ, ſecundum quā terminare poteſt propriam cauſalitatem phyſicā, & prout includit totam ſeriem graduum prædicamentalium, loquendo de re, & eſſentia creata; & ratio eſt, quia hęc vocabula, res, & eſſentia ex vi nominis dicunt totalitatem, & integritatem eſſendi, ſed realitates, & formalitates dicunt partialitatem eſſendi, ac quēdā gradum methaphyſicum eius, in quos gradus ipſa res diuiditur, ſeù quaſi partitur. ℞. igitur in forma ad maiorē argumenti, in quā dicebatur, ꝙ quādo aliqua ſunt idem, multiplicato vno, oportet multiplicari, & reliquum, concedimus, ſed ſufficit ſi multiplicentur formaliter, nā ſicut diſtinctio formalis ſtat cum identitate reali; ita pluralitas formalitatum ſtat cum vnitate rei, & ratio deſumitur ex Scot. in 1. d. 13. q. vn. quia pluralitas rerum eſt pluralitas ſimpliciter, pluralitas autē formalitatum eſt pluralitas ſecundum quid, & cum vnitate ſimpliciter ſtare poteſt pluralitas ſecundū quid, hoc autem nullā includit repugnantiam, & ad auct. Ariſt. dicimus, quòd ens, quod nihilo opponitur comprehendit tàm illud, ꝙ directè, & formaliter eſt ens, quàm id, quod eſt identicè, & realiter tātū ens, quod negationibus, & entibus rationis omninò repugnat; vnde formalitates methaphyſicæ opponuntur formaliter nihilitati; & participant etiam ſuo modo proprietates entis, quatenùs identificantur realiter cum eo, quod eſt quidditatiuè ens; & quod nos dicimus de formalitatib. Aduerſarij aſſerunt de modis, modus .n. entis non eſt ens, neq; nihil, ergo erit q̄d medium, & aliquitas entis.

Ob.8. ex Suar. diſp. 5. Meth. ſec. 2. & alibi: Omnis diſtinctio præter

rea-

realem, & modalem eſt per intellectum, ergo non datur diſtinctio formalis ex natura rei ab alijs diſtincta, probatur aſſumptum, quia vel extrema ſunt in re ſeparabilia mutuò, vel nõ mutuò, & eſt diſtinctio realis, ſeu modalis; vel nõ ſunt ſaparabilia, & tunc non ſũt ex natura rei diſtincta, quia nullum ſignum talis diſtinctionis apparet. ℞. negando aſſumptum cum ſua probatione, & ratio eſt, quia non ſola ſeparabilitas ſecundũ exiſtentiam eſt ſignũ diſtinctionis ex natura rei, ſed etiam diuerſitas definitionum explicantium varios cõceptus adæquatos, ſicuti etiam & contradictio fundata in eadem re, ob diuerſas eius formalitates, vt ſupradictum eſt, atque ideò falsũ eſt Suar. aſſertum, quòd nullũ datur ſignum diſtinctionis ex natura rei, præter ſeparabilitatem ſecundum exiſtentiam, imò nec tale ſigum eſt adæquatum, & conuertibile cum reali diſtinctione rigoroſè ſumpta, quia multa diſtinguuntur realiter, & entitatiuè, quæ tamen nec mutuò, nec nõ mutuò ſeparabilia ſunt, vt conſtat de toto, & partibus in ſentẽtia noſtra, & de materia, & forma, ſubiecto, & paſſione in ſententia Thomiſtarum.

Ob. 9. ex Paſqual. quòd diſtinctio formalis coincidat cum reali, ſi ante intellectus operationẽ ponatur: Quod eſt extra aliud à parte rei, eſt extra illud, ſecundum illud eſſe, quod natũ eſt eſſe à parte rei, ſed ſolùm eſſe entitatiuum phyſicũ natũ eſt eſſe à parte rei, ità vt formalitates non ſint aptæ ad eſſendũ à parte rei, niſi prout ſunt in entitatibus phyſicis, ergo ſi huiuſmodi formalitates eſſent inter ſe diſtinctæ, ità vt vna eſſet à parte rei extra aliam, iam deberent eſſe tot entitates, cùm eſſe debeant vna extra aliam ſecundũ eſſe quod aptum eſt eſſe à parte rei. Tùm quia definitio explicat eſſentiam rei, ergo ſi illa cẽsẽtur formaliter diſtincta, quæ diuerſas habent definitiones, habebunt etiã Eſſentias diuerſas, ac etiam cõſequenter exiſtentias, quia quamlibet eſſentiam ſequitur propria exiſtentia, atque ità erũt verè diſtincta realiter. Tũ quia Contradictio actualis de aliquibus infert diſtinctionem realẽ inter ea, quia de eadem re nõ poſſunt à parte rei contradictoria verificari, ergo cũ diſtinctio formalis actualis ex actuali contradictione ex natura rei colligitur, ſignum eſt coincidere cũ reali. Nec valet dicere, ad verificãdam contradictionem de eadem re, ſufficere, ſi in ea plures reperiantur formalitates ex natura rei diſtinctæ; quia ità dicẽdo, nunquam ex contradictione diſtinctionem realẽ colligere poſſemus, quia diceretur ſufficere diſtinctionem formalẽ inter aliqua, vt de ipſis contradictoria verificentur.

℞. ad 1. quòd aliquid poteſt eſſe à parte rei, & extra aliud dupliciter; vno modo ratione ſui, & in recto; altero modo in obliquo, &

ratione alterius, cuius eſt aliquid p identitatẽ; primò modo ſunt extra aliud res phyſicæ, ſecundo modo formalitates methaphyſicæ, hinc conceſſa maiori, ℞. ad mi. quòd ſanè ſolùm eſſe entitatiuum phyſicũ natũ eſt eſſe a parte rei primo modo, at ſecũdo modo etiam formalitates methaphyſicę natæ ſunt eſſe à parte rei. ℞. ad 2. ex dictis in vltimo notando, quòd, ſ. definitio propriè dicta, quæ conſtat ex genere, & differentia non conuenit, niſi rebus propriam eſſentiam, & exiſtentiam habentibus, & ita quæ hoc modo habent diuerſas definitiones, diſtinguuntur realiter diſtinctione reali naturarũ; at ſi definitio magis amplè ſumatur. ſ. pro conceptu quidditatiuo explicante propriam alicuius conceptibilitatem à parte rei, vtique in hoc ſenſu etiam formalitates poſſunt definiri, & ea dici formaliter diſtingui, quæ habent in hoc ſenſu diuerſas definitiones, & tunc negatur conſequẽtia, quia definitio in hoc ſenſu non exprimit rei eſſentiam propriè dictam. ſ. in ordine ad exiſtẽtiam, ſed ad propriam conceptibilitatem formalitatis, ſeu realitatis imbibitæ in ipſa rei eſſentia. Ad 3. negatur antecedens, ſufficit. n. aliquando ſola diſtinctio formalis ad tollenda contradictoria de eadem re, vt patet de ſubiecto, & paſſione ob talem diſtinctionem; Neque ex hoc præcluditur via ad diſtinctionem realem indagandam, vt benè aduertit Bonet. cap. de diſtinctione ex natura rei, nam licèt omnia cõtradictoria æqualiter repugnẽat quo ad veritatem in eodẽ reſpectu eiuſdem, nõ tamèn quoad diſtinctionem inferendã æquè pugnãt; Sed quædam inferũt diſtinctionem realem, quædam vero tãtùm formalem; ratio eſt, quia sũt aliqua prædicata, quæ competunt ipſi rei per ſe primò exiſtenti, ſicut ſunt eſſe, & non eſſe ſecundum adiacens, exiſtere, & non exiſtere, & talia cõtradictoria de ſimilibus prędicatis inferunt diſtinctionem realem, quia inſunt ratione rei. & nõ ratione realitatis in ea incluſæ; ſunt verò alia prædicata, quæ primò competunt realitati, & rei non competunt, niſi ratione talis realitatis in ea immerſę, vt sũt velle, & intelligere in anima, quæ intelligit per intellectum, & vult per voluntatem, & talia cõtradictoria nõ inferũt diſtinctionem realem inter ea, ſed tantùm formalem ex natura rei.

Ob. 10. ex Arriag. diſp. 5. ſec. 1. & Hurtad. Eſſe aliquid à parte rei ante actũ intellectus, eſt eſſe quid reale; hæc. n. eſt definitio entis realis, ſed formalitas eſt huiuſmodi, ergo diſtinctio formalis, eſt diſtinctio realis. ℞. vt ſupra, quòd formalitas poteſt dici realis, pro vt à nihilo, & ab ente rationis diſtinguitur, nam ens reale habet ſuam latitudinem, & aliquando accipitur ab ente ſtrictè ſumpto, & in recto, aliquando largè, pro gradibus entis, & in obliquo.

Ob. 11.

Ob. 11. ex Quiedo controuer. 4. Meth. punt. 2. num. 11. & ſeq. & probare nititur, quòd noſtra diſtinctio formalis ex natura rei, non niſi verbis à reali diſtinguitur. Eo ipſo, quòd formalitates ante omnem intellectũ diſtinguuntur, datur hæc formalitas, quæ non eſt illa, & illa quæ non eſt iſta, ergo diſtinguũtur ea diſtinctione, qua diſtinguuntur de facto materia, & forma, ergo diſtinguũtur realiter. probatur coſequentia, nam materiam realiter diſtingui à forma, nil aliud eſt, quàm materiam non eſſe formam, neque è contra, ſed ità ſe haberent illæ formalitates, ergo ſimili diſtinctione diſtinguuntur. Dices (ait Quied.) diſtingui realiter eſt non eſſe idem realiter, quod haberent illæ formalitates, ſi tantùm non eſſent idem formaliter, & tamen eſſent idem realiter. Cõtra inſtat Quied. nõ eſſe idem realiter nil aliud eſt, quã nõ eſſe idem ante omnẽ operationẽ intellectus, ſed formalitates illæ ante omnem operationem intellectus non ſunt idem, ergo non ſolùm carent idẽtitate formali, ſed etiam reali. ℟. ſolutionem inter arguendum ſufficere, & inſtantiàm nihil valere, vndè negamus abſolutè conſequentiam cum ſua probatione, quia nõ eſſe idẽ realiter nõ dicit vtcũq; nõ eſſe idẽ ante omnem operationem intellectus, ſed ità non eſſe idem, vt ſint vel actu ſeparata, vel ſaparabilia mutuò, vel non mutuò, vel ſaltem proportione correſpondeant his, quę ſeparari poſſunt, vt ſ. ità ſe habeant, quòd vnum dependeat ab alio, & ſe habeant per modum producẽtis, & producti, cauſantis, & cauſati, quod eſt ſignũ adæquatum, & conuertibile, vnde agnoſci debeat diſtinctio realis; at quãdo ante intellectus operationem non ſunt idem, & talis non identitas non infertur ex relatis ſignis, ſed ex rationibus ſuis formalibus, apud intellectum adæquatè concipientem, tunc talis non identitas, non eſt realis, ſed formalis.

Ob. tandẽ ex Recupito p. 1 diſp. de diſtin. attributorum ab eſſentia Diuina &c. Ratio ſubſtantiæ, vitæ intellectualis &c. in Eſſentia Diuina coincidunt in vnam indiuiſibilem formalitatem, ergo idẽ dicendum erit de attributis Diuinis, & gradibus methaphyſicis. ℟. ex Vulp. tom. 1. p. 1. diſp. 6. artic. 7. Sghem. Maſtr. & Bell. & alijs Scotiſt. neg. paritatẽ; & ratio eſt, q. a cũ relata ſint prædicata quidditatiua Dei, gratis concedimus; non niſi virtualiter inter ſe diſtingui, & in vnam indiuiſibilem formalitatem à parte rei coincidere, huiuſmodi .n. prædicata traſcendentalia non præſeferunt à parte rei aliquã realitatem, ſed tãtùm plures conceptus, quæ eſt manifeſta Scoti doctrina in 1. d. 8. q. 3. lit. E. vbi ait: *Deus, & creatura non ſunt primò diuerſa in conceptibus, ſunt tamen primò diuerſa in realitate, quia in nulla realitate conueniunt*. Fundamentum eſt, quia ſi huiuſmodi prædicata in Deo diuer-

tas dicerent realitates à parte rei exiſtentes, tunc realitas cõmunior eſſet aliqualiter in potẽtia ad minus communem, & ità faceret in Deo ſaltèm compoſitionem methaphyſicam, quæ ratio non militat de Diuinis attributis, quæ ſe habent veluti perfectiones diſparatæ, & vna non ſubordinatur alteri. Plura, & varia argumenta cõtra hanc noſtram diſtinctionẽ cõgerunt relati Authores cum Blaſio à cõcept. diſput. 12. meth. plus reuera numero, quã rationum põdere vrgẽtiũ, q̃ libenter omittim⁹; tũ quia logicæ limites ſatis traſcẽdere videtur; tũ q a ſi Domino placuerit de his iterum redibit ſermo in meth. vbi fuſius, & plenius eorũ obiectionibus reſpondebimus.

Vrgent Aliq; Recentiores: Contradictiones in Diuinis sũt reales, Paternitas .n. realiter nõ eſt Filiatio, cùm vtràque realiter ſit Eſſentia; ergo neque ſaluari poteſt per diſtinctionem formalem, & idem dic in creatis &c. ℞. neg. cõſq. & Reſpõſio patet ex dictis ad 3. Paſqualigij, licet n. omnia contradictoria æqualiter repugnent, quo ad veritatem in eodem reſpectu eiuſdem, non tamen quoad diſtinctionem inferendam, ſed quædam inferunt diſtinctionẽ realẽ, vt ſunt illa prædicata, quę cõpetũt ipſi rei p ſe primo exiſtenti, ſicut ſunt eſſe & nõ eſſe, exiſtere & non exiſtere. Alia verò prædicata ſunt, quæ primo cõpetunt realitati, & ipſis mediantibus competunt rei, vt diximus de velle, & intelligere in Anima reſpectu diuerſarum potentiarum, & iſtæ cõtradictiones reales, ſeù formales benè tolluntur per diſtinctionem formalem, ſicut .n. talia prædicata non ſunt rigorosè res, ſed gradus rei, ſic non eſt neceſſaria ad tollenda talia contradictoria rigoroſa diſtinctio realis, ſed ſufficit minus rigoroſa, quæ eſt diſtinctio ex natura rei formalis, & ſi diſtinctio formalis, quæ ineſt ex natura rei nõ ſufficit ad tollendas contradictiones reales in Diuinis; quomodò ſufficiet illa virtualis, q̃ tãtũ ſe habet penès intellectũ inadæquatè, & imperfectè cõcipientẽ?

Hæc eſt illa celebris, & tãm famoſa Controuerſia inter Thomiſtas, & Scotiſtas tàm acriter agitata; in qua omnes ferè Doctores contra Scot. conuicisse videntur; ſed reuera hucuſque in vanũ laborauerũt, vt è Scholis hanc mediam diſtinctionem eliminarẽt, imò ſemper adhuc noui Sectatores ex Neuthericis pro Scoto inſurgũt, vt videre eſt ex Nouiſſimis apud Patrẽ Bernardinũ Mazziotta ex Illuſtri Soc. Ieſu familia, qui in ſuis quæſtionibus ſelectis, ſatis eruditè, & mordicùs hanc diſtinctionem formalem defendit, eam validiſſimis Ariſt. authoritatibus, & rationib⁹ fulciẽdo, vbi etiam multos Patres eiuſdem Societ. pro ſe citat, & D. Thom. pro Scotica ſententia ſtare fatetur. Et hoc eſt reuera Scoticæ Doctrinæ inſigne priuilegium, vt quod ſemel dixerit, & maximè in

lib. ſent. nunquam caſſum, aut emendatum appareat; hinc Antonius de Fantis Taruiſinus peritiſſimus Phyloſoph' in ſuo Mari Magno loquẽs de Scoto, ait: Quis in Dialecticis argumentationibus acutior? qs in Peripathetica Philoſophia profundior? quis in ſacris enodãdis miſterijs vigilãtior? cui' rei ſingulare indicium eſt irrefragabilis vbique ipſius adeò vẽtilata ſubtilitas, & celebrata ſapiẽtia, vt candidiſſima tãti Doctoris volumina abſque vlla erroris caligigine, hunc vſque in diem inuiolata permanſerint. hæc cit. Doctor.

# DISPVTATIO XI.

## IN LIBRVM CATHEGORIARVM ARIST. STAGIRITÆ PERIPAT. PRINCIPIS.

NON agimus hic de prædicamẽtis materialiter ſũptis, & pro ſubſtrato; ſic enim ad meth. ſpectant ſed de ipſis agimus formaliter acceptis, quomodo ſignificant res, vt ordinatas ad inuicem, & connexas ſecundum debitam ſubiectionem, & prędicationẽ, vel coordinationes illas in ratione ſubijcibilitatis, & prędicabilitatis; in quo ſenſu dicunt quid rationis ſ. relationes ordinis inter ſuperiora, & inferiora, licèt n. predicationes fundamentum habeãt in rebus, formaliter tamen ab intellectu fiunt, & ideò in hoc ſenſu ad logicum pertinent, vt Scot. docuit q. 2. predicam. nam munus logici eſt coordinare naturas ſuperiores, & inferiores, vt rectè affirmare, vel negare poſſimus; Hinc iure meritò aſſerimus hic cũ Doctore q. 1. prædicam. Subiectum huius libri non eſſe voces, vel res, ſed aliquid intentionale, ſubiectum. n. partiale in aliqua parte ſcientiæ debet attributionẽ habere ad totale, ſed in logica Ariſt. ſubiectum totale, & adæquatum eſt quid intẽtionale, ex dictis in quęſtionibus proemialibus, ergò, &c. & licèt Ariſt. multa de vocibus, & rebus explicauerit, hoc tñ non obſtat, nam de vocibus egit, vt ſunt ſignificatiuæ intentionum, de rebus vt fundamenta intentionum: expedit. n. aliquando naturam rerum denõminatarum inueſtigare, vt rectè prædicationes exerceamus. Subiectum igitur huius libri erit prædicamentum in cõmuni, vt dicit relationem quamdam, qua aliqua ordinentur ſecundũ ſubijci, & prędicari; & patet, quia de ipſo præſupponitur quia eſt, & quid eſt, dũ hic liber de prædicamentis inſcribitur; demonſtratur paſſio de ipſo, quæ eſt quædam ratio ordinabili-

Digitized by Google

bilitatis; & tandem omnia hic cõſiderata ſub ratione prædicandi, & ſubijciendi traduntur, vt ſunt ipſa prædicamenta, vel vt neceſſaria ad ipſius intelligentiam, vt ſunt ante prædicamenta, & poſtprædicaméta. Inſcribitur liber Gathegoriarum, non prout Cathegoria idem ſonat, quòd accuſationem, quæ apud iudices in foro fiebat, ſed pro prædicato, vt ſenſus ſit, liber decẽ prædicatorum, ꝙ Latini vertunt prædicamentorum, & hoc aliquãdo ſumitur pro ipſo genere ſupremo, aliquando pro coordinatione integra multorum prædicatorum ab vltima ſpecie vſq; ad genus ſupremum incluſiuè; & ità ſenſus eſt liber decem Prædicamentorum .ſ. decem ſupremorum generum, vel coordinationum talium.

TEXTVS.

*Aequiuoca dicuntur, quorum nomen ſolùm commune eſt, Secundum verò nomen ſubſtantiæ ratio diuerſa, vt animal homo, & quod pingitur, &c.*

INtendit hic Ariſt. de prædicamentis determinare, & in tres partes principales tractatum iſtũ diuidit, in primo agit de anteprædicamentis, in ſecundo de prædicamentis, & in tertio de poſt prædicamentis; in primo agitur de quibuſdam neceſſarijs ad ordinationẽ rerũ ſpectãtibus, & talia sũt definitiones ęquiuocorũ, Vniuocorũ, & Denominatiuorũ. Æquiuoca ſic definit: *Æquiuoca dicuntur, quorum ſolùm nomen eſt cõmune, & ſecundum illud nomen ratio ſubſtantiæ eſt diuerſa*, vt animal homo, & animal quod pingitur, .i. animal viuum, & animal pictum ſunt æquiuoca æquiuocata in hoc nomine animal, quorum ſolùm nomen eſt commune .ſ. hoc nomen animal, & ſecundum tale nomen ratio ſubſtantiæ eſt diuerſa. Deinde definit vniuoca dicendo: *Vniuoca dicuntur quorum nomen eſt commune, & ſecundum illud nomen ratio ſubſtantiæ eſt eadem*, quòd probat exemplo, vt homo, & bos ſunt vniuoca huius nominis animal, qa homini, & boui hoc nomen animal eſt commune, & definitio eius eſt eadem illis. Vltimò definit denominatiua, dicens: *Denominatiua dicuntur, quæcumque ab aliquo ſolo caſu differunt, & ſecundum illud nomen habent appellationem, vt grammaticus à grammatica, fortis à fortitudine*; deinde aſſignat duas diuiſiones, & duas regulas. In ſecunda parte agit de prædicamẽtis, quę decem enumerantur, & tandem in tertia agit de poſt prædicamentis, quæ ſunt quidam modi, qui vel ad omnia, vel ad aliqua prædicamenta conſequuntur. Hæc diſputatio correſpondet primæ parti, quæ eſt de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis.

ARTICVLVS PRIMVS.

*De nominibus Aequiuocis, & Vniuocis.*

SCoti ſpeculatiuarum doctrinarum peritia Sęculis admirandus, de his diſertè agit quæſt. 5. & 6.

5.& 6. prædicament. pro quorum intelligentia ſupponimus primò, quòd volentibus externo ſermone aliquid ſignificare, duo in mente occurrunt. ſ. res cognita, de qua loquimur, & illius rei cognitio, quæ conceptus formalis vocatur, ſicut res ipſa cognita dicitur conceptus obiectiuus; & dubium eſt, quidnã horum principaliter, & immediatè voce ſignificatur, an ſ. conceptus ipſe formalis, an verò res ipſa. D.Thom. p.p. q. 13. art. 1. & q. 9. de potentia art. 5. & videtur etiam fuiſſe opinionẽ Ammonij, Auerrois, & communiter Ariſt. expoſitorum, aſſerunt voces immediatè ſignificare conceptus formales, res verò ipſis conceptibus mediãtibus; Addunt tamen aliqui huius opinionis; quòd eſtò voces immediatius ſignificẽt conceptus, principaliter tamen ſignificant res, ad quas ipſi conceptus ordinantur vltimatè, conceptus .n. eſt ſimilitudo intentionalis rei, quam repræſentat. Alij verò ex oppoſito aſſerunt per voces, res ipſas ſignificare, non ſolùm primariò, & principaliter, ſed etiam directè, & immediatè. Scot. licèt 1. Perhier. q. 2. procedat problematicè, & dicat, quòd attendendo ad Authoritatẽ, prima ſentẽtia ſit probabilior, ſed attendendo rationem ſit verior ſecunda, tñ in 1. d. 27. q. 3. lit. H. ad 2. principale, docet res ipſas, non earum cõceptus per voces immediatè & principaliter ſignificari, & ſequuntur Nominales, & Recentiores ferè omnes, Suar. p.p. tract. 1. lib. 2. c. 31, num. 6. Vaſq. p.p. diſp. 57. num. 8. Hurtad. diſp. 8. log. ſec. 3. Arriag. diſput. 17. ſec. 2. Auerſ. Amic. Ruu. & alij paſſim, Imò addit Scot. res tantùm ꝓpriè loquẽdo ſignificari per voces, nullo modo conceptus, nec mediatè, nec immediatè, literæ enim, voces, & conceptus ſunt ſigna immediata vnius tantùm rei ſignificatæ, ad inuicem ſubordinati in ratione ſigni prioris, & poſterioris, veluti ſubordinantur plures effectus ab eadem cauſa immediatè producti, propriè .n. loquendo literæ non ſignificant voces, nec voces cõceptus, ſed hæc omnia ſunt immediata ſigna eiuſdem rei ſignificatę, quẽ dicendi modum ſequuntur Scotiſtæ communiter; vnde Ariſt. 1. Elẽ. cap. 1. ait: in diſputationibus pro rebus, vtimur nominibus, quia res ad diſputationem afferre non poſſumus, ſicut in ludo vtimur fabis pro nummis; quod etiam patet ratione, nam ſignificare eſt deducere audiẽtem in notitiam rei ſignificatæ, ſed nomina immediatè deducunt in notitiam rerum, quia quod prius obijcitur intellectui audiẽtis per nomen eſt res ipſa, audito .n. nomine leonis, ſtatim leonem ipsũ concipimus; non autem cognitionem, quã de leone habemus, imò illa non attingimus, niſi per reflexionem &c. Vide Maſtr. & Bellut. diſput. 2. q. 1. diffusè hanc materiam tractantes.

2. Supponimus ſecundò, quòd

eſtò

Digitized by Google

eſtò res cõceptibus, & nominibus ſignificentur, differunt tamen in hoc, quia conceptus, velut naturalis imago rei, illam ſignificat naturaliter, nomen verò ad placitum primi imponentis; Vndè fit, vt cõceptus, quoad vnitatem, & diuerſitatem proportionetur rebus, ità vt vnius rei, vnic⁹ ſit cõceptus formalis ſpecificè, & plurium rerum, plures cõceptus, cũ .n. cõceptus ſit naturalis imago rei, eius naturam quãtũ fieri põt, imitari debet, licèt plures numero eſſe poſſint etiã in eodẽ numero intellectu, eãdem rẽ ſucceſſiuè cognoſcente; Secus autẽ eſt de nominibus, res .n. plures, ac ſpecie diuerſæ vnico nomine ſignificari poſſunt, vt patet de hac voce Canis, quæ eadem impoſita eſt ad ſigificandũ canem terreſtrẽ, piſcem marinũ, & Sydus Cæleſte, quæ nomina res ità diuerſas vnica voce ſignificantia, æquiuoca nuncupari ſolent; fieri etiam poteſt è cõtra vt vnius rei plura ſint nomina, vt gladius, Enſis, quæ eamdem prorſus rem ſignificant, & ideò ſynomina, & multiuoca apellari ſolent; poteſt etiam euenire, vt res diuerſis conceptibus ſignificatæ, diuerſis etiam vocibus ſignificentur, vt homo, & leo, & dicuntur diuerſiuoca; & tãdem fieri poteſt, vt plures res eodem conceptu quidditatiuo explicabiles, etiam eodẽ modo ſignificentur, & appellãtur vniuoca, vt homo, & leo in quantum animalia. Quia igitur hęc nominum vnitas, vel diuerſitas rebus conuenit ex ſola hominum inſtitutione, res ipſæ nõ ſunt æquiuocæ, vel vniuocæ ex ſeipſis, ſed tales dicuntur, in quãtum à nobis his, vel illis nominibus ſignificãtur, & ità vniuocatio, & æquiuocatio tã vocibus, quàm rebus conueniunt per intellectum; vnde communiter diſtingui ſolẽt vniuoca, & æquiuoca in actiua & paſſiua, illa ſunt nomina ipſa vniuocè, vel æquiuocè ſignificantia, iſta ſũt res ipſæ nominibus illis ſignificatæ.

*Concluſio.*

3. *Dicimus igitur cum Ariſt. æquiuoca eſſe, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ importata per nomen eſt diuerſa; Vniuoca verò eſſe illa, quorum nomen eſt cõmune, & ratio ſubſtantiæ importata per nomen eſt eadem.* In vtraq; definitione ponitur nomen, non in rigore, vt à verbo diſtinguitur, ſed latè, vt comprehendit etiam verbum, & participium, & quamlibet rationis partẽ, in quibus omnibus vniuocatio cadere poteſt, & ſic V.g. lego eſt nomẽ æquiuocum ad legere, & legare, & diligo vniuocum ad actus dilectionis. Commune ponitur ad ſignificandum nomen debere eſſe omnino vnum, & idem non ſolùm per eaſdem literas, ſed etiam per eamdem quãtitatem ſyllabarum, & pronunciationem, nam ſic propriè eſt commune; hinc quælibet diuerſitas, vel ſolius accentus tollit vniuocationem; Ratio ſumitur pro conceptu obiectiuo, ſiuè ſit propria definitio, ſiuè non; Subſtãtia

tia non ſumitur in rigore, prout ab accidēte diſtinguitur; nam vniuocatio, & æquiuocatio etiam in accidentibus inueniuntur, ſed ſumitur pro eſſentia, & quidditate rei, vt Ariſt. loquitur 5. meth. 15. additur importatas per nomen, quia ſubſtantiæ ratio ad illud idem nomen referri debet, in quo res vniuocantur, vel æquiuocantur &c. Et tandem additur quòd hęc ratio ſubſtantiæ ſecundum idem nomen in vniuocis ſit eadem, in ęquiuocis diuerſa, qa æquiuoca non poſſunt ſicut vniuoca ſub vno nomine, vnica definitione ipſis adæquata definiri, & in hoc principaliter eorū differentia conſiſtit. Ex his patet Ariſt. definire vniuoca & æquiuoca paſſiua, non actiua .i. æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata .ſ. res ipſas, non quidem nudè inſpectas, ſed prout nominib' ſignificantur, & ſubſunt ſecundis intentionibus vniuocationis, & æquiuocationis, quæ immediatè fundantur in vocibus, & ideò non dixit, æquiuoca ſunt, vniuoca ſunt, ſed æquiuoca dicuntur, vniuoca dicuntur, & ità definitū in his definitionibus eſt ſecunda intentio, conſtitutiua vniuocorum, & æquiuocorum, ſignificata in concreto, quomodo ſupponit pro ipſis rebus vniuocatis, & æquiuocatis, & in eſſe ſignato, in ſententia Scotiſt. & hic eſt proprius modus, quo logicus vtitur, conſiderat .n. per ſe ſecundas intentiones, res verò, vt talibus intentionibus ſubſtant; Et licèt reuera Ariſ. vniuoca, & æquiuoca paſſiua definierit, ex his tamē facilè eſt, etiam actiuè definire ſcilicet nomina æquiuocantia, & vniuocantia, & dicere, quod æquiuocum eſt commune pluribus ſecundum diuerſas rationes; Vniuocum verò quod eſt cōe pluribus ſecundum eamdem rationem.

*Obiectiones.*

4. Ob. 1. contra definitionem æquiuocorum: omne definibile debet eſſe vnum, & vniuocum, ſed æquiuocum eſt eſſentialiter multa ex 7. meth. 32. ergo &c. ℞. ex Scot. q. 5. & 6. prædicam. quòd licèt æquiuoca ſint eſſentialiter multa, poſſunt tamen accidentaliter vniuocari, quatenus fundare poſſunt ſecundam intentionem eiuſdē rationis in vna ratione cōmuni, quæ omnia æquiuoca denominat, in quo ſenſu benè definiri poſſunt, & ità quæ ſunt eſſentialiter æquiuoca, & vt quid, euadunt vniuoca accidentaliter, & vt modus.

Sed dices, ergo Ariſt. non definiuit ęquiuoca vt ſic, ſed quatenùs rationē vniuocorum induūt. ℞. vt ſupra, quòd ſi ly quatenus reduplicat rationem definitā, negatur ſequela, nam hic reuera definiuntur æquiuoca pro ſecunda intentione; ſi reduplicat conditionem, ſic conceditur, nam conditio rei definibilis eſt, quòd ſit quid vniuocum, vel eſſentialiter, vel ſaltem accidentaliter, & vt modus.

Ob. 2. Contra definitionem vniuoco-

uocorum, nã etiam æquiuocis cõpetere põt, æquiuoca .n. omnia vt ſic habent nomen æquiuocationis commune, & eãdem rationem ſecundum illud nomen, ergo, &c. ℞. ex Doct. ꝙ ſicut ęquiuoca vt quid, & in eſſe exercito, dicuntur etiam vniuoca vt modus, & velut in eſſe ſignato, propter intentionẽ æquiuocationis, quam fundare poſſunt, ità etiam accidẽtaliter participare poſſunt definitionem vniuocorum; Nec dicere valet, vniuoca, & æquiuoca ſunt oppoſita, ergo vnũ de altero prædicari non poſt etiã accidentaliter, nam tunc vtiq; opponuntur, cum eodem modo accipiũtur, at ſumendo vnum vt quid, & in eſſe exercito, alterum vt modus, & in eſſe ſignato, ſic non opponuntur, imò vnum vt modus dici poteſt de altero vt quid, vt de genere etiã diximus, quòd ſit ſpecies vniuerſalis, &c.

Ob. 3. Quòd præfatæ definitiones, non intentionibus, ſed rebus conueniunt, nam habere nomen commune competit rebus, non intentionibus, & Ariſt. ipſe in rebus ſe exemplificauit. ℞. ſenſum illarum definitionum eſſe, quòd æquiuoca, vel vniuoca dicuntur illa .ſ. ſunt ſecundæ intentiones applicabiles conceptibus, ſeù rebus conceptis; & ſe exemplificauit de rebus, quia logica eſt de ſecundis intẽtionibus applicatis primis. Hinc ad maiorem nominũ æquiuocorũ notitiam, plura dubia à Doctorib. moueri ſolẽt, quorum aliqua breuiter hic reſoluemus, quæ magis neceſſaria videntur.

5. Primum dubium eſt, an nomen æquiuocorum dici debeat vnũ, vel plura nomina, & ratio dubitandi eſt, quia nomen formaliter conſtituitur per ſignificationẽ, ergo cùm nomẽ æquiuocum multas habeat ſignificationes, plura nomina dici debet; ex alia parte vna vox eſt canis, quamuis plura ſignificet, & Ariſt. ait, æquiuoca habere vnum nomẽ commune, vndè Scot. q. 8. Elench. docuit nomẽ æquiuocum poſſe dici vnum multiplex, quaſi vnũ complicans multa, vnum .ſ. materialiter quatenus eſt vnus ſonꝰ, vna vox, & multiplex formaliter, quatenus plures habet ſignificationes; quantum tamẽ ad modum loquendi ſpectat, potius dici debet vnum nomen, quã multiplex; & rationem Scot. loco cit. aſſignat .ſ. quia concreta, aut compoſita accidentalia non multiplicantur pro diuerſitate formarum, ſi ſubiectum omnium vnum ſit; vndè vnus dicitur artifex, quãuis plures habeat artes; licèt ergo multiplicetur formale .ſ. ſignificatio, nõ tamen multiplicatur accidentale compoſitũ, quia materiale .ſ. vox, & nomen eſt vnum, qua ratione è contra nomina ſynonima, abſolutè plura nomina dicuntur, quãuis vnam, & eamdem ſignificationem habeant, vt melius infra patebit.

6. Secundum dubium eſt, an in conceptu reperiri poſſit æquiuocatio, ſicut in voce, & ℞. commu-



Digitized by Google

niter, vt benè aduertit Tat. in prædicam. q. 2. dub, 1. quòd licèt in cõceptu non vltimo, qui eſt conceptus ipſius vocis ſignificatæ, poſſit contingere aliquo modo æquiuocatio, in conceptu tamen vltimo, qui eſt conceptus rei ſignificatæ p vocem, non poteſt contingere, vt Doctor docuit quæſt. 1. Prædicam. ad ſecundum argumentum, & ratio eſt, quia cùm conceptus ſit naturalis imago rei, proportionatur ipſis rebus quoad vnitatem, & diuerſitatem, ità vt eiuſdẽ rei, vnius ſit conceptus, & plurium rerũ plures, & quia in mente non eſt idem conceptus rerum diuerſarum, quæ appellantur vnico nomine, conſequenter non poterit eſſe æquiuocatio; hoc autem non militat de voce, quia cùm non ſit intrinſecè ſignificatiua, ſed ex impoſitione imponentis, non repugnat eidem voci, diuerſas cõuenire impoſitiones, repugnat aũt conceptui, qui cùm naturalis ſit imago rei, non poteſt eſſe vnus, ſi obiecta ſũt plura, nam vnitas eius in ratione rep̃ſentationis, & ſimilitudinis ſumitur ex aliqua vnitate rei repræſentatæ ex Scot. in 2. d. 3. q. 10. ab obiecto enim ſuam ſpecificam vnitatem ſumit, nec vno, & eodem actu poſsũt plura obiecta, vt diſparata intelligi, vt rectè Bargius notat, & nos ſuo loco dicemus.

Tertium dubium eſt de ſpecieb. æquiuocorum, & communiter aſſeritur eſſe duas, quarum prima eſt eorum, quæ dicũtur purè æquiuoca; quæ .ſ. ſine vlla habitudine, & conuenientia ad inuicem eodem nomine appellantur; vndè dici ſolent æquiuoca à caſu, vel à fortuna; vt canis Cæleſtis, gallus homo, & gallus auis, dicuntur æquiuoca pura, & à caſu, quia merè accidentaliter, & fortuitò eueniunt, & nulla habita inter eos conuenientiæ ratione, eodem nomine appellantur. Altera ſpecies æquiuocorũ eſt eorum, quæ dicuntur æquiuoca analoga, quia .ſ. idem nomen participant ob aliquam conueniẽtiam, & proportionem inter ipſa repertam, vt ridere dicitur de homine, & de prato, nam pratum florens ridere dicitur, quia homini læto; & ridenti aſſimilatur, & homo dicitur de vero, & picto, quia conueniunt in externa figura, & ſic de alijs multis, qua etiam ratione appellari ſolent æquiuoca à conſilio, quia non temerè, ſed conſultò idẽ nomen ad plura ſignificanda extẽſum eſt. Solent etiam æquiuoca à conſilio dici, quando vel ex deuotione ad aliquem Sanctum, vel ex affectu ad aliquem defunctum, vel alia rationabili cauſa idem nomen alicui puello imponitur &c.

## ARTICVLVS SECVNDVS,

### *De Natura Vniuocorum.*

1. SCotus, cuius doctrinæ lumẽ, quo maior eſt Aduerſantiũ turbo, eo magis extollitur, fulgẽtiuſq; fulget, in 1. d. 8. q. 3. lit. E. loquendo de Ente traſcendentaliter ſumpto, quod eſt prædicatum vni-

uocum dictum de Deo, & creaturis, non admittit pſeferre à parte rei aliquam realitatem actu ex natura rei præciſam à re, quæ eſt Deus, & à re quæ eſt creatura, cōtrahibilē per aliquas differentias, ſed tantùm conceptum obiectiuū inadęquatum realem, ex reali fundamento, quod habet in re, cōparatione creati intellectus; cum .n. De⁹, & Creatura ſint omnino primò diuerſa in realitate, ſolùm in conceptu conueniunt. Vt magis vniuocorum natura eluceſcat. libet per plura dubia hūc atticulum reſoluere. Et primum eſt, an ad vniuocationē ſufficiat vnitas conceptus formalis, quo mediāte omnia inferiora immediatè cōcipiantur, an etiam requiratur, quòd terminus talis conceptus importet aliquod commune pluribus .ſ. conceptum obiectiuum. Eſt ſententia Nominalium, & aliorum, aſſerentium ſufficere vnitatem conceptus formalis, quo nempè plura immediatè concipiūtur, vt ſimilia, quomodo de cōceptu naturarum vniuerſalium loquuntur. Sed ex Doctrina Scoti in 1. d. 2. q. 3. quē ſequuntur Tatar. q. 2. prædicam. *Secundò ſciendum.* Bonet. & alij Scotiſtæ aſſerendum eſt, præter vnitatē cōceptus formalis, ad vniuocationem requiri etiam vnitatem conceptus obiectiui, quòd .ſ. vox vniuoca ſignificet primariò aliquod illis commune, ſicut homo primò, & immediatè ſignificat humanitatem, quæ eſt cōmunis ſuis inferioribus, quæ opinio eſt hodie communiter recepta, quam diffusè ꝓbat Paſq. p. 2. ſuæ meth. diſp. 28. ſec. 3. & patet euidenter, ex verbis ipſius Ariſt. qui docuit vniuoca participare non ſolùm commune nomē, ſed etiam communem ſubſtantiæ rationem, in eis eſſentialiter incluſam, at conceptus obiectiuus eſt ille qui in ipſis vniuocatis eſsētialiter includitur, non cōceptus formalis, ergo &c. Tùm qa quando dicimus, quòd æquiuoca carent vnitate rationis, & cōceptus, tunc intelligimus de vnitate cōceptus obiectiui, nam ad prolationē nominis æquiuoci ſtatim intellectus diſtrahitur ad diuerſa obiecta. V. g. ad prolationem huius æquiuoci Canis, intellectus non vnitur, ſed poti⁹ diſtrahitur ad diuerſa immediatè concipienda ſcil: canem terreſtrem, cæleſtem, & marinum, ergo è contra in prolatione vocis vniuocæ, intellect⁹ debet vniri, & colligi ad vnum, in quo inferiora conueniunt. Tùm tandèm, quia vnitas cōceptus formalis attendi debet penès vnitatem conceptus obiectiui, ergo &c.

2. Dubitatur ſecūdò, an vnitas iſtius conceptus obiectiui neceſſariò debeat eſſe realis, ità vt ei correſpondeat à parte rei aliqua res, vel realitas, & natura communis ꝑ ipſum adæquatè concepta, ratione cuius inter prædicatum cōmune, & inferiora interueniat diſtinctio ex natura rei actualis, an potius ſufficiat vnitas rationis, & ꝓciſio-

ciſionis per intellectum plura inadæquatè concipientem, quatenus ſimilia, ratione cuius inter prædicatum commune, & inferiora intercedat ſola diſtinctio virtualis; primum dicendi modum ſequi videntur Canonicus 1. phyſ. q. 3. Faber theor. 94. Meuriſſe 1. lib. ſuæ meth. Et alij Scotiſtæ, qui non ſolùm gradus cõmunes prædicamẽtales, ſed etiam traſcendentales, vt ens, ſubſtantia &c. Volunt ꝓprias realitates adæquatè conceptibiles præſeferre, & inferioribus vniuocè, communes, & ſi cum analogia admixtas; Et ſequuntur aliqui ex Recentioribus, qui per hoc diſtinguunt prædicatum vniuocum ab Analogo, quòd illud dicit vnitatẽ, & communitatem realem primo modo. ſed analogum per ſolam pꝛciſionem intellectus, plura immediatè concipientis inadæquatè, vt ſimilia. Alij verò Scotiſtæ non minoris nominis ſequũtur alium dicendi modum. ſ. quòd ſolùm gradus communes prædicamentales, vt homo, animal &c. importẽt realitates, & naturas verè communes adæquatè cõceptibiles, gradus verò traſcendentes communes Deo, & creaturis, ſolùm conceptus inadæquatos; ità Bargius, Viger, Lichet. Trombetta, Herrer. Vulpes tom. 1. p. p. diſput. 10. art. 1. nu 2. ex Scot. ini. io art. cit. Bellut. & Maſtr. & alij: ſed quicquid ſit de traſcendentibus de quibus, Deo duce, in Meth. loquendo in propoſito de vniuocatione, quoad grad⁹ prædicamentales, vbi intercedit vniuocatio pura, & perfecta, neceſſariò reqritur vnitas realis conceptus obiectiui, cui à parte rei realitas & natura communis adæquatè conceptibilis correſpõdeat, quæ eſt aperta doctrina Scoti in 2. d. 3. quæſt. 1. ad Vniuocationẽ verò imperfectam, & cum analogia admixtam, qualis eſt vniuocatio omnium traſcendentium, ſufficit vnitas rationis, non quòd ſit merũ opus intellectus, & purum ens rationis, ſed quia ſit per abſtractionem, & præciſionem intellectus, plura immediatè cõcipientis inadæquatè, vt ſimilia, ob fundamentum ſimilitudinis, quod reperit inter ea, à parte rei, in quo ſenſu dici poteſt vnitas realis fundamẽtalis, quomodo locutus fuit Doctor in primo d. 26. lit. Y. vbi concedit à relationibus Diuinis cõceptum communem realem abſtrahi poſſe & tamẽ talibus relationibus nulla à parte rei realitas communis correſpondet, vt etiam aliqui Scotiſtę ſentiũt, ex Doct. in p. d. 3. queſt. 3. §. *Ad quæſtionẽ igitur &c.* De vltimis differẽtijs, cõceptum communem hæcceitatis abſtrahentes, quibus nulla realitas à parte rei correſpõdet, cùm ſint primò diuerſa.

3. Dubitatur 3. an ratio importata per nomen vniuocum, conueniat eſſentialiter vniuocatis, an ſufficiat, quòd eis conueniat accidentaliter, ità vt ſub allata definitione tàm vniuoca eſſentialia, quã accidentalia comprehendantur, &

&. cum diſtinctione, nomen vniuocum poteſt dupliciter accipi, vno modo magis propriè; in quo ſenſu eamdem rationem eſſentialẽ pluribus communem, ac in eis eſſentialiter incluſam ſignificat, & hoc modo prædicata vniuoca dicuntur eſſentialia, & ſolùm hæc videtur Ariſt. voluiſſe ſub vniuocorũ definitione comprehendere, quod patet ex exemplis, quæ adducit de vniuocis eſſentialibus. Tùmquia Ariſtot. diuiſit tamquam in membra oppoſita non tantùm formaliter, ſed etiam materialiter æquiuoca, Vniuoca, & denominatiua, & ſi ſub allata definitione comprehenderet etiam vniuoca accidentalia. confunderet vniuoca cum denominatiuis, &c. Alio modo ſumi poteſt magis latè, vt .ſ. rationem pluribus communem ſignificet, ſiuè eſſentialem, ſiuè accidẽtalem; vnde etiam proprium, & accidens in numero vniuerſalium computantur, de ratione autẽ vniuerſalis eſt, quòd ſit vniuocum; de qua diſtinctione etiam ſæpè Scot. locutus fuit, vt patet in 1. d. 3. q. 3. & d. 8. q. 3. P. & alibi, vbi ponit differentiam inter prædicatũ vniuocum, & vniuocè prædicari, quem Formaliſtæ omnes ſequuntur. Et per prædicatum vniuocum intelligunt vniuocum accidentale, quòd prædicatur de ſuis ſubiectis ſecundùm idem nomẽ, & eandem rationem accidentalem, vt albũ de Cygno, niue, &c. per prædicari verò vniuocè, intelligunt vniuocum eſſentiale, quòd de ſuis inferioribus prædicatur ſecundum eandem rationem eſſentialem, vt animal de homine, leone, &c. vel melius; ꝙ prædicatum vniuocum competit tàm eſſentialibus, quàm accidentalibus; prędicari verò vniuocè tãtùm eſſentialibus. Nec refert ad rationem vniuocationis, quòd ratio ſit vna, & eadem eſſentialiter, vel accidentaliter, vt Sanch. quæſt. 1. Prędicam. Caiet. Hurt. & alij aduertunt, ſed ſufficit, vt denotet cõceptum obiectiuum, qualecumq; illud ſit, ſiuè eſſentiale, ſiuè accidẽtale, & ſic ratio ſubſtantiæ explicari poteſt.

4. Dubitatur 4. num oporteat, ꝙ ratio ſignificata per nomẽ æquè primò, & principaliter conueniat omnibus vniuocatis, vel cõuenire poſſit vni primariò, & principaliter, alijs ſecundariò, & minus principaliter, vel vni independenter, & originaliter, alij ab illo dependenter, & participatiuè. Suar. diſp. 2. meth. ſec. 2. num. 6. quem multi ex Recentioribus ſequuntur defendit primũ, ita quòd ſi adſit vnitas conceptus, ſed inæqualitas in participatione ipſius, hoc ſufficere aiunt, vt ille conceptus à ratione vniuocationis cadat, & fiat Analogus, Scot. q. vlt. prolog. in fine, de duplici vniuocatione diſtinguit, vna eſt perfecta, & completa, altera diminuta, & incompleta; prior eſt, cùm inter aliqua eſt ſimilitudo in forma, & in modo habendi, ſeu eſſendi formæ, cùm .ſ. forma non tantũ

eiuſ-

eiuſdem rationis cõtinetur in illis, ſed etiam ſecundum eumdẽ eſſendi modum, ſecũdum eumdem ordinem eſſentialem, & ſecundũ eumdẽ perfectionis gradum, quæ vniuocatio phyſica appellari ſolet, & tantũ in ſpecie infima reperitur ex 7. phyſ. 31. ſecũda eſt diminuta, & eſt cũ inter aliqua reperitur ſolùm ſimilitudo in forma, quatenus ſecũndũ eamdem rationẽ imbibitur in illis, quę eſt prima conditio ſimpliciter neceſſaria ad vniuocationem, deficientibus tamen cæteris.

5. Ex his colligũt Scotiſtæ quatuor conditiones ad vniuocationẽ puram, & perfectam requiri, prima eſt, ꝙ vniuocum deſcendat ad ſua inferiora ſecundum eamdẽ rationem, ſecundum eumdem modũ eſſendi, ſecũdum eumdem ordinẽ, & ſecundum eumdem gradũ perfectionis, & talis eſt vniuocatio pfecta; & hoc modo ſpecies infima in ſua inferiora .ſ. indiuidua deſcẽdit; homo.n. ad Petrum, & Paulum deſcendit ſecundũ eamdem rationem .ſ. definitionem; ſecundũ eũdem eſſendi modum, nam quilibet ipſorum eſt homo; ſecundum eumdem ordinem eſſentialem, non .n. prius conuenit vni, quàm alteri; & tandẽ ſecundũ eũdẽ gradũ perfectionis, quia homo non eſt perfectiori modo in Petro, quã in Paulo.

Secunda conditio, ſeu gradus eſt minor primo, & eſt cùm aliquod vniuocum deſcendit in ſua vniuocata ſecũdum eamdem rationem, ſecundum eumdem eſſendi modũ, & ſecundum eumdem ordinem eſſentialẽ, non tamen ſecundũ eumdem gradum perfectionis, & hoc modo deſcendit genus ad ſuas ſpecies, vt animal V. g. ad hominem, & equum, quia quilibet ipſorum includit in ſe definitionem animalis, nec vnum dependet ab alio, ſecundum eumdem ordinem eſſentialem, nã animal in quantum animal non prius deſcendit in hominẽ, quã in equum; at nõ ſecundum eumdẽ gradum perfectionis, quia homo ratione differentiæ .ſ. rationalitatis eſt pfectior equo, & ideò dixit philoſophus 7. phyſ. quòd in genere latent æquiuocationes.

Tertius gradus eſt imperfectior ſecundo, & eſt quando vniuocum deſcendit ad ſua vniuocata ſecundum eamdem rationem, & eumdẽ eſſendi modum, non autem ſecundum eumdem ordinem, & eumdẽ gradum perfectionis; ſic deſcendit numerus in ſua inferiora, nam in binarium, & ternarium deſcendit ſecundum eamdem definitionem, & eumdem eſſendi modum, nam quilibet eſt numerus, & habet definitionem numeri, & vnus non dependet ab alio; at non ſecundum eumdem ordinẽ, quia prius in binarium, quàm in ternarium deſcẽdit; neque ſecundum eumdem gradum perfectionis, quia perfectiori modo reperitur in ternario, quàm in binario. Hinc Ariſt. ait, ſpecies rerũ ſunt ſicut numeri, innuens diuerſitatẽ perfectionis ſpecificam.

Quartus gradus minimus om-

nium

nium eſt, quādò vniuocum ad ſua inferiora deſcendit ſecundum eādem rationem tantùm; ſic ens in Deum, & creaturam deſcendit, in ſubſtantiā, & accidēs; quia quodlibet ipſorum habet rationem entis .ſ.entis definitionem, cæterùm, non ſecundum eumdē eſſendi modum; quia Deus eſt independens, creatura dependens. & originata à Deo, &c. ſic de ſubſtantia, & accidente; nec ſecundum eumdem ordinem, nam prius ens deſcendit in Deum, quā in creaturam, ſic etiam de ſubſtantia, &c. neq; ſecundum eumdem gradum perfectionis, q̄a pecfectius eſt in Deo, quā in creatura, & perfectius in ſubſtātia, quā in accidente. Ex his conſtat nō requiri ad vniuocationem abſolutè ſumptam, & in tota ſua latitudine, quo ſenſu Ariſt. vniuoca definiuit, conditiones illas æqualitatis, & vniformitatis in participanda eadē communi ratione, vt Suarez autumat, quia nihil tale ab Ariſt. ponitur in definitione vniuocorum; vnde etiam colligitur duas eſſe ſpecies vniuocorum, vna eſt eorum, quæ habent eamdem rationem, & eodem modo inferioribus diſtributam, & hoc modo vniuocè communicantur ſpecies infimæ indiuiduis, æqualis omninò perfectionis eſſentialis, & hæc dicuntur purè vniuoca, phyſica, & completa; altera eſt eorum, quorum eſt eadē ratio, non tamen eodem modo, ſed inæqualiter inferioribus communicata, & talia, vel ſunt genera, in quibus latent æquiuocationes, vel prędicata traſcendentalia, & dicūtur vniuoca analoga, & horum vniuocatio dicitur incompleta, & appellari ſolet Methaphyſica, vel logica, quæ nō differunt, niſi quia prima ſit in terminis primæ intentionis, altera in terminis ſecundæ intentionis, ad quam vniuocationem non requiritur æqualitas, & vniformitas in participanda eadē communi ratione.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De Analogis, ac de Analogia attributionis.*

1. SCot. qui, Strenuiſſimus phyloſophiæ dux, ſemper intrepidè dimicat, pluribus in locis de hac materia agit, vt videre eſt in 1. d. 3. q. 3. lit. Q. & d. 8. q. 3. lit. E. & in 2. d. 12. q. 2. G. & alibi ſæpè vbi docet, quòd vnitas analogica quam ibi vocat attributionis eſt minor vnitate vniuocationis; Vnde communiter Scotiſtæ colligunt analoga mediare inter vniuoca, & æquoca, vt infra explicabitur. Supponimus Analogiam eſſe vocem græcam, & idem ſonat Analogia, quod proportio latinè, ſeù cōparatio, & ꝓportionalitas ex Quintiliano lib. 1. c. 6. quæ omnia important aliqualem cōuenientiam, ſimul cum differentia, aut inæqualitate, Hinc Analogia ex vi nominis ſignificat diuerſitatem cū aliquali ſimilitudine admixtam; Atq; ideò *Analoga dicuntur illa, quorum nomen eſt commune, & ratio ſignificata per illud nomē, partim eſt eadem, partim*

*tim diuerſa*; ex quibus verbis infertur, Analogiam dicere debere aliquam rationem obiectiuam, quæ ſimul aliquam vnitatem, & diuerſitatem importet; quare vera analogia conſiſtit in proportione pluriũ rerum, quam habent ad inuicem ſecundum diuerſas rationes; proportio .n. quæ eſt ſecũdum eaſdem rationes, non eſt vera proportio, ſed vnitas, q̃ potius conſtituit vniuocationẽ, & ità Petrus, & Paulus non dicuntur proportionari in humanitate, quia non comparantur ad inuicem ſecundum diuerſas rationes, ſed penitus aſſimilantur, & ex hoc patet, quomodo vniuoca ab analogis differunt, nam vniuoca dicuntur conuenire ſecundũ vnitatem ſimpliciter, quia aſſimilantur in aliqua natura, analoga verò dicuntur cõuenire ſecundum vnitatem proportionalem quæ eſt quædam cõuenientia relatiua; differunt etiam analoga ab æquiuocis, quia hæc nullam habent proportionem, ſed in ſolo nomine cõueniunt.

2. Quot autem ſint ſpecies Analogiæ magna eſt inter doctores altercatio, aliqui .n. vnam tantùm ſpeciem Analogiæ propriè agnoſcunt, licèt non eamdem aſſignent, Caiet. Opuſcolo de nominũ Analogia cap. 1. tantùm Analogiam proportionis, veram analogiã appellat, reliquas ſolùm abuſiuè, & ſequuntur aliqui. Paſq p. 2. meth. diſp. 30. negat analogiam attributionis eſſe veram analogiam. Scot. è contra hanc ſolam videtur agnoſcere, vbi .n. de analogia loquitur, ſemper de Analogia attributionis ſermocinari videtur. Alij duas Analogiæ ſpecies aſſignant, vnam q̃ proportionis, ſeu proportionalitatis dicitur; alterã, q̃ attributionis appellatur, ità aliqui Scotiſtæ, vt Fuentes in log. q. 12. diff. 2. art. 1. Faber in philoſ. Theor. 95. cap. 1. & in meth. lib. 4. diſp. 21. & alij; ſic etiam multi ex Recentioribus Thomiſtis, vt Cõplut. Moris. Ioãnes de S. Thom. &c. Alij præter has duas ſpecies tertiam addunt, quæ eſt inæqualitatis, ità ſentire videtur Suar. in meth. diſp. 2. ſec. 2. n. 6. & alibi, vbi docet eſſe de ratione vniuocationis, ꝙ ratio ſignificata per nomen æqualiter competat inferioribus, & non vni dependẽter ab alio, alioquin ex tali inæqualitate, ſtatim emergit Analogia, & ſequitur Auerſa. Alij tandẽ quartam adducunt .ſ. traſcendentiæ, ità plures ex Recentioribus, vt Hurtad, Blanc. Didac. à Ieſu, & alij: Sed non tantùm in aſſignatione ſpecierum diſſident, verum etiam in earum appellatione, quidam .n. analogiam proportionis appellãt, quam alij analogiã attributionis vocant, quidam analogiam ꝓportionis cum analogia proportionalitatis confundunt, quidam diſtinguunt &c. Sed relicta quæſtione de nomine, retinendo vocabulum attributionis, & propotionalitatis, quantum ſpectat ad litem de re, aduertimus, quòd ſi Authores

per propriam analogiam, intelligunt eam, quæ prorſus omnem excludat vniuocationem, vel æquiuocationem, vanus eorum labor cenſetur, nullum .n. prædicatum inueniri poteſt, quod ſit purè analogum, ſed ſemper analogia reperitur mixta cum vniuocatione, vel æquiuocatione; ſed illa erit vera, & propria Analogia, quæ puram vniuocationem, & æquiuocationẽ excludit, & ſecundum maiorem, vel minorem excluſionem huiuſmodi puritatis, variæ aſſignari poterunt ſpecies analogiæ, vt infra patebit &c.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, Analogiam attributionis, non ſolùm eſſe veram, ſed primam, & principalem ſpeciem Analogiæ, cuius ſpeciei analoga illa dicuntur, quæ cum communi nomine ſignificentur, vnum tamen ad aliud ordinem, & attributionem habet in communi ratione participanda, vel ambo ad tertium.* Concluſio eſt cõiter recepta, quibuſdam paucis Authorib' exceptis, & patet ex Ariſt. 1. Eth. cap. 6. & 4. met. 2. & alibi, vbi ratione depẽdentiæ, & ſubordinationis hæc analoga vocat ab vno, ad vnum, quatenus enim omnia denominantur ab vna forma, dicuntur ab vno, & quatenùs minus principalia analogata dicuntur talia per ordinem ad vnũ terminum, dicuntur ad vnum; Et quòd hęc ſit vera ſpecies analogiæ colligitur clarè ex Ariſt. 4. meth. cap. 1. & lib. 5. cap. 6. & lib. 7. c. 4. vbi docet ens dici de ſubſtantia, & accidente analogicè, vt ſanum dicitur de animali, cibo, & pulſo, & inter ea cõſtituit analogiam attributionis. Probatur etiã definitione analogiæ, quam omnes recipiunt .ſ. *Analogia attributionis eſt illa, ſecundum quam aliqua habent nomẽ commune, rationem verò ſubſtantiæ ſecundum illud nomen eamdem ſecundum terminum, & diuerſam ſecundũ habitudines*, V. g. ſanum dicitur analogum attributionis, quia conuenit medicinæ, & vrinæ reſpectu eiuſdem termini .ſ. ſanitatis in animali; ſed habitudines ſunt diuerſæ, nam vrina habet habitudinem ſigni, medicina habitudinem efficientis; quia igitur hæc præter communitatem nominis, habẽt quoque rationem ſubſtantiæ, partim eãdem, partim diuerſã, certè analoga erunt. Hinc Ioannes de S. Thom. p. 3. log. q. 13. art. 3. ait: vſus inualuit in omnibus Scholis, vt analoga ſumãtur generaliter pro his, quę nec purè æquiuoca ſunt, nec purè vniuoca, ex quacumque habitudine id procedat; atque ideo inanis eſt Paſqualigij labor, ad hanc analogiæ ſpeciẽ tollendam, cum potius hoc, vt cõe ſupponatur, quàm probetur.

Quòd autem hæc ſit prima, & principalis analogię ſpecies, patet ex Ariſt. 5. meth. 12. vbi loquendo de his, quæ vnum dicuntur per analogiam, talem vnitatẽ explicuit per habitudinem, quæ conſtituit analogiam attributionis, dicens: ſecundum analogiam verò quæcũque ſe habent vt ad aliud.



Digitized by Google

Ex quibus verbis apparet, quaſi nullam aliā analogiæ ſpeciem dari vltra iſtam, & ſi aliæ dētur, in omnibus tamen, & ſingulis ſemper aliquo modo incluſa attributio, & ordo ad principale analogatū inuenitur, quod prius, & perfectius participat rationem communem. Hinc benè D. Tho. 1. p. q. 13. art. 6. & alibi docet in omnibus analogis neceſsè eſſe, ꝙ omnia dicantur per reſpectum ad vnum. Et ſequitur Ruu. cum multis ex Recentioribus. Tùm quia analogia in communi ab omnibus explicari cōſueuit per habitudinem, & ordinem prioris, & poſterioris in participāda communi ratione, in qua fit analogia, vt ipſimet Caiet. & Paſq. fatentur, ſed talis ordo prioris, & poſterioris inueniri nō poteſt, niſi cum attributione poſterioris ad prius, ergo &c.

4. Et tandem pro totali huius ſpeciei Analogiæ intelligentia, adnotamus ex Scoto in 2. d. 12. q. 2. lit. G. & in 4. d. 12. q. 1. H. quem præter Scotiſtas, ſequuntur Suar. in meth. diſp. 28. ſec. 3. nu. 14. cū multis ex Neutericis, Ruu. Auerſ. Moriſan. &c. & multi ex Thomiſt. vt Capreol. Bannes, Ferrar. & alij, dupliciter hāc analogiā cōtingere poſſe, vel quòd analogata ita ſe habeant, vt primum tantùm analogatum propriè, & intrinſecè tale denominetur per formam ſibi inexiſtentem, reliqua verò extrinſecè, ratione tantùm illius habitudinis, quam habent ad illud primum, & veluti impropriè; vel ꝙ omnia analogata formam illam propriè, & intrinſecè includant, eſtò cum ſubordinatione, & dependentia vnius ad aliud, vel amborū ad tertium; primo modo ſanitas analogicè dicitur de animali, cibo, medicina, & pulſu, nam ratio formalis ſanitatis, quæ eſt debita humorum temperies, formaliter, & intrinſecè in ſolo animali reperitur, in medicina autem, cibo, & pulſu ſolùm extrinſecè, tanquam in terminis habitudinis, quam dicunt ad ſanitates animalis, nempè in medicina, tanquam in cauſa efficiente, in cibo tamquam in conſeruatiua, & in pulſu tanquam in ſigno. Secundo modo dicitur analogicè Ens de Deo, & creatura, & de ſubſtātia, & accidente, ex Ariſt. 4. meth. vbi conſtituit analogiam accidentiū ad ſubſtantiam, euidētiſſimum aūt eſt rationē Entis intrinſecè Deo, & creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti conuenire.

*Obiectiones.*

5. Ob. Si omnia analogata eādem formam intrinſecè participarēt, ſequeretur, quòd minus principalia analogata non dependerēt ab vno termino, ita vt talia per habitudinem ad aliud dicerentur, qa iam illa forma eſſet in oībus, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. ℞. neg. ſequelam, quamuis .n. illa forma eſſet in oībus, quia tamen inæqualiter deſcendit in ea, quia .ſ. conuenit vni per aliud, vt eſt de Ente reſpectu Dei, & Creaturæ, & per-

fectius in vno reperitur, quàm in alio, hæc diuerſitas in modo participādi eamdem formam etiam intrinſecè, ſufficit ad inducendam attributionem vnius ad aliud, & cōſequenter analogiā ex Doct. loc. c.

Ob. 2. Ipſemet Ariſt. Analoga attributionis explicuit exēplo ſanitatis in animali, cibo, pulſu, &c. ſanitas ſolū in animali intrinſecè reperitur, ergo, &c. ℞. ex Doct. in 2. diſt 12. cit. Ariſt. per illud exemplum ſe explicuiſſe de Analogis primi generis, alibi tamen adduxit exempla in contrarium, vt eſt de Ente reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtātiæ, & accidentis, & gradu generico reſpectu ſpecierū &c. in quibus ſemper eſt aliqua attributio ad perfectius, nam in vnoquoque genere ſemper eſt vnum, q̄ eſt metrum, & menſura omniū aliorū in illo genere ex 10. meth. & Ariſt. illo exemplo ſæpè vtitur, tanquam nobis manifeſtiore, &c.

Ob. 3. Ex allata definitione huius analogiæ debet fieri attributio analogatorum ad primum ſecundum diuerſas habitudines, at ſi vnica forma eſſet in omnibus analogatis, tunc fieret attributio ſecundum eamdem habitudinem, cum in omnibus eſſet eadem ratio fundandi, &c. ℞. neg. min. & ratio eſt, quia nō ſola forma in omnibus intrinſecè reperta, eſt ratio fundandi, vel terminandi habitudinē, ſed debet etiam attendi modus, quo in eis reperitur; quia igitur inæqualiter, & diuerſimodè in ea analogata deſcendit, in vnum prius, independenter, & perfectius, in aliud poſterius, dependenter, & imperfectius, ideò in iſtis eſt ratio fundandi dependentiam, in illo verò, eſt ratio talem dependentiam terminandi.

Ob. 4. Si Analoga intrinſecè formam eiuſdem rationis participār, ergo vniuocè, nō analogicè in tali forma conueniunt. ℞. admittēdo illa plura vniuocè cōuenire in forma, ſed adhuc cum tali vniuocatione ſtat etiā Analogia, cùm ſupponatur non vniformiter, & æqualiter illam formam ab eis participari, ſed prius, & poſterius, perfectiori, vel imperfectiori modo, q̄ ſufficit ad analogiam.

Ob. 5. dici non poſſet, quod eadem forma eſſet in ſingulis cū dependentia tamen ab vno, nam in principali analogato eſſet indepēdens, & in alijs dependens, & ita eadē forma eſſet dependens, & independens. ℞. non haberi pro inconueniēte eamdem formam pluribus communem per indifferentiam, in vno ſuorum inferiorum dependere, in alio non dependere, q̄a procedit ex diuerſo modo deſcendendi in illa; & quando etiam hæc diuerſitas procederet ab extrinſeco ſcilicet à differentijs contrahentibus, vt omnes, admittunt de gradu generico reſpectu ſpecierū, adhuc iſta ſufficiet ad inducendam analogiam ex Scoto, & ideò dixit Ariſt. in genere latere æquiuocationes, & ita eadem forma

ma ánimalitatis eſſet perfecta, & imperfecta reſpectu bruti, & hominis in ordine ad differentiã contrahentem &c.

Ob. 6. Paſq aſſerens, quòd Analogia attributionis non ſit vera Analogia; Tùm quia Ariſt. 1. Ethic. c. 6. contradiſtinguit analoga ab his, quæ ab vno, vel ad vnũ dicuntur; Tùm quia analogia cõſtituitur per proportionem, vt patet ex vi nominis analogiæ, ſed attributio nullam importat proportionẽ, ergo neque veram analogiam. ℞. ad primum falſum eſſe ibi Ariſt. analoga cõtra diſtinguere ab his, quæ ſunt ab vno, vel ad vnũ ſed potius analoga diſtinguit in analoga attributionis; q̃ appellat ab vno, & ad vnum, & in analoga proportionis, quæ vocat ſecundum comparationem rationum. Ad ſecundũ. ℞. quòd eſtò ex vi græci vocabuli analogia ſolã ſonet proportionẽ, attamen apud latinos magis extẽſum eſt vocabulum, ità quòd non ſolùm dicat proportionem, vel ſimilitudinem inter aliqua, ſed etiã habitudinem per modum ordinis, ſeu dependentiæ, & attributionis, vnde etiam multi Auctores hãc analogiam attributionis, appellant etiam proportionis.

Ob. Tandem idem Doctor: Attributio importat præcipuè dependentiam aliorum analogatorum ad principale analogatum, ſed dependentia, præciſa proportione, non inducit analogiam, alioquin vbicumq; reperiretur adeſſet analogia, quod eſt falſum, nam etiam effectus vniuocus à cauſa vniuoca dependet. ℞. ad maiorem, quòd præter dependentiã ad inducendã analogiam, requiritur prædicatũ commune pluribus conueniens, vni principaliter, quãtum ad nominis impoſitionem, ac independenter, alteri verò minus pricipaliter, & dependenter, quod in cauſa, & effectu non reperitur.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De Analogia proportionalitatis, inæqualitatis, & traſcendentiæ.*

1. Scot. qui fons eſt, imò Oceanus omnigenæ literaturæ in 4. d. 6. q. 10. notat differentiam (ſecundum methamaticos) inter proportionem, & proportionalitatem, nam proportio eſt quædam habitudo vnius rei ad aliam, vt inter duo, & quatuor eſt proportio dupla; ſed proportionalitas eſt habitudo duarum ꝓportionum ad inuicem conuenientiũ, vt V.g. ſicut ſe habẽt duo ad quatuor, ità ſe habent tria ad ſex. Vndè colligitur, quòd hæc ſpecies analogiæ potius dici debet proportionalitatis, quam proportionis, hæc .n. tantùm inter duos terminos verſatur, illa inter quatuor, & ideò dicimus ſecundum hanc ſpeciem: ſicut ſe habet riſus ad hominem, ita flores ad pratum &c. Admittimus igitur aliã analogiæ ſpeciem, quæ dicitur proportionalitatis, vt aliquo modô ab analogia attributionis condiſtinctam. Analoga

loga igitur huius ſpeciei ſunt illa, quæ licèt habeant rationes ſimpliciter diuerſas, quia tamen ſunt ꝓportionaliter ſimiles, ideò cõmune nomen participant, & plura ex Ariſt. exempla afferũtur. in 2. poſ. 87. affert exẽplum ſpinæ, & oſſis, & ait: ità ſe habet ſpina in piſce, ſicut os in alijs animalibus; & 1. eth. affert exemplum de viſu, qui dicitur de oculo, & de intellectu. Auerr. 5. meth. cum. 12. attulit exemplum gubernatoris, cuius nomen dicitur de illo, qui regit ciuiuitatem, & qui regit nauem, & q regit domum; Et communiter afſertur exemplum de riſu, qui dicitur de homine. & prato florente; ac etiam de pede, qui dicitur de pede animalis, de radice montis, de baſe lectuli &c. Et ità hæc analogia ſẽper euenit, quotieſcũq; aliq̃d appellamus eodẽ nomine à ꝓportione, quam ad aliã rem habet.

2. Et ſicut diximus de analogia attributionis, quòd dupliciter euenire poteſt, ſic etiam de hac aſſerimus, .ſ. quòd vno modo hæc analogata ità ſe habent, quod vnũ ſit abſolutè tale per ſuam propriam formam, aliud verò per comparationem, & proportionem ad illud, vt patet de riſu reſpectu hominis, & prati, nam propriè dicitur de homine, de prato verò methaphoricè per quamdam comparationẽ, proportionẽ &c. altero modo contingere poteſt per denominationẽ intrinſecam omnium analogatorũ cùm .ſ. in quolibet eſt verum, & intrinſecũ fundamentũ conueniẽtiæ proportionalitatis, & q̃libet commune nomen participat, licèt habeant rationes diuerſas; ità analogicè dicitur principium de Patre reſpectu Filij, de fonte reſpectu riuulorum, de corde reſpectu vitę, de puncto reſpectu lineæ, de præmiſſis reſpectu concluſionis, &c. Sicut etiam de eo, qui regit ciuitatem, & de eo, qui regit nauem, &c. quę non tantùm methaphoricè, de aliquo ſignificato dicuntur, ſicut per methaphoram dicuntur prata ridere, Chriſtum appellari leonem, agnum &c. ſed cũ maiori proprietate, & proportione. Hanc ſpeciẽ analogiæ ꝓportionalitatis admittunt tàm Thomiſtæ, quàm Scotiſt. licèt cum aliquali diſcrimine.

3. Sed contra hãc noſtram poſitionem arguit Suar. cum aliquib⁹ Neuthericis, qui contendunt omnem veram analogiam proportionalitatis includere aliquid methaphoræ, & improprietatis, vt patet de riſu reſpectu hominis, & prati. Et horum fundamentum eſt, quia proportionalitas de ſe eſt ſufficiẽs ad inducẽdam analogiam, vera .n. proportionalitas poteſt etiam inter res vniuocas reperiri, vndè benè dicimus, ſicut ſe habẽt quatuor ad duo, ità octo ad quatuor, vel ſicut homo comparatur ad ſuos ſenſus, ità leo ad ſuos, &c. Et tamen nomen dupli, & animalis non analogum, ſed vniuocum eſt, ergo vt proportionalitas inducat analogiam, debet includere aliq̃d me-

methaphoricæ, & improprietatis. eſt perfectior, ratione huius differentiæ adiunctæ; vnde qa hæc inæqualitas etiam in gradibus vniuocis reperitur, ſcilicet in generibus reſpectu ſpecierum, deducit Caiet. non inducere veram ſpeciem Analogiæ, quam putat incompoſſibilem cum vniuocatione, & conſequenter eſſe inutilem, & fruſtatoriam, quem multi Recentiores ſequuntur.

ræ. admittendo vtique fieri poſſe in vniuocis proportionalitatē ad exprimendam omnimodam ſimilitudinem, quæ proportionalitas non ſufficeret ad inducendam analogiam; ſed admitti etiam debet alia proportionalitas, quæ non exprimit niſi meram vnitatem, & cōuenientiam proportionalem, quæ ſola ſufficit ad analogiam ſine aliqua methaphora, & hoc patet de exemplis allatis, verè .n. cor eſt principium vitæ, præmiſſæ concluſionis, punctus lineæ &c. quæ nomine principij nominamus, non vt ſignificant aliquam naturā, vel omnimodam ſimilitudinem participatā, ſed proportionem formarū in ipſis, ita vt ſicut ſe habet cor in animali, ita præmiſſæ in demoſtratione, abſque methaphora &c.

4. Quantum verò ad Analogiā inæqualitatis, adhuc admittimus etiam hanc analogiæ ſpeciem, & valdè vtilem, licèt nō vt condiſtinctam ab analogia attributionis; Et hoc aſſerimus directè contra Caie. qui definiendo huius ſpeciei analoga, ait: eſſe illa, quorum nomen eſt commune, & ratio ſecundum illud nomē eſt eadem, quāuis inæqualiter participata quo ad perfectionem, vt V. g. homo, & brutū conueniunt in nomine, & ratione animalis, ſed quia homo participat naturam animalis contractam per rationalitatem, quæ eſt differentia perfectior irrationalitate in bruto, ideò natura animalis in homine

5. At quia Scotiſtę ex oppoſito admittunt varios, & diuerſos gradus, tā vniuocationis, quām analogiæ, & poſſibilitatem iſtius cum illa, in participāda eamdem communē rationē licèt in aliquo gradu inæqualitatis quoad ordinem, vel perfectionem eſſentialem, hinc aiunt hoc ſufficere ad inducendam veram analogiam, ex vi .n. huius inæqualitatis illa ratio communis in inferioribus; partim eſt eadem, partim diuerſa, in quo conſiſtit ratio analogiæ; quæ veritas fundata eſt in Doctrina Ariſt. q. 7. phy. tex. 31. vbi ait: in generibus latere æquiuocationem, clarum eſt autem genus vniuocum eſſe reſpectu ſpecierum, ergo eſt cōpoſſibilis analogia cum vniuocatione. Et 3. met. 11. innuit prius, & poſterius non ſtare cum perfecta vniuocatione, & ratio eſt, quia perfecta vniuocatio debet ab inferioribus participari cum omnimoda vniformitate & æqualitate, quo ad ordinem, & perfectionē eſſentialē; hinc in omnium ſententia, per analoga intelliguntur illa, quæ nec ſunt purè vniuo-

niuoca, nec purè æquiuoca, & ità Auerſa quæſt. 15. ſec.4. cum alijs, & cum Scotiſtis.

6. Sed vrgent aliqui cum Suar. non quamlibet indifferentiam ad inducendum analogiam ſufficere, & illam præſertim, quæ ex differentijs contrahẽtibus oritur, quia cũ hæc ſint extrinſecæ naturæ cõmuni, nõ minuunt vnitatem rõnis eius, & vniuocationem; vndè volunt ad analogiam inferendam, requiri inæqualitatem perfectionis, procedentem ex ipſa ratione communi, quæ ex ſe poſtulet prius, & abſolutè eſſe in ſua ſpecie, & deinde in alijs per habitudinem ad primum, quæ inæqualitas dici poteſt dependẽtia eſſentialis, & ſe exemplicant de ente reſpectu Dei, & creaturæ &c. de ſano reſpectu animalis, & medicinæ, vrinæ &c. Sed hæc reſponſio aduerſatur directè Ariſt. exemplis, nam euidenter loquitur de inæqualitate perfectionis, & ordinis, quæ reſultare ſolet in ipſa natura cõmuni in membris diuidentibus, & docuit hanc etiam aliquam analogiam inducere. Nec obſtat, quòd hæc inæqualitas non minuat vnitatem rationis eius; nos .n. nõ aſſerimus analogiam deduci ex defectu vnitatis naturæ, ſed ex defectu illius æqualitatis, & vniformitatis, qua natura ſpecifica in ſua inferiora deſcendit, vndè dicitur perfectè & purè vniuoca. Tùm quia non eſt omnino certum, vt benè hic Bell. & Mattr. aduertunt, talem inæqualitatem ex ipſa natura communi præcisè pullulare, cùm potius id contingat ex differentijs ſuperadditis, illam naturam contrahẽtibus, vt eggregiè Franciſcus de Mayrone docuit q. de vniuocatione Entis, dubio penult. & ſequuntur Hurt. diſp. 9. log. ſec. 3. Arriag. diſp. 11. log. ſec 2. Paſqu. p. 2. meth. diſp. 33. & alij. Et quãdo etiam talis inæqualitas in ipſa ratione communi admitteretur, vt ſufficiens ad analogiam, non ideò negari debet hanc etiam ex differentijs contrahentibus reſultare, de qua analogia fuit reuera locutus Ariſt. cum ait, in genere analogiã reperiri loco citato 7 phyſ. Tùm etiam, quia adhuc poteſt talis Analogia dici ex ipſa natura cõmuni procedi, cũ ex ſua natura petat inæqualitatem differentiarum; nõ poteſt tamen hæc analogia dici totaliter diuerſa ab analogia attributionis, quòd .n. eſt analogum analogia attributionis, per prius dicitur de vno, & poſterius dicitur de altero, quomodo ſemper intercedit inæqualitas, vt benè aduertit Faber in meth. lib. 4 diſp. 1.

7. Quantum tandem ſpectat ad Analogiam traſcendentiæ, aſſerimus ſolam traſcendentiam non ſufficere ad analogiam inducendã, ſed hoc fieri ratione inæqualitatis, ob quam prædicatum traſcendens in inferiora deſcendit per dependentiam eſſentialem vnius ab alio, & conſequenter non conſtituit ſpeciem diſtinctam ab analogia attributionis, & eſt doctrina Doctoris

locis

Digitized by Google

locis citatis, vbi docet, Ens, & alia prædicata traſcendentia, ratione huius inæqualitatis eſſe analoga. Patet etiam noſtra deciſio ex euerſione oppoſitæ ſententiæ, volunt .n. aduerſarij, vt ſunt Hurtad. Blanc. Didac. & alij, quòd ſola traſcendentia ſufficiat ad analogiã adducendam, & per traſcendentiã intelligunt rationem omnibus cõmunẽ, ac in eis eſſentialiter imbibitam; at hoc fundamentum ruinoſum eſt, multa .n. ſunt prædicata traſcendentia, quæ omnibus rebus non conueniunt, vt patet de conceptu voluntatis, ſcientiæ, iuſtitiæ, &c. quæ cùm in aliquo prædicamento non includantur, & indifferentia ſint ad finitum, & infinitum, traſcendentia dici debent, conceptus.n. traſcendentis primò, & principaliter in tali indifferentia finiti, & infiniti conſiſtit, & in excluſione à prædicamento, vt doctè Scot. monuit in primo diſt. 8. quæſt. 3. N. quicquid Hurt. contẽdat; ꝙ autem ſit communis pluribus, hoc ei accidit ait Doctor, vt etiam benè adnotauit Auerſa in phyſica quæſt. 3. ſec. 12. ita etiam ſubſtantia in communi ad Deum, & creaturam traſcendens dicitur, & tamen non eſt communis omnibus rebus; cũ igitur traſcendentia in ſuo primo conceptu non dicant partim ſimilitudinem, & partim diſſimilitudinem, in quo conſiſtit ratio analogiæ, ſed indifferentiam ad finitum, & infinitum, & excluſionem à prædicamento, equidem non ſe ſola, ſed ex vi inæqualitatis annexæ, qua mediante in inferiora deſcendunt, analogiam inducent.

8. Falſum eſt etiam, ipſum ens traſcendens formaliter, & quidditatiuè in vltimis differentijs, & ſuis modis contrahentibus includi, vt Scot. docuit in 1. diſt. 3. quæſt. 3. §. *contra iſtam vniuocationem*; Et conceſſo etiam, quòd inferiora, ac eorum differentiæ, & modi eſſentialiter traſcẽdentia includeret in ſuis rationibus, non tamen traſcendẽtia ita includerent inferiora, ac eorum differentias, quia inferiora, & contractiua ſemper ſuis ſuperioribus accidunt, quod verum eſt de omnibus gradibus, tàm traſcendẽtalibus, quã prædicamentalibus, vt doctis patere poteſt, ergo ratio præciſa traſcendentiæ tantũ ſimilitudinem inferiorum dicit, & cõſequenter non inducit analogiam, niſi ratione inæqualitatis, qua in ipſa inferiora deſcendit.

9. At inſtant aduerſarij: tunc aliqua ratio eſt analoga, quando in ea aliquo modo inferiora conueniunt, & differunt, in hoc.n. conſiſtit vera analogia, at ſola traſcendentia, & incluſio Entis V. g. in vltimis differentijs hominis, & equi, facit vt homo. & equus conueniãt in ratione Entis prout præciſa, & in eadem prout incluſa in vltimis differentijs diſtinguantur, ergo ſola traſcendentia analogiam inducit. ℞. negando minorem. Ens n. non includitur formaliter in differentijs, & modis contrahentibus.

Sed vrgent contrarij, ergo modi contrahentes ſunt nihil, & ità ens per nihil contraheretur; at negatur ſequela, eſto .n. modi entis non ſint entia, non tamen ſequitur, q̃ ſint nihil, vel non entia, ſed quod ſint aliquitates entis, vel formaliter paſſiones & modi entis, ſeù entia in obliquo, & identicè, non in recto, & formaliter; alia .n. eſt definitio Entis, alia modi Entis; ſic etiam riſibilitas nõ eſt rationalitas in recto, ſed in obliquo, nulla .n. paſſio eſt ſuum ſubiectum; ità pariter nullus modus contrahens eſt ſuum cõtrahibile formaliter, idem .n. eſſet contrahens, & cõtractum. Quam doctrinã fateri tenetur ipſemet Hurtad. & omnes illi aduerſarij, qui nobiſcum concedunt, differentias non includere formaliter rationem generis, nec modos rei eſſe res. Sed de his fuſius in meth.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*An Analogum dicere poſsit conceptum vnum præciſum ab Analogatis.*

SCot. q̃ mundanæ ſapientiæ ardua ſuperauit, dubium hoc egregiè examinauit in primo diſt. 3. quæſt. 3. in ſolut. ad 2. & d. 8. q. 3. in ſolut. ad tertium, & loquendo præſertim de analogia attributionis, & proportionalitatis primi modi. in 2. ſent. diſt. 12. quæſt. 2. in ſolutione ad 4. ſic ait: *Non eſt idẽ conceptus ſanitatis, qui dicitur de vrina de animali, & de dieta, nam non eſt idẽ formalis conceptus ſanitatis, vt eſt qualitas humorum, & vt eſt quid cauſatiuũ ſanitatis, dicet in vtroque materialiter includatur formalis conceptus ſanitatis, & tunc dico, quod huiuſmodi conceptus, ſunt formaliter diuerſi in illis, de quib. dicuntur &c.* Ex quibus verbis innuit huiuſmodi analoga non poſſe habere aliquem vnum conceptum naturæ, ſed ad ſummum habitudinem quamdam, per modum attributionis, vel proportionis, quæ vnitas proportionalis dici ſolet.

1. Circa hoc quæſitum duæ extãt opiniones, prima vniuerſaliter negat omnibus analogis vnitatem conceptus, ſed analogum dicere ſolùm oĩa ipſa analogata in confuſo, quatenus inter ſe aliquã habent habitudinem, ità Caiet. opuſ. cit. Compl. Ioann. de S. Tho. Vaſ. Ruu. Paſqu. & alij: Altera opinio affirmat, poſſe ſaltem in aliquibus reperiri conceptum vnum præciſum, ità Scot. lo. cit. in primo ſen. cum Scotiſtis communiter, excepto Fuentes, & ſequuntur Suar. in meth. diſp. 2. ſec. 2. & alibi. Hurt. in log. quæſt. 15. ſec. 3. Serna, & multi etiam ex Thomiſtica ſchola, vt Capreol. in p. diſt. 2. q. 1. Sotus cap. 4. anteprædicam. q. 1. & quicumque tenent Analogiam eſſe cũ vniuocatione interdũ cõpoſſibilẽ.

2. Supponimus pro deciſione quæſiti, hic nos loqui præſertim de conceptu obiectiuo, ex quo deducitur quid aſſerendum ſit de cõceptu formali, nullam enim habere poteſt vnitatem conceptus formalis, quam à conceptu obiectiuo non recipiat, vnitas ſiquidem imagi-

ginis, non niſi ex vnitate rei repręſentatæ attenditur; & ità non benè phyloſophantur illi, qui analogatis vnitatem conceptus obiectiui denegantes, vnitatem conceptus formalis concedunt. Recolendum eſt etiã id, quod ſupradiximus de analogatis, quædam .n. ſunt, quorum ſignificatum nõ reperitur intrinſecè & formaliter, niſi in principali analogato, in cæteris autem p denominationem extrinſecam, vt sũt analoga attributionis, & proportionalitatis primi modi, videlicet ſanum reſpectu animalis, & medicinæ; riſus reſpectu hominis, & prati, &c. quædam autem ſunt, quorum ſignificatũ reperitur formaliter in omnibus analogatis, ſed primariò, & principaliter in vno, in quo eſt independenter, quomodo ſe habet analoga attributionis, & proportionalitatis ſecundi modi, patet de Ente reſpectu Dei, & creaturæ; ſubſtantiæ & accidentis &c. Et de principio reſpectu fontis, & cordis &c. quibus habitis.

*Concluſio Prima.*

3. *Dicimus primò, analoga attributionis, & proportionalitatis primi modi non poſſe habere vnum conceptum communem, neque obiectiuum, neque formalem, ſed plures, cum vnitate tamen comparationis.* Cõcluſio eſt Scoti locis citatis, & præſertim in 1. diſt. cit. & probatur: vnitas talium analogorum non conſiſtit in aliquo, q formaliter in omnibus reperiatur, ſed in ordine vnius vel plurium ad vnum terminum, à quo recipiũt denominationem, & ad quem habent connotationem, vel habitudinem, ergo reduci non poſſunt ad vnicum tantùm conceptũ, conſequentia patet, quia cùm talis vnitas ſit ordinis, & habitudinis vnius ad aliud, neceſſariò plures cõceptus petit tali ordini adiunctos ad talem habitudinem exercendã. Probatur ſecũdò, nam ab eo, quod eſt ſimpliciter tale, & per intrinſecam denominationem, & ab eo, q eſt ſecũdum quid tale per denominationem extrinſecam, non poteſt abſtrahi vna ratio communis, à Scot. in 1. d. 29. q. vn. ſed res ità ſe habet in huiuſmodi analogatis, ſolùm .n. principale analogatum dicitur abſolutè, & ſimpliciter tale per denominationem intrinſecã cætera verò dicuntur talia ſecundùm quid per denominationem ab illo; ergo &c. Tùm tandèm, q a de his analogis verificatur præcipuè illud commune Dialecticorũ axioma, quòd .ſ. analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato; ſi autem poſſet ab his analogis vnicus conceptus communis abſtrahi, analogum vtique pro hoc etiam ſupponeret, non pro famoſiori analogato; vnde etiam ſequitur huiuſmodi analogum non poſſe eſſe medium in demoſtratione, cùm plures rationes, non vnicam tantùm ſignificet.

*Concluſio Secunda.*

4. *Dicimus ſecundò, Neque etiam analoga omnia denominationis intrinſecæ habere vnum conceptum communẽ*

*præciſum, ſed analoga tantùm attributionis ſecundi modi, vt eſt ens reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidẽtis &c.* colligitur ex Doct. locis cit. & probatur, nam quædam analoga proportionalitatis ſecũdi modi, vt ſunt, V. g. principium reſpectu cordis, fontis, Patris, &c. ſunt vtique analoga pèr denominationem intrinſecam, cùm vnũquodq; purè dicatur tale, & non tantùm metaphoricè, & tamen non habent vnum conceptũ communem, ergo non omnia intrinſecæ denominationis analoga habent cõmunem conceptum præciſum; patet antecedens, nam vt ab huiſmodi analogis conceptus communis abſtrahatur, debent repræſentari ꝓpriè ipſorum analogatorum rõnes ſub vnico conceptu, cum aliqua tamen ſimilitudine inter ſe, quæ proportionalitas appellatur; ſed tales rationes nõ poſſunt vnico cõceptu repræſentari, ergo &c. probatur min. nam licèt hæc analoga ſint talia per intrinſecam denominationem formæ, hæc tamen denominatio nõ ſumitur ab vna forma in omnibus intrinſecè reperta, ſed à pluribus, & diuerſis, ſicut in æquiuocis, ſed vt proportione ſimilib⁹, proportio autem eſt eſſentialiter ad aliud, & non poteſt aliquid intelligi, vt proportionem habens, niſi cum alio conferatur.

5. Ex hac doctrina probata remanet altera concluſionis pars ꝙ .ſ. Analoga attributionis ſecundi generis habeant vnum conceptum communem præciſum; hæc .n. analoga propriè, & intrinſecè dicũtur ab vna forma, quę in omnibus, & ſingulis eſt eiuſdem rationis, ratione propriæ conuenientiæ abſtrahibilis eſt vna ratio omnibus communis, vt de ente patet, & cæteris traſcendentibus, &c. quod in meth. in diſp. propria probandum relinquitur. Eſt tamen valdè adnotandum ex Scot. in 1. d. 8. q. 3. quòd vnitas talis conceptus huiuſmodi analogis, non conuenit ex vi ipſius analogiæ, ſic .n. habere nõ poſſunt, niſi vnitatem attributionis, & ordinis ad principale analogatũ, quæ vnitas licèt ſit maior vnitate æquiuocationis, eſt tamen minor vnitate vniuocationis, & ità analoga, vt analoga ſunt, nõ poſſunt ad vnitatẽ cõcept⁹ abſtrahibilis peruenire, ſed hoc aſſequũtur ex vi vniuocationis annexæ.

*Obiectiones.*

6. Ob. quòd omnia analoga vniuerſaliter habeant conceptum communem præciſum, ſic omnia analoga quantumuis imperfecta, analoga ſunt, non æquiuoca, ergo aliquod commune habent, non ſolum in voce, ſed etiam in rè per illam ſignificata. ℞. ꝙ habent tantùm aliquam connexionem, habitudinem, ſeu dependentiam inter ſe, vel ambo ad tertium, ratione cuius vnum nõ poteſt ſine alio cõcipi, in quo differunt ab æquiuocis, quæ ex vnitate vocis non habent connexionem particularium conceptuum, & ità ex pronuncia-

tione canis, poteſt intellectus ad libitum ita ſolū concipere canem terreſtrem, ſicut piſcem marinum, quod non euenit in analogis, quæ tamen non habent conceptum cō-munem naturæ in omnibus analogatis obiectiuè repræſentatæ.

Ob. Analogum de ſuis prædicatur analogatis, ergo vel de illis ſola vox prædicatur, & ſic erunt purè æquiuoca, vel aliquod commune, per eam vocem ſignificatum, & ſic habetur intentū. ℞. concedendo analogū de ſuis analogatis prędicari, ſed ſecundum diuerſas rationes, licèt ſecundum aliquā habitudinem inter ſe, & in hoc differunt ab æquiuocis, quæ habēt quidem nomen commune, diuerſa ſignificans, abſq; tamen illa prorſus habitudine, vel ꝓportione inter ſe.

Ob. Cùm aliqua concipiuntur, vt plura ſecundum rationes eſſentiales, concipiuntur vt æquiuoca, ergo vt concipiantur vt analoga, cōcipi debent ſecundum aliquam rationem communem. ℞. ſufficere analogis, vt ſimul cōcipiatur proportio, quam habent adinuicem, quod non contingit in æquiuocis.

Ob. Quando analoga concipiū-tur, vel ſunt plura ſimpliciter, vel aliquo pacto vnum: ſi primum, nō cognoſcuntur, vt analoga, ſed vt merè æquiuoca, ſi ſecundum, ergo aliquam rationem obiectiuā vnitis habent. ℞. Analoga cognoſcū-tur vt plura ſimpliciter, & vnum proportionaliter, æquiuocis autē nulla vnitas conuenit, neque attributionis, neque proportionis.

Ob. 2. Quòd omnia analoga ſaltē intrinſecæ denominationis cō-munem conceptum præciſum habeant: ideo Analogis attributionis cōceditur conceptus communis abſtrahibilis, & præciſus, quia omnia huiuſmodi analogata dicū-tur talia per denominationem intrinſecam, ſed analogata proportionalitatis ſunt etiā talia per denominationem intrinſecam, ergo, &c. ℞. ad maiorem, analogis attributionis aſſignari vnitatem conceptus, non præcisè, quia intrinſecè talia denominantur, ſed quia ſic denominantur ab vna, & eadē forma in omnibus; quod non euenit in analogis proportionalitatis.

Sed cōtra, ſicuti abſtrahi poteſt ratio Entis à Deo, & creatura, ſubſtantia, & accidente, ità etiam ratio principij à corde reſpectu vitæ, à fonte reſpectu riuulorum &c. ſicut & ratio gubernatoris à directione domus, Ciuitatis &c. ergo non debet ſimilibus analogis conceptus præciſus denegari; &c. ℞. neg. aſſumptum, Et ratio eſt; quia ſub nomine principij, gubernatoris &c. non ſignificatur vna forma, quæ ſimpliciter ſit, in ratione formæ, ſed ſolùm innuitur quædam conuenientia, & proportio in eis in modo habendi ſuas formas. ſ. ratio principij in corde, & fonte, non dicit vnicam formam conſtituentem rationem cordis, & fontis, ſed omnino diuerſas, licèt ſuo modo, & proportionaliter habeāt ratio-

neni

nem principij; Nõ ita ſe habet ens reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidentis, quæ reuera Entia dicuntur ſecundum eamdem rationem, & quidditatem entis.

Ob. Saltèm ipſa proportionalitas, ſeu ſimilitudo proportionum poteſt præſcindi ab his analogis, & vnico conceptu intellectui repræſentari, ergo &c. R. poſſe vtique præſcindi conceptum communem proportionalitatis ab hac, & illa relatione proportionis, ſed hæc analoga ſcilicet principium, gubernator, &c. non ſignificant gradum ipſum relationis ſ. proportionalitatem, in qua duæ proproportiones conueniunt, ſed inſinuant ipſa extrema, inter quæ proportionalitas verſatur, quæ in ratione analogorum non cõſiderantur ſecundum gradum communem, ſed ſecundum proprias rationes, licèt proportionaliter; poteſt igitur ab his relationibus abſtrahi communis conceptus, ſed talis erit vniuocus &c.

Tandem obijcitur, è contra, quòd nullum prorſus analogũ poſſit habere conceptum vnum præciſum communem analogatis, tali medio; eſt implicantia in terminis, quòd ſit conceptus analogiæ, & ſit vnus; analogia .n. intrinſecè includit, vel plures rationes habentes inter ſe proportionem, vel plures habitudines ad vnam formam, ergo conceptus obiectiuus analogi non poteſt eſſe vnus; R. hoc argumentum vrgere illos, qui analogum purum admittunt, & adhuc habere conceptum præciſum, vt de tranſcendentibus aſſerunt, nobis autem nihil officio, quia non ponimus purũ analogum, ſed ſemper cum vniuocatione, vel æquiuocatione admixtum; & ideò concedimus, quod analoga, vt analoga ſunt, numquã peruenire poſſunt ad vnitatem cõceptus abſtrahibilis, quod ſi interdum euenire contingit, vt in tranſcendentibus patet, hoc vtique erit ratione vniuocationis annexæ, Vt ſupra diximus.

## ARTICVLVS SEXTVS.

*An Analogum mediet inter Vniuocum, & Aequiuocum.*

SCot. veteranus vtique Palladis miles, & Preſul. in 1. d. 8. q. 3. in ſolut. ad tertium, §. *Ad Argumenta*, loquendo de vnitate analogiæ, quam ibi vocat attributionis, ait: *Ad aliud de attributione dico, quòd attributio ſola non ponit vnitatem vniuocationis, & minor vnitas non includit maiorem, tamen minor vnitas poteſt ſtare cum maiori vnitate, ſicut quæ ſunt vnum genere, ſunt vnum ſpecie, licèt vnitas generis ſit mini quam vnitas ſpeciei, ita hic concedo, quod vnitas attributionis non ponit vnitatem vniuocationis, poteſt tamen ſtare cum ea, licet hæc formaliter non ſit illa*: Hæc Scot. quibus verbis manifeſtè inſinuauit duo includere analogũ in ſuo conceptu, materiale, ſ. & formale; & licèt quoad materiale ſemper admixtum reperiatur cum æquiuocis, vel vniuocis, non tamen quoad

for-

formale. Per analogum materialiter ſumptũ, intelligitur ipſummet prædicatum, quod denominatur analogum; pro formaliter accepto intelligitur ipſa ratio analogiæ, quæ ipſum tale denominat. Hinc quæſtio poteſt in vtroque ſenſu agitari, & reſolui .ſ. pro materiali, & pro formali.

Thomiſtæ omnes ſine vlla diſcrepantia, aſſerunt analogum mediare inter vniuocum, & æquiuocum; Scotiſtæ è cõtra pro comperto habent analogum nullo modo inter vniuoca, & æquiuoca mediare, ità Faber in meth. lib. 4. diſp. 1. cap. 11. Meuriſſe in meth. lib. 1. quæſt. 3. not. 3. & Formaliſtæ omnes.

*Concluſio.*

1. *Dicimus, Analogum materialiter ſumptum ſemper cum vniuoco, vel æquiuoco coincidere, formaliter vero acceptum, ſemper inter alterutrum mediare.* Concluſio eſt Scoti loco citato, & ſenſus eſt, quòd quamuis analogũ ſit ſemper materialiter mixtum cũ vniuocis, vel æquiuocis, formaliter tamen ſemper remanet impermixtum, quatenus ratio formalis, ſeù quidditas analogiæ nunquam cũ ratione formali vniuocationis, vel æquiuocationis coincidit, ſiquidem vnitas analogiæ eſt diuerſa ab vnitate vniuocationis, & æquiuocationis, & ità quoad primam partem concluſio probatur cõtra Thomiſtas: Vnitas analogiæ eſt quædam vnitas proportionis, ſeu ordinis, vel attributionis vnius ad aliud; vel plurium ad tertium, ſed hæc vnitas ordinis ſtat cum vnitate æquiuocationis, vel vniuocationis, ergo fruſtra recurritur ad aliud medium, quod non ſit neque æquiuocum, neque vniuocum, maior patet ex dictis, minor probatur; quia .n. analogia, vel vnitas attributionis ſtet cum vnitate æquiuocationis, patet de riſu reſpectu hominis læti, & prati floridi, qui conuenit ut æquiuocè, tamen prius dicitur de homine, poſterius de prato dependenter ab illo, ergo &c. multa alia exempla adduci poſſunt de his æquiuocis à conſilio, quæ tamen analoga appellantur propter talem ordinem, & attributionem.

2. Quòd etiam vnitas attributionis, ſeù analogiæ ſtet cum vnitate vniuocationis, egregiè probat Scot. loc. cit. vbi ſic ait: Species eiuſdem generis habent eſſentialẽ ordinem, ſiuè attributionem ad primum illius generis ex 10. meth. tex. 2. quod eſt metrum, & menſura omnium aliorum in tali genere, & tamen cum hoc ſtat vnitas vniuocationis ratione generis in ipſis ſpecieb. ità & multo magis oportet eſſe in propoſito, quòd in ratione Entis, in qua eſt vnitas attributionis, & analogiæ, attributa habeãt vnitatem vniuocationis, quia nũquam aliqua comparantur vt mẽſurata ad menſurã, vel exceſſa ad excedens, niſi in aliquo vno conueniant, ſicut .n. comparatio ſimpliciter eſt in ſimpliciter vniuoco 7. phyſic. tex. 24. ita omnis comparatio eſt in aliqualiter vniuoco; quan-

quãdo .n. dicitur hoc eſt perfectius illo, ſi quæratur quid perfectius? oportet ibi aſſignare aliquid commune vtrique extremo cõparationis, nõ .n. homo eſt perfectior homo, quàm aſinus, ſed perfectius Animal; & ità ſi aliqua comparentur in ente, in quo eſt attributio, ſeu analogia vnius ad alterum, & hoc eſt perfectius illo, oportet entitatem eſſe aliquo modo communem vtriq; extremorum. Hæc Scot. cõſiderent docti eminentiam huius Doctoris, & quot medijs, paucis verbis ſuam fulciat ſententiam. Si igitur Deus eſt perfecti⁹ ens creatura, oportet entitatem eſſe vtriq; communem, in qua cùm ſit attributio vnius ad aliud, & analogia, manifeſtè oſtenditur vnitatem attributionis ſtare ſimul cum vnitate vniuocationis.

3. Pr. 2. clarius: tunc aliquod prædicatum cenſetur analogum, cũ pluribus conuenit, ſed inæqualiter, & vni dependenter ab alio, nam analogia ſemper ſecum affert inæqualitatem, & attributionem vnius ad aliud, analogum .n. abſolutè ſũptum ſtat pro famoſiori ſignificato, poteſt autem huiuſmodi prædicatum ad illa plura habere cum vnitate talis ordinis communitatem, vel ſolius nominis, vt eſt de riſu reſpectu hominis, & prati; vel etiam rationis, vt eſt de ente reſpectu Dei, & creaturæ, nec aliud medium excogitari videtur; ſi primum, erit analogum æquiuocum, ſi ſecundum, erit analogum vniuocum, ergo &c.

Confirmatur: omnia analoga aut ſunt attributionis, aut proportionalitatis, nam aliæ duæ .ſ. inæqualitatis, & traſcendentiæ, non ſunt ab his diſtinctæ; ſed hæc oĩa coincidunt cum æquiuocis, vel vniuocis, ergo &c. pr. min. analoga .n. attributionis, & proportionalitatis primi generis coincidunt cũ æquiuocis, vt patet ex dictis, ſolũ .n. habent nomen commune, ſed rationes ſunt diuerſæ, nam primũ analogatum propriè eſt tale, ſecũdum impropriè, & per methaphoram; primum abſolutè eſt tale, alterum per quamdam proportionem, & ſimilitudinem: primum eſt tale per formam ſibi intrinſecam, alterum extrinſecè & per habitudinem ad illud, vt patet de ſano reſpectu animalis, medicinæ, diętæ, vrinæ, &c. & de riſu reſpectu hominis, & prati &c. Hinc rationabiliter Maſtr. & Bellut. Fabrum carpiunt qui 4. meth. ait ſanum in ordine ad illa eſſe vniuocum, eſt enim directè contra Scot. pluribus in locis, & præſertim in 4. diſt. 12. q. 1. lit. H. patet etiam de analogis proportionalitatis ſecũdi generis, quæ licèt talia dicantur per intrinſecam denominationem, adhuc tamen, quia talis denominatio non ſumitur ab vna forma eiuſdem rationis in omnibus, ſed à diuerſis in ſingulis eorum, quamuis vt proportione ſimilibus, ideo adhuc cũ æquiuocis coincidũt. Analoga denique attributionis ſecundi generis,

ris, quia intrinſecè denominantur ab vna forma eiuſdem rationis in ſingulis exiſtentibus, qua ratione ab eis abſtrahibilis eſt communis conceptus, ad vniuoca ſpectant, vt ex dictis patet, ergo &c. Et hæc eſt ratio, quare Ariſt. poſtquam in anteprædic. egit de æquiuocis, & vniuocis, nullum deinceps ſermonem de Analogis inſtituit, quia vidit analoga ad æquoca, vel vniuoca reduci debere, ſaltem materialiter.

Reſpondent multi ex Recentioribus cum Suar. in meth. diſput. 2. ſec. 2. & diſp. 28. ſec. 3. quòd eſtò analoga attributionis ſecundi generis habeãt vnitatem conceptus, & ſuis inferioribus conueniunt ſecundum eamdem rationem, adhuc tamen vniuoca dici non poſſunt, & ratio eſt, quia ad vniuocationem præter vnitatem nominis, & rationis adhuc requiritur, quòd illa ratio cõis æqualiter participetur à ſuis inferioribus, defectu cuius æqualitatis, præfata analoga, quæ omnia traſcendentia comprehendunt, non poſſunt dici vniuoca, qa inæqualiter deſcendunt ad Deum, & creaturam, ſubſtantiam, & accidens. Et fuit etiam ſententia aliquorum veterum Thomiſt. qui poſuerunt rationem analogiæ conſiſtere in hoc, quòd analoga participent ſecundum prius, & poſteri', vniuoca verò, quòd participent æqualiter, & quia æquiuoca nullo modo participant ſecũdum rationem, vniuoca participant æqualiter, analoga verò inæqualiter ſecundum prius, & poſterius, ideò analogum mediare inter æquiuocũ, & vniuocum aſſerebant.

4. Sed hæc ſolutio nihil officit; Ariſt. n. in definitione vniuocorũ, nec verbum quidem fecit huius æqualitatis, quam dicunt aduerſarij formaliſſimè conſtituere vniuocationem, ſignum euidentiſſimum non pertinere ad vniuocationem ſimpliciter ſumptam, ſed ſolùm ad vniuocationem perfectam, & in 1. gradu aſſignatam, quam Phyſicam vocant. Tùm quia ſequeretur, ait Scot. quòd nullum genus eſſet vniuocum, nam inter ſpecies cuiuſcũque generis, datur inæqualitas eſſentialis, ob differentias contrahentes, quarum vna eſt eſſentialiter perfectior alia. Reſpondent, q aliqua ratio cõmunis poteſt participari inæqualiter à ſuis inferioribus dupliciter, vel intrinſecè, & ratione ſui, ità quod ſecundum ſe ſit perfectiori modo in vno, quam in alio, & in vno cũ eſſentiali depẽdẽtia ab alio; vel extrinſecè tantùm, & ratione contrahentium, & talis eſt inæqualis participatio naturæ genericæ à ſpeciebus, quæ nõ tollit vniuocationem, nec analogiam conſtituit, cùm merè ab intrinſeco proueniat, ſed inæqualitas primi generis propriè vniuocationẽ tollit, & ponit analogiam, nam prouenit ab intrinſeca ratione ipſius naturæ participatæ, quæ intrinſecè petit contrahi per differentias inæquales, & prius deſcendere ad vnum analogatum, poſterius ad a-

liud in virtute prioris; ità ſe habet ens, cum cæteris traſcendentibus reſpectu Dei, & creaturæ, ſubſtãtiæ, & accidentis; quantùmuis .n. abſtractè ratio entis concipiatur, adhuc in tali ſtatu eſt exigitiua differentiarum inæqualium, & intrinſecè petit hunc ordinem, vt p ſe primò competat Deo, & dependenter ab eo in cæteras deſcendat; ità Suar. quem ferè omnes Recentiores ſequuntur.

5. Sed bona pace ipſorum, neq; hæc ſolutio ſatisfacit, Tùm quia Ariſt. in definitione vniuocorum nec verbum minimum fecit de huiuſmodi æqualitate, quod facere debebat, ſi intrinſecè vniuocatio in tali æqualitate conſiſtit, ſed ſolùm vnitatem nominis, & rationis requiſiuit. Tùm quia etiam natura generica quantũuis abſtracta concipiatur, eſt ſuaptè natura exigitiua contrahi per differentias inæquales, ſemper .n. eſt per differentias inæquales contrahibilis, ergo ſi in his admittitur vniuocatio, ſimiliter, & in traſcendentibus, vel in neutris admittenda erit. Tùm quia doctiſſimis viris nunquã placuit, quòd inæqualitas, quæ analogiam cõſtituit, proueniat ab ipſa ratione communi; & non potius à rationibus cõtrahentibus; & fundamentũ eſt, quia ratio communis non poteſt inæqualiter deſcendere, niſi aliquod de ſe dicat in vno, quod nõ dicit in alio, aliàs ſi æqualiter quod dicit in vno, etiam in altero dicit, iam deſcẽderet æqualiter, & non inæqualiter, hoc autẽ ſtare non poteſt cum eius vnitate, & indiuiſibilitate, ergo dicere oportet, quod ſemper inæqualitas ab extrinſeca ratione contrahente proueniat. Quòd ſi tandem dicãt, non quamlibet inæqualitatem ſufficere ad analogiã, ſed præcisè eſſe debere inæqualitatem per differẽtias dependentiæ, & independentiæ, hoc eſt vtique volũtariè dictũ, nec authoritate aliqua, neo ratione fulcitur, imò eſt directè contra Ariſt. authoritatem, qui 7. phyſ. 31. & 10. meth. 26. ob ſolam inæqualitatem naturæ genericæ analogiam permiſit; fauet etiam nobis ratio, quælibet .n. inæqualitas in communicatione naturæ dummodo ſit per differentias eſſentiales, ſufficit ad inducendam analogiam maiorem, vel minorem, cum vniuocatione tamen compoſſibilem, & ideò varios gradus analogiæ, & vniuocationis ſupra aſſignauimus.

Altera pars concluſionis, .ſ. q analoga formaliter ſumpta non coincidãt cum vniuocis, vel æquiuocis, ſed in hoc ſenſu medient inter illa, eſt etiam Scoti loc. c. quod à Scotiſtis negari non poteſt; Et ſi aliquando negant analoga mediare inter æquiuoca, & vniuoca, veriſimile eſt, quòd in ſenſu materiali loquuntur, & ità facilè probatur: vnitas analogiæ, licèt cum æquiuocatione, vel vniuocatione in eodem prędicato reperiatur, nõ tamen formaliter confundi debet cum hac, & illa, ſed ſemper manet for-

Digitized by Google

formaliter ab vtraque diſtincta, & eſt maior vnitate æquiuocationis, quia hæc eſt vnitas ſolius nominis, ſupra quam analogia addit vnitatem attributionis, vel proportionis; eſt etiam minor vnitate vniuocationis, quia quæ ſunt vnum per habitudinem attributionis, vel proportionalitatis, nō oportet, vt habeant habitudinem ſecundum eamdem rationem omnib. intrinſecè participatam, vt patet exemplis de ſano, & riſu, &c. ergo vnitas analogiæ formaliter verè mediat inter vniuocationem, & æquiuocationem, licèt materialiter cū vtraque compoſſibilis ſit. Confirmatur, quāmuis .n. analoga à parte rei ſemper coincidant cum vniuocis, vel æquiuocis, ſemper ramē alia eſt ratio, & definitio analogię, æquiuocationis, & vniuocationis, vt omnibus patet; ſi .n. analogum coincidit materialiter cum æquiuoco, ratio equiuocationis conſiſtit cum illa cōitate nominis, cui diuerſæ correſpōdent rationes, ratio analogiæ cōſiſtit cum illa quomodocumque vnitate attributionis, vel proportionis vni⁹ ad aliud quatenus in illo communi nomine participant; ſi verò analogum cum vniuoco coincidat, ratio vniuocationis cōſiſtit in illa vnitate nominis, & rationis, analogia verò in illa vnitate ordinis, & attributionis vnius ad aliud, vel plurium ad tertium; quæ vnitas ſemper minor eſt vnitate vniuocationis, ergo verè formaliter mediat inter vniuocum, & æquiuocū ita Maſt. & Bell. ſemper benè, & doctiſſimè in deciſionibus ſuis.

*Obiectiones.*

6. Ob. Thomiſtæ probando, q analogum verè mediat inter æquiuocum, & vniuocum: analoga dicuntur illa, quorum nomen eſt cōmune, & ratio tali nomini ſubſtās, partim eſt eadem, partim diuerſa, ergo verè mediāt inter æquiuoca, & vniuoca; *nam æquiuoca ſunt illa, quorum nomen eſt commune, & ratio importata per nomen eſt omnino diuerſa*; Vniuoca verò, *quorum ratio eſt prorſus eadem*. ℞. conſeq. eſſe veram in ſenſu formali, non in ſenſu materiali.

Ob. 2. Analogum, vt ſic plura immediatè ſignificat ſecūdum rationes diuerſas, non abſolutè ſumptas, ſed vt proportionaliter ſe habentes, ergo in nullo ſenſu poteſt cum æquiuoco coincidere, quòd plura ſignificat ſub diuerſis rationibus, vt ſic abſque aliqua habitudine, & cum vniuoco, quod plura ſub vna, & eadem ratione ſignificat. ℞. vt ſupra, argumentum admitti poſſe in ſenſu formali, cum quo ſtat, quod materialiter omne analogum reducitur ad æquiuocū, vel vniuocum.

Tertiò: Vniuocum, vt ſic dicit conuenientiam plurium ſub eadē ratione, præſcindendo à diuerſitate, æquiuocū è contra dicit diuerſitatem in rationibus præſcindendo à conuenientia, ergo prædicatum analogum, quod ſimul dicit vtrum-

vtrumque, nec etiam materialiter poteſt coincidere cum iſtis, aliter idem prædicatum ſimul, & ſemel præſcinderet, & non præſcinderet à conuenientia in ratione communi, vel à diuerſitate. ℞. negando conſequentiam in ſenſu materiali, quæ ſola vera eſt in ſenſu formali, & ratio eſt, quia eſtò ipſa ratio vniuocationis præſcindat à diuerſitate, non tamen ipſum prædicatũ vniuocum (niſi ſit purum, & perfectum) nam poteſt eſſe ſimul analogum; & ità non implicat vnum, & idem prædicatum importare ſimul conuenientiam, & diuerſitatẽ ſub diuerſis rationibus, analogiæ ſ. & vniuocationis in ipſo coniunctæ, ſicut non implicare oſtendim' idem prędicatum eſſe ſimul analogum, & vniuocum, vel æquiuocũ.

Ob. Vltimò ex quibuſdam Scotiſtis, qui velle videntur in nullo ſenſu analogum mediare inter ęquiuocum, & vniuocum, & ratio eſt, quia inter contradictoria non datur medium, ſed vniuoca, & æquiuocà ſunt huiuſmodi, ergo, &c. probatur minor, nam vniuoca dicuntur illa, quorum nomen eſt cõmune, & ratio ſubſtantiæ eſt eadẽ; ęquiuoca verò, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ non eadem eſt, at habere, & non habere eamdem rationem eſt contradictio, ergo, &c. ℞. minorem eſſe tãtùm vera materialiter, ſic.n. vtique contradictio eſt, quòd ſit aliquòd prædicatum, & nõ ſit æquiuocum, vel vniuocũ, at formaliter eſt falſa, nã alia eſt ratio analogiæ, alia æquiuocationis, alia vniuocationis.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### *De Natura Denominatiuorum.*

1. SCot. qui publicæ famæ præconijs commendatur, de his diſſerit præſertim quæſt. 8. prædicam. & quæſt. 16. prædicab. & in 2. ſentent. diſt. 12. quæſt. 1. lit. I. & ſæpè alibi. Hunc art. breuiter in aliqua dubia reſoluem'; pro cuius intellectu ſupponimus tamquam certum apud omnes, terminum denominatiuum eſſe illum, q̃ formam ſignificat per modum alteri adiacentis, informantis, & denominantis, ſeu qualificantis & tale eſt omne concretum accidentale, ſubſtantiale verò tũc ſolùm, quando nomine adiectiuo ſignificatur; vt Corporeus corporea corporeũ, animatus animata animatum &c. vndè ſequitur, quòd omnia concreta accidentalia ſint denominatiua, ſubſtãtialia verò tantùm, cùm nomine ſignificantur adiectiuo; & ſicut prædicatio denominatiua ꝓpriè importat prædicationem accidentalem, & non niſi extenſiuè eſſentialem, ſic etiam denominatiua propriè importãt prædicationẽ accidentalem, & non niſi extenſiuè eſſentialem, ſic etiam denominatiua propriè important concreta accidentalia, & ſolum extenſiuè eſſentialia, prædicãtia in quale quid, vt benè Braſauol. adnotauit q. 16. Vniuerſalium ad primũ. Denominatiua igitur propriè dicta, quæ ſunt concreta accidentalia,

lia,

lia, ita Ariſt. in antepraedicamentis definiuit .ſ. eſſe *quæcumque ab aliquo ſolò differentia caſu ſecundum nomen habent appellationem, vt à grammatica grammaticus, à fortitudine fortis &c.* Cuius definitionis ſenſus eſt (ſecundum expoſitores communiter) quòd denominatiua, ſeù paronyma, quæ ſemper ſunt concreta, cum forma denominãte, quæ ſemper eſt abſtracta, conueniunt in principio nominis, quod innuitur per ly ſecundum nomen habent appellationem; & differunt in fine, & terminatione, ſeù deſinentia eiuſdem, quod inſinuatur per ly ſolo caſu, .i. cadentia nominis: Hinc aliqui ad ſoluendas difficultates circa talem definitionem emergentes, tripliciter denominatiuum diſtinguunt, nempe in re tantùm, in voce tantùm, & in re, & voce ſimul; in re tantùm, quando participatio eſt ſolùm in re, non autẽ in nomine, vt ſtudioſus à virtute, quam homo participat, vbi non eſt denominatio in voce, quia in voce non correſpondent virtus, & ſtudioſus; alia ſunt in voce ſola, vt ſtudium, & ſtudioſus, non in re, ſtudioſus .n. non dicitur à ſtudio, ſtudium namque ſignificat diligẽtiam, ſtudioſus verò virtute præditum. alia ſunt in re, & in voce, vt albedo, & album, grammatica, & grammaticus; & hæc (aiunt) sũt perfecta denominatiua, ſeù paronyma, quæ hic Ariſt. definiuit, alia verò ſecundum quid.

2. Primo igitur dubitatur an hæc definitio intelligi debeat merè grammaticaliter; vt nonnulli ſentiunt, an potius logicè explicãda eſſet. Et R. cum Scoto loc. cit. quẽ ſequũtur Anton. Andr. Nicol. de Orbellis, & communiter Scotiſtæ, intelligendam eſſe logicè, & .l. Ariſt. denominatiua ſolùm accidẽtalia definierit, vt ex eius exemplis conſtat, poteſt tamen tota definitio intelligi de denominatiuis, etiam eſſentialibus; & fundamentũ eſt, quia ſi hæc definitio purè grãmaticaliter intelligenda eſſet, multæ denominatiuæ prædicationes de medio tollerentur, vt à muſica mulier muſica, in qua prædicatione eſt conuenientia in principio & fine vocis. Item non ſolùm nomina adiectiua à ſubſtantiuis abſtractis deriuata, appellarentur denominatiua, ſed etiam caſus obliqui nominum, qui cum recto conueniunt in principio vocis, & differũt in fine, vt Doctor doctoris, tempus temporis. Quod etiam aſſerendum eſſet de multis aduerbijs à nominibus deriuatis. Item non ſolùm concreta accidentalia, denominatiua dicerentur, ſed etiam ſubſtantialia, non ſolùm adiectiuè accepta, animal .n. ita conuenit cum animalitate, & homo cum humanitate in principio, & fine vocis, ſicut albus cum albedine &c.

3. Melius igitur dicendum eſt cum Scoto, quòd definitio hæc accipienda eſt logicaliter, & ſenſus eſt, quia concretio formæ, & naturæ alicuius poteſt eſſe duplex ex

Doctore qu.16. vniuerſalium, vna ad ſuppoſitum eiuſdem naturæ, vt homo, alia ad ſuppoſitum alterius naturæ, vt ſubiectum, vt album, ità caſus, ſeu cadentia formæ ad aliud poteſt eſſe, vel ſicut accidentis ad ſubiectum, vel ſicut formæ ad ſuppoſitum eiuſdem naturæ; vt humanitas ad hominem, &c. Per caſum in præfata definitione non debem᷒ intelligere definitionem nominis, ſed cadentiam formæ ad ſubiectũ, ſeù ſuppoſitum alterius naturæ, nõ propriæ, quia ſic eſſet denominatiuum eſſentiale, & potius ad prædicata vniuoca pertineret. Cũ autẽ dicitur ſecundum nomẽ habent appellationem, hoc non debet intelligi quaſi per nominis deriuationẽ ab alio, ſed potius quia prædicantur ſecundum nomen tantũ de re denominata, vt benè hîc Maſtr. & Bell. aduertunt, appellare, n. quandoq; pro prædicari accipitur ex 2. Topic. cap. 2. quod etiã ipſemet Ariſt. fecit in explicatione huius particulæ cap. de ſubſtantia, cũ ait: differentias eſſentiales non prædicari denominatiuè, benè tamen accidentia de ſuis ſubiectis, quia prædicantur de illis ſecundũ rationem, .i. accidentaliter, & nõ eſſentialiter; quando autem dicimus, quòd forma denominans debet eſſe quid accidentale, nomine accidentis intelligimus quicquid non eſt de eſſentia ſubiecti, quamuis entitatiuè, & materialiter rationem ſubſtãtiæ haberet, ſicut in. iſta eſt prædicatio denominatiua .ſ. homo eſt albus, ità ſimiliter iſta; corona eſt aurea, vt diximus de accidente prædicabili, &c.

4. Secundò Dubitatur, an hic definiãtur denominatiua, quæ ſumuntur à forma intrinſeca, an etiã illa, quæ à forma extrinſeca deriuantur. Supponitur, quòd denominatiua ſint duplicis generis, quædã per intrinſecam denominationem, quę denominatio ſumitur à forma intrinſeca, ſeù inhærente in ſubiecto, vt paries, qui dicitur albus ab albedine, ei realiter inhærente; q̃dam per extrinſecam, quæ ſumitur à forma in alio ſubiecto, quomodo paries dicitur viſus à viſione exiſtente in oculo &c. in præſenti dicim᷒ definiri denominatiua primi generis, contra Caiet. & Arriag. & ratio eſt, quia hic definiuntur denominatiua per cadentiam formæ ad ſubiectum, quod intrinſecæ denominant, vt exemplis Ariſt. patet, non in ordine ad aliud, quod ſolũ reſpicit in ratione termini. Tùm, quia denominatio extrinſeca, & ſi reuera ſit à parte rei, nihil tamen reale ponit in termino, quem denominat, & conſequenter denominatiua huius generis nequeunt cũ forma denominante conuenire in principali ſignificato, cùm eã realiter non participent. Si tamen talis definitio purè grammaticaliter explicetur, vt multi faciunt, & per caſum intelligatur nõ ſolũ inhæſio ad ſubiectũ, ſed etiam reſpicientia ad terminum, ſic poſſet denominatiuis ſecũdi generis applicari .ſ. il-

lis,

lis, qui p ex intrinſecā denominationē, denominatiua dicuntur &c.

5. Tertiò dubitatur an Denominatiua vniuocè prædicētur de ſuis ſubiectis? Caiet. Soto. Sanc. & quā plures Recētiores aſſerunt vniuocè prędicari, non quidem eſſentialiter, ſed accidentaliter tantùm, quatenus prædicantur de illis ſecundum idem nomē, & rationem, vt patet de niue, cigno, &c. de q bus prædicatur nomen albi, & eius definitio prędicatur tm̄ accidentaliter, nam albedo vtique accidit. Scot. verò in 1. d. 8. q. 3. §. *Ad Argumenta opinionis oppoſitæ &c.* in fine. & d. 3. q. 3. §. *contra iſtam vniuocationem*, & alibi, negat denominatiua vniuocè prędicari de ſuis ſubiectis, ſed vult, ꝙ ſint tantùm vniuoca prædicata. Quid autem interſit inter vniuocum prędicatum, & vniuocè prædicari patet ex dictis. Affirmat Doctor eſſe vniuoca prædicata, qa prædicantur ſecundum idem nomen, & eamdem rationem; vt album de niue, & Cygno, negat vniuocè prædicari, qa ratio prędicati non eſt de eſſentia, & ratione ſubiecti; & ità altercatio euadit de ſolo nomine, nam quod Scot. appellat prædicatum vniuocum tantùm, ipſi dicunt prædicatū etiam vniuocè dictum, licèt accidentaliter; Scot. tamē magis peripateticè locutus fuit, Ariſt. .n. c. de ſubſtantia, ait, ſecundas ſubſtātias vniuocè prædicari de primis, .i. ſecundum nomen, & rationem, accidentia verò ait, non prædicari vniuocè, quia prædicantur de illis tantùm ſecundum nomen.

6. Quartò Dubitatur, an denominatiua revera mediēt inter vniuoca, & æquiuoca, an potius cum eis coincidant. Reſponſio patet ex dictis, ſi .n. formaliter loquamur non coincidunt, nam diuerſæ ſunt intentiones, & rationes formales ſingulorum; ſi autem materialiter accipiātur, diſtinguit Scot. in 1. d. 8. q. 3. cit. dupliciter .n. de prædicato vniuoco loqui poſſumus, vno modo, quòd ſit prædicatum de pluribus eſſentialiter dictum, & in quid, quo ſenſu vniuocum Ariſt. definiuit; altero modo, quòd ſit p̄dicatum de pluribus dictum ſecūdū vnitatem nominis, & rationis, non tamen eſſentialiter, & in quid: ſi primo modo ſumatur, denominatiuum mediat inter vniuocum, & æquiuocum, non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter, nam ſic non eſt vniuocum, cùm de illis non prædicatur eſſentialiter, ſed accidentaliter, neque æquiuocum, cum de pluribus prædicetur ſecūdum vnitatem nominis, & rationis, ſeù conceptus; ſi verò ſumatur ſecundò modo, ſic denominatiuū non eſt medium, ſed cum vniuoco, vel æquiuoco ſemper materialiter coincidit, cum vniuoco ſi de pluribus prædicatur cum vnitate nominis, & conceptus, vt album de niue, & Cygno; cum æquiuoco autē, ſi de illis dicatur cū vnitate nominis tantùm, vt viride dictum de herba, & Iride &c. Ex quibus habetur,

tur,

tur, vt benè aduertit Ioannes de Magiſtris c. de Denominat. quòd licèt omne prædicatũ ſit æquiuocum, vel vniuocum, & non detur medium, modi tamen prædicandi ab inuicem eſſentialiter diſtincti, ſunt tres; nam omne prædicatum, vel habet eamdẽ rationem reſpectu eorum, de quibus prædicatur, vel non; ſi primum, hoc contingit dupliciter; nam vel ità prædicatur, vt illa ratio ſit eſſentialis ſubiectis, & ſic habetur modus prædicãdi vniuocè, vel eſt extranea, & accidẽtalis ſubiecto, & ſic habetur modus prædicandi denominatiuè; ſi ſecũdum, habetur modus prædicandi æquiuocè, & ità modus prædicandi denominatiuè mediat inter vtrumque modum &c. & huiuſmodi diuerſos modos prædicandi cõſiderauit Ariſt. ait Maurit. art. 1. formalit. cùm denominatiua alia ab vniuocis & æquiuocis poſuit.

## ARTICVLVS OCTAVVS.

*De Significato principali concreti accidentalis, & vnde eius Vnitas, & pluralitas oritur.*

1. SCot. cuius ſapientię traduces per totum terrarum orbem mirum in modum dilatantur, in 1. d. 4. q. 1. in fine, loquendo de principali ſignificato concreti accidẽtalis, ait ſolùm .n. concretum importat ipſam formam, quia album ſolam qualitatem ſignificat, idem habet in 1. d. 12. q. 1. §. *iuxta quæſtionem*, & q. 8. prædicam. & alibi ſæpè, vbi ſemper ſupponere videtur, denominatiua, quæ ſunt concreta accidentalia, pro principali ſignificato dicere formam &c. Supponimus, vt apud omnes certiſſimũ, & eſt clara Ariſt. ſententia 7. met. tex. 21. quòd concretum accidentale duo ſignificat .ſ. formam, & ſubiectum (ad differentiam abſtracti) quod etiam de ipſo concreto ſubſtantiali ſubſtantiuo aſſeritur, vt homo, lapis &c. ſignificat enim ſimul ſuppoſitum, & naturam. Sed dubium eſt, an vtrumque ex æquo importet principaliter, an potius vnum primariò, alterum ſecundariò, & quodnam iſtorum ſit ſignificatum primarium, quod verò connotatum. Tres ſunt opiniones, vna eſt Auerſæ q. 23. log. ſec. 3. & Fonſecæ 5. meth. c. 7. q. 5. ſec. 5. qui volunt omne concretum tàm ſubſtantiale, quàm accidentale vtrumq; per ſe intrinſecè, & directè ſignificare; ſed hæc opinio nullo fulcitur fundamento, & præſertim de concreto accidentali ab omnibus reſpuitur, & ratio eſt, q. a cùm hoc conſtet ex rebus diuerſorum prædicamentorum, nòn põt ex eis conceptus per ſe vnus coaleſcere, vt Scot. docuit quol. 13. §. *de 3. principali*, & q. 8. Vniuerſaliũ, & q. 8. Prædicam. & alibi, nam genus, & differentia ad idem prædicamentum ſpectare debent; ex quo etiam ſequeretur, quòd concretũ accidẽtale ſẽper erit ens per accidẽs nã illud ꝓpriè dicitur aggregatũ ꝑ accidẽs ex Doct. loc. cit. q. dicit plura diuerſę rationis, vt plura ſũt, nẽpè æquè principaliter, cũ igi-

igitur cõcretum accidentale verè definiatur, ponatur in prædicamẽto, & de ipſo detur ſcientia, vt infra patebit, aſſerendum eſt, quòd vnũ principaliter importet, aliud connotet. Secunda opinio eſt Auicennæ .1. p. log. cap. de Proprio, quem ſequuntur Hurt. diſp. 9. log. ſec. 3. Arriag. diſp. 1. in ſummul. ſec. 9. & alij aſſerentes, concretum principaliter ſignificare ſubiectũ, & connotare formam. Tertia opinio communiter eſt, quòd ſignificet formam, & connotet ſubiectum, ità Auerr. 5. meth. com. 14. Alenſis 7. meth. tex. 3. q. 2. Scot. loc. cit. initio art. quem ſequuntur Anton. Andr. c. de Denominatiuis, Zerbius 5. meth. q. 9. Tatar. q. 2. antepraedic. Dub. 2. fol. mihi 58. Maſtr. & Bell. diſp. 2. q. 4. art. 2. & Scotiſtę communiter. fuit etiam opinio D. Thom. 5. meth. lec. 9. art. 3. & alibi, quem ſequuntur Th. Caiet. Sot. Sanch. & alij.

2 Supponimus pro reſolutione, quòd ſi de concreto loquamur vt propoſitionẽ ingreditur, facilè eſt cognoſcere quid per illud ſignificetur, quid verò connotetur, poſitum .n. à parte ſubiecti, ſignificat regulariter ſubiectum, & connotat formam, at ſi ponatur à parte prædicati ſignificat formam, & connotat ſubiectum: patet exemplo, nam quando concretum ſe tenet ex parte prædicati in propoſitione, vt cum dicimus homo eſt doctus. paries eſt albus, maximè intendimus prædicare formam de ſubiecto; & non ſubiectum de ſe ipſo, aliter vt Scot. docet q. 8. prędicam. ſenſus illarum propoſitionũ eſſet nugatorius, quia ponendò rationem concreti loco nominis, idem ſubiectum bis diceretur, & faceret ſenſum, quòd paries eſt paries albus &c. è contra verò, quãdo concretum ſe tenet ex parte ſubiecti, vt cum dicimus album eſt dulce, muſicus ædificat; tunc intendimus prædicare actum ædificandi de ſubiecto albedinis, & nõ de ipſis formis. Verum tamen eſt, quòd concretum tàm ſubſtantiale, quam accidentale etiam à parte ſubiecti poſitum, aliquando ex vi alicuius particulæ adiunctæ, vel prædicati determinatur ad ſignificandum formam, vt cum dicimus album eſt per ſe diſgregatiuum viſus, ex vi illius particulæ per ſe, ſignificatur forma, quia talis proprietas formę, & non ſubiecto cõpetit, ſic etiam cũ dicimus, homo eſt riſibilis, tale prædicatum determinat ſubiectum ad ſupponendum pro forma, & natura, non pro ſuppoſito, nam hæc eſt proprietas naturæ, non ſuppoſiti.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, Concretum ſimpliciter, & abſolutè ſumptum, pro principali ſignificato dicere formam, & connotare ſubiectum.* Eſt communis pro tertia ſententia, & magis peripatetica, & facilè probatur auct. Ariſt. in cap. de ſubſt. vbi poſt medium ait: concretum ſignificare ſolum qualitatem .ſ. importare principa-

liter, gloſant communiter, idem habet 5. meth. c. 4. & 1. poſt. ait: hæc propoſitio album eſt lignum, eſt per accidens, quod non eſſet, ſi album primariò ſignificaret ſubiectum; & 7. meth. à tex. 12. docuit concreta accidentium definiri per ſubſtantiam, per additamẽtum .ſ. tanquã per aliquod extrinſecum, non per ſe, & directè ſpectans ad eorum intellectum. &c. c. de qualitate ponit in tali prædicamento concretum eius, quòd ſi ſubiectum eſſet principale ſignificatum, potius in prædicamento ſubſtantiæ reponendũ fuiſſet; & tandẽ probatur ratione, nam ſignificare eſt intellectum conſtituere in dicẽte, & audiente ex primo Perier. cap. 3. ergo id primò, & principaliter ſignificatur, quod principaliter intellectui audiẽtis obijcitur, ſed denominatiua principaliter obijciunt intellectui formã, qa illam explicitè dicũt, & in propria ſpecie; .ſ. albedinem, nigredinem, iuſtitiam &c. ſubiectum verò eſt in determinatum, non. n. differũt à forma, niſi vſu, ſeù inhærentia ad ſubiectum, logicaliter loquendo, & grãmaticaliter in terminatione vocis, ergo &c.

*Obiectiones.*

4. Ob. 1. contra concluſionem, probando, quòd concretum pro principali ſignificato dicat ſubiectum. Id principaliter ſignificatur, quod cum explicatur dicitur in recto; ſed cõcretum definitur, & explicatur in recto per ſubiectum; & formam in obliquo, vt album deſcribitur eſt res habẽs albedinem, ergo &c. & hoc eſt vnicum fundamẽtum aduerſariorum. Rr. Tatar. ibidem ex Scoto loc. cit. negando min. & ad probationem dicit, q quando dicitur album eſt res habens albedinem, talis deſcriptio non eſt, niſi quædam explicatio nominis, & non per ſe expreſſio ſignificati; quia nomen concretum de per ſe ſignificato, hoc non importat, quod eſt habens albedinẽ; ſed tantũ de modo ſignificandi, in quo diſtinguitur ab abſtracto, cõcretum .n. de per ſe ſignificato importat ipſam formam, vt album, ſolam qualitatem ſignificat; at de modo ſignificandi, & de connotato importat ſubiectum: ideo concretum, & abſtractum idem ſignificant, licèt modus ſignificandi ſit alius, & alius. Hæc Tatar. & magis propriè dici deberet, album eſt albedo exiſtẽs in ſubiecto, licèt vulgus illo modo loquendi vtatur.

Secundò Ob. Concretum dicit formam, & ſubiectum, ergo quod principalius eſt, principalius ſignificatur, ſed ſubiectum eſt principalius, cùm ſit ſubſtantia, ergo &c. Rr. neg. conſeq. & ratio eſt, quia primitas ſignificati, non attẽditur ex primitate ſecundum rem, ſed ex primitate impoſitionis; nam ſicut ſignificatum nominis non pendet ex natura rei, ſed ex intentione imponẽtis, ità & primarium ſignificatum ex eadẽ intentione pẽdet.

Ter-

Tertiò Ob. Concretum ſupponit pro ſubiecto ex Summuliſtis, ergo ſignificat ſubiectum, quia id ſupponit. ℞. neg. conſeq. quicqd. ſit de antecedente, & ratio eſt, quia non ſunt idem ſignificare, & ſupponere, vt diximus in c. de ſuppoſitione terminorum ex Petro Hiſp. tract. 7. de ſuppoſit. nam ſignificare eſt facere deuenire in cognitionem, quomodo fumus ſignificat ignem, ſed ſupponere, ſeu ſupponi eſt loco alterius ſuffici, & ſubſtitui, ſignificatio fit per impoſitionem vocis ad ſignificandum rem; ſuppoſitio eſt acceptio termini iã ſignificantis rem pro aliquo, vnde ſignificatio prior eſt ſuppoſitione &c. quæ eſt doctrina Scoti q. 8. prædicam. & ità terminus ſupponit vtique quod ſignificat, ſed non ſemper ſupponit pro eo, quod ſignificat, ſed aliquando pro eo, quod cõnotat, & dat intelligere ſecundariò; vt patet in ſuppoſitione perſonali.

Quartò Ob. Hurtad. Si album v.g. per ſe ſignificat formam, hæc propoſitio, pomum eſt album, ſic exponi deberet, pomum eſt albedo habens ſubiectum, vel pomum eſt albedo vnita ſubiecto, quæ expoſitio falſa eſt, cùm potius ſic debeat exponi, eſt pomum vnitum albedini, vel habẽs albedinem &c. Rñt Maſtr. & Bellut. & benè neutro illorum modorum illam propoſitionem exponi debere; nõ primo modo, nam forma accidentalis importata in concreto prædicari debet de ſubiecto per modum adiacentis, & informantis; neque ſecundo modo, quia dicendo pomum eſt vnitum albedini, aut habens albedinem, ſignificaret determinatè ipſum ſubiectum, & tunc propoſitio eſſet nugatoria, vt ſupra dicebamus; vel non merè per accidens; quia exponeretur pomum eſt ens albedinem habens, &c. ſed exponi debet, pomo inhæret albedo, & hic eſt verus ſenſus, & in rigore logico; & ità per album non importatur ſubiectum in recto, ſed albedo, nõ in ſe, ſed per modum adiacentis, & informantis.

5. Aliud dubium, & fortè maius eſt de vnitate, & pluritate concreti, vnde oriatur; an ſ. ex parte formæ, vel ex parte ſubiecti, vel vtriuſque ſimul; & quantùm ad cõcreta accidentalia, & ſubſtancialia adiectiua datur talis regula, quæ communiter recipitur. ſ. huiuſmodi concreta vnitatem, & pluralitatem ſumunt ex parte ſubiecti, quare ſi eadem albedo eſſet in pluribus ſubiectis, dicerentur abſolutè plura alba; & è contra, ſi plures albedines eſſent in eodem ſubiecto, vnum tantùm diceretur album. Ità Scot. in 3. d. 6. q. 1. & quol. 11. lit. H. & ratio, quæ communiter affertur eſt, quia cùm nomen adiectiuũ dicat formam per modum adiacẽtis ſubiecto, per ipſum ſubiectum maximè determinatur; quod magis Doctor declarauit in 1. diſ. 12. q. 1. §. *iuxta quæſtionem iſtam*, vbi docuit, quòd nomen adiectiuum pri-



Digitized by Google

mò, & per ſe afficit ſubſtantiuum, cui adiacet, & non alterum adiectiuum, ſolùm .n. ſubſtantiuum natum eſt depẽdentiam adiectiui terminare, non adiectiuum, niſi ſubſtantiuè ſumatur, vt Pater, principium &c. quia igitur accidens non tribuit ſuum effectum formalem, niſi in ſubiecto, ſequitur quòd terminus numeralis, duo, tria, quinque, &c. qui eſt terminus adiectiuus, tribuit ſuum effectum formalem numerationis ſubſtantiuo, ad quod terminatur, non adiectiuo, quod eius dependentiam terminare non poteſt; & ità ſi vna albedo eſſet in tribus ſubiectis, tria alba dicerẽtur, quia tam terminus tria, quam album ſunt adiectiua; atque ideo ambo terminantur ad ſubiectum, cui effectum formalem tribuunt, quod cùm in caſu ſit triplex, de rigore ſermonis, etiam tria alba erunt. Ex quo fundamento accipiunt Theologi, quòd ſi plures perſonæ Diuinæ eamdem aſſumerent humanitatem, plures humanitates dicerẽtur, & è cõtra ſi plures albedines eſſent in eodẽ ſubiecto, vnum album diceretur, ſicut vnus habẽs multas ſcientias, vnus ſciens eſt appellandus ex Scoto q. 2 cit. Et ſi vna Perſona Diuina plures aſſumeret humanitates, tantùm vnus diceretur incarnatus, & humanatus, quę eſt doctrina cõmunis omnibus Scotiſtis, & ſequitur Molina p. p. q. 36. artic. 4. diſput. 2. & Caſilius lib. primo introduct. part. 8. c. 3. & multi ex Recentioribus.

6. Quantùm verò ad concreta ſubſtantialia, & ſubſtantiuè accepta, non minor difficultas eſt, quidã .n. totum oppoſitum docent; nam volunt, quod eorum vnitas, & pluralitas ex parte formæ ſumi debeat, & eadem ratione, quia cum nomen ſubſtãtiuum dicat formam ad modum per ſe ſtantis, adiectiuum numerale benè determinatur per ipſam formam, & ità ſi eadem Diuina perſona plures aſſumeret humanitates, dici deberet plures homines, ità Vaſq. p. p. diſp. 155. c. 4. cum alijs, cui doctrinæ fauere videtur Scot. in 1. d. 12. q. 1. cit. ex regula ibi tradita de termino numerali, quod ſemper tribuit effectum formalem illi, quod terminat eius dependentiã; ex quo clarò deducitur, quòd ad multiplicationem concreti ſubſtantialis, ſufficit ſola pluralitas formæ, quia hæc optimè terminare poteſt dependẽtiam termini numeralis, qua ratione moti Lichet. Barg. Baſſolius, & ferè omnes veteres Scotiſtę concedunt in eo caſu, perſonam illam eſſe plures homines, quia ly plures non determinat ſuppoſitum, ſed ſubſtãtiuum, cui immediatè adiũgitur, quod in caſu eſt ly homines, & ità ſolũ humanitates multiplicantur, non ſuppoſita.

7. Sed quantùm ad hunc punctum ſpectat, potius Recentiorib. Scotiſtis adhærendum eſt, qui & ſi hanc regulam admittant de concretis ſubſtantialib. & ſubſtantiuis quantum ad vnitatem, nam vtique

verum

verum eſt, quòd ſola vnitas formæ inferat vnitatem concreti ſubſtantialis, etiã ſi multa ſint ſuppoſita, vnde tres perſonæ Diuinæ vnus tãtùm Deus dicuntur ob vnitatem formæ, & naturæ; falſa tñ videtur regula quoad alteram partem ſcil. ꝙ ſola formę pluralitas ſufficiat ad pluralitatem concreti ſubſtantialis, ſine ſuppoſitorum pluralitate, ità Faber in 1. diſp. 41. c. 4. in fine. Aretinus in 3. d. 1. q. 3. art. 2. Bel. & Maſtr. in log. diſp. 2. q. 6. art. 2. quæ ſentẽtia fundata eſt in doctrina Scoti in 3. d. 6. q. 1. ad primum & d. 8. q. vn. lit. F. & quol. 11. cit. & alibi, vbi de concretorum multiplicitate diſſerens, regulam tradidit, quòd ad multiplicationem concretorum ſubſtantialiũ nõ ſufficit ſola multiplicatio formarũ, ſed requiritur etiã multiplicatio ſuppoſitorũ, qua ratione negat in 1. d. 12. q. 1. ad tertium, Patrem in Diuinis eſſe duplex principium, licèt habeat duo principia productiua, & in 3. d. 6. q. 2. negat Chriſtum eſſe duo neutraliter, ſeù maſculinè, & quouis modo, licèt habeat duas naturas ſubſtantiales, & viuentes, quia eſt vnicum tantùm ſuppoſitum, & ſi plures aſſumeret naturas humanas, non eſſet plures homines, ſed vnus homo.

8. Sed vrget Barg. in 1. d. 12. q. 1. ad tertium, quòd præfata regula Scoti de multiplicatione concretorum, ſolùm valet de cõcretis accidentalibus, non de ſubſtantialibus, at fallitur Barg. nam Doctor in 3. d. 8. q. vn. illam regulam tradidit de concretis quidem accidentalibus, ſed ſubſtantiuè ſumptis, vt ſunt Pater, Filius, principium, cauſa, artifex &c. quæ concreta accidentalia, quia ſubſtãtiuè dicuntur, æquiualent ſubſtantialibus, & dependentiam cuiuſcumque adiectiui terminare poſſunt, & tamẽ Scotus ait, quòd homo habens plures paternitates, vel filiationes, dici non poteſt plures Patres, ſed vnus Pater, ob vnitatem ſuppoſiti, ergo regula illa tenet etiam de concretis ſubſtantialibus, & ſubſtantiuis, aliter Pater æternꝰ poſſet dici duo principia, duo productores, & Chriſtus dici poſſet duo Entia, duo viuentes, quod Subtiliſſimus Doctor negat.

Sed dices, Scot. docuit, ꝙ ſubſtantiuũ benè terminare poteſt dependentiam adiectiui numeralis, & ità ſecundum illud numerari, ergo optimè deducitur, quòd ſi eadẽ perſona plures aſſumeret humanitates, plures dicerentur homines, cùm ly, humanitates ſint ſubſtantiuum. ℞. poſſe vtique tale ſubſtãtiuum dependentiam terminare, ſed non vltimatè, ſicut quantitas terminare poteſt depẽdentiam alterius accidentis, ſed non vltimatè, quia adhuc ipſa dependet ad ſubſtantiam, ità in propoſito, Concretum naturæ, vt homo, poteſt vtique terminare dependentiam adiectiui numeralis, ſed quia adhuc ipſe pendet ad ſuppoſitum, quod concernit vagè, vt communiter aſ-

ſeri-

ſeritur cum Doct. ſubtili in 3.d.6. q. 1. lit. D. & de ſpiratore in p. d. 12.q.1. ideò abſolutè, & vltimatè terminare non poteſt, ſed dumtaxat cum vlteriori dependentia ad ſuppoſitũ, atq; ideò ad hoc, vt ſint plures homines, requiritur, ꝙ ſint plures humanitates, & plura ſuppoſita, & ſic debet intelligi Scot.

*Obiectiones.*

9. Multipliciter contra prædictas regulas obijci ſolet, & 1. ſic: Si ad multiplicationem cõcretorum accidentalium, & adiectiuorum ſufficeret ſola ſubiectorum pluralitas, ergo in Diuinis rectè dici poſſent tres æterni, tres immenſi, tres omnipotentes, quia iam ſunt tria ſuppoſita; & ſi ad vnitatem eorum ſufficeret ſola ſubiecti vnitas, eſtò formæ eſſent plures, tunc omnia accidentia, quæ ſunt in eodem ſubiecto, haberent eamdem vnitatẽ, & faceret idem concretum, vt V.g. in lacte, album, dulce, frigidum eſſent vnum, & idem concretum, ob vnitatem ſubiecti; ſed iſtæ conſequentiæ ſunt falſæ, prima eſt cõtra D. Athan. qui in ſymb. negat dici poſſe tres æternos, tres omnipotentes. Secunda eſt cõtra cõmunem ſenſum phyloſophorum, qui aſſerunt illa eſſe diuerſa concreta, ob diuerſitatem formarum in eodem ſubiecto. ℞. ad primũ, quòd de rigore ſermonis dici poſſent in Diuinis tres æterni, tres immenſi &c. negatur tamen à D. Athanaſio, quia caremus proprijs concretis ſubſtantiuis, qualia forent immenſor, ſapientior, quæ non ſunt in vſu, ideò concreta ipſa adiectiua ſumimus ſubſtantiuè, & quia vna eſt æternitas in tribus, vna immenſitas, vnum dicimus æternum, non tres æternos. Ad illud de lacte albo, dulci &c. negamus eſſe plura concreta, nam hic loquimur de concretione ſcẽ ſignificationem formæ, quia nequit multiplicari, niſi multiplicentur ſubiecta, quib. inhærent; ipſæ.n. formæ ex ſe non faciunt concretionem, ſed ratione ſubiecti, atq; ideò licèt lac ſit dulce, album, &c. non tñ dicitur plura qualia, ſed vnum quale, ſicut eſtò, quod homo ſit logicus, phyſicus, Theologus, dicitur tamen vnꝰ ſciens, non plures ſcientes, & falſum eſt illum eſſe communem ſenſum Phyloſophorum.

Ob. 2. ſi ad pluralitatem cõcretorum ſubſtantialium, & ſubſtantiuorum nõ ſola formę pluralitas, ſed requiritur etiã pluralitas ſuppoſitorum, eadem ratione ſola formę vnitas non ſufficeret ad vnitatem concreti ſubſtantialis, ſed requiritur etiam vnitas ſuppoſiti, & ità falſa eſſet iſta propoſitio, Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus, patet ſequela, quia dependentia ad ſuppoſitũ terminare debet tam adiectiuum multitudinis, quã vnitatis, & ideo ſi ſunt plura ſuppoſita, & natura vna, non poterit cum veritate dici vnum concretum, ſicut dici plura nequeunt, ſi ſuppoſitum eſt vnum, & naturæ plures. ℞. communiter

neg.

neg. paritatem, ſed in aſſignanda ratione non conueniunt; ideò eorū reſponſionibus relictis, dicimus breuiter, quòd ratio diſparitatis eſt, quia vnitas ſpectat ad naturā, multitudo ad ſuppoſita, hæc.n.in natura vniuntur, & natura in illis multis eſt, qua etiam ratione adiectiuum multitudinis tribuitur cōcreto naturę, vt ſupponit perſonaliter, vt homo currit V.g. ſupponit pro Petro, Paulo, &c. adiectiuū verò vnitatis, vt ſupponit ſimpliciter, vt homo V.g. eſt ſpecies, eſt pluribus communicabilis &c. hinc ait Porphyr. plures homines ſunt vnus homo in ratione naturę, ſic etiam & nos dicimus plures pſonæ Diuinæ sūt vn⁹ Deus ratione naturę Diuinę&c.hęc eſt igitur ratio, quòd concretum ſubſtantiale determinari poteſt ab adiectiuo vnitatis, præſcindendo ab vlteriori dependentia eius ad ſuppoſitum, nō aūt ab adiectiuo multitudinis, quia ſub hoc adiectiuo præcipuè ſuppoſita reſpicit, multitudo enim nō naturā, ſed ſuppoſita cōcernit.

Sed inſtabis, ſi ità eſt, ergo Pater, & Filius in Diuinis dici poterunt duo ſpiratores, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. patet ſequela, quia hoc concretum .ſ. Spirator dependet ad ſuppoſitū, & duo ſunt ſuppoſita, quæ ſpirant. R. neg. ſequelam, nam licèt ex parte, qua reſpicit ſuppoſitum, dici poſſent duo ſpiratores, tamen ex alio capite, quia .ſ. vis ſpiratiua eſt tantū vna in Patre, & Filio, vt Theologi docent, ideò non pōt ſuſcipere effectum formalem adiectiui numeralis; ſicut ex alio capite, eſtò Pater habeat duo principia productiua, non poteſt dici duo productores, nā & ſi reperiatur pluralitas formæ, deeſt tamen pluralitas ſuppoſitorum: Et ità habemus, ꝙ ratio, qua mediante ad pluralitatē concretorum accidentalium, & adiectiuorum, ſufficit ſola pluralitas ſubiectorum, & ad pluralitatē ſubſtantialium vtraque requiritur eſt, quia ſolùm ſubiectum terminat dependentiā adiectiui numeralis, adiectiuum .n. nullo modo terminare pōt, hic verò duo terminant ſcilicet forma, & ſuppoſitum, forma non vltimatè, ſuppoſitum vltimatè.

Sed cōtra, ſi nomina numeralia coniuncta concretis ſubſtantialibus multiplicant formale, & materiale, quia nomē perſonæ eſt cōcretum ſubſtantiuum, ſequeretur, quòd dicendo tres perſonæ Diuinæ, intelligeretur etiam multiplicata Diuinitas, quod eſt falſum. Reſponſio patet ex dictis, concreta .n. accidentalia numerantur ad numerationē ſubiectorū peculiariter, quia ipſa ſola ſubiecta terminant dependentiam adiectiui numeralis, & hæc eſt ratio à priori; ſed quia in concretis ſubſtantialibus tàm forma, quàm ſuppoſitum terminant, ideo ad eorum multiplicationem, requiritur multiplicatio vtriuſque. Neq; ex hoc ſequitur, ꝙ cùm dicimus tres Diuinæ pſonæ,

Digitized by Google

ſonæ, etiã diuinitatem multiplicare debem', nã ly, Diuinæ eſt nomẽ adiectiuum, & ideo nequit terminare dependentiam adiectiui numeralis, ſed terminatur ad nomen perſonæ, quæ ſunt tres, ideo benè multiplicatæ remanent, abſq; multiplicatione naturæ Diuinæ, non poſſunt autem dici tres Dij, quia Deus eſt Concretum ſubſtantiale, ad cuius multiplicationem requiritur multiplicatio ſuppoſitorum, & formarum.

## ARTICVLVS NONVS.

### *De Numero Prædicamentorum.*

1. SCotus, qui ſemper doctiſſimè diſceptat, pluries de hoc articulo differit, vt videre eſt q. 11. Prędic. & 5. meth. q. 5. & 6. & quol. 11. art. 4. & alibi, vbi de hoc numero loquens, ait: recipiendum eſſe, nõ ob aliquam efficacem rationẽ, ſed propter Philoſophorum veterũ authoritatem, tùm quia iã inoleuit in ſcholis, & euaſit famoſa diuiſio. Sequitur Mayron. ſuper prædicam. paſſu 8. Suar. in meth. diſp. 36. & communiter Recentiores. Et quãtũ ad eius deſcriptionẽ. *Prædicamentum eſt quoddam artificioſum opus ab intellectu formatũ, & conſtructum ex naturis rerum in certa, & determinata ſerie collectarum, ſecundũ diſpoſitionem ſuperioritatis, & ſubijcibilitatis cum fundamento in re.* In quo artificio, velut fundamento totius ſtructuræ ſunt indiuidua, mox ſpecies ſpecialiſſima, poſtea genera ſub alterna, ſi adſunt, tandẽ eſt genus generaliſſimum, quod tanquã tectum, & ſupremum ſe habet in illa ſerie rerũ, vt nullũ ſupra ſe tãquã genus reſpiciat; hinc quęritur, quot ſũt huiuſmodi prædicamẽta, in quib' tãquã in determinatis mãſionibus res Vniuerſi collocantur.

2. Ad quod ℞. magnã fuiſſe apud Authores de eorum numero controuerſiam. Plato in ſophiſta vnum poſuit prædicamentum .ſ. Ens; Xenocrates, & Andronicus duo, .ſ. ſubſtantiam, & accidens; Alij tria .ſ. ſubſtantiam creatam, ſubſtantiã increatam, & Accidens; Alij, ſubſtantiam, Accidens abſolutum, & Accidens relatiuum; Alij quatuor .ſ. ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & relationẽ, alia verò dici debent impropriè ꝑdicamenta, & citatur Ammonius in prędicam. & Fõſeca 5. meth. c. 7. q. 8. ſec. 3. alij quinque .ſ. ſcientiam, idem, alterum, ſtatum, & motum, ità quidam Platonici, Alij ſex .ſ. ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, vbi & aliquod commune actioni, & paſſioni; Alij addiderunt Quando, quibus Peripatetici addẽtes ſitũ & habitũ numerũ denariũ conſtituerũt. Alij ꝑpter entia rationis vndecimum prędicamẽtum poſuerunt. Quidam dixerunt prædicamenta accidentalia eſſe decem, & octo, nouem ex terminis abſtractis; & nouem ex terminis concretis; Pythagorici viginti aſſignarunt, & alij aliter, & diuerſimodè hunc numerum detrahebant, & augebant; ex quibus apparet, iuxta diuerſũ ſen-

ſenſum poſſe huiuſmodi numerum ad libitum augeri, vel minui, nos qui breuitati ſtudemus, relictis eorum opinionibus, vt inutilibus, & parum ſcientijs inſeruiẽtibus, breuiter concludimus.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, eſtò numerum Prædicamentorum augeri, vel minui poſſet ad libitum, iuxta varium ſenſum Authorum, numerum tamen illum denarium ſatis eſſe rationabilem, congruum, & vtilem.* Patet; tùm quia numerus denarius ſignificat vniuerſalitatem; tùm quia omnia membra diuidentia ipſum diuiſum adæquant, quod eſt ens prædicamentale, & finitũ; & quia copia, & diuerſitas accidẽtium maior eſt, quã ſubſtantiarũ, vnde in vnica ſubſtantia ſæpè inueniuntur omnia illa accidentia, quæ varia conſtituunt prædicamẽta, hinc rationabiliter pro ſubſtantia vnum tantùm conſtituerunt p̃dicamentum; accidens verò quia multiplex eſt, ne varietas confuſionem pareret, in plura prædicamenta diſtribuerunt; Tùm q̃a valde vtilis, & accomodatus eſt talis numerus intellectui cuiuſcumque, cùm deductus ſit ex varijs interrogationibus, quæ communiter fieri ſolent, ex Ariſt. 5. meth. 14. cuicũque .n. horum per ſpecialem ſatisfit prædicationẽ; de indiuiduo nãque ſubſtantiali V.g. vel quæritur quid ſit, & ℞. quòd eſt homo, & habetur prædicamentum ſubſtantiæ; vel quæritur qualis ſit. & ℞. eſſe album, nigrũ. calidũ. &c. & habetur Prædicamentum qualitatis; vel quæritur quantum ſit, & ℞. longum, latum &c. & habetur Prædicamentum Quantitatis; vel quæritur quid reſpicit, & ℞. Filium ſi eſt Pater, ſeruum ſi eſt Dominus, &c. & habetur prædicamentũ relationis; vel quæritur quid agat, vel q̃d patiatur, & ℞. per actionem, legit, ſcribit; vel p paſſionẽ caleſit, vapulat &c. & reſultant prædicamenta actionis, & paſſionis; vel quæritur vbi ſit, & ℞. in domo, in foro &c. & habetur prędicamentum vbi; vel quæritur quomodò ſit in tali loco, & ℞, ſtat, ſedet, & reſultat prædicamentum ſitus; vel quæritur quãdo ſit, & ℞. heri, hodie, & habetur prædicamentum Quando; vel tandem quæritur quomodò ſe habeat, & ℞. hoc, vel illo modo ſe habet .i. veſtitum, calceatum &c. & reſultat prædicamentum habitus. Ex quibus patet rationabilius hãc diuiſionem datã fuiſſe per ſubſtantiam, quãtitatem, qualitatem &c. quàm per illos terminos Platonicorum, vel Pythag. qui erant motus, ſtatus, idem, alterum, par, & impar &c. quæ paſſiones ſunt rerum, cùm prædicamentum ex generibus, & ſpeciebus conſtare debeat.

*Obiectiones.*

4. Ob. 1. auct. Ariſt. 5. met. 14. vbi octo tantùm prædicamenta enumerat, omittens ſitum, & habitum, ergo &c. ℞. ex Scoto ibidem, quòd Ariſt. nec ibi, nec in cora. meth. adamuſſim decem genera enu-

enumerat, quod fortè fecit (ait Doctor) quia talem numerum ſpernebat, quatenus non in aliqua ſolida ratione, ſed potius in populari ſēſu fundamentum habeat &c.

Ob. 2. Si actio, & paſſio duo prima genera conſtituunt, ergo ſimiliter vbi actiuum, & vbi paſſiuum, ſitus actiuus, & paſſiuus. ℞. neg. paritatem (quamuis aliqui hoc argumentum inſolubile putauerint) & ratio eſt, quia actio, & paſſio, realem, & veram rationem agendi, & patiendi præſeferunt, non ità vbi actiuum, & vbi paſſiuum, nam circumſcriptio actiua, quæ fundatur in loco circumſcribente, licèt ſignificetur per verbum actiuum grammaticaliter, non eſt tamen vera actio, quod etiam dicendum eſt de vbi paſſiuo, quod non ſignificat veram paſſionem, idem dicēdum de ſitu, & alijs prædicamentis, vt bene Orbellus aduertit in prædicamento vbi.

Tertiò: Quando, non dicit aliquod reale, ſed extrinſecam denominationem in ſententia plurium Scotiſtarum, ergo, vel non erunt decem prædicamēta, vel plura, quaſi infinitæ ſunt extrinſecæ denominationes, ex actibus vitalibus peculiariter prouenientes. ℞. quòd licèt reuera hoc prædicamentum ſit reſpectus, vel extrinſeca quædā denominatio, quia tamen hic numerus prædicamentorum in vulgari hominum æſtimatione fundatur, & nihil ſit notius temporis exiſtentia ex D. Aug. lib. 11. confeſ. c. 14. videtur tēpus eſſe quid reale, de quo ſuo loco agem⁹ diſtinctius, quantùm verò ad extrinſecas denominationes ſpectat, vt videri, intelligi &c. cùm reuera non ſint Entia realia, diſtincta prædicamenta non conſtituunt, ſed potius reducuntur ad prædicamentum qualitatis, in quo eſt forma, à qua denominantur.

Quartò. Mot⁹, & cetera poſt prędicamenta habent aliquā rationē Entis, ſicut etiam & modi intrinſeci, paſſiones, entia artificialia, & ſimilia, quæ cùm non ſint in numero aliquo horum prædicamentorū reducibilia, diſtincta prædicamenta conſtituent. ℞. quòd motus cū nō ſit reſpectus ſimpliciter realis, ſed ſecundum quid, vt in phyſicis patebit, non eſt per ſe in aliquo pdicamento, ſed ad prædicamentū ſui termini reducibilis; & poſt prędicamenta potius ſunt quædam Entium attributa, quā directè entia; paſſiones, & modi intrinſeci, quia non diſtinguuntur realiter à ſuis ſubiectis, non ſunt in diſtinctis prædicamentis reponibiles; & tandem Entia artificialia, quia non ſunt vnum per ſe, ſed per accidens, non poſſunt in vno, ſed in pluribus prædicamentis collocari.

Quintò: Prædicāta sūt quatuor, Prædicabilia ſunt quinque, ergo Prædicamēta cum numero aliquorum iſtorum coincidere debent. ℞. neg. conſeq. & ratio eſt, quia Prædicabilium numerus deſumitur in ordine ad diuerſos modos prædi-

cādi in quid, vel in quale de ſubiectis, nec dicunt Entia realia, ſed ſecundas intentiones applicabiles naturis diuerſorum prædicamētorum. Prædicata ſumuntur in ordine ad dialecticas quæſtiones, quæ per quatuor prædicata ſoluuntur, & ſunt etiam intentiones ſecundæ applicabiles primis; diuiſio verò prædicamētorū deſumitur penès diuerſos, & varios eſſendi modos, quibus Ens diuiditur, & per quos in ſua deſcendit inferiora.

## ARTICVLVS DECIMVS.

### *Quomodo Prædicamenta inter ſe diſtinguantur.*

SCot. cuius ſcripta abundè lectorem reficiunt, quæſitū hoc reſoluit 5. meth. q. 6. & in 2. ſent. d. 3. q. 4. D. titulus quæſtionis eſt, an illa, quæ in diuerſis prædicamētis collocantur, diſtinguātur inter ſe realiter, an formaliter, an verò diſtinctione ratiocinata, & quæſitum eſt de prædicamentis acceptis materialiter ſ. pro prima intētione, non formaliter, & pro ſecunda intentione, nam vt ſic clarum eſt, quod non diſtinguantur, niſi diſtinctione numerali rationis ex Doct. q. 11. Prædicam. circa quod dubium duæ ſunt ſententiæ, prima affirmat ſufficere diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ita communiter Thomiſtæ Recētiores, Auerſa q. 16 log. ſec. 4. Suar. diſput. 39. meth. ſec. 2. nu. 21. Vaſq. p. p. diſt 138. nu. 4. Tolet. in fine Prædica. Hurtad. & alij. Secūda ſentētia eſt Scoti, & Scotiſt. aſſerentium non ſufficere diſtinctionē rationis ratiocinatæ, ſiue virtualem inter prędicamenta, ſed intercedere debere diſtinctionem realem.

*Concluſio.*

1. *Dicimus, Prædicamenta neceſſariò diſtingui debere realiter inter ſe.* Eſt Scoti loc. cit. quam pręter Scotiſtas ſequuntur Iand. 3. phy. Caiet. p. p. qu. 28. art. 1. Moris. diſput. 4 log. q. 7. Fonſec. 5. meth. c. 7. q. 3. q docet neceſſariā eſſe diſtinctionem actualē, ſiuè formalē, ſiuè realē inter prędicam. ſeqtur Amicus tract. 18. q. 4. dub. 1. & alij. Et ita à Scoto probatur: nulla res poteſt ſimul, & eſſentialiter contineri ſub diuerſis ſpeciebus diſparatis, ergo nulla res poteſt eſſe in duobus prędicamentis, ſed tantū in vno, & conſequēter diſtinguuntur realiter. Antecedēs patet, qa nulla res habet duas eſſentias, ergo nulla res continetur in duabus ſpeciebus. Cōfirmatur, quæ differunt numero, diſtinguuntur realiter, ſed res diuerſorum prædicamentorum differunt numero, & ideò numerum denariū conſtituunt, ergo &c. Tùm quia diſtinctio generica arguit ſpecificā, & numericam, at res iſtæ differunt genere, vndè, & decem genera dicuntur, ergo &c.

2. Reſpondet Auerſa, Antecedens Scoti eſſe verum de re ſecundum eamdem ratione formalem, non ſecundum diuerſas, quia vt ſic eſſe poteſt ſub diuerſis ſpeciebus, & habere diuerſas eſſentias, non

realiter, ſed ratione diuerſas; ſimiliter diſtinctio numeralis non ſemper eſt realis, ſed aliquando rationis cum fundamento in re, nam benè poſſunt in vna re reperiri duę rationes formales virtualiter diſtinctæ, ante opus intellectus, ſed actualiter vt ſtant ſub duobus conceptibus inadæquatis, ità vt vna non ſit de eſſentia alterius, & de ipſis poterit intellectus formare duo prædicamenta diſtincta per opus intellectus cum fundamẽto in re, qua ratione prædicamẽta dicũtur impermixta, & habere diuerſa genera, ſpecies, & differẽtias &c.

8. Sed hæc ſolutio nulla eſt, argumentum .n. currit ſecundum eãdem rationem formalem, & quomodo prædicamenta inter ſe differunt, alia .n. eſt ratio formalis ſubſtantiæ, alia quantitatis, alia qualitatis, &c. cæterum quis non videat, quòd Petrus reſpectu diuerſorũ, ad diuerſa ſpectare poſſit p̃dicamenta, ſaltem accidentaliter, vt .n. eſt homo, pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, vt longus, & latus ad prædicamentum quãtitatis, vt coloratus ad prædicamentum qualitatis, &c. quantum ad id de diſtinctione virtuali patet ex dictis proprio articulo, hæc .n. diſtinctio non ſufficit ad tollendam contradictionem, quæ oritur ex natura rei præter opus intellectus, vt patet de prædicamentis, quod p̃cipuè oſtenditur in prædicamẽtis actionis, & paſſionis (quæ in ſententia aduerſariorum diſtinguuntur virtualiter) Actio .n. de ſua ratione formali eſt actus agentis, q terminatur ad paſſum, paſſio aũt non eſt actus agentis, ſed fundatur in paſſo, & reſpicit agens, ergo ante opus intellect⁹ neceſſariò diſtinguũtur. Tùm quia repugnat ab eadem re abſtrahere duos conceptus inadæquatos duarum differentiarum diuidentium idem genus, non .n. poteſt eadem res eſſe virtualiter rationalis, & irrationalis, nec eadem quantitas virtualiter longa, & lata, & ſimul nec longa, nec lata &c. ergo repugnat, vt ab eadem re abſtrahantur duo conceptus inadæquati differentiarum diuidentium diuerſa genera, patet conſequentia quia non minus diſtant V.g. rationale, & irrationale, quæ ſunt eiuſdem prædicamenti, & generis, quàm illæ, quæ ſunt diuerſorum generum, & prædicamẽtorum. Tùm quia talia entia eſſent res per accidens, cùm in ſuo conceptu adæquato res diuerſorum p̃dicamentorum includerent &c. ad hanc etiam concluſionem probandam ſpectat illa regula diuerſorũ generum &c.

Secundò Pr. ex illo medio generali ad inferendam diſtinctionem realem, quæ eſt ſeparatio, vt in proprio articulo diximus; ſed ſubſtantia poteſt ab omni accidente ſaltẽ abſoluto ſeparari per potentiã Dei abſolutã; ſic etiam accidens à ſubſtantia, vt patet in Sacramẽto Euchariſtiæ; quãtitas quoque eſt realiter diſtincta à qualitate, relatio

etiam

Digitized by Google

etiam diſtinguitur realiter à ſuo fundamento, & quæ cum fundamento identificantur non eſt prædicamentalis, ſed traſcendentalis, quod etiam patet ex ſex alijs prędicamentis &c.

*Obiectiones.*

5. Ob. 1. ex Ariſt. c. de Qualitate in fine, vbi admittit idem poſſe ad plura prædicamenta ſpectare ſecundum diuerſas rationes, ergo &c. ℞. quòd ibi, vel locutus fuit ex ſententia aliorum, vt etiam Auerſa concedit, cùm neque diuerſitatē rationis ibi expreſſerit; vel hoc ait quatenus, quòd eſt eſſētialiter in vno genere, poteſt eſſe accidentaliter, & denominatiuè in alijs, & ità Petrus quatenus eſt ſubſtantia eſt in prędicamento ſubſtātiæ; quatenus denominatur albus, eſt in prædicamento qualitatis accidentaliter; quatenus Pater eſt in prædicamento relationis; veſtis eſt in prædicamento ſubſtantiæ, ſed quatenus denominatur habitus, eſt in prędicamento habitus &c. & eſt doctrina Scoti in 4. d. 12. q. 1. D.

Ob. 2. ex 3. phyſ. 22. Actio, & Paſſio realiter non diſtinguuntur, nec ſex vltima generaliſſima, cùm ſint potius modi entis. ℞. ibi Ariſt. loqui de actione, & paſſione materialiter pro re acta, non formaliter pro reſpectibus in agente, & in paſſo fundatis, vt infra patebit; ſex alia genera licèt eſsēt modi, adhuc realiter diſtinguūtur, cùm ſint modi extrinſeci, vt diximus in articulo diſtinctionis realis.

Hinc notandum contra Ruu. p. licèt gradus eſſentiales ſubordinati eiuſdem rei non diſtinguantur realiter, vt diximus ſupra de gradibus methaphyſicis, non tamen de prædicamentis aſſerendum eſt, quia non ſunt gradus ſubordinati, ſed diſparati, & diuerſarum rerum; falſum eſt etiam, quòd prędicamēta ſolùm p modos eſſendi differāt, qui potius circumſcribunt nobis differentias eſſentiales, cùm prædicamenta ſint diuerſa genera, & conſequenter proprias differentias habeant. Falſiſſimum eſt etiam, q̄ ſubſtantia, & accidens penes modos differunt, quia modus non variat eſſentiam, cuius eſt modus, & ità non differrent eſſentialiter, & cōſequenter de quo diceretur ſubſtantia quidditatiuè, diceretur etiā Accidens &c.

Tertiò: Prædicamenta diſpoſita ſunt per artem, & rationem, ergo etiam ex rationibus tali modo diſtinctis poſſunt per intellectum diuerſa prædicamenta conſtitui. ℞. neg. conſequ. & ratio eſt, quia licèt prædicamenta formaliter ſumpta ſint coordinationes intellectꝰ, materialiter tamen dicunt ipſas naturas reales per differentias contractas, quo ſenſu ſunt quid reale.

Quartò: Quę sūt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, ſed omnia conueniunt in ente, ergo &c. ℞. concedendo omnia eſſe vnum in conceptu Entis, & eadem identitate, vel traſcendentali, vel generica inter ſe &c.

AR-

Digitized by Google

## ARTICVLVS VNDECIMVS.

*De Conditionibus eorum, quæ in Prædicamento reponi debent.*

1\. SCot. celeberrimæ cuius Theſes, non ſuorum dumtaxat, ſed exterorum animos in admirationem rapiunt in 2.ſent.d.12.qu. 1. D. loquendo de materia prima, tantùm reductiuè in Prædicamento reponit; Et eodem modo loquitur de corpore prò altera parte compoſiti in 4. d. 11. q.3. lit. Hh. & idem affirmat de parte formali etiam rationali in 2.d.1. q.6. C.& vniuerſaliter id docet de partibus eſſentialibus q. 15. prædicam. vbi etiā id aſſerit de partibus integralibus, quæ doctrina modò quaſi in omnium ſchola receptiſſima videtur. Supponimus primò pro maiori intelligentia cum Tatar. q. præamb.ad prædicam. dub. 2. res per ſe propriè, & principaliter in prædicamento reponi,nō voces,ex rebus .n. non vocibus prædicamenta conſiſtunt, & res in prædicamento diſponuntur, licèt non niſi quatenus ſubſunt mentis noſtræ conceptibus; voces verò ſolùm per accidens,& minus principaliter ponuntur in prædicamento, quatenus .ſ. ſunt ſigna eorum, quæ per ſe ſunt in prædicamento, vt V.g. hæc vox homo, in tātum ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, in quantum ſubſtantiam ſignificat; verum eſt tñ, quòd ſi voces ipſæ accipiantur non vt ſignificatiuæ ſunt, ſed vt quædam res ſunt, ſic in prædicamentis collocari poſſunt, & propriè ſpectant ad prædicamentum qualitatis,quatenus .ſ. ſunt qualitates ſenſui auditus paſſionem inferentes.

2\. Secundò Supponimus cum eodem Tatar. ibidem dub. 3. quòd tripliciter aliquid poni poteſt in prædicamento, primò directè,ſeù in recta linea, ſecudò indirectè,ſeù ad latus; tertiò reductiuè. In recta linea ponuntur genus ſupræmum, & ea de quibus prędicatur in quid, vt ſunt genera ſubalterna, ſpecies, & indiuidua, ad latus ponūtur differentiæ eſſentiales, per quas naturæ genericæ diuiduntur, & ſpecies conſtituuntur; & tandem reductiuè illa,quæ nec ſunt genera, nec ſpecies, nec indiuidua, neque differentię eſſentiales,aliquo tamē modo ad aliquod illorū pertinēt, quia vel sūt partes eſſentiales phiſicæ, vt materia, & forma reſpectu compoſiti phyſici,vel paſſiones, vt riſibilitas reſpectu hominis, vel ſunt termini rerum, vt puncta reſpectu lineæ, vel negationes earū, vel quid aliud huiuſmodi. Quærimus igitur in hoc articulo; quænā ſunt illa, quæ in prædicamento reponuntur, an .ſ. entia realia, vel rationis, an entia per ſe, vel etiam per accidens, an complexa, vel incōplexa, an completa, vel incōpleta, an finita, vel infinita, an vniuerſalia,vel particularia. Et quia præfatæ res poſſunt in abſtracto, & in concreto ſumi, adhuc quærimus an debeant in prædicamentis collocari ſub nominib. abſtractis, vel concretis; & quidem quantùm ad ſub-

ſubſtantias, conueniunt omnes ſub nominibus concretis diſponi debere, maior difficultas eſt de accidentibus, cui Ariſt. ipſe occaſionē dedit, qui promiſcuè prædicamēta accidētis diſpoſuit, tàm ſub terminis concretis, quàm ſub abſtractis. Quidam docent accidentia in cōcreto diſponi debere, ità Toletus, Hyph. Blanch. Amic. & alij, quidā verò, & communis in abſtracto, ità Onna, Sot. Fuentes, Conib. Moris, Didac. Complut. Arriag. Quidam tandem volut vtroque modo poſſe diſponi, ità Auerſ. Ru. Hurt. & alij.

*Concluſio Prima.*

3. *Dicimus 1. Entia realia, non rationis, per ſe, non per accidens, incomplexa, non complexa, completa, non incompleta, finita eſſentialiter, non infinita, ſiuè genera ſint, ſiuè ſpecies, ſiuè indiuidua, per ſe, & directè in prædicamentis collocari.* Eſt Scoti locis cit. & citandis, & plures habet partes, quarum quælibet explicatur, & Pr. & primò, quòd in ſerie prædicamentali reponi debeant Entia realia, eſt Ariſt. 5. Meth. 14. & 6. Met. 4. vbi diuidens Ens in anima, ſeù rationis, & in ens extra animam, ſeù reale, hoc diuidit in decē prędicamenta. Neq; hic per ens reale intelligitur ens realiter, verbaliter, ſeù exiſtens, nam quæ in prædicamento ponuntur, abſtrahunt ab exiſtentia actuali; & ratio eſt, quia in prædicamentis reponuntur ſuperiora tanquam eſſentialia prædicata inferiorum, & hæc, vt quidditatiuè illa includunt, exiſtentia aūt de nulla creatura quidditatiuè prædicatur ex Scoto in 2. d. 3. q. 3. Vndè ſumitur ens reale nominaliter, pro eo, quod exiſtere poteſt in rerum natura. Per hoc etiam à prędicamentis excluduntur negationes, & priuationes, quarum, licèt aliquæ dicantur reales, quatenùs ſunt priuationes, vel negationes à parte rei alicuius formæ realis, & non intentionalis, nunquam tamē entia dici poſſunt. Excluduntur etiam omnia entia rationis; quia cùm non ſint ſimpliciter entia, ſed vmbræ entium, nō poſſunt per ſe in prædicamentis realibus reponi, ſed potius reductiuè in prædicamentis illorum, quorum ſunt vmbræ, & ſimulacra, vt ſupradixim' in proprio loco; ſicut, negationes, & priuationes in prędicamentis illarum rerum, quarum ſunt negationes; exiſtentia quoque, & entiū paſſiones, ſicut non ſunt quidditatiuè Entia, ſed identicè, non habēt propria prædicamēta, ſed reductiuè ſpectant ad prędicamenta illius eſſentiæ, cuius ſunt exiſtentia, vel paſſiones.

4. Debent eſſe Entia per ſe, nō per accidens, vndè Ariſt. 5. Meth. 14. poſtquam diuiſit Ens, per ſe, & per accidens, ens per ſe in decē prædicamenta diuidit. Per ens aut per ſe, hic accipitur Ens vnius eſſentiæ, ſeù eſſentialiter vnum, vt homo, leo, albedo &c. Ens verò per accidens importat ens eſſentialiter multiplex, vel potius plura Entia, vt aceruus lapidum, & etiā con-

concreta accidentalia, vt album, dulce, &c. quandò tamen æqualiter important formam, & ſubiectũ licèt faciant vnum, non tamen vnum eſſentialiter, quod dicitur ſimpliciter vnum, ſed accidentaliter ex duabus eſſentijs ſimul coniunctis, quarum vna non eſt per ſe potentia, alia per ſe actus, ex quo ſequitur, quòd non poſſint poni in vno prædicamento, ſed in pluribꝰ, .ſ. ratione ſubiecti in prędicamento ſubſtantiæ, ratione formæ in prædicamento qualitatis, vel relationis &c. per quod etiam excluduntur à prædicamento omnia artificialia, vt talia ſunt, conſtant .n. ex materia, quæ eſt ſubſtantia V.g. ex ligno, & ex figurà artificiali, q̃ pertinet ad qualitatem, &c. & ita non ſunt vnum quid.

5. Debent eſſe incomplexa ex Ariſt. in antepræd icam. c. vlt. vbi diuidit in decẽ prædicamenta illa, q̃ ſecundũ nullam complexionem dicuntur, & ratio eſt, quia doctrina, & diuiſio prædicamentorum præcipuè tradita eſt ad inueniendos ſimplices conceptus rerum, & ad prima elementa conſtituenda; complexa autem alia ſunt ſecundũ rem, quæ diuerſas naturas ſignificant, alia ſecundum modum ſignificandi, quamuis ſecundum rem vnam ſimplicem naturam ſignificent, vt definitiones conſtantes ex proprio genere, & differentia, vt V.g. animal rationale, quod licèt ſecundum rem, vnam naturam humanitatis ſignificet, quia tamen ipſam diuidit in partes, .ſ. in genus & differentiam, quaſi complexè illam ſignificat; alia ſunt complexa tantùm ſecundum vocem, ſed incomplexa ſecundum rem, & modũ ſignificandi, vt Marcus Tullius Cicero; quando Ariſt. à prædicamentis excluſit omnia complexa, non fuit locutus de complexis ſecundũ vocem tantũ, ſed de cõplexis ſecũdũ rem; an verò etiam complexa in ſignificando reiecerit .ſ. definitionem purè quidditatiuam, licèt in eſſendo ſint incomplexa, altercantur Authores, communior opinio eſt, quòd etiam huiuſmodi cõplexa in prædicamento poſuerit. poteſt tamen diſtingui, ſi definitio ſumatur, vt dicit totũ methaphyſicum reſultans ex partibus, qua ratione habet vnum modum prædicãdi ſpeciei in quid, ſic admitti poteſt directè poni in prædicamẽto, vt ſic .n. rationem habet ſpeciei. Hinc Porphyr. c. de ſpecie in coordinatione prædicamenti, quædam genera nominauit per terminos complexos, & per definitionẽ, vt Corpus animatum, animal rationale, at ſi definitio ſumatur, vt explicitè dicit partes phyſicas, ſic quia nõ habet vnum modum prædicandi, nec dici poteſt ſpecies, à prædicamento excluditur. Definitio data per additamentum, quia diuerſas ſignificat naturas, à prædicamento eliminatur.

6. Quod eſſe debeant Entia totalia, & completa, eſt Ariſt. 7. met. 8. vbi expreſsè à prædicamento mate-

materiam reijcit, quem Scot. ſequitur loc.cit. & eſt ſententia ferè cõmunis, quòd per hanc conditionẽ totalitatis, & completionis excludãtur omnes partes phyſicæ, quod etiam aliqui ad partes methaphyſicas extendunt, dicentes, quòd ideo differentię ponuntur à latere, quia ſunt Entia incõpleta, hoc autem non placet Hurt. diſp.9. met. ſec.3. quia ait: non maior ratio eſt de genere, quã de differentia, & ad diſparitatem aſſignandam, cur genus ponatur directè in recta linea, & non differentia valdè laborant Auctores; & illi etiam qui partes methaphyſicas reponunt in prædicamento valdè enodãtur ad rationem inueniendam, cur partes phyſicæ excludantur; & rationes, quæ adduntur, nihil probant, vel idem de partibus methaphyſicis oſtendunt.

7. Et ideo dicimus cum cõmuni (vt etiam rationem aſſignemus, quæ de partib. methaphyſicis militant) quòd ratio, qua non poſsũt partes in prædicamẽto reponi eſt, quia pars non poteſt prædicari de toto per modum partis, linea enim prædicamentalis ex his cõſtituitur quæ eſſe poſſunt ſubiectum, vel pdicatum formalis prædicationis, quia ſuperiora eſſentialiter prædicantur de inferioribus, & inferiora recipiunt prædicationem illorũ, ex quo ſequitur, nihil, quòd habeat modum partis, & incompleti poſſe directè poni in prædicamento, ſed quicquid ibi reponitur poni debere per modum totius, & Entis cõpleti; ex quo etiam ſequitur, quòd adhuc, vt aliquid in prædicamento ponatur, non oportet, quòd ſit Ens completum ſimpliciter, & ſecundũ rem, ſed ſufficit, quòd ſit completũ ſecundũ quid, ſeù ſecundũ modũ, quæ ratio valet de omnibus; Nam ſicut mareria, Anima, caput, Brachia, vt ſic non ponũtur directè in prædicamento, quia retinent modum partis, ſic à pari; animalitas, rationalitas, corporeitas non ponuntur directè in prædicamento, quia ſic in abſtracto retinent modum partis, ſed tantùm ponuntur in concreto, quomodo habent rationem totius; attamen quia vt aliquid ſit directè in prædicamento non ſufficit, quòd prædicari poſſit de inferioribus, ſed requiritur etiã quòd poſſit ſuſcipere prędicationẽ ſuperiorum graduum, quod differentia non poteſt facere, cùm eſſentialiter illos non includat, ſequitur quòd & ſi ex primo capite poſſit in prædicamento reponi, impeditur tamen ex capite ſecundo. Tùm quia differentia, vt ſic non habet rationem totius, ſicut genus, quia ſignificatur per modum alteri adiacentis, & prædicatur in quale, non p modum per ſe ſtantis, & in quid, vt genus, quod eſt (ſecundum aliquos) vnum ex requiſitis, vt aliqd. in prædicamento directè ponatur. Verũ quia partes ſimilares, & homogeneæ æquè recipiunt prædi-

cationem eſſentialẽ ſuperioris vniuerſalis, ſicut totum integrale, cuius ſunt partes, quia tàm tota aqua V.g. quã quælibet eius pars, eſt eſſentialiter aqua; vt Scot. docuit in 2. d. 3. q. 3. H. quod partibus ętherogeneis, & diſſimilaribus conuenire non poteſt, nam caput V.g. nunquam dici põt homo, idcirco partes homogeneas ponim' directè in prædicamento, contra Suar. & alios, non autem ætherogeneas; & ratio eſt, quia licèt homogeneę ſint actu partes totius integralis, tamen ſunt actu partes totius vniuerſalis eſsẽtialis, & per accidẽs eſt, quòd ſint actu partes totius quantitatiui &c. ità defendũt Fuent. Villalp. & alij.

8. Quòd tãtùm entia eſſentialiter finita in linea prædicamentali reponi debeant, eſt Scoti in p. d. 8. q. 3. §. *Reſpondeo*, vbi ait: Ens prius diuiditur in infinitum, & finitum, quàm in decem genera, quia alterum iſtorum .ſ. ens finitum eſt cõmune ad decem genera &c. & idẽ habet in 1. d. 3. q. 3. lit. H. quæ particula eſt communis omnibus; & pro modo ità probatur ex Tat. q. 1. prædicam. *Dubitatur tertiò vtrum Deus ſit in prædicamento*. fol. mihi, 63. quod eſt in prædicamento, aut eſt genus, aut ſpecies, aut indiuiduum, ſed ens in eſſentia infinitum non poteſt eſſe genus, nám eo quod eſt infinitum non eſt perfectibile à differentia, cuius eſt perficere genus eſſentialiter, non ſpecies, quia hæc conſtat ex genere, & differentia, quæ cùm non ſint infinita, nequeunt infinitum conſtituere; nec tandem indiuiduum, qa hoc conſtat ex ſpecie, & differentia indiuiduali, ſpecies autem nõ eſt infinita ex dictis, neque differentia, cùm ſit partialis, & incõpleta, ergo &c. eadem ratione vtũtur Vaſq. & alij Recentiores.

9. Tandem, quòd indiuidua in prædicamento directè ponãtur, eſt Ariſt. in prædicam. ſubſt. vbi preſsè explicauit ſubſtãtiam primam, & ſecundam in ſingularem, & vniuerſalem, quem ſequitur Scot. in 2. d. 3. q. 4. D. & patet ex dictis. indiuiduum .n. eſt Ens per ſe vnũ; incomplexum, finitum & completum, continens in ſe omnia prædicata lineæ prædicamentalis, quib' ſubijcitur, ergo. Tùm quia radix p ſe ſpectat ad arborem, baſis ad columnam, at indiuiduum eſt radix, & baſis prædicamenti, ergo &c.

*Obiectiones.*

10. Obijci ſolet primò contra primam, ſecundam, & tertiam cõditionem: Prædicamentum ſit per ſe ex generibus, & ſpeciebus, ſed hæc ſunt entia rationis, ergo &c. Tùm quia, quòd ſubſtãtia ſit prior corpore, & corpus prius viuente, non habetur ex natura rei, ſed ex opere intellectus, tendentis prius in ſubſtãtiam, quàm in corpus, ergo etiam Entia rationis in prædicamento ponũtur. ℞. ad primum, quòd prædicamentum cõſtituitur ex generibus, & ſpeciebus materialiter (non formaliter) .ſ. ex reb. ipſis,

ipſis,

Digitized by Google

ipſis, quæ dicuntur genera, & ſpecies; & ità, quod ponitur in prædicaméto eſt res, quo ponitur eſt intentio ſecunda, quia res in prædicamento non ponuntur, niſi vt cõceptibus rationis ſubſtant. Ad ſecundum occurrant Thomiſtæ, qui negant diſtinctionem ex natura rei inter gradus prædicamentales, & etiam prioritatem, & poſterioritatem ex natura rei, nobis autem nihil officit, qui vtrũq; aſſerimus.

Tertiò, Quãtitas diſcreta eſt aggregatum quoddam ex plurib', & conſequẽter eſt Ens per accidens, & tamen eſt in prędicamento quãtitatis. Scientia eſt in prædicamento qualitatis, & tamen eſt quid aggregatum ex pluribus habitibus, imò & intrinſecè conſtituta ex obiecto, & reſpectu ad obiectum. ℞. quòd quãtitas diſcreta non eſt vera ſpecies quantitatis, vt proprio loco patebit. Scientia eſt in prædicamento qualitatis, non vt dicit illam aggregationem, ſed vt dicit vnum per ſe habitum, vt infra patebit; & quamuis dicat reſpectum realiter identificatum ad obiectũ, non ex hoc ſequitur, quòd ſit Ens per accidens, quia non ponimus illum de eſſentia ſcientiæ.

Deinde Ob. Contra quartam, & quintam conditionem ex 1. Topicorum c. 7. vbi omnia prædicata dialectica diſputant de rebus omnibus completis, & incompletis, ergo, &c. ℞. aſſumptum eſſe verum diſiunctiuè .ſ. vel directè, vel indirectè, vel reductiuè.

Ob. 2. Partes phyſicè eſſentiales habent ſua genera, ſpecies, & differentias; hinc ab Ariſt. plures ſubſtantiæ vocantur, poſſunt etiã abſtractè, & concretè concipi in ſuis inferioribus, & omnes ſubſtantiæ paſſiones habent, ergo per ſe in ſerie prędicamentali reponi debent. Reſponſio patebit infra in q. de ſubſtãtia, pro modo dicimus, quòd poterit vtique aliqua ſeries prædicamentalis ordinari ex illis entibus incompletis ad ſimilitudinem entium completorum, non tamen ex hoc ſequitur, quòd debeant in his directè reponi, vt modo in vſu poſita ſunt.

Ob. 3. Genus, & differẽtia quomodocũque ſumãtur, ſemper ſunt entia incompleta, ergo ſi genus eſt per ſe in prædicamento, ſimiliter, & alię partes reponi debent. ℞. negando conſequentiam, & ratio eſt, quia licèt ſint entia incõpleta ſecundum rem, ſunt tamen completa ſecundum modũ in ratione habentis, quod ſufficit, vt poſſint de inferioribus prædicari, & cũ genus etiam potens ſit ſuſcipere prędicationem ſuperiorũ graduum eſſentialẽ, directè in prædicaméto erit.

Sed vrges, genus ſupremum ſolũ de inferiorib' prædicatur per modum totius, non .n. ſuſcipit prædicationem gradus ſuperioris, cũ ſit ſupræmũ, ergo differentia quia eſſentialiter de inferioribus prædicatur, licèt prædicationes ſuperiorum non recipiat, directè in genere poni debet. ℞. neg. paritatem, & ra-

ratio eſt, quia genus ſupremũ poteſt ſaltem recipere prædicationẽ eſſentialẽ entis traſcendentis, hoc autem non habet differentia, cùm non ſit formaliter ens. tùm quia non prædicatur per modum per ſe ſtantis ſicut genus.

Ob. tandem contra quintam cõditionem: Chriſtus eſt in prædicamento ſubſtantiæ, & tamen habet eſſentiam infinitè perfectam; & ſi daretur linea infinita, iam eſſet in prædicamento quantitatis, ergo finitas non eſt neceſſaria conditio, vt res in prędicamento collocetur. ℟. Chriſtum eſſe in predicamento ratione naturæ humanæ, non Diuinæ; & linea eſſet tantum infinita ſecũdum quid, & ſincathegorematicè, ſimpliciter tamen, & ſecundũ eſſentiam eſſet limitata, & finita.

Tertiò. Tandem ob. contra vltimam cõditionem, primò ex Porphyr. qui in ſecunda definitione indiuidui ſic ait: Indiuiduum eſt. *Cuius collectio proprietatum, quæ in vno eſt, in alio non poteſt reperiri*, ergo indiuiduum eſt ens per accidens, cùm conſtet ex rebus diuerſi ordinis, & ideò non poteſt in linea p̄dicamentali reponi. ℟. quòd illa non fuit vera, & quidditatiua definitio indiuidui, ſed quædam notificatio ipſius à poſteriori, ratio .n. indiuidui non conſiſtit in illis proprietatibus extrinſecis, ſed dumtaxat, vt includit naturam, & indiuidualem differentiam.

Ob. 2. Ipſemet Porphy. prędicamẽta clauſit genere ſummo, & ſpecie infima, & prohibet ad indiuidua deſcendere, quia ſunt infinita in ſententia Platonis. ℟. ex Doctore in 2. d. 3. q. 4. H. quòd ſeries prędicamentalis claudi debet genere ſummo, & indiuiduo; ſicut .n. apex ponitur prædicatum, de quo nihil aliud dicitur, in recta linea, ità baſis debet poni ſubiectum, cui nihil aliud ſubijcitur, & Porphy. ità illo modo lineã clauſit, quia ſolũ prædicata eſſentialia memorare curauit. & Plato vetabat indiuidua in prædicamento reponi, non quatenus indiuidua, ſed quatenus infinita, in quo erraſſe non dubium eſt.

Ob. 3. Prædicamentum eſt quædam coordinatio pluriũ prædicabilium ſecũdũ ſub, & ſupra, ſed indiuiduum non eſt huiuſmodi, ergo &c. ℟. quòd prædicamentum non ſolùm eſt coordinatio prædicabilium, ſed etiam ſubijcibilium, de quorum numero eſt indiuiduum.

Ob. 4. Indiuidua per ſe non ſpectant ad ſcientiã, ergo neq; ad prædicamenta, patet conſequentia, nã prædicamenta ordinantur ad ſciẽtiam, & cẽſentur præcipua pars logicæ. ℟. neg. aſſumptum, & ratio eſt, quia ſicut indiuidua ad prædicamenta ſpectant, vt participantia omnes gradus ſuperiores, ità pertinent ad ſcientiam prædicamentalem, vt fundamentum, ex quo p̄dicamenti edificium conſtruitur; nec omnia, quæ in prædicamento ponuntur, immediatè ad ſcientiam pertinere debent.

Ob. Vltimò. illa, quæ in prædi-

ca-

camento ponūtur debent eſſe vniuoca, ſed indiuiduū non eſt huiuſmodi, cū non ſit de pluribus prędicabile ſecundum idem nomen, & rationem, ergo, &c. &c. illam conditionem eſſe dumtaxat eorū, quæ ponuntur in linea prędicamentali, vt gradus communes, & prædicabiles, non autem indiuidui, quod ponitur ſolùm vt ſubijcibile.

*Concluſio Secunda.*

11. *Dicimus 2. in Prædicamēto ſubſtantiæ naturas diſponi debere in cōcreto; in prædicamentis verò accidentium, rigoroſè loquendo, reponi debere in abſtracto non vltimata abſtractione, ſed media, eſtò etiam in concreto collocari poſſent.* Et quantum ad ſubſtantiale prædicamentum, eſt ſententia communis, & ipſomet vſu patet, ſolent .n. in eo genera, & ſpecies diſponi nominibus concretis, vt ſubſtantia, corpus, viuens, animal, homo. Et ratio eſt, quia res in prędicamento non diſponuntur, niſi quatenus grad° ſuperior poteſt eſſentialiter dici de inferiori, & inferior talem prædicationem ſuſcipere, hoc autem in abſtractis fieri nō poteſt, non .n. bene dicimus humanitas eſt animalitas, nam naturæ ſic acceptæ habent rationem partis, & entis in completi, in cōcreto verò habent rationem entis completi, & totalis, & fundamentum eſt, quia cùm natura ſubſtantialis nata ſit eſſe in ſuppoſito, in quo completur .ſ. ſubſiſtentiam acquirit, ſtatim ac, quod à ſuppoſito, & à cōcernentia ſuppoſiti abſtrahitur, habet rationem partis, & forma methaphyſica euadit.

Quòd deinde accidentia media abſtractione abſtracta debeant in prædicamento reponi, patebit infra in art. de regulis bonæ prædicationis ad enunciationes efficiēdas. Pro modo ſupponimus, quòd abſtracta media abſtractione ſunt termini, qui à ſubiecto abſtrahunt, quod concernunt in concreto, ſed non à proprijs inferioribus, vt albedo abſtrahit à Cigno, connotato per album, ſed non ab hac, & illa albedine; abſtractum verò vltima abſtractione abſtractum eſt, q etiam à proprijs indiuiduis abſtrahit, & præſcindit, vt albedineitas ab hac, & illa albedine; debent igitur à Scoto q. 15. vniuerſalium in reſpon. ad ſecundum principale, accidentium prædicamenta in terminis media abſtractione abſtractis diſponi, quod patet ex ipſo Ariſt. qui multa accidentium prędicamenta ità diſpoſuit, vt lineam, & ſuperficiē in prędicamento quātitatis, ſcientiam, & ægritudinem in ſpecie qualitatis &c. Tùm quia ſtructura hæc prædicamenti, eſt quidam ordo eſſentialis inter prædicata ſuperiora, & inferiora, & per accidens ſe habet ordo ad extraneum, ergo potius prædicamenta accidentium diſponi debent in terminis abſtractis, qui à ſubiectis pręſcindunt, quàm in terminis concretis, qui externum ſubiectum concernunt.

Tandem, quòd etiam in concre-

to accidentia collocari poſſent, eſt etiā Doctoris, q. licèt in rigore abſtracta accidentium in prædicamētis ordinari docuerit, addidit tamen etiam concreta poſſe per ſe ordinari ſicut ſuperius, & inferius, vt album ſub quali, vel colorato &c. & fuit doctrina Ariſt. qui cap. vlt. de antepraedicam. omnia accidentium prædicamenta in concreto nominauit, & in prædicamento qualitatis etiā de ipſa locutus fuit in concreto, ſub nomine quali, & 1. Topic. c. vlt. ait: album contineri ſub colorato tāquam ſpecies ſub genere, & ſi quis obſtaret, quia concretum eſt ens per accidens, q. Ariſt. à prædicamentis excluſit. R. hoc valere, ſi accidens acciperetur, quatenus ex æquo formam, & ſubiectum importaret, quomodo de illo loquitur Ariſt. loc. cit. nō poſſe definiri, nec in prædicamēto reponi, at ſi acccipiatur formaliter, prout dicit formam, & connotat ſubiectum, ſic non eſt ens per accidens. Hinc Doctor, q. 1. vniuerſalium docuit à talibus concretis ad abſtracta tenere conſequentiam, vt album eſt quale, ergo albedo eſt qualitas &c.

*Obiectiones.*

12. Contra hāc Concluſionem obijci ſolet multipliciter, & primò quòd accidentia nō poſſint in abſtracto in prædicam. diſponi, tali medio: Sicut ſe habet ſubſiſtentia ad naturas ſubſtantiales, ita inhærentia ad naturas accidentales, ſed ſubſtantiales quamuis ſint magis entia, & perfectiora, attamen vt à ſubſiſtētia abſtrahunt, ſunt entia incompleta, ergo multo magis accidentales, vt abſtrahunt ab inhærentia; patet maior, nam ſicut natura ſubſtantialis completur vltimatè per ſubſiſtentiam, ita accidētalis per inhærentiam. R. neg. paritatē, & ratio eſt, quia eſſentialior eſt habitudo naturæ ſubſtantialis ad proprium ſuppoſitum, cùm ſit eiuſdem prædicamenti, quàm accidentis ad ſubiectum, quod eſt ipſi extraneum, & ideò ſtatim ac natura ſubſtantialis præſcindit à ſuppoſito, & à concernentia ſuppoſiti, cenſetur ens in completum, ſaltem in modo ſignificandi, non ſic accidens, cùm adhuc retineat habitudinem ad ſua inferiora: neque in hoc attenditur maior, vel minor perfectio in entitate, & in re ſignificata, ſed in modo ſignificādi &c.

Ob. 2. pars non poteſt de toto prædicari, ſed accidentia in abſtracto ſumpta habent modum partis, vt ſunt abſtracta ſubſtantialia, ergo &c. R. min. eſſe veram tantùm de vltimatè abſtractis, non media abſtractione abſtractis, & ratio eſt, quia huiuſmodi abſtractum, licèt à parte rei ſit pars concreti ad ſubiectum, habet tamen modum ſignificāndi totius, quia eſt concretum ad ſuū ſingulare, nec præſcindit ab ordine ratione habētis; hoc autē non militat de abſtractis ſubſtantialibus, nàm eſtò dicant ordinem ad propria indiuidua, vnde hæc eſt vera, hęc humanitas eſt hu-



Digitized by Google

manitas, hæc animalitas, eſt animalitas, non tamen iſta, humanitas eſt animalitas; cuius ratio eſt, quia animalitas abſtrahit ab omni animali, & conſequenter ab omni differentia ſpecifica.

Tertiò. Accidentia debent poni in prædicamento, eo modo, quo de ſubſtantia prædicantur; prædicamēta .n. accidentiū diſtinguuntur per ordinem ad ſubſtantiam; ſed de ſubſtantia prædicantur in concreto, non in abſtracto; ergo &c. ℞. neg. ma. licèt .n. diuiſio ꝑdicamentorum accidentium facta ſit penès diuerſum ordinem, quem ad ſubſtantiam dicūt, coordinatio tamen eorum in ſuis prædicamentis, facta eſt quatenus prædicantur in quid de ſuis inferioribus, non vt de ſubſtantia prædicantur in quale accidentale.

Ob. Cōtra vltimam particulam ex Ariſt. 3. Topic. c. 1. vbi ait iuſtitiam, non iuſtum eſſe in prędicamento. ℞. Ariſt. locutum fuiſſe, vel de concreto pro aggregato, vel quòd non ſit in prædicamento, niſi ratione formæ ſignificatæ, coordinatio .n. concretorum pendet à coordinatione formarum &c.

Ob. Solū illa poſſunt eſſe genera, vel ſpecies, quæ ſignificant naturā per ſe ſtantem, & non alteri adiacētem, aliter prędicarentur in quale, non in quid, ſed accidentia in concreto non ſignificant naturam per ſe ſtantem, ergo &c. Maior patet, min. eſt Ariſt. 2. Topic. c. 2. vbi ait, coloratum non dicitur de albo tanquam genus, ſed denominatiuè. ℞. hoc argumentum tantùm probare, quòd in rigore hæc prædicamēta in abſtracto collocari debēt. verum quia concretum eſtò, vt reſpicit ſubiectum, habeat rationem qualis, vt tamen reſpicit inferiora, ratione formæ, quam formaliter importat, habet rationem quid, ideò bene in Prædicamento reponi poteſt, & Ariſt. ſumpſit album nō ꝑ formali, ſed pro materiali, & ſubiecto, & tali modo vtiq; denominatiuè de albo prædicatur.

## ARTICVLVS DVODECIMVS.

### *De Diuiſionibus, & regulis antepredicamentalibus.*

1. SCot. cuius ſcripta Diuinitatē quadam ſententiae aurei fluminis inſtar exuberant, de his ex profeſſo diſſerit q. 17. Vniuerſaliū, & q. 10. prædicam. & in poſteriorum q. 58. & in 2. d. 3. q. 4. & alibi ſæpè, cui⁹ veſtigia nos (relictis Recentiorum ambagibus) ad vnguē ſequemur. Poſt quam Ariſt. in anteprædicam. de natura vniuocorū, & denominatiuorum diſertè egit, duas diuiſiones, & duas regulas aſſignauit, de quibus iam egimus in ſummulis cap. 3. de Antepredicamentis, vbi tam de duobus diuiſionibus, quàm de duob. regulis anteprædicamentalib. regulas aſſignauimus. modò alteram doctrinam per ſequentes concluſiones magis declaramus, & probamus.

*Concluſio Prima.*

2. *Dicimus primò, genera diuerſorū pre-*

*prædicamentorum nullam habere communem differentiam conſtitutiuam, & diuiſiuam, neque communes ſpecies.* eſt Scoti locis citatis, & ità probatur: prædicamenta ſunt impermixta, ità vt vnum eſſentialiter non participet naturam alterius, ergo quæ ſub ipſis continentur non habent differentiam, communem, neque conſtitutiuam, neque diuiſiuam, ſupponimus .n. modò decem genera non habere ſupra ſe aliud genus, in quo tanquam in tertio conueniant; ex quibus etiam patet ſecunda pars, nam ſpecies ex genere, & differentia componuntur, ergo ex diuerſis generibus, & differentijs diuerſæ quoque ſpecies coaleſcunt.

*Concluſio Secunda.*

3. *Dicimus 2. genera inter ſe ſubordinata communes habere omnes differẽtias generum ſuperiorum conſtitutiuas, quod etiam verum eſt de generibus ſub aliquo communi tertio conſtitutis.* Eſt communis, & clara apud Ariſt. hic, nam animal V. g. omnes differentias communes, & ſuperiores includit .ſ. corpoream, quæ eſt conſtitutiua corporis, animatum, quę eſt conſtitutiua viuentis, & ſenſibile, quæ eſt propria ipſius animalis; ſic etiam animal, & planta habent differentias cõſtitutiuas corporis, & viuentis; vnde etiam ſequitur, quòd genera inter ſe ſubalterna participant aliquas differentias diuiſiuas ſuperiorum, animal .n. ex diuiſiuis ſubſtantiæ habet corporeum, ex diuiſiuis corporis habet animatum &c. quod etiam affirmãdum eſt de alijs ſub tertio cõtentis, quæ habent cões differentias diuiſiuas, quæ genera conſtituunt in illis incluſa, pter diuiſiuas immediati generis ſuperioris &c.

*Concluſio Tertia.*

4. *Dicimus 3. nullam differentiam diuiſiuam vnius generis, poſſe eſſe diuiſiuam alterius generis, ſed quamlibet determinatum genus ſibi vendicare*, eſt Scot. loc. cit. præſertim q. 10. prędicam. quam ſic probat: Si eadem differentia ſiuè vltima, ſiuè non vltima aduenireṭ pluribus generibus ſequeretur, q idẽ ſpecie, vel genere inferius eſſet in diuerſis generibus nõ ſubalternis, ſed hoc eſt falsũ, idẽ .n. V. g. homo nõ poteſt eſſe ſub animali, & ſub plãta, ergo &c. patet ſequela, quorũ vna eſt differentia, vna eſt entitas ſpecifica, vnitas .n. ſpecifica, nõ niſi ab vnica differentia coaleſcere poteſt. Dices iam ad eſsẽt diuerſa genera, quod ſufficit, vt conſtituta non ſint eiuſdem ſpeciei; Sed contra eſt, nam genera sũt rationes conueniendi in ſpeciebus, differẽtiæ autem rationes differẽdi, & diſconueniendi; vndè meritò dicitur, quòd genus ſit magis vniuerſale, & à differẽtia contrahitur, & quodãmodo eius communitas reſtringitur, ergo ab illis generib. non poteſt differentia ſpecifica puenire, aliter genus ſe haberet vt differentia, & differentia vt genus &c. ſed de his fuſius in meth.

*Obiectiones.*

5. Contra primam concluſionẽ obij-

obijci ſolet, quòd eædem ſpecies eſſe poſſunt in diuerſis prædicamẽtis,& conſequenter etiam eædem differentiæ, & patet experientia, nam corpus eſt in genere ſubſtantiæ,& quantitatis,mathemathicus .n. conſiderat longitudinem, latitudinem,& profunditatem corporis; figura eſt in genere quãtitatis, & p ſe à Geometra conſideratur, qui tantùm quantitates cõſiderat. & eſt etiam in prædicamento qualitatis; ſimile, & diſſimile ſunt relatiua, & qualitates, ſicut etiam duplum,& dimidium ſunt quantitates, & relatiua;& motus in tertio phyſ. ad tria ſpectat prædicamenta; ergo &c.

Rt Scotus loc.cit.q.10.prædic. neg. añs, Corpus .n. æquiuocè dicitur de corpore ſubſtãtiæ, & quãtitatis,nam illud eſt ſubſtantia,capax vtique natura ſua trinæ dimẽſionis,hoc autem eſt ipſamet trina dimenſio; Figura poteſt accipi dupliciter, vel pro ſuperficie figurata,& terminata, & ſic eſt quãtitas, vel pro ipſa figuratione, & terminatione,& ſic eſt qualitas, vel ſaltẽ habet modũ qualitatis, vt ſuo loco patebit; Simile,& diſſimile ſunt formaliter relatiua, & ſolùm fundamentaliter in genere qualitatis, quatenus eſt fundamẽtum ipſorũ; ſimiliter Duplum, & dimidium, æquale, & inæquale ſunt ſimpliciter relatiua, & ſolũ fundamentaliter in genere quantitatis; Motus, vt in phyſica dicemus non ponitur directè in prędicamento,ſed reductiuè in prædicamẽto ſui termini.

Ob.2.Contra alias cõcluſiones, & primò Auct. Ariſt.qui 2.poſt.c. 14. docuit in definitionibus poni debere plures differentias, quarũ quælibet excedat definitum,ſed ſimul ſumptæ cum illo conuertantur, quam regulam deinde ſeruauit Porphy.c. de differẽtia,& cap. de Communit. generis,& differẽt. qui hominem definiens, ait: eſſe animal rationale, mortale, q̃ duæ differentiæ ſimul ſumptæ conuertuntur cum homine, ſeiunctim verò excedũt. Et primo, & ſeſto Topic. docet differentiam, quæ definitionẽ ingreditur ſpeciei, in plus ſe habere,quam ſpecies. ℞.ex Doctore tunc doctrinam Ariſt.verificari, cũ vltimæ differentiæ nos latent, quæ circumſcribi debent per plures accidentales. Porphy.imaginatus fuit dari animalia rationalia immortalia,& ideo definiuit hominem per mortalem, ſibi circumſcribens vltimam differẽtiam hominis ipſi ignotam. Ad aliud de primo,& ſeſto Topic.loquitur de differentijs medijs,non proprijs,& ſpeciebus adæquatis.

6. Sed Vrges adhuc, quãuis animal diuidi ſoleat per rationale, & irrationale,attamẽ Ariſt.7.met. 43. ipſum diuiſit in habens,& non habẽs pedes; & etiam hic,in greſſibile,aquatile,& volatile, euidentiſſimum ſignum differentias non neceſſariò certo generi conuenire, ſed ad libitum noſtrum,ſecundum varium concipiendi modũ,& con-



Digitized by Google

ſequenter non implicat eamdem differentiam eſſe communem pluribus generibus, & eamdem ſpeciem contineri ſub pluribus generibus. ℞. loca præfata intelligi debere de differentijs accidẽtalibus, nõ de eſſentialibus, quo ſenſu vtique eadem ſpecies eſſe poterit ſub diuerſis generibus in vno eſſentialiter, in alio accidentaliter, & denominatiuè.

Ob. 3. pluribus exemplis, nam Corpus diuiditur in viuens, & non viuens, & tamen viuens reperitur in Angelis, qui carent corpore, ergo in plus ſe habet differentia, quã genus, & vnica differentia in pluribus ſpeciebus reperitur; quantitas continua diuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam, quæ differentiæ reperiuntur in quantitate diſcreta. Habitus diuiditur per naturalem, & ſupernaturalẽ, per intellectualem, & moralem, &c. quæ differentiæ conueniunt etiam actibus intellectus. Potẽtia cognoſcitiua diuiditur in corporalem, & ſpiritualem, quæ differentiæ competunt etiam potentiæ appetitiuę; Bipes eſt differentia volatilis, & greſſibilis, & multa alia exempla adducit Auerſa, quibus ſuam ſententiam fundare nititur.

℞. de ratione differentiæ eſſe ſemper reſtringere genus, non dilatare, & monſtrum horrendiſſimũ in phyloſophia videtur, quòd genus quoq; differentiam reſtringat, quicquid Auerſa reclamet. Vnde valde adnotandum eſt, quòd quãdo differentia addita generi, videtur ex vi nominis illud dilatare, & plus extendi non debet accipi, vt ibi nomẽ ſonat in tota illa amplitudine, ſed ſub aliqua ratione magis propria, & determinata, licèt talibus nominibus indigeamus. V. g. rationale diuidit Animal, & ſcientiam, quę diuiditur in realem, & rationalem, vel in rationalem, & moralem, &c. Et tamen rationale vtrobique ſumitur difformiter, vt patet. Adeſt etiam exemplũ Ariſt. 1. Topic. c. 13. de acuto, quòd conuenit quantitati, quia datur angulus acutus, & qualitati .ſ. voci acutæ, non tamen eſt eadem differentia, licèt eodẽ nomine ſint appellata, vel ſi erit eadem, non erit eſſentialis, ſed accidentalis; quando igitur videtur differentiam in plus ſe habere, quàm genus, tunc id, ꝙ concipitur non eſt differẽtia illius generis, ſed conceptus alterius, per quam doctrinam facilè eſt reſpondere ad allata exempla, & ſimilia.

7. Quantùm igitur ad primũ, cùm Corpus diuiditur in viuens, & non viuens, ly viuens non debet ſumi in tota ſua amplitudine, ſecundũ quã etiam Angelis conuenit, ſed accipi debet pro animato, quo ſenſu non excedit corpus, ſed illud reſtringit ad ſtandum tãtũ pro Corpore animato. Ad illud de quantitate, quæ diuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam, ſicut etiam Diſcreta, non debet vtrobiq; eodem modo ſumi, vt benè Maſtr. & Bell. hic aduertunt, licèt eodem nomi-

Digitized by Google

nomine ſignificentur; tũ quia hæc diuiſio eſt accidentalis, vt infra patebit, ſpecies .n. propriæ quantitatis ſunt tantũ tres .ſ. linea, ſuperficies, & Corpus. Ad aliud de habitibus dicimus illas eſſe differentias accidentales, quomodo concedimus actibus conuenire, nõ tamen eſſentiales, quæ diuerſæ ſunt in actibus, & habitibus; verũ quia ex imperfectione intellectus pro ſtatu iſto penetrare non poſſumus vltimas, & proprias differentias, ſæpè addimus generibus quaſdam differentias communes, quas poſtea per aliquid aliud reſtringim'. Sic Scot. docuit in 2. d. 1. q. 6. de Angelis, & anima noſtra, qui vidẽtur eiuſdẽ eſſe ſpeciei, & in differẽtia ſpecifica rationalitatis conuenire; & tamen non ità eſt, ſed ſpecie differunt ſecundum communẽ ſent. Theologorum, cùm anima ſit actus perfectiuus corporis, Angelus nequaquam, quales autem ſint huiuſmodi differentiæ abſolutæ, animæ, & Angeli conſtitutiuæ, pro ſtatu iſto ſunt nobis prorſus ignotæ, vt benè aſſeruit Pater Vulpes tom. p. par. 2. diſp. 8. art. vlt. cũ cæteris Scotiſtis, contra Alenſẽ, Henric. & D. Thõ. & eodem modo ℞. ad illud de potentijs cognitiuis. bipes non eſt differentia eſſentialis, ſed accidentalis, vt patet.

8. Inſtat Auerſa, ſolet gen' hominis aſſignari animal, differentia rationale, at æquè bene potuit aſſignari ſubſtantia intellectualis, q eſt ipſi communis cum Angelis, & deinde differẽtia poteſt aſſignari, vel corporeum, vel mortale, vel diſcurſiuum. ℞. negãdo, quòd æquè bene poſſit aſſignari genus hominis ſubſtantia intellectualis, & differentia eſſe corporeum, vel mortale, & ratio eſt euidens, nam de ratione differentiæ eſt minus patere, quàm genus, cum ſit determinatiua, & cõtractiua; quare ſi corporeum, vel mortale poneretur, vt differentia tũc ratione differentiæ cum pluribus conueniret, quã ratione generis; nam per genus cõueniret ſolùm cum Angelis, & per differentiam, cum omni corporea creatura. diſcurſiuum non poteſt aſſignari differentia in ſententia Doctoris, qui eriam in Angelis diſcurſum admittit.

Sed contra adhuc vrget, intellectiuum in communi dicitur de homine, & Angelo, ergo poteſt poni genus commune ambobus. ℞. neg. conſequentiam, & ratio eſt, quia conceptus ille communis intellectiui cùm etiam cõpetat Deo, non eſt propriè genericus, nõ .n. ei correſponderet à parte rei realitas generica, quæ eſt diuiſibilis per corpoream, & ſpiritualem, quæ differentię ſunt priores natura ſua, quã intellectualiras, nam incorporeũ, ſeu ſpiritus eſt radix intellectualitatis, & non è contra; quare intellectuale conueniens homini non eſt intellectuale in communi, ſed corpori proportionatum, & illius informatiuum, quod non competit Angelo, &c.

# DISPVTATIO XII.

## DE PRÆDICAMENTIS IN PARTICVLARI, ET PRIMO DE ABSOLVTIS.

DISPVTATIONE de prædicamentis in Communi peracta, ad tractationem eorumdem in particulari accedimus; & ordine doctrinæ poſtulat, vt priùs de abſolutis, quàm de relatiuis agamus, vt potè priora natura, & fundamenta, in quibus prædicamenta reſpectiua fundantur; identitas .n. fundatur in ſubſtantia, æqualitas in quantitate, ſimilitudo in qualitate;& quidem de his abſolutis ea tãtùm rangemus, quæ ad eorũ coordinationem neceſſaria arbitrantur, in quo ſenſu ad Logicum ſpectant; cæterùm, vt à tali ordine præſcindunt, ad alias potius ſpectant facultates, ſubſtãtia .n. & accidens in communi pertinent ad meth, quantitas ad Phyſicum, tractatu de continuo; Qualitas ad Animaſticum; & agimus primò de ſubſtantia, quæ eſt fundamentum, & cauſa omnium accidentiũ, eaque præcedit ex 7. met. tempore, natura, & cognitione.

### TEXTVS.

*Subſtantia autẽ eſt quę propriè, & principaliter, & maximè dicitur, quæ neque de ſubiecto dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt, vt quidam homo, & quidam Equus &c.*

IStud eſt Caput Primum huius tractatus, in quo Ariſt. de primo prædicamento determinat, .ſ. de ſubſtantia,& in plures diuiditur particulas;in prima definit primã, & ſecundam ſubſtantiam, dicens: prima ſubſtantia eſt, quæ propriè, & principaliter,& maximè ſubſtare dicitur;& quæ nec in ſubiecto ẽ, neque de ſubiecto dicitur, cùm nõ habeat inferiora, & cùm nõ ſit accidens, vt aliquis homo, aliquis equus, &c. Deinde definit ſecundas ſubſtantias, dicens; ſecundæ ſubſtantiæ ſunt ſpecies, in quibus sũt illæ, quæ principaliter ſubſtare dicuntur .i. primæ ſubſtantiæ, vt aliquis homo eſt in homine tanquam in ſpecie, & animal eſt genus illius ſpeciei &c. Circa text. huius capitis multæ incidunt difficultates, quas per ſequentes articulos breuiter reſoluemus.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*De ſubſtantia Generaliſsimo huius Prædicamenti, ac eius ſpeciebus.*

1. SCot. cuius doctrinæ ſoliditas vniuerſo orbi euidentiſſimè innoteſcit, de hoc art. diſcurrit q. 14. & 15. Prædicam. & in 1. d. 8. q. 3. §. *teneo opinionem meam*. & qu. 3. lit.

3. lit. S. & quol. 9. lit. A. & alibi, vbi ſemper phyloſophicè procedés, oſtendit quãtum in doctrina Ariſt. fuerit abundè verſatus. Subſtantia igitur de qua in præsẽti loquimur poteſt accipi tripliciter .ſ. communiſſimè, communiter, & ſtrictè: primo modo ſubſtantia dicitur omne illud, quod eſt per ſe, ſiuè per ſe exiſtat, ſiuè in alio, dummodo non ſit per inhærentiam actualem, vel aptitudinalem; ſiuè talem eſſendi modũ habeat à ſe, ſiuè ab alio; in quo ſenſu comprehendit Deũ Optimum Maximum, & ſubſtantias creatas, tàm ſimplices, quàm compoſitas, & partes earum, tàm eſsẽtiales, quàm integrales, nam licèt forma ſit in materia, & pars integralis in toto, non tamen tãquam accidens in ſubiecto, nam inhærere propriè conuenit illi, quod non eſt per ſe act⁹, nec facit vnũ p ſe cũ ſubiecto; & in hac acceptione ſubſtantia nõ poteſt dici à ſubſtando, cũ Deus in hoc ſenſu ſit ſubſtantia, & nulli accidenti ſubiaceat, ſed dicitur ſubſtantia à ſubſiſtendo, ſcil. à per ſe ſtando, & non in alio admodum accidẽtis: Et quamuis hęc perſeitas eſſendi, per negationem eſſendi in alio ad modum accidentis explicari ſoleat, non tamen in tali negatione conſiſtit, vt Soncin. 5. meth. q. 14. putauit, nullum .n. ens reale poſitiuum poteſt in ſua eſſentia conſtitui per ſolam negationem, vt communiter aſſeritur contra præfatum Doctorem; Hinc aduertimus, ſubſtantiam hic eſtò communiſſimè accipiatur, non tamen in illa amplitudine, vt ſignificet naturam, & eſſentiam cuiuſcũque entis, ſic .n. etiam accidentib. conueniret, ſed ſumitur prout ab accidente condiſtinguitur, & cum eo adæquatè diuidit ens reale, in quo ſenſu accepta ſubſtantia, ſimul cum accidente ſunt membra entis traſcendentalis.

2. Subſtantia verò ſecundo modo .ſ. communiter ſumpta, eſt ꝙlibet ens etiam in ſe, & per ſe exiſtens, & non in alio admodum accidentis, non tamen à ſe, ſed ab alio, & in hoc ſenſu ſubſtantia ſimul cum accidente diuidit ens finitum, & limitatum, quomodo omnem ſubſtantiam creatam comprehendit, tàm completam, quàm incõpletam, tàm ſimplices, quàm compoſitas; & partes earum tàm eſſentiales, quàm integrales; In quo sẽſu ſubſtantia non ſolùm à ſubſiſtẽdo dicitur, ſed etiam à ſubſtando, omnis .n. ſubſtantia concreta alicui acccidenti ſubſtare poteſt, cum hac tamen differentia, quòd ratio ſubſiſtendi, vel per ſe exiſtendi ſit ratio primaria, & eſſentialis; ratio verò ſubſtandi ſecundaria, & concomitans, prius .n. eſt rem in ſe eſſe, quàm alijs ſubeſſe &c. Vndè meritò Phyloſoph⁹ rationem ſubſtandi inter affectiones ſubſtantiæ connumerauit, cùm ait, ſubſtantiã ſuſceptibilem eſſe contrariorum, ꝙ idem eſt, ac ſubſtare accidentibus, contrarietas .n. rigoroſa .ſ. ſtrictè ſumpta inter accidentia verſatur.

3. Sub-

Digitized by Google

3. Subſtantia tertio modo ſūpta, dicitur omne ens in ſe,& per ſe exiſtens( quamuis non à ſe) quatenus per ſe eſſe excludit, non ſolùm inhærere,& in alio eſſe per modum accidētis, ſed etiam vt excludit eſſe in alio vt pars in toto, vel in alia comparte per modum informātis; in quo ſenſu ſolùm comprehendit ſubſtantias creatas completas, tàm ſimplices, quàm cōpoſitas, excludendo partes tàm eſſentiales, quā integrales; & in hoc ſenſu ſubſtantia diuidit ens finitum, prout deſcendit in prædicamenta, & dicitur ſubſtantia tàm à ſubſiſtendo, quàm à ſubſtādo, & quidem potiori modo, quàm ſubſtantia communiter ſumpta, ſubſtantia .n. completa magis dicitur per ſe ſubſiſtere, quā incompleta, cùm non in alio exiſtat; magis ſubſtare dicitur, quàm illa, cùm proprium accidentium ſubiectum ſit ſubſtantia completa, vt in phyſ. patebit, & penès hanc triplicem acceptionem ſubſtantię, triplex orta eſt ſententia de huius prædicamenti generaliſſimo.

Prima opinio eſt Nominalium, quibus ex Recentioribus adhærēt Auerſa q. 17. ſec. 3. Arriaga diſp. 3. ſect. 2. Hurtad. in meth. diſp. 9. ſec. 4 & alij, qui volunt genus ſupremū huius prędicamenti eſſe ſubſtantiā communiſſimè ſumptam, vt etiam Deum ipſum comprehendit. dicūt tamen præfati Neuterici, Deum poſſe in prædicamento ſubſtantiæ conſtitui, ſi ſubſtantia ità amplè ſumatur, vt omnem ſubſtantiam cōplectatur creatam, & increatam, præciſis tamen imperfectionibus, quæ modo in prædicamento ſubſtātiæ reperiuntur. Addit Hurtad. ſi conſtitui non poteſt prædicamētum ſubſtantiæ, vt etiam Deum comprehendat, ſaltèm conſtitui debet prædicamentum ſubſtantiæ increatæ, diſtinctum à prædicamēto creaturæ, nā etiam Deus habet ſeriem prædicamentorum ordine poſitorum, eſt .n. ens ſubſtantiale, cōpletum, ſpirituale, æternum, &c.

Secūda opinio aſſerit, genus ſupræmum huius prædicamenti eſſe ſubſtantiam communiter dictam, ità vt in prędicamento includat etiam partes ſubſtantiales, ſiuè eſſētiales, & phyſicas, vt ſunt materia, & forma, ſiuè integrales, vt caput, manus &c. ità ſentire vidētur quāplures ex Græcis, Ammonius, Simplic. Boet. & alij, qui etiam differentias eſſentiales, ſeù ſubſtantiales in hoc prædicamento directè poſuerunt.

Tertia opinio, & communis ponit ſupremum genus huius prædicam. ſubſtantiam tertio modo ſūptam, ſ. creatam, & finitam, (vt Deū excludat) & completam, vt excludantur etiam entia incompleta, q̄ tantùm reductiuè in prædicamento collocantur. Non tamen defuerunt, qui generaliſſimum huius p̄dicamenti, ſubſtantiam tantùm corpoream poſuerunt, vt Angelos excluderent. Pro qua ſententia citantur Albert. tract. primo prædicam. c. 7. Egid. ibidem, Plotinus, & a-

& alij. Imò quidam hoc genus ſupræmũ magis reſtringẽtes ad ſubſtantiam tantùm corpoream corruptibilem coarctarunt, corporea Celeſtia excludentes, & tribuitur Auer. Gandauenſi, Nypho, & alijs.

*Concluſio Prima.*

4. *Dicimus 1. ſubſtantiam communiſſimè ſumptam, vt .ſ. creatam, & increatam comprehendit collocari nõ poſſe generaliſſimum huius prædicamenti.* Eſt Scoti loc. cit. & vtriuſque Scholę Thomiſt. & Scotiſt. & conformis Sanctorũ Patrum Doctrinis, quorum teſtimonijs pro modo relictis, quæ longo ſermone refert, & proſequitur Didac. à Ieſu, ſufficit nobis Auctoritas Auguſtin. ex 7. de Trinit. c. 5. quem Scotus pro ſe refert loc. cit. in 1. d. 8. q. 3. vbi pleno ore Sanctus Doctor fatetur, Deum non eſſe ſubſtantiam huius prædicamenti. At Reſpondent p̃fati Neuterici, Auguſt. ibi accipere ſubſtantiam pro ea, quæ accidẽtibus ſubſtat, quo ſenſu verum eſt, Deum nec eſſe ſubſtantiam, nec in prædicamento eſſe ſubſtantiæ. Verùm etiam Scot. fatetur Auguſt. in hoc ſenſu ibi accipere ſubſtãtiam, ſed ex hoc, inquit in nullo ſẽſu colligi poſſe Deum ſub ſubſtantia collocari, vt genus eſt, nam de ratione generis eſt, vt ſemper ſit limitatum, & finitum, & cõſequenter accidentis capax, quod Deo accidere non poteſt, & in hoc ſenſu ait, intelligendus eſt Auguſt. & ſuam ſententiam ibi doctor ex triplici medio roborat, ſcilicet ex ſumma Dei ſimplicitate, ex infinitate, & ex neceſſitate.

5. Ex ſumma Dei ſimplicitate, ſic arguit: ſi Deus eſſet ſub genere, iam ex illo conſtitueretur per additionem differentiæ, & ità eſſet methaphyſicè compoſitus, quòd obſtat ſimplicitati Diuinæ. Vaſq. 1. p. diſp. 22. eſtò nobiſcum ſit in concluſione, ait tamen rationem Scoti non vrgere, quia cùm compoſitio ex genere, & differentia ſit rationis, non deſtruit Dei ſimplicitatem; ſed manifeſtè fallitur, nã genus, & differentia dicunt diuerſas realitates, & conſequenter veram compoſitionem methaphyſicam conſtituunt, & quando etiam non diſtinguerentur ex natura rei ante opus intellectus, tamen hæc conceptuum diuerſitas ne ſit fictia, debet habere fundamentum in aliqua compoſitione, vt benè hic aduertit Ruuius, ſiuè ex materia, & forma, ſiuè ex actu, & potentia, aliter ſine fundamento genus, & differentia ibi conciperentur; atq; ideo, & ſi talis compoſitio formaliter, & immediatè rationis eſſet, radicaliter tamen eſſet ex natura rei, cũ illã ſupponeret, & ideò reddit idem argumentum. Nec etiam Reſponſio Hurtadi valet, qui aſſerit aſſignari poſſe differentiam infinitam, quæ contrahat conceptũ communem Deo, & creaturæ, & quod de facto perſona diuina in communi ità contrahitur ad tres Perſonas Diuinas. Non valet, vt etiam benè aduertit Paſqual. diſp.

74. ſec.

74. ſec. 1. nã data etiam communitate talis conceptus, iam haberet rationem generis, vel ſpeciei, qa vnuſquiſque horum conceptuum finitus eſt, & limitatus, cùm de ſua ratione habeat rationem partis, ꝙ infinito repugnat. Ad illud de cõceptu Perſonæ communis ad tres Diuinas perſonas, iam ſupra dictũ eſt, quòd ſi communitas talis conceptus admittitur ad tres Diuinas Perſonas, cui nulla correſpondeat realitas à parte rei, talis conceptus haberet vtique modum prædicãdi ſpeciei, non tamen eſſet vera ſpecies, quia hæc debet præſeferre realitatem potentialem ad hęcceitatem, ex Doct. loc. cit. in p. in fine; & licèt Paternitas, Filiatio, & Spiratio, quatenus relationes, ſint alterius ſpeciei, in ratione tamen perſonalitatum, ſolo numero differunt; & licèt ille conceptus conſtaret ſuo modo conceptu generico, & differentiali, cùm abſtrahi poſſit per intellectum inadæquatè concipientem conceptus communis Perſonis creatis, & increatis ex Doct. ibidem, qui haberet modum generis, cùm hoc tamen ſtat, quòd quicquid eſt in Deo, eſt infinitum, & illimitatum, quia tales conceptus inadæquati ex noſtro concipiendi modo procedunt.

6. Ex ratione infinitatis ſic argumentatur. Realitas generis ſemper eſt potentialis ad realitatem differentiæ, ſed realitas infinita, quæ ponitur in Deo, non poteſt eſſe in potentia ad aliam realitatem, nam infinita eſt, cui nihil entitatis deeſt, eo modo, quo poſſibile eſt illud haberi in aliquo vno, ex Doctore quol. 5. B. ergo &c. Reſpondẽt Nominales, Deum eſſe ſub genere, ſublatis imperfectionibus, finitate, .ſ. & limitatione, Vnde admittit Auerſa Deum poſſe eſſe ſub genere latè ſumpto, & ſubſtãtiam cõmuniſſimè ſumptam poſſe appellari genus, ſicut etiam ens communiſſimè ſumptum, ſumendo ſcilicet genus pro omni prędicato, quòd non ſolo nomine, ſed etiam ratione dicitur in quid de pluribus, & hoc vocat genus traſcendens. Sed iam loco ſuo oſtendimus ens non eſſe genus, & eodem modo negamus hic, ſubſtantiam communiſſimè ſumptam poſſe genꝰ vocari, niſi vocabulo generis abuti velimus, & illud accipere pro prædicato vniuoco, in quo ſenſu non negamus Deum eſſe ſub genere; at ſi de genere loqui velimus, vt veri Philoſophi, & ſapientes acceperunt, implicat in adiecto dari genus traſcendentale, & ratio eſt, quia genus natura ſua importat conceptum potẽtialem, & per modum partis, & conſequenter ſemper de ſe finitum eſt, & limitatum, traſcendens verò, quia dicit conceptum indifferentem ad finitum, & infinitum, præſcindit vtique à limitatione, ſi ergo ſubſtãtia communiſſimè ſumpta ſit traſcendens, non poterit appellari ſecundum veritatem genus, & dicere, quòd Deus ſit in genere. Confirmatur,

Ad-

Admittamus, quòd ſubſtantia ſic accepta ſit genus, vel ad Deum cōtrahitur per differentiam finitam, vel infinitam, non primum, neque ſecundū; & ratio eſt, quia ſubſtantia, vt ſic eſt perfectio ſimpliciter, & ideò in ipſa differētia infinitatis incluſa eſſe debet, alioquin non eſſet infinita, cùm ei aliqua perfectio deficeret, ſi autem in ipſa includitur, genus non eſſet, neque per ipſam contraheretur, quia genus ſēper à differentijs excluſū remanet.

7. Et tandem id pr: ex neceſſitate Dei: nullum genus eſt neceſſe eſſe, cùm omne tale ſit in vltima actualitate, genus autem formaliter in potētia ad vltimā actualitatem, Sed Deus eſt neceſſe eſſe, ergo nō poteſt cōſtitui ex aliquo, ꝙ non eſt neceſſe eſſe, &c. Reflectunt argumētum aliqui ex Nominalibus: Deus conſtituitur ex ente, & infinito, & tamen ens in ſe formaliter non eſt neceſſe eſſe, ergo non oportet, vt neceſſe eſſe, ex aliquo, quod ſit neceſſe eſſe, coaleſcat. At Reſpondet Barg. & benè, negan. paritatem; & ratio eſt, quia communitas entis per indifferentiam reperta in Deo, & creatura, non importat aliquam realitatem à parte rei, ſed eſt cōmunitas tantùm conceptus inadæquati, realitas autem, quam ens dicit in Deo à parte rei, eſt neceſſe eſſe, nec eſt conſtitutio facta ex ente, & infinito, tanquam ex duabus realitatibus formaliter diſtinctis, at communitas generis præſefert realitatem à parte rei, & natura ſua potentialem, & facit cōpoſitionem realem methaphyſicam, &c.

*Concluſio Secunda.*

8. *Dicimus 2. neque ſubſtantiam finitam cōmuniter ſumptam, vt ſubſtantias completas, & incompletas comprehendit, eſſe ſupremum genus in hoc prædicamento.* Eſt Scoti q.14.& 15. prædicam. & iam probata remanet ex ſupradictis in explicatione quartæ conditionis reponibilis in prædicamento; pro modo ſufficit adducere in teſtimonium Ariſtotilē ipſum, à quo texturam prædicamenti accepimus, qui in 2. de anima c.1. loquens de partibus eſſentialibus, excludit materiam & formam, *ait .n. materiam ſecundum ſe non eſſe, per quam fit hoc aliquid, compoſitum verò eſſe hoc aliquid.* Et quia hoc aliquid eſt prima ſubſtantia, vt in hoc capite docet, ſeqtur materiam, & formam non eſſe ſubſtātias huius prædicamenti, niſi reductiuè, quatenùs primæ ſubſtantiæ ſunt partes. & 7. meth. 56. ait: eorum, quæ vidētur ſubſtantiæ, multæ ſunt ſubſtantiarum partes ſcilic: pedes, manus, caput, &c. ex quib. manifeſtè ſubſtātiam à partibus integrantibus diuiſit, & peculiariter locutus fuit de partibus animalium Etherogeneis, quia de homogeneis aliter philoſophandum eſt, vt ſupra diximus.

*Concluſio Tertia.*

9. *Dicimus 3. ſupremum genus huius prædicamenti eſſe ſubſtantiam tertio modo acceptam, ſ. finitam, & completam,*

*tam, per differentias contrahibilem ad omnes finitas ſubſtantias completas, tàm corporeas, quàm incorporeas, in quo etiam comprehendimus Angelos, & corpora cæleſtia.* Eſt Scoti loc.cit. & in 4. d.6. q.10. lit. M. & in vtraque Schola communiſſima, quam Ariſ. diſertis verbis docuit 5. meth. 15. & lib.7. 5. vbi inter ſpecies ſubſtãtiæ numerat Demonia, Cælos, & Aſtra, & 8. meth. 1. ponit in prædicamento ſubſtantias ab omnibus cõceſſas, inter quas enumerat Cęlos. & 12. meth.tex.5. diuidit ſubſtantiam prędicamentalem in ſenſibilem, & in inſenſibilem, & p hãc Angelos intellexit.

Probatur etiam ratione, nam tàm Angeli, quàm corpora Cæleſtia habẽt omnes requiſitas conditiones, quæ in prædicamento deſiderantur, ſunt .n. entia realia, incomplexa, finita, completa, & vniuocè conuenientia cũ alijs ſubſtantijs inferioribus in ratione cõi ſubſtantiæ, habeũt etiam omnes affectiones ab Ariſt. aſſignatas in hoc capite, ſunt p ſe eſſe, vt excludant eſſe in alio, non tantùm per modum accidentis, ſed etiam per modum partis in toto, &c. habent etiam ſubſtare accidentibus, quæ eſt effectio præcipua ſubſtantiæ ex phyloſopho in hoc capite, ſed vtrumque conuenit Angelis, & Corporibus Cæleſtibus, ſunt .n. ſubſtantiæ completæ, vt patet, ſubſtãt etiam accidentibus, non quidem corruptiuis, ſed perfectiuis, Angelus .n. habet ſuas intellectiones, & volitiones, quæ ſunt accidentia, & corpora cæleſtia ſubſunt motui, lumini, & quantitati, ſunt etiam Cæli compoſiti ex materia, & forma phyſica, quòd ſi hoc negant, euadere non poſſunt compoſitionẽ methaphyſicam, quod etiam patet de Angelis, conſtant .n. ex actu, & potentia, & conſequenter in prædicamẽto reponibiles. Quòd ſi Angeli à pdicamento excludi debeãt, quia naturę ſunt ſpirituales, ob eãdem rationem excludere deberemus accidentia ſpiritualia, at Ariſ. cũ omnibus Philoſophis virtutes, & ſcientias reponunt in prædicamento qualitatis, quãuis ſpiritua-les ſint, ergo idem aſſerẽdum eſt de Angelis, qua de cauſa in apice, ſubſtantia diuiditur in corpoream & in incorpoream, &c.

10. Arbor igitur Cathegoriæ ſubſtãtiæ ſic coordinanda erit; pro ſupremo genere ponitur ſubſtantia finita, & completa, quæ diuiditur incorporalem, & ſpirituale, ſpiritualis in varias ſpecies Angelorum, corpus in Corruptibile, & incorruptibile; incorruptibile in varias Cælorum, & Planetarum ſpecies; Corruptibile in viuens, & non viuens; non viuens in elementare, & mixtum, & quodlibet eorum varias habet ſpecies; viuens in ſenſibile vt animal, & in inſenſibile vt planta; planta in varias ſpecies arborum, & herbarum; animal in rationale, & irrationale; irrationale in varias brutorum ſpecies; rationale in indiuidua, vt Petrus, Pau-

Paulus, Franciſcus &c.

*Obiectiones.*

11. Ob. contra primam Concluſionem, & precipuè, quòd Deus ſit in prædicamento, & 1. authoritatibus Patrum Aug. 5. de Trinit. c. 8. ait: quædam prædicamenta dici propriè de Deo, ſubſtantiam .ſ. Relationem, & actionem, cætera impropriè, & methaphoricè. Damaſcenus lib. 1. fidei c. 9. dicit: incorporeum eſſe differẽtiam ſubſtantiæ, & ſub ſe continere Deum, & Angelos. Præualet etiã Authoritas Ariſt. qui 5. meth. 15. inter exempla, quæ ſunt in prædicamẽto numerat Deum, & 4. Topic. c. 2. loco 17. ponit Deum ſub genere animalis, *dicens genus Dei, nam differentia eſt animalis immortale, eo quod animalium alia mortalia, alia immortalia, ergo &c.*

Reſp. ſubtilis Doctor ad Patres, quòd ſi illæ Authoritates intelligi debent, vt ſonant, & referuntur, etiam in Deo aliqua accidentia ponenda eſſent; quare mens Patrum fuit, prædicamenta ex vſu phyloſophorum cõuenire Deo, non quidem in eo ſenſu, quo ipſi Philoſophi admittebant, vt res quædam limitatæ ſunt, & finitæ, ſed in propria ſua ſignificatione quã habent, præſcindẽdo ab imperfectionibus; hinc Aug. 7. de Trin. c. 3. & D. Damaſcenus in Elemẽtario c. 8. & lib. 1. de fide c. 1. & 8. affirmant Deum non eſſe ens prædicamentale, ſed ſupra ens, neque ſubſtantiam, ſed ſupra ſubſtantiam, qui modus loquendi manifeſtat, non fuiſſe Patrum intẽtionem Deum in prædicamento collocare. Ad Ariſt. R. ex Scoto 5. met. ſupra text. 15. per Deum, vel Deos non intelligere verum Deum, quẽ non eſſe agnouit, ſed Deos ab antiquis poſitos, qui dicebant eſſe quaſdam ſubſtãtias ſuperiores, ſubtiliſſima corpora habẽtes, ſimiles quidem hominibus, ſed eis perfectiores, quia immortales.

Ob. 2. ratione: infinitas addita quãtitati, vel qualitati non eas extrahit à prædicamentis quantitatis, vel qualitatis, ſi .n. daretur linea infinita, adhuc ad quãntitatis prædicamẽtum ſpectaret, ergo neque addita ſubſtãtiæ ipſam ab hoc prædicamento extrahit. R. ex Doctore negando paritatem, nam aliud eſt loqui de infinito ſimpliciter, qualis eſt infinita ſubſtantia, aliud de infinito ſecundum quid, & in determinato genere, vti eſt infinitas quãtitatis, vel qualitatis, hæc .n. infinitas non tollit omnem potentialitatem, nec aufert omnem limitationem in genere entis, ſed tantùm in tali genere, & ità linea infinita dicetur vtique illimitata quantitas, non tamen infinita entitas, quia hæc omnem limitationem, & potentialitatem aufert. hæc Scotus.

Ob. 3. Chriſtus eſt ſubſtantia ſimpliciter infinita, cũ ſit Deus, & tamen eſt in prædicamento ſubſtãtiæ, cũ ſit verè, & vniuocè homo, ergo non obſtat infinitas. R. pro nunc.

nunc, Chriſtū eſſe in prædicamēto ratione humanæ naturæ, non Diuinæ, vt omnes fatentur. Inſtabis, ex dictis, naturæ ſubſtantiales non ponuntur in prædicamento ſignificatę in abſtracto, ſed in concreto, in quo ſenſu cōcernunt ſuppoſitū, ſed in Chriſto ſuppoſitum eſt Diuinum, ergo ſaltem Diuinum ſuppoſitum, ꝙ infinitum eſt, ponitur in prædicamento. ℞. ſubſiſtentiam vt ſic, non directè poni in prædicamento; ſed eſſe cōditionem neceſſariò requiſitam, vt natura ibi ponatur, & ratio eſt, quia concreta ſubſtantialia dicuntur eſſe in prædicamento ratione principalis ſignificati .ſ. naturæ, non connotati, licèt hoc gerat munus conditionis ſine qua non; Vndè natura humana conſtituit hominem in Prædicamēto eo ipſo, ꝙ terminatur ſubſiſtentia, ſiuè hæc finita ſit, ſiuè infinita, vt benè hic aduertunt Didacus à Ieſu, Bellut. & Maſtr. atque ideo accidentaliter, & merè materialiter ſuppoſitum Diuinum in Chriſto ad hoc ſpectat prædicamētum. Tū quia ſubſiſtentia Diuina hoc munus gerit abſolutè, quaten' ſubſiſtentia eſt; præſcindendo in hoc, quòd ſit finita, vel infinita.

Sed contra ex Auerſa, ſubſtātia ſic amplè ſumpta, vt comprehēdit creatam, & increatā, importat cōceptum verè vnum illis commonē, ergo conſtitui poteſt vna ſeries p̄dicamentorum incipiendo ab huiuſmodi cōcepto communiſſimo, qui prædicetur eſſentialiter, & in quid de omnibus ſubſtātijs, & hoc dicetur vnum prædicamentum totius ſubſtātiæ. ℞. cōcedendo poſſe talem prædicatorum ſeriem conſtitui, ſed negatur illud habere rationem generis, cùm ſit conceptus traſcēdens, nullam à parte rei realitatem præſeferens, quare neque contrahibilis eſſet per conceptus verè differentiales. Sed vrges, talis conceptus communis eſt potētialis, & indeterminatus, & indifferēs, vt de pluribus differentibus ſpecie in q̄d prædicaretur, ergo eſſet genus. ℞. ex Bargio in 1. d. 8. q. 3. negando talem conceptū eſſe potentialem, nam potētialitas præſefert realitatem à parte rei, vel ſi eſt ibi potentialitas, erit tantū eo modo, quo cōceditur communitas, & indifferentia .ſ. per intellectum inadæquatè concipientem, quæ potētialitas non ſufficit, vt aliquis cōceptus ſit genericus, ſed tantùm per noſtrum intelligendi modum.

Ob. 4. ſaltē reductiuè Deus ad hoc ſpectat prædicamentum, tamquā principiū, & cauſa totius ſubſtantiæ creatæ. ℞. negando ſequelam, quia ſic etiam ſaltem imperfecto modo participaret rationē generis, nec quia eſt principiū ſubſtantiæ debet in hoc prædicamento reponi, nā etiā Deus eſt principium accidentium, & ideo ad illa prædicamenta etiam reduci deberet; potius ergo creatura reduci debet ad Deum, vt ad ſuum principium, & cauſam, in quo eminenter, & virtualiter continetur.

12. Se-

12. Secundò obijcitur contra ſecundam concluſionem, q etiam partes ſint directè in prædicamento, quod patet Ariſt. authoritate, qui in hoc capite affirmat partes integrantes veras eſſe ſubſtantias, quia non ſunt in alio, veluti in ſubiecto, ſed velut in toto, & capite ad aliquid illas cōputat inter primas, & ſecundas ſubſtantias, dicēs: *Caput, quoddam Caput; manus, quadam manus*. Et 2. de Anima tex. 2. & 3. meth. 7. diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitū. Ex his arguitur ratione: Superius in inferiora diſtinctum, prędicatur de illis quidditatiuè, ſed ſubſtātia diuiditur tamquā ſuperius in materiam, formā, & compoſitum, ergo de illis quidditatiuè prædicatur. ℞. Ariſt. in hoc capite appellare partes integrales ſubſtantias tantū reductiuè, quatenus non ſūt accidentia, cū non ſint in ſubiecto. in Capite ad aliquid appellauit partes primā, & ſecundā ſubſtantiam, vt innueret etiā rerum incōpletarū, & partialiū poſſe nos ordinare ſeriem prædicamentalem ad modum prædicamenti completarū, quatenus etiā inueniuntur in ipſis prædicata ſuperiora, & inferiora, genus, & ſpecies. Ad illud de diuiſione ſubſtantiæ illa non fuit propriè diuiſio ſubſtantiæ in communi huius prædicamenti, ſed potius quædam reſolutio ſubſtantiæ prædicamentalis cōpoſitæ in ſuas partes, q inde patet, quia talis diuiſio nō continet Angelos, qui tamen in hoc prædicamento reponuntur, & per idem patet ad rationem, nā maior eſt vera, quādo ſuperius in illis diuiditur, vt in inferiora, non verò quando in illis diuiditur tamquam in partes, &c. & ideo minor eſt falſa.

13. At inſtabis, caput, & manꝰ, materia, & forma ſunt quidditatiuè ſubſtantiæ non minus, quā cōpoſitum, ergo ſi hoc eſt directè in Cathegoria, ſimiliter, & illa ℞. aſſumptū eſſe verū, ſi ſubſtantia cōmuniter ſumatur, in quo ſenſu dici ſolet ſubſtantia Analoga, quatenus tā completas, quā incompletas ſubſtantias comprehendit, ſed falſum eſt, ſi ſubſtantia ſumatur vt eſt ſupremum genus huius prædicamenti, nam ſic nō directè, ſed lateraliter, & reductiuè dicitur de materia, & forma ratione cōpoſiti, atq; ideo non quidditatiuè, ſicut ſuperius de inferiori prædicatur.

14. Quæres, an corpus pro altera parte compoſiti poni debeat in hac Cathegoria ℞. ex Doctore negatiuè & ratio eſt, quia quando Corpus prędicatur de viuente, animali &c. ly corpus non ſumitur ꝓ altera parte compoſiti, ſi prædicatio formaliter & quidditatiuè ſumatur, ſed pro corpore methaphyſico, quod in linea prædicamentali eſt gradus genericus ad viuens, &c. pars autem, vt pars eſt, poni non poteſt in recta linea.

15. Petes, an ſaltē corpus poſt animę diſceſſum reponi poterit directè in genere? affirmat Zabarell. libr.

Digitized by Google

libr.de pluralitate formarum, nam tunc tale corpus nō habet amplius rationem partis, ſed totius, & ità euadit ens completum, & in prædicamento reponibile; At rectius negatur, nam etiā poſt animæ diſceſſum manet adhuc ens incōpletum, & animæ eſſentialiter ſubordinatum per modū materiæ, ſicut etiā anima rationalis poſt diſceſſū à corpore manet adhuc ens incompletum, cùm remaneat eſſentialiter ſubordinata corpori per modum formæ.

16. Tertiò ob. contra Tertiam Concluſionē, probando quòd nec Angeli, nec corpora cæleſtia in hac ſerie prędicamentali reponuntur, & precipuè Authoritate Ariſ. qui 10.meth. tex. 26. ait: corruptibile, & incorruptibile differre genere, ſed tam Angeli, quàm Cæli ſunt incorruptibilia, ergo non habent cō nune genus cum caducis. ℞. ex Doctore in 4. d.6. q 10. lit. M. Ariſt. ibi loqui de genere phyſico, ideſt Materia, non genere logico, quam reſponſionem ſequuntur Recētiores communiter, voluit igitur Phyloſopus aſſerere, quod corruptibilia, & incorruptibilia nō communicant in materia, & quidem familiare fuit Ariſt. nomine generis ſignificare materiā, vt ex pluribus locis colligunt eius expoſitores.

17. Dices, in ſententia multorum expoſitorum videtur Ariſt. 8. meth. 16. & alibi poſuiſſe intelligentias actus puros, & ſimplices, accidentium incapàces, ergo non ſolùm phyſicam, ſed etiam Methaphyſicam compoſitionem Angelis negauit. ℞. communiter, Philoſophum eos vocare actus puros, & ſimplices, quatenus carēt compoſitione phyſica, & negat in eis potentiam contradictionis ad eſſendum, & non eſſendum, quia ſunt incorruptibiles, non autem negat compoſitionem methaphiſicam, & ea ſimplicitate gaudere, qua gaudet prima intelligentia; nec credibile eſt illas poſuiſſe omnium accidentium incapaces, ſaltem ad orbium motum, & ad ſuos effectus, &c.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Quo ſenſu diuiditur Subſtantia in Primam, & Secundam, &c.*

Scot. qui ſemper modeſtiſſimè ſuam ſent. abſque aliorum iniuria proponit, de hoc art. agit q. 4. Vniuerſalium, pro cuius notitia ſciendum, quòd Ariſt. in hoc capite diuiſit ſubſtantiam in primam, & ſecundam, vtramque definiuit, & tādem vnam alteri comparauit. Hæc tria breuiter in hoc articulo explicabimus, illis omnib. relictis, quæ potius tædio afficiunt, quàm ad curioſitatē intellectū alliciunt.

1. Quātum igitur ad primum, dubitatur, quomodo accipienda eſt ſubſtātia dum diuiditur in primam, & ſecundam, An ſ. primò, vel ſecundò intentionaliter. Reſpōdent Aliqui, ſumi primò intentionaliter, ità Suar. 33. meth. ſec. 2.

Fa-

Faber. 7. meth. diſp. 7. cap. 1. & alij, Sotus verò cum alijs vult accipi ſecundò intentionaliter; & vtrũque reuera poteſt aſſeri probabiliter, vt Scotus loc. cit. oſtendit, quo ſuppoſito pro vtraque parte probabili, adhuc quæritur, quod nam ſit diuiſum in hac diuiſione. & quidem, quòd non fuerit diuiſa ſubſtantia vt apex eſt huius prædicamenti in primam, & ſecundam, eſt ſententia communis, & ratio eſt, q.a diuiſum debet eſſe quid indifferens ad membra diuidentia, at ſubſtantia vt ſic continetur ſub altero ex membris diuidentibus, nẽpè ſub ſubſtantia ſecunda, nam genus generaliſſimum eſt ſecunda ſubſtantia, ergo &c. ſed licèt hoc aſſertum ſit cõe, probabilius tamẽ dici poterit cum Tatar. q. 1. prædicam. nor. 3. quòd ſi ſubſtantia ſuprema accipiatur ꝓ prima intẽtione, non poteſt diuidi in primã, & ſecundam, at ſi ſumatur pro ſecunda intentione, diuidi poteſt in eas, vt in ſuas ſpecies, ſic .n. vt q.d abſtrahit à ſecundis intentionibus vniuerſalitatis, & ſingularitatis, vt à ſuis ſpeciebus, & ſolum concipitur vniuerſalis, vt modus, & ità benè poteſt diuiſum aliquod cõtineri accidentaliter ſub aliquo ex mẽbris diuidentibus, vt diximus de vniuerſali, quod accidentaliter continetur ſub genere &c. Poterit igitur ſubſtantia ſumi vt genus generaliſſimum, & diuidi relato modo in primam, & ſecundam, velut in ſuas ſpecies. Poteſt etiam ſubſtantia accipi pro quocumque directè reponibili in hoc prædicamento, in quo ſenſu dicitur ſubſtãtia prædicamentalis, & comprehendit ſupremam, intermediam, & infimam, & ità diuidi in primam, & ſecũdam, nimirum in illam, quæ ponitur infimo loco, & hæc eſt prima ſubſtantia, & illã, quæ in ſuperiori loco ponitur, & eſt ſecunda; vel in illam, quæ tantùm ponitur in prædicamento, quatenus ſubijcibilis eſt, quæ eſt prima ſubſtantia, & in eam, quæ ponitur, vt prædicabilis, & eſt ſecunda ſubſtantia. In hac igitur diuiſione, ſi ſubſtantia prædicamentalis ſumatur pro prima intentione .ſ. pro natura, & eſſentia reali, quatenus affici poteſt intentionibus vniuerſalitatis, & ſingularitatis, ſic erit diuiſio ſubiecti in accidentia; ſi verò ſumatur prout importat illam ſecundã intẽtionem ordinabilitatis in prædicamento, ſic erit diuiſio generis in ſpecies, quia ità diuiditur ordinabile in Cathegoria in ꝑdicabile, & vltimum ſubijcibile, quæ doctrina eſt Tatar. loc. cit. quam multi Recentiores amplectuntur, ſecundum quam doctrinam, poteſt etiã ſuo modo talis diuiſio aſſignari in prædicamentis accidentium, accipiendo ſubſtantiã ampliſſimè pro eſſentia, & quidditate rei, & ſecũdam pro natura Vniuerſali, & prędicabili, & primam pro natura ſingulari, & ſubijcibili.

2. Circa ſecundum dubium, Ariſt. hic ità definiuit (vel potius ſecun-

cundum aliquos deſcripſit) Primã ſubſtantiam .ſ. *Prima ſubſtantia eſt illa, quæ nec eſt in ſubiecto, nec dicitur de ſubiecto*; ſecundam verò ſic: *ſubſtantia ſecunda eſt illa, quæ non eſt in ſubiecto, ſed dicitur de ſubiecto*. Vbi adnotandum eſt, quòd per ſubiectum intelligitur ſubiectum inhæſionis, & prędicationis, & quando vtraq; dicitur ineſſe in ſubiecto, ſenſus eſt de ſubiecto inhęſionis, quo mediãte ſubſtantia ab accidẽte diſtinguitur, & ità per talem negationem circũſcribitur modus perſeitatis, qui ſubſtantiam conſtituit, & ab accidente diſtinguit; quando verò de prima ſubſtantia negatur dici de ſubiecto, & de ſecunda affirmatur, tũc fit ſermo de ſubiecto prædicationis, & p hoc propriè diſtinguitur prima à ſecunda ſubſtantia, nam prima nullum habet inferius, de quo prædicetur, benè verò ſecunda, quia hæc eſt Vniuerſalis, illa ſingularis, ex quo patet rectè huiuſmodi definitiones rem explicare, licèt .n. p negationes aſſignẽtur, indicant tamen qd poſitiuum; vt Tatar. aduertit loc. cit. Not. 4. & quomodo etiam poſſint ambæ pro prima intentione explicari. Attamẽ, quia eſſe in ſubiecto, & dici de ſubiecto etiam ſecundo intentionaliter capi poſſunt, ità vt eſſe in ſubiecto idem ſit, quod prædicari accidentaliter, & denominatiuè, qui eſt proprius modus prædicandi accidẽtium, & dici de ſubiecto .ſ. de inferiori, ſit prædicari eſſentialiter, ideò præfatæ definitiones explicari poterunt ſecundò intentionaliter, ità vt ſecunda ſubſtãtia dicatur illa, quæ non eſt in ſubiecto, ſed dicitur de ſubiecto, id eſt, quæ non accidentaliter, ſed eſſentialiter de prima prædicatur; Prima verò ſubſtantia ſit illa, quæ nec in ſubiecto eſt, nec dicitur de ſubiecto, id eſt, nec prædicatur de alio accidentaliter, nec eſſentialiter, & hoc apertè innuit Ariſt. per illa alia verba .ſ. *ſubſtantia eſt, quæ propriè principaliter, & maximè ſubſtare dicitur*, quæ ſecũdum aliquos, eſt alia definitio primę ſubſtantię, hoc .n. oſtendit, ꝙ illæ nõ ſunt ſimplices negationes, ſed nobis circũſcribunt ſubijcibilitatẽ totalẽ primæ ſubſtantiæ in quacumq; prædicatione, tã eſſentiali, quã accidentali, ità ꝙ hæc deſcriptio ſit potius declaratio definitionis primæ ſubſtantiæ, quàm diſtincta definitio.

3. Dices, Ariſt. dixit, ꝙ deſtructis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid illorũ remanere, at deſtructis omnibus hominib⁹, adhuc remaneret anima rationalis, & materia, vel corpus pro altera parte compoſiti, ergo nõ verificatur eius ſententia. Louanienſes pro ſuſpecto hoc dictum Ariſt. habuerunt, quatenus mortalitatis animæ indicatiuum. Alij aliter, & diuerſimodè hoc dictum exponũt, ſed nõ ſatis textui conformiter, ideo dicim⁹, & ex ipſomet textu colligitur, quòd Ariſt. non loquitur ſimpliciter de omnibus, quaſi omnia prorſ⁹ interitura ſint, deſtructis primis ſu-

ſubſtantijs, ſed loquitur peculiariter, & ſignatè de interitu ſecundarum ſubſtantiarum, & accidentiũ, quæ in eis ſuſtentantur; ſubiectũ .n. accidentium non eſt materia prima, ſed compoſitum, vt in phyſicis, Deo duce dicemus; per quam compoſitionem Ariſt. oſtendere voluit dependentiam, tam ſecundarum ſubſtantiarum, quàm accidentium à primis; quod deinde ſuccedente primę ſubſtãtię deſtructione, adhuc aliqua pars incolumis remaneat, non officit, quia natura ipſa deleri dicatur; quæ ꝓpoſitio ſicut benè verificatur in ſubſtantijs integris, & completis, de quib. reuera fuit Ariſt. locutus, ità etiam poterit applicari ſubſtãtijs partialibus, & incompletis, diſtinguendo etiam in ipſis primas, & ſecundas ſubſtantias, vt ſupra explicatum eſt.

4. Petes adhuc, quomodo intelligẽdum eſt aliud illud Ariſtot. dictum, quòd prima ſubſtantia ꝓpriè, principaliter, & maximè ſubſtat. ℞. poni propriè ad differentiam accidentium, nam licèt accidens poſſit eſſe ſubiectum accidẽtis, nõ tamen vltimatè eius dependentiam terminat; Dicitur principaliter, ad differentiam ſubſtantiarum ſecundarum, quæ non ſubſtant accidẽtibus, niſi vt in primis reperiuntur, homo .n. non dicitur doctus, vel ignarus, niſi quia Petrus vel Paulus eſt doctus, vel ignarus; & deniq; ponitur maximè, ad manifeſtandum, quòd primæ ſubſtantiæ, pluribus ſubſtant, quàm ſecundæ, quia cùm alijs, etiam & ipſis ſecundis ſubſtant.

5. Quantum ad Tertium Ariſt. in hoc capite ait, quòd ſubſtantia ſingularis, comparata Vniuerſali, dicitur prima ſubſtantia, & magis ſubſtantia, quàm illa, .ſ. habet quãdam perfectionis primitatem in participanda ratione ſubſtantiæ, qua caret ſubſtãtia vniuerſalis. Pro cuius Declaratione apponimus, ꝙ ſubſtantia ità appellatur, vel à ſubſtando, quæ eſt quædam denominatio relatiua ex Orbello, ſubſtare enim idem ſonat quod ſub alio ſtare, aut alteri ſubeſſe, vel vt ſubiectum accidenti, vel vt inferius ſuperiori; aut ità appellatur à ſubſiſtendo, quæ eſt denominatio abſoluta, nam ſubſiſtere ſonat per ſe ſtare, & nõ in alio inhærere, & hæc eſt ratio eſſentialis ſubſtantiæ, illa autem quaſi accidentalis, & ſequitur iſtam; ratio eſſentialis, & abſoluta æqualiter omnibus ſubſtantijs cõpetit, quia æqualiter repugnat omnibus alteri inhærere; hinc ex hoc capite .ſ. ratione ſubſiſtendi, non datur prima, & ſecunda ſubſtantia, nec ſubſtantia Vniuerſalis eſt minus ſubſtãtia, quàm ſingularis, quicquid minus rectè aliqui ſentiant; & ratio eſt, quia quando hic fit comparatio inter primam, & ſecundam ſubſtantiam, & quæritur quænam earum perfectiori modo participet rationem ſubſtãtiæ, quæſtio debet eſſe de aliqua ratione communi extremis cõpa-



Digitized by Google

ratis ſi: .n. fieri ſolet comparatio; quia igitur ſubſtare pro incommunicabiliter per ſe eſſe, tantùm ſubſtantiæ primæ conuenit, non benè deducitur ex hoc capite diſtinctio inter primam, & ſecũdam, & quod prima ſit magis ſubſtantia, quàm ſecunda; nam in hoc conueniunt, aliud .n. eſt loqui de ſubſiſtere pro per ſe eſſe, vt excludit inhærere, aliud p ſe eſſe quod eſt incõmunicabiliter per ſe exiſtere, quod eſt proprium ſuppoſiti, & Perſonę; potius ergo hæc primitas, & maioritas attendi debet ex denominatione relatiua ſubſtandi, quæ ratio pfectiori modo participari põt ab vna ſubſtantia, quàm ab alia, vna .n. ſubſtare poteſt pluribus prædicatis, & magis independenter quã alia, & quòd reuera ità Phyloſophus ſenſerit, clarè ex ipſo contextu colligitur, Vbi ſic ait: *Primæ ſubſtantiæ ideo, quod omnibus alijs ſubijciuntur, & alia omnia, vel de ipſis prædicantur, vel in ipſis ſunt, propter hoc maximè ſubſtantiæ primæ dicuntur.* Hinc in eodem capite comparãdo adinuicem ſecundas ſubſtantias, ait: ſpecies eſſe magis ſubſtantias generibus, nimirum, vt ait Tatar. quia ſpecies magis ſubſtant, quàm genera.

6. Attamen ſubſtantias ſingulares eſſe primas ſubſtãtias in hoc ſenſu, & magis ſubſtantias vniuerſalib. poteſt adhuc intelligi dupliciter, vno modo realiter, & p prima intentione, altero modo logicaliter, & pro ſecunda intentione. Primo modo .ſ. primò intentionaliter, ſubſtantia ſingularis dicitur prima ſubſtantia, quia quoad actualem, & phyſicam exiſtentiam, omnia in ipſa fundantur, tàm .n. naturæ communes, quàm accidentia exiſtunt ad exiſtentiam eius, qua ſublata, etiam & ipſa quoad exiſtentiam ruunt, & ideò dixit Ariſt. non exiſtentibus primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid illorum remanere; quia igitur hæc eſt fundamentum & baſis, cui cætera innituntur quoad exiſtentiam, optimè prima ſubſtantia dicitur, quatenus immediatè, & primò exiſtit; & naturæ communes ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur, quatenus ſecundariò, & mediatè exiſtunt, ad exiſtentiam primarum. Dicitur etiam magis ſubſtantia, quia pluribus realiter ſubſtat, quam naturæ communes, vt patet &c. Alio modo .ſ. logicaliter, & pro ſecunda intentione, ſubſtantia ſingularis dicitur magis ſubſtantia, quàm Vniuerſalis, quia pluribus prædicatis ſubſtat, loquendo de prædicatione tàm eſſentiali, quàm accidentali, & appellatur etiam prima ſubſtãtia, quia in prædicationibus accidẽtalibus primariò, & immediatè ſubijcitur, ſecundæ verò ſubſtãtiæ ſecundariò, & mediatè.

7. Sed dices, Ariſt. 8. meth. tex. 8. ait: Vniuerſalia eſſe magis ſubſtantias, quàm ſingularia ergo &c. Reſpondet Scot. ibi Ariſt. loqui in ſententiã Platonis, admittẽtis ideas ſeparatas, quam reſponſionem re-

cipiũt

Digitized by Google

cipiunt Recentiores communiter.

Sed Vrges, ſaltem quoad accidentia propria negari non poteſt, quòd ſubſtantiæ ſecundę magis, & priùs ſubſtent, quā primæ, nam accidentia propria priùs conueniūt naturis, & per eas ſingularibus. ℞. concedendo de accidentibus proprijs priùs conuenire naturis, quā ſingularibus, & ijs conuenire mediantibus illis, ſed denominatio primæ ſubſtantiæ non attendi debet ex ſubiectione ad huiuſmodi prædicata, nam etiam accidentia ſubſunt ſuis Vniuerſalibus, ac eorū paſſionibus, ſed attenditur ex ſubiectione immediata, & independenti ad accidentia cōmunia, quæ tantùm ſubſtātijs ſingularibus cōpetit; Vel vt aiūt Complut. Sanch. & alij etiam ipſa accidentia propria licèt quoad eſſentiam, & neceſſariam connexionem, priùs cōueniāt naturis, poſtea indiuiduis, tamen quoad exiſtentiā, res è contra ſe habet, ideò nāq; riſibile realiter exiſtit in homine, quia realiter in Sorte, & Platone exiſtit.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De attributis, & Proprietatibus Subſtantiæ.*

SCot. qui à Peripateticis diſciplinis animū nunquā reuocauit, de his agit ſparſim q. 15. prædicam. & in primò d. 16. q. 3. & d. 8. q. 3. & quol. 3. & 9. & ſæpè alibi, cuius veſtigia nos ſequentes, benè, & fæliciter mētem, & ſenſum Ariſt. aſſequemur. Ariſt. igitur in hoc capite ſex proprietates, ſeù Attributa ſubſtantiæ enumerauit, quarū aliquæ ei conueniunt pro prima intētione, aliquæ pro ſecunda, quædā verò pro prima, & ſecunda quatenus vtroq; modo explicari poſſunt. Prima ſubſtantiæ affectio eſt *in ſubiecto non eſſe*, .ſ. in nullo inhærere ſubiecto, quæ affectio non eſt ſubſtantiæ prædicamentalis propria in quarto modo, quia conuenit omni ſubſtantiæ tàm primis, quàm ſecūdis, tàm finitæ, quàm infinitæ, tàm cōpletæ, quàm incompletæ; & licèt ſubſtātiæ ſecundæ de ſubiecto dicantur, nō tamen ſunt in ſubiecto, natura .n. non inhæret ſuis inferioribus, ſed potiùs in eſſe quidditatiuo illa conſtituit; & licèt forma ſubſtātialis recipiatur in materia, & ſi eſt materialis ab ea in eſſe, & fieri dependeat, nō tamen dici poteſt illi inhærere, vt benè Doctor aduertit quol. 3. lit. S. nam inhærere dicit non per ſe informare, nec facere per ſe vnum, ſed facere vnū per accidens, & dare eſſe, vel actū ſecundum quid alicui priori ſimpliciter enti; at forma ſubſtantialis, vt eſt per ſe actus, per ſe informat materiam, dat ei actū ſimpliciter, & cum ea facit per ſe vnum. partes phyſicæ integrales ex eodē Doctore ſunt quidem in toto, non tamquam in ſubiecto, quia illi nō inhærent, ſed illud integraliter cōponunt; quę affectio conuenit etiā differentijs ſubſtātialibus ex Ariſt. in textu, quia neq; ipſæ inhærēt ei, cuius ſunt differentiæ, ſed potius in

in eſſe determinato, & ſpecifico conſtituunt, ex quibus ſequitur, q̄ licèt iſta affectio non ſit propria ſubſtantiæ p̄dicamentalis in quarto modo, eſt tamen ſic propria ſubſtantię in tota ſua latitudine, vt ab accidente contradiſtinguitur. Poteſt etiam hæc affectio explicari p̄ ſecunda intẽtione, vt idem ſit ſubſtantiam in ſubiecto nõ eſſe, quòd non eſſe aptum de aliquo accidentaliter prædicari, accipiendo ly accidentaliter per modum accidentis prædicamentalis.

2. Secunda ſubſtantiæ proprietas, quæ determinatè ſecũdis ſubſtantijs conuenit, ac earum differẽtijs, eſt vniuocè de primis prædicari, id eſt ſecundum idem nomen, & rationem in illis eſſe eſſentialiter incluſam, & quia prædicari eſt ſecundarum intentionum, ideò cõpetit tantùm ſecundis ſubſtantijs, & verificari debet de prędicatione exercita, non .n. valet ſubſtantia prima eſt ſecunda, ſed benè in terminis primarum, Petrus eſt homo, eſt animal, &c. Et vt hæc affectio ſolùm ſubſtantijs conueniat, debẽt accipi ſubſtantię in rigore, non fuſè pro quacumque natura Vniuerſali, aliter hæc proprietas etiam ad Vniuerſalia accidentium extendi poterit, cum etiam ipſa de ſuis inferioribus vniuocè prædicentur, & licèt reſpectu ſuorum ſubiectorum poſſint eſſe vniuoca prædicata, q̄a dici poſſunt de eis ſecundum idem nomẽ, & eandem rationẽ, vt patet de albo reſpectu niuis, & Cigni, nũquam tamen poſſunt vniuocè prædicari, quia talis conceptus nõ includitur in illis eſſentialiter; Vnde aliqui dicunt, quòd de illis prędicari poſſunt vniuocè accidentaliter, non eſſentialiter.

3. Tertia affectio, quæ primis determinatè conuenit, eſt ſignificare hoc aliquid, .i. ſignificare aliquod determinatum, & ſingulare, non alteri communicabile, ad differentiam ſecundarum ſubſtantiarum, quæ ſignificant quale quid. id eſt aliquod indeterminatũ, vniuerſale, & pluribus communicabile; quæ affectio, vt ſingularibus tãtùm ſubſtantijs conueniat, cũ dicitur primam ſubſtantiam hoc aliq̄d ſignificare, non accipi debet, quòd tantùm ſignificet aliquid determinatum, & vnum numero, non alteri inferiori alterius communicabile, nam in hoc ſenſu etiam cõuenire poteſt ſingularibus accidentibus, vt ſupra dictum eſt, ſed ſumi debet, quod illud ſic determinatũ ac numero vnum, quòd ſignificat, ſit incommunibile, ità vt alteri cõmunicari nequeat, nec vt ſuperius inferiori, quòd eſt communicabile, vt quod, nec vt forma ſubiecto, ſiuè ſit ſubſtantialis, ſiuè accidentalis, quæ eſt communicabilis vt quo, ratio .n. ſuppoſiti in hac duplici incommunicabilitate conſiſtit ex Scoto in 1. d. 2. q. 7. Et cùm dicimus primam ſubſtantiam hoc aliquid ſignificare, & ſecũdã quale quid, ambæ ſumi debent intentionaliter, q̄a non ſolũ nominibus, ſed

etiam

Digitized by Google

etiã intentionibus conuenit ſignificare res, ſeù ſigna eſſe rerum.

4. Quarta affectio, quæ omni conuenit ſubſtantię, non ſolùm directè, ſed etiam indirectè, & lateraliter in prædicamento exiſtenti, eſt non habere contrarium, quod intelligendum eſt de contrarietate propriè dicta, quæ reperitur inter formas poſitiuas, inter ſe oppoſitas, quæ ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt, vt quamplures qualitates ſunt, nam hoc modo nulla ſubſtãtia alteri opponitur, & quãuis vna forma ſubſtantialis à materia per aduentum alterius excludatur, non ob id contrariæ cenſentur. contrarietas .n. eſt ſpecies oppoſitionis, ſed inter formas ſubſtãtiales, non verſatur repugnantia oppoſita, ſed tãtùm diſparata. Sed dices, ſaltem formæ elementares illo modo opponũtur, nam forma ignis magis repugnat eſſe cũ forma aquæ, quam cum forma aeris. ℞, quòd forma ignis ſecundum ſe ſumpta, in eadem materia æquè repugnat cum forma aeris, ac cum forma aquæ, dicitur tamen magis cum hac, quàm cum illa pugnare ratione qualitatum illis formis inhærentium &c. Inquies, iſtæ oppoſite qualitates ab ipſis elementorũ ſubſtantijs dimanant, ergo prius illa contrarietas in ipſis reperitur, quàm deindè qualitates illæ participent. ℞. quòd contrarietas in effectu, non ſemper arguit contrarietatem formalem in cauſa, ſed tantùm virtualem, & radicalem, quam vtiq; admittimus in elementis &, aliquid cõtrarietatẽ virtualem habere, non eſt aliud; quàm illud poſſe contraria producere, ità Tatar. in Prædicam. q. 2. in ſol, ad tertium. Item licèt priuatio verè opponatur formæ ſubſtantiali, oppoſitio tamen nõ eſt contraria, poſitiua, ſed ſolũ priuatiua, qa priuatio nihil reale poſitiuũ ponit in ſubiecto, oppoſitũ formę. Neque tandem differentiæ ſubſtantiales idem genus diuidentes, propriè dici poſſunt contrariæ, & ratio eſt, quia non inſunt generi, vt communi ſubiecto, à quo ſibi inuicem excludunt, ſed contrariæ dicuntur, quatenus ſunt primò diuerſæ. Sed dices, Ariſt. 10. metaph. tex. 24. docuit differentias ſpecificas ſubſtãtiarum, eſſe contrarias. ℞. intelligendum eſſe de contrarietate latè ſumpta, ſcilicet vel pro notabili diuerſitate, & incompoſſibilitate, aut pro oppoſitione priuatiua.

5. Quinta affectio, quæ omni ſubſtantiæ conuenit, tàm primæ, quàm ſecundæ, eſt non ſuſcipere magis, & minus, vt accidentia. Pro cuius notitia aduertimus, quòd cũ ſubſtantia cõſiderari poſſit dupliciter. ſ. à ſubſtãdo, & per ſe eſſendo; ſi primo modo conſideretur, ſic vna ſubſtantia dicitur magis ſubſtãtia, quàm alia, hæc .n. ratio eſt ei accidentalis; At ſecũdo modo ſumpta .ſ. per ſe eſſendo, vna ſubſtantia non poteſt dici magis ſubſtantia, quàm alia, ità Scot. q. 15. prædic. propè finem. Neque eadem ſub-

ſtantia in ſe dici poteſt modò magis, modò minus ſubſtantia, ſicut vnum album eſt magis album hodie, quàm heri. Neque ſubſtantia conſiderata ſecundum peculiarem rationem ſuſcipit magis, & minus, nam vnus homo V.g. non eſt magis homo, quàm alter, nec idem homo poteſt fieri magis, vel minus homo ſucceſſiuè, vt de accidente euenit; Hinc aduertims ex Scoto, in 1. d.17. q.3. quòd formam ſuſcipere magis, & minus, aliud non eſt, quàm ipſam habere quamdam latitudinem, quæ latitudo eſt magnitudo ipſiuſmet formæ: magnitudo autem formæ duplex eſt, vna ſecundum quamplures partes ſubiecti informat, & dicitur magnitudo exrrinſeca, ſeù extenſionis, q́ prouenit ex latitudine entitatiua formæ, altera eſt ſeccundum quam ipſa forma maior, vel minor eſt in ſe ipſa & in eadem parte ſubiecti, & dicitur magnitudo intenſionis, & prouenit ex latitudine graduali formæ; hic autem gradus formæ ex Scoto loc. cit. lit. XX. duplex eſt, vnus quidditatiuus, & ſecundum talem gradum, eſſentiæ rerum conſiſtunt in indiuiſibili, quia ſi huiuſmodi gradui aliquid addatur, vel ab eo aliquid ſubtrahatur, mutatur ſpecies, hic .n. gradus non eſt, niſi ipſa differentia ſpecifica, quæ indiuiſibiliter conſtituit ſpeciem; Vndè Ariſt. 8. meth. 10. ait: eſſentias rerum ſe habere vt numeros, quibus addita vnitate, vel ſubtracta ſtatim numer⁹ eſſentialiter mutatur; Alter gradus eſt perfectionis indiuidualis, quæ eſt quædam realitas formæ, nata vniri cũ alia realitate eiuſdem formæ ad integrandam vnam formam totalem ſic, vel ſic intenſam.

Quando igitur Ariſt. negat ſubſtantiam ſuſcipere magis, & minus, non loquitur ſolùm de ſubſtantia ſecũdum gradum quidditatiuum, & ſpecificum, nam ſic neque albedo V.g. ſucipit magis, & minus albedo .n. vt quatuor, non eſt eſſentialiter magis albedo. quã albedo vt duo, & conſequenter Philoſophus per hanc proprietatem non bene diſtingueret ſubſtantiam ab accidente, vt prætẽdebat; quare loquitur de ipſa ſubſtantia ſecũdum exiſtentiam in indiuiduis, & in hoc ſenſu docet ſubſtantiam nõ ſuſcipere magis, vel minus, & quòd etiam ſecundum iſtos gradus differt ab accidente, nam calor V.g. ſecundum exiſtentiam ſuſcipit magis, & minus, ità vt paulatim, & diuiſibiliter acquiratur, & intendatur, & acquiſitus remittatur &c. at forma ſubſtanrialis ſi hanc graduum latitudinem habeat, non habebit vtique ſicut forma accidentalis, ſed tota ſimul ſecundum gradus omnes inducitur, & ſemel inducta, non amplius ſucceſſiuè intenditur, vel remittitur, ſed ſemper cum eis permanebit, donec corrũpatur, & in hoc ſenſu quamplures Scotiſtæ defendũt ex Scoto 8. met. q. 3. ſubſtantiam ſuſcipere magis, & minus, ſed quid ſit de hoc reuera

ra ſentiendū, ſuo loco videbimus.

6. Sexta tandem affectio eſt, ꝙ eadem vna numero ſubſtantia ſit ſucceſſiuè cōtrariorum ſuſceptiua, ſed circa hoc eſt altercatio inter Doctores, an cōpetat tàm primæ, quàm ſecundæ ſubſtantiæ? Opinio ferè communis affirmat, hanc eſſe proprietatem ſubſtantiæ in quarto modo, atq; ideo cum ea in tali latitudine conuertibilem, ità quamplures Thomiſtæ, Caiet. Complut. Sot. Sanch. Maſius, & alij: Altera opinio negat eſſe propriū in quarto modo, & ratio eſt, quia hæc ꝓprietas non tantùm competit ſubſtantiæ prædicamentali, ſed etiam extra prædicamentum nam anima ſeparata recipit accidētia contraria, ſicut, & materia prima; Tùm quia hæc affectio competit etiam quantitati, nam eadem ſuperficies modo eſt alba, modò nigra, &c. Et ideò media ſententia amplectenda eſt .ſ. ꝙ hæc proprietas ſoli ſubſtantiæ conueniat, non tamen omni, ſed primæ tantùm, & illius erit propria in quarto modo, ità quāplures Scotiſtæ defendunt, Anton. Andr. Ioann. de Magiſ. Delphin. & alij, & ad Authoritatem Ariſt. qui dixit (*maxime verò proprium ſubſtantiæ eſſe videtur, cum vnum, & idem numero ſit contrariorum ſuſceptiuum eſſe*) Reſpondent ly maximè accipi debere nominaliter, non aduerbialiter, .ſ. pro nomine adiectiuo, quòd conſtruitur cum illo genitiuo ſubſtantiæ, vt ſenſus ſit, maximæ ſubſtantiæ, id eſt primæ ſubſtantiæ eſt proprium, &c.

7. Eſt autem hic aduertendum, ꝙ vt hæc proprietas ſoli ſubſtantiæ conueniat, & non etiam accidentibus, non tantū intelligi debet de contrarijs reſpectiuis, ſed etiā de contrarijs abſolutis præcipuè, nam oratio ſuſcipit contraria reſpectiua, quia eadem perſeuerans, ex aliqua tantū accidentali variatione, tranſit de veritate ad falſitatem, & è contra; Hinc Ariſt. reſpondens ad obiectionem de oratione, ait: orationem eſſe ſucceſſiuè capacē veritatis, & falſitatis, non per mutationem ſui, ſed rei, quibus verbis noluit negare, quod oratio etiā aliquo modo in ſe non mutetur, ſed quòd non mutatur eo modo, quo mutatur ſubſtantia cum ſuſcipit contraria, quæ per ſolam ſui mutationem ſuſcipit cōtraria, nec neceſſariò ſupponit mutationem alterius, quia mutatur mutatione ad ſe, contraria abſoluta recipiendo, oratio verò contraria ſuſcipit ꝑ mutationem alterius, quia mutatur mutatione ad aliud, recipiēdo cōtraria reſpectiua, vt ſunt veritas, & falſitas. Debet etiam hæc affectio intelligi de ſubiecto vltimato, & prorſus independenti, in quo ſenſu excluditur quantitas, quæ licèt poſſit contraria abſoluta ſuſcipere, & etiā per ſui mutationem, nunquam tamen illa recipere poteſt, vt ſubiectū vltimatè terminans eorum dependentiam, ſed ſolùm, vt ſubiectum proximum, & minus principale, & eſt Scoti in

4. d.

Digitized by Google

4. d. 12. q. 2. licèt .n. albedo, dulcedo, calor, &c. in quantitate immediatè recipiantur; tamen quia etiam ipſa eſt accidens, & eadem dependentia ad ſubſtantiam depẽdet, ac qualitas, ideò non poteſt illa ſuſtentare, niſi beneficio ſubſtãtiæ ipſam ſuſtentantis; & licèt hoc non præſtet ſubſtantia in Sacroſãcto Euchariſtiæ Sacramento, præſtat tamen Deus ſupplens vices illius, qui quantitatem ſuſtentat in genere cauſę efficientis, & ideo ſẽper verum eſt dicere, ꝙ quantitas ab alio ſuſtentata ſuſtentari & eſtò in tali ſtatu ad ſubſtantiam nõ dependeat, vt ad ſubiectum inhæſionis, dependet tamen adhuc aptitudinaliter, atque ideò nunquam dici poteſt ſubiectum principale, & independens; & ità opus non eſt ad hanc proprietatem ſeruandam in ſubſtantia ponere qualitatẽ immediatè ſubſtantiæ inhærere, ſicut immediatè inhæret quantitas, vt aliqui autumant. Nec rectè aliqui negant quantitatẽ mediare inter ſubſtantiam, & qualitatẽ, vt ſubiectũ Quod, & recipiens, ſed tantũ mediare, vt ſubiectũ Quo, & rationem recipiendi, vt Complut. & aliqui ex Thomiſtis aſſerunt; nam quãtitas eſt reuera ſubiectũ Quod immediatũ aliorũ accidentiũ, per quod ſubſtantię inhærere dicũtur, vt fusè ſuo loco probabimus.

8. Benè etiam affirmari poteſt, ꝙ hæc proprietas ẽt illis ſubſtantijs cõuenit, quæ reductiuè in hoc prædicamento reperiuntur, vt sũt entia incompleta, .ſ. anima rationalis, materia prima, & corpus ꝑ altera parte compoſiti; ꝙ ſi de ſubſtantijs tantũ in eo directè poſitis aſſerere contendimus, negandũ eſt materiam primam eſſe ſubiectum accidentium, vt cõmuniter Scotiſtæ defendunt; Corpus autem, & anima rationalis, quando ſunt ſeparata, non cẽſentur amplius partes, ſed tota, & habent quaſi rationem ſuppoſiti, & ideò optimè accidentia ſuſcipere poſſunt.

9. Quòd deindè hæc proprietas non omni ſubſtantiæ huius p̃dicamenti conueniat, ſed tantùm primæ, eſt clara ſententia ipſius Ariſt. qui ait hanc proprietatem cõuenire illi ſubſtantiæ, quæ eſt vna numero. At Rt. Tatar. hic in ſolut. ad vltimum principale, qua etiam reſponſione vtuntur Thomiſtæ, ꝙ licèt ſecunda ſubſtantia ſecundum ſe non ſit vna numero, benè tamen dicitur vna numero per accidens, & denominatiuè, prout in ſingularibus exiſtit. Non ſatisfacit, & ratio eſt, quia talis exiſtentia numeralis eſt neceſſariò requiſita, vt ſubiectum dicatur realiter contraria in ſe recipere, ergo ſi ſecunda ſubſtantia, ſeù natura realiter nõ exiſtit, ſed tantũ per accidens, ratione coniunctionis cum differentia indiuiduali, ſequitur, quòd neq; ſecundum ſe eſt ſuſceptiua contrariorum; ſed tantùm per accidens. Patet etiam ratione ex ipſo textu deducta, Ariſt. .n. ait hãc proprietatem conuenire primæ ſubſtãtiæ, prop-

propter eius ſingularem modũ eſſendi, & ſubſtandi virtute propria, independẽter ab alio, & hac ratione negauit orationi cõuenire, quia recipit contraria, non per ſui mutationem, ſed alterius, & ſecundæ ſubſtantiæ non poſſunt hoc modo contraria recipere, ſed tantũ mediatè, & à primis depẽdenter, quod non ſufficit, vt eis talis proprietas conueniat, aliter etiam orationi, & alijs accidentibus poſſet, cùm etiam ipſa contraria recipiant in virtute alterius, & à prima ſubſtãtia dependenter, ergo &c. Tùm quia ſi hæc proprietas non conuenit ſecundis ſubſtãtijs, niſi per primas, ergo ſolius primę ſubſtantiæ eſt reuera proprietas, & cum ea conuertibilis, nam proprietas cum eo tãtũ cõuertitur ſubiecto, cui primo, & immediatè cõuenit, nõ cui cõuenit mediatè, & ſecũdariò &c.

Et tandem, vt hæc affectio cuicumque primæ ſubſtantiæ conuenire dicatur, non oportet, vt ſuſceptiua ſit ſucceſſiuè omniũ contrariorũ; ſed ſufficit, quòd aliqua ſuſcipere poſſit ſecundum conuenientiam ſuæ naturæ; ita vt eſſe ſuſceptiuum contrariorũ ſumatur indefinitè; neque etiam ità intelligi debet de contrarijs abſolutis, & propriè ſũptis, vt reſpectiua, & min⁹ propriè dicta excludãtur, nã in Angelis, & corporibus Cæleſtibus non reperitur contrarietas qualitatum actiuarum, & paſſiuarum, ſed ſufficit aliquã contrarietatẽ aſſignare, cui ipſi ſubſtent.

*R.P. Illuminati à Colliſano Capuc.*

# DE QVANTITATE.

## TEXTVS.

*Quanti aliud continuum, aliud Diſcretum, & aliud quidem ex habentibus poſitionem ad ſe inuicem in ipſis partibus conſtat, &c.*

Istud eſt ſecundum caput huius tractatus, in quo philoſophus determinat de quantitate, quæ eſt ſecundum Prædicamẽtum. Et circa textum multa excitantur dubia ab Expoſitoribus. nos, qui breuitati inuigilamus, illa tantùm tangemus, quæ magis neceſſaria, vel potius vtilia cenſentur, quę à Recentioribus modò hic indagari ſolẽt, multa alia in phyſicis, tamquam in proprio loco fuſius examinanda transferentes.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An quantitas continua, & Diſcreta ſint veræ ſpecies huius Prædicamenti.*

Scot. quem doctiſſimi viri ſemper magna veneratione proſequuti ſunt, quamuis q. 16. prædicam. & 5. meth. q. 9. docuiſſe videatur, quantitatem Diſcretam, vt ſunt numerus, & oratio, eſſe veram ſpeciem quantitatis, quæ opinio tũc temporis communis erat, & quam deindè plurimi Scotiſtæ. vt de eius mente amplexi ſunt, vt Tatar. Pariſiẽſes, Ant. Andr. Zerb. Faber, & alij, tamen poſtea in primo ſent. diſt. 24. q. vn. remanſit

problematicus, nec pro hac, vel illa parte ſententiam tulit, ſed deciſionē talis dubij promittit, quãdo de numeris aget; nec ſe remittit ad ea, quæ de hoc dixerat in meth. vt facere ſolebat quando illa tãquam vera acceptabat, imò ex libris ſent. potius oppoſitũ colligitur, nam in 4. d. 1. q. 2. ad 1. loquendo de oratione, euidenter docuit, non eſſe ens per ſe vnum, idem habet de numero in eodem 4. d. 12. q. 4. lit. I. quia igitur tueri non tenemur opiniones, quas Doctor in libris ſent. nõ approbat, Vbi maioris eſt Authoritatis, ideo ſent. relatã in prædicam. & Meth. deſerimus, & tantò magis, quia etiam multi ſunt Scotiſtę nõ ignobilioris notæ, qui hanc amplectũtur ſententiam, nam Ioannes de Magiſtr. hoc aſſeruit de oratione. Canon. 4. phyſ. q. 5. art. 2. idem affirmat de numero, Baſſol. in 1. ſent. d. 24. ex profeſſo, Paulus ſcriptor, Maſtr. & Bell. hic, & alij.

2. Pro tituli declaratione ſupponimus, nõ eſſe litē de Quãtitate continua, omnes .n. fatentur hanc eſſe verè, & propriè ſpeciem quãtitatis prædicam. ratio .n. eſſentialis quantitatis, prout eſt accidēs à ſubſtantia diſtinctum, in quantitate continua præcipuè reperitur, ipſa .n. eſt, quæ præſertim habet partes extra partes non ſolùm entitatiuè, ſed etiam ſitualiter, & impenetrabiliter, quare corporib⁹ inhærens, illa magnificat, & extendit ad occupandum locum, Vndè dicitur quantitas Molis, & Magnitudinis; tota igitur lis eſt de quantitate Diſcreta, quæ eſt numerus, & oratio, nam qui negant numerum eſſe ens, & accidens per ſe vnum, ſed potius eſſe aggregationem multorũ, ſine aliquo vinculo, vel nexu ad inuicem, negãt conſequenter eſſe propriè ſpeciē huius prædicamenti, talis tñ appellatur propter quamdam affinitatem, quam habet cum hoc prædicamento, & Analogiam ad quãtitatem cõtinuam; ità Nominales omnes Ocham, Aurel. Greg. Marſil. Rubion, & multi ex Recentioribus, vt Suar. Auerſa, Conib. &c. Alij ex oppoſito, quia faciunt numerum ens aliquo modo per ſe vnum, eum cõſequenter in hoc prædicamento reponunt, vt verãm eius ſpeciem; ità S. Thomas 1. p. q. 11. art. 1. & 2. & q. 30. art. 3. quem ſequuntur Thomiſtæ communiter, Capreol. Caiet. Complut. Sanch. & alij, cum Scotiſtis primo loco citatis.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, Quantitatem Diſcretam non eſſe propriè ſpeciem huius prædicamenti, quia nec numerus, nec oratio ſunt aliquid per ſe vnum, quod requiritur adhoc, vt aliquid in prædicamento reponatur*. & Probatur primò clariſſimis Ariſt. teſtimonijs, vt videre eſt. 3. phiſ. tex. 68. & 8. mith. tex. 10. & lib. 10. tex. 20. vbi Ariſt. expreſsè negat numerum eſſe ens per ſe vnum, vocans illud pluralitatem, & congeriem plurium vnitatũ,

tätum, & fauet Auerroes 3. phyſ. 68. Probatur etiã ratione, ex Scoto in primo d. 2. q. 7. Hh. vbi aſſignans gradus vnitatis, in 1. ponit vnitatem aggregationis, in 2. vnitatem ordinis, in 3. vnitatem per accidens, in 4. vnitatẽ compoſiti per ſe, in 5. tandem vnitatem ſimplicitatis; ſed nullus gradus vnitatis numero à parte rei competere videtur, niſi primus, vel ad altius ſecũdus, quatenus aliquis ordo datur à parte rei inter res numeratas, quando .ſ. res ipſæ habent inter ſe connexionem, vel ſub ordinationem in ordine ad locũ, vel tempus, vel cauſalitatem, vel dignitatẽ, vel alio modo &c. quorum nullus modus ſufficit, vt aliquid ſic vnum in predicamẽto ponatur, alioquin etiam cumulus lapidum, in quo reperitur prima vnitas, quæ eſt aggregationis; & res publica, aut exercitus, in quo eſt ſecunda, ſcilicet vnitas ordinis, reponenda eſſent in prædicamento, quod eſt falſum.

4. Reſpond. Aduerſarij, hanc eſſe vnitatem in 4. modo, nam tertius gradus nõ ſufficit, & aſſignant in eo vnitates materiales, habẽtes rationẽ potentiæ, & materiæ, & vnitatem formalem, quæ illis aduenens per modum formæ, conſtituit ens per ſe vnum; ità Thomiſtę, & Scotiſtæ, qui tamen poſtea non conueniunt in aſſignatione huius vnitatis formalis; nam Thomiſtæ dicunt hanc vnitatem formalem, quę cęteris aduenĩens, vt actus potentiæ, reddit numerum p ſe vnũ, eſſe vltimam vnitatem; Scotiſtæ verò affirmant eſſe potius aliam quandam vnitatem traſcendentalem omnibus ſuperuenientem, quę ſit forma ſpecifica illius numeri, & in omnibus vnitatibus materialibus, vel vt in propria materia reſidens: ſed hæc ſolutio nõ ſatisfacit, nec ex parte Thomiſt. neq; ex parte Subtilium; non ex parte Thomiſt. nam per vltimam vnitatẽ ſuperuenientem, nullo modo priores vnitates à parte rei inter ſe vniuntur ad aliquod vnum per ſe cõſtituendum, nam V. g. cum quinque numeros numeramus, ex hoc quod additur alia vnitas, quam aliam vnionem acquirunt adinuicẽ priores vnitates? Et quomodo illas vnitates informat? Tùm quia, eſtò in rebus numeratis aſſignari poſſit prima, ſecunda, & vltima vnitas ratione loci, vel tẽporis &c. non tamen talis ordo per ſe habetur in ratione numeri, nam talis ordo eſt omnino ad libitum, & ex quinque numeris, nõ magis vnus, quam alter in numeratione poteſt eſſe primus vel vltimus.

5. Complutenſes, quos ſequũtur Recẽtiores Thomiſtæ, Maſius, Sanch. Ioann. de Sancto Thoma, & alij, Reſpondent, omnia hæc probare, quòd numerus non ſit vnus in 4. gradu, ſicut eſt compoſitum phyſicum, per veram, & intrinſecam vnionem partium, & receptionem formæ in materia, quod vtique verum eſt, nam cõpoſitio nu-

meri cùm fiat per partes diſcretas, tantùm requirit vnionem ordinis, &, quòd vna extrinſecè reperiatur in alia, .ſ. vltima in præcedentib', terminando extrinſecè incompletionem eorum, qui eſt modus informationis, & actuationis proportionatus naturæ entis Diſcreti; & licèt ex natura rei non ſit prima, vel vltima vnitas, aiũt tamẽ ex natura rei vnamquamque ità ſe habere, vt poſſit determinare alias ſi vltimo loco accipiatur, vel ab alia determinari, ſi antecedenter ſumatur: & ità concludunt; vnitatem numeri eſſe vnitatem ordinis, nõ qualis reperitur inter partes exercitus, vel Reſpublicæ, quia in his non inuenitur aliqua realis, & phyſica entitas incompleta per aliam determinabilis, ſicut in numero, Vbi vnitates antecedentes ſunt per vltimam extrinſecè perſe determinabiles.

Sed neque hæc ſolutio, pace ipſorum vim argumenti euellit, repugnare .n. videtur eamdem vnitatem eſſe poſſe perſe actum, vel perſe potentiam, & perfectibilem; ex eo autẽ, quòd in numerãdo, hęc accipiatur in primo loco, illa in vltimo loco, ſolùm ſequitur per accidens vnam eſſe actum, & alteram potentiam. Tùm quia falſum eſt vnitatẽ ordinis importare vnitatem per ſe actus, & potentię, vnitas.n. ordinis explicatur per prius, & poſterius, non penès actum, & potentiam; cùm autem dicũt, formam extrinſecam per ſe ordinatã per modum partis, ad alteram actuandam ſufficere ad conſtituendum vnum per ſe, & hoc in ſolo numero reperiri; hoc eſt petere principium, nam hoc eſt quod vertitur in dubium, & hoc probandum eſt. Tùm quia numerus quinarius, ità deſtruitur tollendo vltimam vnitatem, ſicut primam, vel ſecũdam &c. ergo in conſtitutione talis numeri vna ab alia adinuicem dependet, & vna per alteram cõpletur, & non tantùm cæteræ omnes per vltimam. Tùm tandem quia ponendo vnitatem numeri eſſe ordinis vnitatẽ, in eam incidunt ſententiam quę ſtatuit numerum formam relatiuam, quod etiam ab ipſis Aduerſarijs nõ admittitur, nam vel iſte reſpectus in quo formaliter cõſiſtit numer', eſt traſcẽdentalis, & ſic ad nullum ſpectabit prędicamentum, vel erit prædicamentalis, & ſic potius erit in prædicamento relationis, quàm quantitatis.

6. Nec etiam Scotiſtarum ſolutio valet, nam illa vnitas traſcendentalis, quæ vnitatibus materialibus aduenit, & in omnibus illis reſidet tamquam in ſua propria, & adæquata materia, vel eſt forma indiuiſibilis, ac proinde tota exiſtens in quacumque materiali vnitate, vel eſt diuiſibilis, & diuiſibiliter ſecundum plures partes in illis vnitatibus materialibus exiſtẽs; Non primum, tùm quia repugnat quantitati eſſe indiuiſibilem; Tùm quia implicat idem accidens eſſe ſimul in pluribus ſubiectis realiter di-

diſtinctis, & loco diſſitis, quia neque animæ rationali id permittimus, quæ nō informat ſua ſubiecta partialia, & inadæquata, niſi vnita; ſi ſecundum, iam reddit eadem difficultas, quia per partes diuiſa, & in ſingulis vnitatibus materialibus diſperſa, nullam illis præbet vnionem inter ſe; per quod etiam communis reſponſio reijcitur, ꝙ .ſ. ſit inconueniens de accidente diſcreto eſſe in diuerſis ſubiectis, quia hæc eſt natura ſua, hæc .n. eadem reſponſio affirmat accidens diſcretum non eſſe quid vnum, qa non habet quoad informandum maiora priuilegia, quā anima rationalis, & hoc idem ſonat ly diſcretum, eſt .n. conditio diſtrahens nam ſeparatio, & diſcretio potius vnionem tollit, quàm ponat, multæ aliæ adduci ſolent reſponſiones ad rationem, quas, vt vanas, & futiles libenter relinquimus.

7. Deciſum igitur remanet, ꝙ cùm continuum, & numerus non differant, niſi ſicut vnum, & plura vna, quia ex tertio, & ſeſto phyſic. numerus reſultat ex diuiſione continui, certè non plus differunt, quā vnum album, & plura alba, & idcircò ſicut album, & alba non differunt ſpecie, ità neque numerus, & cōtinuū; ex quibus etiam infertur, quòd ſicut numerus traſcendentalis realis, pro materiali eſt quid reale, ſeu aliqua realia .ſ. res ipſæ numerabiles, formaliter verò, non habet eſſe niſi per intellectum illa plura colligentem in vnum, ſecundum ordinem prioris, & poſterioris, idem pariter dicendūm eſt de numero quantitatiuo, quòd .ſ. ſolùm pro materiali ſit à parte rei, ab intellectu verò vnitatē formalē habet, quando illa plura colligit ꝑ modum vnius, quod ex Ariſt. manifeſtè deducitur 4. phyſ. 131. dum ait: ablata anima, tolli quoq; numerum, per quæ verba noluit auferre ipſas vnitates reales, quæ à parte rei ſunt, nec ab intellectus operatione pendent, ſed tātùm vnitatem formalem, quam extrinſecè illis communicat, quando illas in vnum colligit, & ità non pro formali, ſed pro materiali datur numerus à parte rei.

8. Verùm, his non obſtantibus, admittimus adhuc quātitatem diſcretam, & peculiariter numerum ad hoc prędicamentum rationabiliter pertinere; & ratio eſt, quia non eſt aggregatum per accidens ex rebus diuerſorum prædicamentorum, vt homo albus, ſed ex rebus eiuſdem prædicamenti, ex diuerſis .ſ. quantitatibus continuis ab inuicem diuiſis; imò numerus aliud non eſt, quàm ipſamet quantitas continua in plures partes diuiſa, & ità rationabiliter cum quantitate continua in hoc prædicamento reponitur. Cùm igitur Ariſt. ait, quāti aliud diſcretum, aliud continuū, non diuiſit quātitatem in communi, veluti in duas ſpecies, ſed potius ipſam quantitatem continuā, vt in duplici ſtatu conſideratam, nempè, & ſub vnione ſuarum par-

tium, & ſub diuiſione, in quo ſtatu dicitur diſcreta; ſed quia numerus, qui ex diuiſione continui conſurgit, ſolet ab intellectu concipi per modum vnius, non quidem continui, ſed diſcreti, quæ vnitas eſt alterius rationis, ab vnitate continui, hinc vſus inualuit de illa loq. velut de ſpecie à quantitate continua condiſtincta.

*Obiectiones.*

9. Ob. 1. Auct. Ariſt. qui non ſolùm in prædicam. Vbi ſæpè famosè locutus fuit, ſed etiã in met. c. 13. loquens de ſpeciebus quantitatis, ipſam quantitatem iterum diuiſit in continuam, & diſcretã, vel vt genus in ſuas ſpecies, ergo &c. Reſponſio iam patet ex dictis, quo ſenſu Phyloſophus quantitatem diuiſerit in continuam, & diſcretam, & nullibi conſtat ipſum tribuiſſe numero vnitatem aliquã realem.

Ob. 2. ex 5. meth. tex. 19. vbi Ariſt. ait: numerum ſenarium non eſſe bis tria, ſed ſemel ſex, quibus verbis velle videtur, numerum habere ſuam per ſe vnitatem, & non eſſe vnum per aggregationem, ſicut aceruus; quod etiam Scot. docuit in 3. d. 22. q. vn. litt. L. & Ariſt. 8. met. 10. volens oſtendere, vnde ſumatur vnitas numeri, ait, in ſingulis numerorum ſpeciebus, vltimam vnitatem eſſe formam numeri, ſiuè eſſe differẽtiam dantem numero ſpeciẽ, ſicut vltimus gradus eſſentialis rei dicitur eius forma, & differentia. Et denique 2. de anima c. 6. ponit numerum, ſenſibile commune, quod autem ſub ſenſu cadit, reale eſt, non rationis. R. ad primum per illa verba Ariſt. ſolùm ſignificare voluiſſe, numerum conſiſtere in collectione omnium ſuarum vnitatum, & magis vnum eſſe, quàm aceruum, cùm habeat vnitatem ordinis, qua caret aceruus, quo etiam ſenſu locutus fuit Doctor. Ad aliam ex 8. meth. non conſtat manifeſtè, quid intelligat Ariſt. per vltimam vnitatem, quã ait eſſe formam numeri, nam Thomiſtæ volunt eſſe poſtremam, Scotiſtæ verò eſſe quamdam vnitatem formalem, & traſcendentalem, quę his omnibus ſuperueniens conſtituit numerum vnum; ſed quomodocumque explicetur ſemper dicere oportet, quòd talis vnitas ſit rationis, non realis, nam ſecundũ primam explicationem, quæ eſt Thomiſtarum, in arbitrio numerãtis ſtat ſiſtere in tali vltima vnitate, quæ numerum complet, vel vlterius numerare, & inter numerũ poteſt ad libitum illa, quæ erat vltima vnitas, fieri prima; Ad illud de anima, concèdimus, numerum eſſe ſenſibilem, in ſuo materiali, in rebus .ſ. numerabilibus, in quibus videmus, & ſentimus negationem cõtinuationis, quo modo eſt quid reale. Multæ aliæ difficultates in hac materia tangi ſolent, quæ breuitatis cauſa rationabiliter relinquimus.

Ob. 3. ratione: ratio quantitatis ità benè conuenit continuæ, ſicut di-

diſcretè, ratio .n. quantitatis dicitur communiter conſiſtere in extenſione partium extra partes, ſed etiam numerus eſt huiuſmodi, cùm ex vnitatibus quātitatiuis componatur, quarum vna neceſſariò eſt extra aliam, ſimiliter proprietates quantitatis, æqualitas, finitas, vel infinitas, diuiſibile, & menſurabile &c. ita benè conueniunt quantitati diſcretæ, ſicut continuæ, ergo &c. ℞. neg. aſſumptum, nam in quantitate diſcreta, vna vnitas non eſt pars cum altera componēs vnum ens, & ita non habet partes extra partes, ſed potius eſt totum extra totum; nec verum eſt quantitatem diſcretam ſecum extenſionem vnitatum afferre, ſed ſolùm multiplicationem; Vndè extenſio ex ſola quantitate continua habetur, non ex diſcreta, aliæ paſſiones quantitatis ei tribuuntur, non ꝓprię, ſed proportione quadam, in quo etiā ſenſu multitudini traſcendentali tribui ſolent, quæ tamē non ex hoc aſſeritur ad hoc ſpectare ꝑdicamentum, ſic .n. ei tribuuntur, vt non arguant aliquam vnam eſſentiam, à qua dimanant; Vndè æqualitas & inæqualitas non ſunt relationes, quæ in toto numero reſpectu alterius inueniuntur, ſed ſunt ipſæ multitudines vnitatum quatenus vna eſt maior, vel minor alia, quo ſenſu aceruus lapidum dicitur æqualis, vel inæqualis alteri, vel ſi ſunt relationes, non ſunt niſi rationis, quæ ex Scot. in 4. d. 1. q. 2. in ſolut. ad primum principale benè fundari poſsũt in pluribus ſubiectis etiam diſtinctis; finitas propriè conuenit quantitati continuæ, ratione termini præfixi à parte rei, ſed nō ita propriè conuenit numero, quia hæc non eſt determinata à parte rei, ſed tantùm per deſignationem intellectus, qui ex libito magis hanc, quàm illam vltimam conſtituit, diuiſibilitas non conuenit illi in ordine ad actũ realem diuiſionis, nam hæc ſupponit vnitatē partium in re diuiſibili, quæ in quantitate diſcreta nulla eſt, ſed illa deciſio ſolùm prouenit ab intellectu, qui ſicut in vnum collegerat, ita ab inuicem ſeparat; & denique licèt ratio menſuræ ſibi propriè competat, hoc tamen magis attributum eſt rationis, quàm reale, vt benè Doct. ſubtil. aduertit quol. 13. art. 2.

Quartò ex Compl. ratio vnius per ſe, quantùm ſufficit, vt quid in prædicamēto collocetur, non cōſiſtit in indiuiſibili, ſed habet plures gradus, ſiquidem Angelus eſt magis per ſe ens, & vnũ, quā ſubſtātia materialis, & hæc plus quam quātitas continua, ergo ſaltèm in infimo gradu poteſt aliquod diſcretum eſſe per ſe vnum, ſi partes eius ſint quid incompletum, & habeāt inter ſe ordinem, nam talis vnitas ordinis ſufficit, vt illud compoſitũ dicatur ſimpliciter vnum. Reſponſio patet ex dictis, diximus .n. vnitatem ordinis etiam ſi daretur à parte rei inter vnitates numerales, non ſufficere, vt aliquid ſit ita vnũ,

vt in prædicamento reponatur, aliter, & exercitus, & Respublica, & domus, & omnia artificialia cōpoſita in predicamento reponerētur, cùm in omnibus aliquis ordo reperiatur ad vnum finem, vel efficiens &c.

Quintò, numerus eſt per ſe obiectum arithmetice, ergo non poteſt eſſe ens per accidens, de quo non datur vera ſcientia ex 6. meth. cùm igitur Arithmetica ſit ſciētia realis, ſtatuendus eſt numerus ens ꝑ ſe vnum, & reale. Hoc argumentum magni faciunt Thomiſtę, cùm tamen etiam ipſi ad ſolutionem teneantur, Arithmetica .n. non alligatur numero quantitatiuo, cùm proportionem benè etiam demōſtret in numero traſcēdentali, quē tamen ipſi non diſtinguunt à rebus numeratis, nec faciunt ſpeciem ꝑ ſe vnam in genere entis; cùm traſcendentia non ponantur in prędicamento; quare de obiecto Arithmeticæ idem dicendum eſt, quod de obiecto politicæ, & militaris, vt meli⁹ infra patebit. ſ. quòd cōſiderat proportiones inter numeros ipſos, quæ proportiones nō inueniuntur in rebus ipſis numerabilibus, vt fundant vnitatem, ſed potius vt fundant diſcretionem, & multitudinem, vt benè Suar. aduertit diſp. 41. ſec. 1. num. 19. & ideò pro obiecto nō habet formalem vnitatem numeri, ſed materiale numeri, ipſas .ſ. rerum multitudines, vt ad inuicem per habitudines proprotionis; & proportionalitatis referibiles. Si autem aliquam vnitatem numero ex parte obiecti deſideras, poteris numerū conſiderare velut in actu ſignato, in quo ſenſu dicit vnum per ſe conceptum, ſicut dicimus de ente per accidens, quod quatenus tale in communi conſideratum ſit ſcibile, ſed talis conceptus eſt prorſus rationis, & ideo ex hoc capite non poterit Arithmetica ſcientia realis appellari.

Sextò, concreta accidentalia ponuntur in prædicamento ex eo ſolùm, quia habent aliquam rationem perſeitatis, licèt abſolutè ſint entia per accidens, ergo &c. ℞. quòd vt in prædicamento ponuntur, non ſunt entia per accidens, ſed connotatiua, non enim ſignificant æquè primò vtramque partem, ſed primò ſignificant formā, & ſecundariò ſubiectum, & ita ponuntur in prædicamento tantùm ratione formæ, quod non poteſt dici de numero, cum non dicat aliquam formam accidentalem, quæ connotet plura, & diſtincta ſubiecta.

Septimò, abſtrahendo ab omni intellectus operatione, dantur tot cæli, tot ſtellæ, tot elementa &c. ergo etiam quoad formale, numerus eſt à parte rei realis. ℞. negando conſequentiam, ſolùm .n. à parte rei ſunt illæ res numerabiles, quæ ab intellectu in vnum colligi poſſunt, à quò ſolùm habent vnitatem numeri.

10. Sed dices, intellectus non

facit

facit numerum, ſed illum cognoſcit, ergo ſecundum ſuam formalitatem non pendet ab intellectu. ℞. negando aſſumptum, nam tantùm ex vſu loquendi, id quod eſt materiale numeri, numerum appellamus, quatenus ſcilicet eſt à parte rei quid numerabile, in qua numerabilitate non pendet ab intellectu actualiter numerante, in quo ſenſu numerus dicitùr eſſe in rebus etiam actu, quando non numeramus, eſtò reuera numerus formaliter non ſit, niſi quando actu numeram⁹; imò numerabilitas iſta vt benè hic aduertũt Bellut. & Maſtr. nõ eſt niſi extrinſeca quedã denominatio ipſis rebus deriuans ab intellectu, potente colligere, aut menſurare multitudinem earum, quod manifeſtè colligitur ex Philoſopho 4. phyſ. tex. 131. vbi ait: ablato intellectu numerante, non amplius remanere quidquam numerabile, & ratio eſt, quia hæc numerabilitas attenditur ſecundum prius, & poſterius, quæ vnitatib⁹ non conueniunt ex natura rei.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Eſſentia Quantitatis Continuæ, & eius ſpeciebus.*

1. SCot. qui ingenti laborũ difficultate obſcuris rebus claritatem dedit, & nitorem, in 2. ſēt. d. 3. q. 4. §. *Contra, iſta poſitio videtur* &c. volens oſtẽdere, quòd extenſio entitatiua in materia non proueniat à quantitate, ſic arguit: illud quod eſt neceſſaria conditio cauſæ in cauſando, non poteſt habere eſſe à cauſato; quia tunc cauſa in quantum ſufficiens ad causãdum eſſet cauſata à cauſato, & eſſet illud cauſatum ſui ipſius cauſa &c. quibus verbis ſubtiliſſim⁹ Doctor, & ſuam roborauit ſententiã, & oppoſitam ſoluit, vt melius infra patebit. Quantùm igitur ad primam quæſiti partem, variæ sũt Doctorum oppiniones. Thomiſtæ volunt, quòd eſſentia quantitatis continuæ in hoc conſiſtit, quòd det partes ſubſtantiæ, ſeù abſolutè, & ſimpliciter eſſe extẽſum, ità vt ſubſtantia materialis antecedenter ad quantitatem nullam prorſus Extẽſionem habeat, aut partes, etiam entitatiuas actualiter, ſed tantùm aptitudinaliter, & radicaliter, ità vt in tali ſtatu, nullo modo extenſa dici debeat, ſed tãtũ extẽſibilis, & in hoc aiunt differre à ſubſtãtia ſpirituali, q̃ neq; extẽſa, neq; extẽſibilis eſt, quod aſſertum duplici via probant: primò oſtẽdendo extenſionem illam entitatiuã in ſubſtantia, ipſam quantitatem præcedentem, nullo modo eſſe neceſſariam; ſecundò probando eſſe impoſſibile, primũ oſtendunt quia iſta pluralitas partium entitatiua, ſeù extenſio, ideò ponitur à Scotiſtis in ſubſtantia materiali ſecũdum ſe vt poſſit recipere quãtitatem, ne diuiſibile reperiatur in ſubiecto indiuiſibili, ſed adhoc non eſt neceſſaria, nam accidens in ſubiecto ſolùm potentiam paſſiuam requirit ad illud recipiendum, ſi-

[1.] ...cut ergo ſubſtantia ante albedinē nō eſt alba, ſed dealbabilis, ſic ante quantitatem non eſt extenſa; ſed extenſibilis; & ſicut dealbabilitas in ſubſtantia non eſt aliqua albedo entitatiua, ſed potentia paſſiua ad recipiendam albedinem, ita extēſibilitas non eſt aliqua extenſio entitatiua, ſed capacitas ad illam recipiendam, inde concludunt, quòd ſi Deus ſubſtantiam materialem quantitate ſpoliaret, tunc non remaneret nec diuiſibilis, nec indiuiſibilis poſitiuè, ſed indiuiſibilis priuatiuè; Vndè neq; maneret in loco, nec haberet ſitum, cùm ſitus, & vbi quātitatem ſupponant; quare exiſteret tunc in vniuerſo, non tamquam locatum in loco, ſed velut pars in toto, quæ fuit doctrina Caiet. p. p. quæſt. 25. art. 1 Probant deinde aſſertum ſecundum, quòd .ſ. ſit impoſſibile extenſionē Entitatiuam præcedere quantitatem in ſubſtantia, quia ipſi tenent poſitionem partium integralium, etiam entitatiuarū eſſe accidentalem; nam tales partes dicuntur integrales, vt diſtinguãtur ab eſſentialibus, & conſequenter compoſitio ex illis proueniens, non erit eſſentialis; ita Complut. & eſt ſententia communis Tomiſtarum.

2. Ioann. de Sancto Thom. alia via procedit, & magis hanc ſentētiam moderatur, ſed quomodocumque hæc opinio explicetur, ſemper graues, & magnas patitur difficultates, tam apud Scotiſtas, quā apud Thomiſtas, & Neuthericos; & primò quidem falſum eſt, quòd ſubſtantia materialis non requirat pluralitatem partium entitatiuarum, in quibus partes quantitatis recipiantur, ſicut .n. forma materialis præſupponit ſubiectum materiale, ita partes formæ ſupponūt diſtinctas partes ſubiecti, è quibus educuntur, & in hac partium entitatiuarum pluralitate fūdatur potentia paſſiua ſubſtantiæ materialis ad quantitatem recipiendam; & per hoc etiam à ſubſtantia ſpirituali diſtinguitur; tali .n. partiū pluralitate negata, non videtur in quo fundari poſſit potentia paſſiua ſubſtantiæ materialis ad recipiendam quantitatem. quòd ſi dicant fundari in hoc, quòd ſubſtantia immaterialis careat partibus priuatiuè tantum, ſubſtantia verò immaterialis negatiuè, quia ſibi repugnat recipere quantitatem; hoc eſt petere principium, nam hoc eſt, quod quærimus, cur repugnat ſubſtātiæ immateriali quantitatem recipere, non autem materiali? & cur iſta partes contineat radicaliter, non autem illa? cuius alia ratio reddi nō poteſt, niſi quia materialis ſubſtantia habet pluralitatem partiū integralium, non autem immaterialis; exemplum aūt ab illis allatum currit in hoc, quòd ſicut ſubſtantia ante albedinem non eſt alba, ſed dealbabilis, ſic ſubſtantia materialis ante quantitatem non eſt extenſa extenſione quantitatiua, & impenetrabiliter, ſed ſolùm ſit extenſibilis, cùm hoc tamē ſtat,

quòd

quòd ſit extenſa entitatiuè, quod .n. eſt ſic extenſibile, eſt extenſum actualiter entitatiuè, & ſubſtantialiter, talis .n. extenſio actualis eſt fundamentum extẽſibilitatis illius ſcilicèt quantitatis, & impenetrabilitatis.

3. Non igitur talis extenſio entitatiua habetur in ſubſtantia meritò quantitatis, vt Complut. autumant, nam hoc eſt, quod Scot. ꝓbat in 2. d. 3. q. 4. cit. quod eſt neceſſaria conditio cauſæ in cauſando, non poteſt habere eſſe à cauſato, quia tunc cauſa in quantum ſufficiens ad cauſandum, eſſet cauſata à cauſato, & illud cauſatum eſſet ſui ipſius cauſa, ſed extenſio, & diuiſibilitas entitatiua ſaltem eſt conditio neceſſaria materialis cauſæ ad cauſandum accidens materiale, alioquin etiam cauſari poſſet à ſubſtantia immateriali, ergo talis extenſio haberi nõ poteſt per quantitatem, quia tunc daret ſuæ cauſæ cauſationem ſui, & hæc eſt potiſſima ratio ad arguẽdos Thomiſtas, nam ad receptionem formæ materialis, ſemper neceſſariò requiritur aliqua extẽſio in ſubiecto, & vt verè dicatur ex eo educi, tota forma educi debet de toto ſubiecto præſuppoſito, & partes formæ ex diuerſis partibus ſubiecti præexiſtentibus, & quia talis extẽſio præſuppoſita in ſubſtãtia ad recipiendam quãtitatem eſſe nequit quantitatiua, quia idẽ ſibi ipſi ſupponeretur, ideo poni debet ſubſtãtialis, & entitatiua.

4. Item nec approbamus, quòd ſubſtantia extra quantitatem, nullibi eſſet poſitiuè., probabilius .n. eſt nec de potentia Dei abſoluta poſſe cræaturam qualibet præſentia omnino expoliari, vt fuſius in phyſica apparebit. Falſum quoque putamus alterum Thomiſtarum fundamentum, quòd .ſ. compoſitio partium integralium accidat rei materiali, & corporeæ, cùm potius vt ſic ſit de concepto eius eſſẽtiali, cùm talis compoſitio ſit illa, quę eſſentialiter diſtinguat ſubſtãtiam corpoream ab incorporea, non autem compoſitio materiæ, & formæ, quæ ſecundum multos etiã ſubſtantijs ſpiritualibus competit, quæ ſententia veriſſima eſſet, ſi admitteretur vna materia prima cõmuniſſima ſubſtantiarum ſpiritualium correſpondens materiæ primæ corporalium, non igitur habere plures partes entitatiuas ſubſtãtiæ materiali accidit, ſed tantùm eas habere localiter extenſas, impenetrabiliter, quod præter Scotiſtas, etiam aduertit Hurtad. diſp. 13. meth. ſec. 4. §. 29.

5. Tenendum igitur eſt, quòd eſſentia quantitatis continuæ conſiſtat in extenſione partium ex natura ſua incompoſſibilium in eodẽ loco, quo ad actum primum, quã incompoſſibilitatẽ non habẽt partes ſubſtantiæ materialis, quæ naturaliter, & ſine miraculo poſſunt inuicem compenetrari, & vna ſubſtantia materialis cum alia, quantitas autem illis ſuperueniens, ità

illas extendit, vt quælibet diſtinctum locum petat, nec poſſit ſine miraculo oppoſitum contingere, quod patet in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, vbi partes corporis Chriſti quanti ſunt in eodem loco; quod ſine magno miraculo euenire non poteſt, cum adſit quãtitas, quæ eſt principium exigitiuum incompoſſibilitatis partium in eodem loco, & ratio poſtulans impenetrabilitatem; quæ fuit doctrina Scoti in 4. diſt. 49. q. 16. §. *Alij dicunt &c.* Vbi manifeſte docet rationem impenetrabilitatis in corporibus à quantitate præciſe prouenire, ita vt hic ſit effectus formalis quantitatis primarius, ſecundarius verò, & ab ea ſeparabilis à Deo, eſt actualis expulſio, & impenetratio, quam doctrinam Scot. deducit ex 4. phyſ. text. 76. & 77. vbi inquit Philoſophus, ſi duæ dimenſiones à ſubſtãtia ſeparari poſſent, adhuc ſe penetrare non poſſent. Per quæ verba innuere voluit, ſolam quantitatem eſſe præciſam radicem impenetrabilitatis; & l: impenetrabilitas nõ ſit ipſa eſſentia Quantitatis, proprius tamen, & verius per eam explicatur ratio quãtitatis, quam per cæteras paſſiones, quia hæc eſt omnium prima, & eius rationi formali propinquior; hinc non rectè Compl. diſp. 13. log. q. 2. aſſerunt impenetrabilitatem à quantitate ſeparari poſſe; imò fieri poſſe penetrabilem, & quod de facto ita contingerit in Natiuitate Dñi noſtri Ieſu Chriſti, & in alijs locis, quãdo ianuis clauſis ingrediebatur; Non valet, nam in illis caſibus, & ſimilibus, ſolùm impeditus fuit actus ſecundus impenetrabilitatis, quia non ſecuta fuit actualis expulſio vnius corporis ab alio, ſed non ex hoc ablata fuit impenetrabilitas ipſa, quæ explicatio communi et recepta in ſchola Subtilium, vt ſatis rationabilis, & plauſibilis à Neuthericis ferè omnibus amplectitur, & hæc pro modo ſufficiant, nam in phyſica fauente Deo iterum redibit ſermo in diſp. de continuo &c.

Quantum ad aliam partẽ quæſiti ſcilicet de ſpeciebus Quantitatis continuæ, eſt etiam magna inter Authores altercatio, & ortum habet ex verbis Ariſt. qui c. de quantitate enumerans ſpecies quãtitatis continuæ ſucceſſiuè, memorat tempus, & in pogreſſu addit motum. Verùm in meth. lib. 5. c. 13. vbi magis prouidè, & ex propria ſententia loquitur de quantitate, enumerans ſpecies quantitatis cõtinuæ, ſolùm memorat lineam, ſuperficiem, & corpus, omittens locum, tempus verò, & motum ait eſſe quanta per accidens; Vndè ortæ sũt diuerſæ, & oppoſitæ opiniones, quidam .n. affirmant has omnes eſſe veras ſpecies quantitatis continuæ, quidam verò negant.

*Concluſio.*

6. *Dicimus, lineam, ſuperficiem, & corpus eſſe veras, ac proprias ſpecies quantitatis continuæ, non autem locum, motum, & tempus.* Et quoad primã par-

partem eſt ferè communis contra Nominales, & alios paucos; verè .n. datur à parte rei in corporib. lineæ, ſuperficies, & puncta, veluti entitates reales, nō per ſolam imaginationem noſtram, vt Nominales contendunt. Probatur Ariſt. Authoritate, qui tàm hic, quàm in meth. loc. cit. quantitatis continuæ has tres ſpecies aſſignat, quas ſingulas deſcribit; patet etiā ratione; nam omnia hæc participant eſſentialiter communem rationem quantitatis, cui etiam eſſentiales differentias addunt, quibus ſingulæ ab alijs eſſentialiter differunt; ergo &c. probatur aſſumptum, nam omnia hæc ſunt eſſentialiter extenſa, & habent partes extra partes, diuerſimodè tamen, quia linea dicit formalem extenſionem longitudinis, ſuperficies latitudinis, corp' profunditatis; & ita linea formaliter eſt quantitas continua extenſa ſecundum dimēſionem formalem longitudinis, ſuperficies eſt quātitas continua extenſa ſecundum dimenſionem formalē latitudinis, Corpus eſt quantitas continua ſecundum dimēſionem formalem profunditatis &c.

Quòd deindè locus non ſit ſpecies quantitatis cōtinuæ, vel ſaltē nō diſtincta à ſuperficie, eſt Doct. q. 23. Prædicam. & Ant. Andr. in hoc cap. & 5. meth. q. 10. Zerb. ibidem q. 14. Tatar hic; Maſtr. & Bellut. & aliorum; probatur faciliter, nam locus poteſt dupliciter accipi ex Scot. quol. 11. art. 2. vel materialiter, vel formaliter; materialiter non eſt niſi ſuperficies concaua corporis continentis, vt Ariſt. docuit 4 phyſ. tex. 41. formaliter verò eſt ipſa relatio continentiæ, vel circumſcriptionis actiuæ fundata in ſuperficie concaua corporis locantis, & terminata ad conuexam locati, quæ etiam vbi actiuum dici ſolet ex Scoto ibidem, & hæc eſt germana Doct. ſententia, quam ex profeſſo Bellut. & Maſtr. docent d. 11. phyſ. q. 11. contra Fabrum 5. meth. diſp. 17. ſub fine. Si igitur locus accipiatur formaliter, manifeſtum eſt non pertinere ad hoc prædicamentum, nullus .n. reſpectus ad prædicamentum abſolutū pertinet, vndè propriè ſpectat ad prædicamentum vbi, ex Doct. loc. cit. & in 4. d. 10. q. 1. Si autē materialiter ſumatur .ſ. pro fundamento illius continentiæ, ſic vtique ad hoc ſpectat prædicamentum, ſed non conſtituit ſpeciem à ſuperficie diſtinctam, quia nullam peculiarem extenſionem ſuperficiei addit, ſed ſolam continentiam, vel tantùm figuram ſcil: concauam, ergo non eſt diſtincta ſpecies à ſuperficie, patet ſequela, nam ſi ratione figuræ, vel continentiæ eſſet diſtincta ſpecies, etiam ſuperficies alba, & nigra diuerſas quantitatis ſpecies conſtituerent; tàm .n. illi accidit continentia, & hæc, & illa figura, ſicut hæc, vel illa qualitas.

Tandem, quòd neq; motus, neque tempus ſint veræ ſpecies quātitatis cōtinuæ, patebit in phyſica,

proprijs locis, vbi videbimus motum ꝑ formali importare relationem; & tempus intrinſecum non diſtingui à re durante, non enim hic loquimur de tempore extrinſeco, quòd eſt duratio motus Cæli, qua menſurãtur omnes illi motus inferiores &c.

*Obiectiones.*

7. Multipliciter contra Concluſionem obijci ſolet, primò, quòd nec linea, nec ſuperficies ſint veræ quantitatis continuæ ſpecies: veræ, & propriæ ſpecies diſtinguuntur per quid poſitiuum, ſed linea diſtinguitur à ſuperficie per carẽtiã latitudinis, & ſupficies à corpore ꝑ carentiã ꝓfunditatis ergo, &c. ℞. neg. min. nam ſicut quælibet ſpecies dictæ quantitatis cõſtituitur per propriã poſitiuam extẽſionẽ, ità per eamdẽ ab alia eſſentialiter diſtinguitur, quamuis à poſteriori ꝑ negationẽ explicari ſoleat.

Secundò: Prima paſſio quantitatis eſt impenetrabilitas ex dictis, ſed linea, & ſuperficies ad inuicem penetrantur naturaliter, vt patet, cùm duo corpora plana ſe tangũt, nam tunc ſuperficies ambę in eodẽ ſpatio coexiſtunt, cùm indiuiſibile non habeat, quo tãgat aliud indiuiſibile, & quo non tangat, ſed tangit ſecundum totum, ergo &c. ℞. breuiter pro modo, quòd licèt lineæ, & ſuperficies videantur penetrari ea parte, qua indiuiſibiles ſunt, nõ qua diuiſibiles, tamẽ quia linea, ſecũdum longitudinem non poteſt cum alia penetrari, nec ſuperficies cum alia ſuperficie in latitudine, ideò cùm dua corpora ſe tangunt indiuiſibiliter, eorum ſuperficies potius dici eſſe debent ſimul in eodem loco, quàm penetrari, cùm penetratio, vel impenetratio cõueniat reb⁹ corporeis, ex ea parte, qua diuiſibiles ſũt, vt ſuſius in phiſica patebit.

Tertiò: nullũ genus de ſuis ſpeciebus denominatiuè prædicatur, ſed tantum ſubſtantiuè, & eſſentialiter; ſed quantitas prædicatur denominatiuè de linea, & ſuperficie, nam dicimus linea eſt quanta, ſuperficies eſt quanta &c. Reſpond. quòd ſi argumentum vim haberet, probaret etiã nec corpus eſſe ſpeciem quantitatis continuæ, nam etiam corpus eſt quantũ; Vnde cõmuniter ℞. eſſe ſpeciale priuilegiũ quantitatis, prædicari de ſuis ſpeciebus, non ſolùm ſubſtantiuè, ſed etiam denominatiuè. eſtò non ſenſu denominatiuo, ſed eſſentiali, vel quòd tunc dicuntur quanta, quatenus ſunt in materia, & ità concretum generis prædicatur de cõcreto ſpeciei, quo caſu non erit prædicatio denominatiua, & accidentalis, ſed eſſentialis in concreto, ſicut in genere qualitatis dicere ſolemus, album eſt coloratum, quod autem ſic diſponi poſſint genera, & ſpecies in Concreto, patet ex dictis.

Quartò: ſpecies eſſe debet quid completum; at linea, & ſuperficies ſunt quid incompletum, nam linea eſſentialiter ordinatur ad conſtitutio-

tutionem ſuperficiei, & ſuperficies ad conſtitutionem corporis, ſicut punctum ad conſtitutionem lineæ; ſicut igitur punctum hac ratione non cenſetur propria ſpecies quātitatis, ità nec linea, & ſuperficies. Relictis varijs Doctorum ſolutionibus, quæ re vera rationem non ſoluunt; Dicimus breuiter, quòd licèt linea, & ſuperficies materialiter ſuo modo corpus componant, adhuc tamen ſunt veræ, & completæ ſpecies quantitatis, nam directè, & eſſentialiter illius prædicationem ſuſcipiunt, ſicut corpus, quod componunt; quando autem ità ſe habent partes reſpectu totius, tunc benè directè poni poſſunt in eodem genere cum ipſo, & dici ſpecies completæ illius generis, nec officit, quòd ordinetur ad eius conſtitutionem, dummodo cum ipſo recipiant prædicationē eiuſdem generis, qua etiam ratione diximus, quòd licèt partes homogeneæ aliud componāt, adhuc tamen directè in prædicamēto ponuntur, hoc autem dicere non poſſumus de materia, & forma, cùm non recipiant directè prædicationem ſubſtantiæ prædicamentalis, nec de puncto, quod caret partib⁹.

Quintò: linea ſecundum propriā extenſionem includitur in ſuperficie, & vtraque in corpore, ſecundum ꝙ Corpus habet trinam dimenſionem, ergo non ſunt propriæ ſpecies, quia vna ſpecies non includitur eſſentialiter in altera. Reſponderi poſſet eodem modo quo ſupra; ſed adhuc ad maiorem intelligentiam Reſpondemus, quòd eſtò ſuperficies includat lōgitudinē, nō tamē formaliter, ſicut linea, ſed materialiter tantū, & præſuppoſitiuè, in quo etiā ſenſu corp⁹ includit latitudinē, cui⁹ ratio, eſt qa ſuperficies eſt dimēſio, quæ continuari debet p indiuiſibilia ſecūdū latitudinē, diuiſibilia tn̄ ſm̄ lōgitudinē, ſicut etiā qa profūditas eſt dimenſio, quæ continuari debet per indiuiſibilia ſecūdum profunditatem, non tamen ſecundum latitudinem, quales ſunt ſuperficies, oportet corpus habere latitudinem, non quidem formaliter, ita quòd longitudo, vel latitudo, ſit eorum eſſentialis extenſio, ſed ſolùm materialiter, & præſuppoſitiuè, quatenus ſuperficies indiget lineis, quæ ſunt longæ, & corpus ſuperficieb⁹, quæ ſunt latæ ad continuationem partium ſuarum, hinc ſuperficies includit formaliter, & in recto ſolam latitudinem, & corpus profūditatem, cæteras verò dimenſiones in obliquo, & materialiter; ꝙ facilè explicari poteſt in quantitate diſcreta, in qua vnus numerus alium præſupponit ad ſui conſtitutionem, & non eſt formaliter ille, & hæc eſt modò communis ſentētia Recentiorum, quam defendūt Complut. Suar. & alij, licèt Auerſa, & Blancus ab hac via recedant.

8. Ex his omnibus colligitur, ſpecies proprias quantitatis continuæ eſſe permanentes, nam ſucceſſio continua non eſt vera quantitas,

citas, & illas eſſe tantùm tres .ſ. lineam, ſuperficiem, & corpus; & ratio eſt, quia natura quantitatis in extenſione conſiſtit, quæ extenſio tantùm tribus modis diuerſificari poteſt, nimirum in longum, latum, & profundũ, nec alius mod' excogitari poteſt; quæ ſpecies cēſentur infimæ, linea .n. V. g. non diuiditur niſi in curuā, & rectam; ſuperficies in concauam, & cōuexam; corpus in rotundum, & quadratum; hæ autem omnes differētiæ ſunt accidentales, nam rectitudo, & curuitas, concauitas, & cōuexitas &c. tantùm dicunt varietatem figurarum, figura autem quātitati accidit; & idem iudicium faciendum eſt de alijs quantitatibus continuis eiuſdem figuræ, ſed inæqualibus, vt eſt linea bicubita, & tricubita, quia quantitas continua maior, & minor in eodem genere extenſionis non differunt eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter per maius, & minus, ſicut calor vt vnum, vt octo, &c. ſi tamen loquamur in ratione menſuræ ſic admittimus quantitates inæquales, ſpecie differre, ſic .n. diuerſas menſuras conſtituunt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De Speciebus Quantitatis Diſcretæ.*

SCot. cuius eminentiſſimā eruditionē omnes immortali cantu ſacris implent preconijs, de his diſſerit 4. meth. q. 2. & in 4. ſent. d. 1. q. 2. *ad primum*, & alibi. Iam diximus quantitatem diſcretā eſſe illam cuius partes non copulantur termino communi, ſed ſunt ab inuicem ſolutæ, circa eius eſſentiam non eſt amplius immorandum, ſed ſolùm agimus de eius ſpeciebus, de quib' Ariſt. hic egit, aſſignauit .n. numerum, & orationem, & numerũ aſſignauit pro quātitate diſcreta, orationē verò ꝓ ſucceſſiua. Hunc articulum breuiter reſoluemus per deciſionem aliquorũ dubiorum, quæ in præſenti excitari ſolent, dicuntur hæ ſpecies largo modo, quia Art. præcedenti iam excluſimus numerum, & orationē à ſpeciebus quantitatis; ſed quia circa hæc aliquæ mouentur difficultates, ideò nos etiam de illis agimus, in eo tamē ſenſu, quo Philoſophus, & Scot. loquuntur .ſ. famosè, & populariter.

1\. Et primò dubitatur, an ad hanc ſpeciem numeri reducatur multitudo, non ſolùm entium corporalium, ſed etiam ſpiritualium. & ℞. communiter, quòd hic per numerum intelligitur multitudo ſolùm vnitatum quantatiuarum, quæ ſolùm reperiuntur in cōtinuis diuiſis, & ſeparatis ab inuicem; Hinc Ariſt. in 3. & 6. phyſ. ait numerum reſultare ex diuiſione continui; Vnde multitudinem talium vnitatum appellant numerum prædicamentalem, multitudinem autem aliarum rerum, quia quælibet eſt in ſe traſcendentaliter vna, vocant numerum traſcendentalem, & expellunt ab hoc prædicamento, quia per omnia prædicamenta vagatur

gatur

gatur, imò etiam ad res ſpirituales extenditur, dicimus .n. tres ſubſtantias, tres Animas, tres Angelos &c. Nominales verò omnem numerum etiam ſpiritualium in hoc prædicamento reponunt, & quamuis à rebus ſpiritualibus nomen quantitatis omnino expulſũ videatur, id tamen intelligi debet de quantitate molis, & continua (aiunt) non de quantitate diſcreta, cuius affectiones æquè benè ſaluantur, tàm in multitudine rerum corporearum, quàm ſpiritualium, nam tres Angeli non copulantur termino communi, ſunt pares, vel impares &c. vtraq; opinio eſt probabilis, & plauſibilis. Multa hic congerunt Doctores, quæ potius ad quæſtionem de nomine ſpectare videtur, quàm de re, & ideò vt ſuperflua, & parui momenti à nobis relinquuntur.

2. Secũdum dubium eſt, an ſub hac ſpecie comprehendatur ſola multitudo corporearum permanẽtium, An etiam ſucceſſiuarum, nã æquè benè dicimus duos, vel tres dies, vel annos, item duos, vel tres motus &c. Communis opinio negat; & ratio, quam aſſignant eſt, quia Ariſt. recenſet numerum pro ſpecie quantitatis diſcretæ permanentis, at pro quantitate ſucceſſiua aliam diſtinctam ſpeciem conſtituit, .ſ. orationẽ, & ità affirmãt multitudinem entium ſucceſſiuorum, cùm numeratur, ad orationem reduci debere: ſed quo ſenſu tres dies, vel tres motus dici poſſunt oratio, difficulter capere poſſumus; potius ergo dicendum eſt, etiam multitudinem temporum, & motuum ad hanc ſpeciem ſpectare, & vniuerſaliter quarumlibet ſucceſſiuarum, imò etiam & ipſa oratio numerus quidam eſt. Nec verum eſt Ariſt. aſſignaſſe numerũ pro ſpecie quãtitatis diſcretæ permanentis præciſè, ſi .n. textus attentè legatur, nõ inuenitur diſtinguere quantitatem diſcretam in permanentem, ſub qua tantùm ſit numerus, & ſucceſſiuam, ſub quã cõſtituatur oratio, nec rationabilis poterit aſſignari ratio, cur numerus ſolis rebus permanentibus cõcedi debeat, non autem ſucceſſiuis, cũ etiam iſtæ ſicut illę enumerari poſſint.

3. Tertiò dubitatur, An numerus ſit ſpecies ſubalterna, vel infima. Aliqui aſſerunt eſſe ſpeciem infimam, & ea ratione; quia ſicut in quantitate continua, linea maior, & minor non differunt ſpecie, ità neque in diſcreta maior, vel minor numerus, & videtur fuiſſe opinionem Commentatoris 8. meth. 10. & ſequitur Iandunus 3. phyſic. q. 11. ſed contraria eſt communior & verior, & ratio eſt clara, nam Arithmetica aliam paſſionẽ probat, & demonſtrat de binario, aliam de ternario &c. ergo per alia principia, quæ ſunt per ſe, ergo etiam ſpecie differunt, & non tantùm numero, & indiuidualiter. Nec paritas aſſũpta de linea maiori, & minori valet, nam numeri inæquales po-

potius aſſimilantur quantitatibus continuis diuerſæ figuræ; quare ſicut in quantitate continua addito in vno angulo alijs partib. reſultat alia ſpecies figuræ, ſic in diſcreta, addita alia vnitate reſultabit alia ſpecies numeri, linea autem maior, & minor ſunt eiuſdem figuræ duo autem numeri æquales ſolo numero differunt, vt hic, & ille ternarius &c.

4. Sed dices, numerus minor eſt pars numeri maioris ex Ariſtot. 5. meth. ergo non eſt ſpecies ab eo condiſtincta, ſicut neque anima eſt ſpecies diſtincta ab homine, ſed pars ſpeciei, hoc argumentum coincidit cum illo, quod factum fuit in quantitate continua de linea, & ſuperficie, quæ includuntur in corpore &c. cui iam ſatisfecimus; & pro præſenti ſolutione etiam ſufficeret, ſed ad maiorem explicationem, addimus ex Trob. 2. meth. q. 4. §. *Ad hæc Reſpondetur &c.* quòd numerus minor nō eſt pars numeri maioris, niſi potentialiter, & quantum ad vnitates materiales; hinc ſi numerus ternarius conſtituitur ex binario, hoc ideo eſt, quia binarius geminam vnitatem continet, ex qua cum alia vnitate conſtituitur ternarius; ſed quantùm ad formam ſpecificam, quam importat binarius, vt diſtincta ſpecies ab ipſo ternario, ſic binarius non conſtituit ternarium, ſed ſolū tres vnitates ipſum conſtituunt, qua ratione Ariſt. ait 5. meth. tex. 18. ſecundum ſpeciem, & ſubſtantiam ſuam ſex, non eſſe bis tria, aut ter duo, ſed tantum eſſe ſimul ſex. Quòd ſi quæratur à quo ſpecies numeri ſuam vnitatem ſumat. R. vt ſupra ſcil. vnumquemque numerum dici vnum ſua vnitate formali, quæ omnes vnitates materiales ſimul acceptas conſequtur, vt in binario dualitas, in ternario trinitas &c. Et non ab vltima vnitate materiali, vt Thomiſtæ autumabāt; quæ vnitas formalis numeri non eſt aliquid reale in rebus numeratis, ſed vnitas illa rationis, quā illis tribuit intellectus numerando actualiter, & in vnum colligendo, vndè benè deducitur nullū numerum eſſe verā ſpeciem à parte rei, ſed solùm opus rationis; quæ fuit doctrina Scoti 4. methaphiſic. q. 2. & ſequitur Canon. 4. phyſic. quæſt. 5.

5. Quantùm verò ad orationē, quę communiter conſtituitur altera ſpecies quātitatis diſcretæ, nullo modo acquieſcere poſſumus, & ratio deſumitur ex Doctore in q. d. 2. q. 2. ad primum, vbi docet, orationem non importare ens per ſe vnum. Tùm quia in tantum oratio dicitur quantitas, in quantum cōſtat ſyllabis lōgis, & breuibus, ſed hoc quomodocumque explicetur, nunquam demonſtratur eſſe quantitatem per ſe, & conſtituere ſpeciem à numero eſſentialiter diſtinctam; ſi. n. conſideretur, vbi eſt adunatio plurium ſillabarum aliquem ordinem ad inuicem ſeruantium, ſic vtique non traſcendit rationem nu-

numeri, & ità in hoc ſenſu oratio non erit, niſi numerus ſyllabarum; Si verò conſideretur, quatenus ſyllabis conſtat, quarũ vna breui mora proferri debet, alia longiori, neque etiam ſic oſtenditur eſſe quantam per ſe, nam illa menſurabilitas non conuenit illis ſyllabis ex natura rei, ſed arbitrio hominum, hanc, vel illam ſyllabam corripientium, vel producentium propter maioré loquendi iucũditatem, & illæ morulæ, ac motus, quibus proferuntur, non ſunt quanta niſi per accidens, ex dictis: Neque etiam per hanc ſaluatur eſſe ſpeciem à numero diſtinctam, ſed tantùm eſſe numerum temporum, & motuum.

6. Idcirco concludimus, quòd oratio non ſit per ſe quanta, ſed tãtùm per accidés, quatenus conſtat ſyllabis ſibi diſcretè ſuccedentibus cum certa breuitate, vel longitudine in prolatione, & conſequenter tantùm materialiter, & accidentaliter à numero diſtinguuntur, vt curuitas, & ſimitas ex Tatar. nam ſicut tales figuræ, ex eo tantùm diſtinguuntur, quia curuitas non determinat ſibi ſubiectum, ſed in omni materia poteſt inueniri, ſimitas verò determinat ſibi naſum, ſic numerus, & oratio differunt ſolùm accidentaliter, & materialiter, nã numerus non determinat ſibi ſubiectum, ſed in omnibus continuis diuiſis, & ſeparatis inueniri poteſt, oratio verò inuenitur ſolùm in ſillabis alicuius vocis; atq. ideo abſolutè, & ſimpliciter loquendo, vna tantùm eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, ſcil: numerus, & multitudo, quæ vt in ſyllabis inuenitur, dicitur oratio, vt in cæteris continuis, dicitur numer'; & licèt Ariſt. inſtructuram huius prædicamenti velut ſpeciem condiſtinctam eam memorauit, hoc fecit ſecundum communem modum loquédi, Vnde etiam Grammatici integrum tractatum de quantitate ſyllabarũ agunt; quando verò in 5. meth. ſecundum propriam ſententiam locutus fuit, vbi quantitatis ſpecies aſſignauit, nullam fecit de oratione mentionem; & ità in rigore loquendo, genus ſupremum huius prædicamenti eſt quantitas continua petmanens, quæ dicitur quãtitas molis, quæ nullum ſub ſe genus intermedium habet, ſed immediatè ſub ſe continet illas tres ſpecies infimas, ſcilicèt lineam, ſuperficiem, & corpus; & hæc eſt sẽtentia, quàm communiter Recentiores ſequuntur cum Suar. in met. diſp. 40. ſec. 8. imò Baſſol. in 1. d. 19. q. 1. docuit non dari quantitatem ſucceſſiuam, quæ ſit vera quãtitas, & quòd Ariſt. ideò hic poſuit numerum, tempus, & orationem quantitates, quia famoſa erat talis opinio temporibus illis, & loqui voluit, vt plures.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### *De Proprietatibus, & Attributis Quantitatis.*

1. SCotus, qui in Dialecticis, ac Philoſophicis diſciplinis ſuffo-

fodit profundius, diſertè hunc articulum reſoluit 5. meth. q. 9. §. *Concedo*, & in 4. d. 13. q. 2. B. & ſæpè alibi, vbi docuit, ex Ariſt. c. de quantitate, duo habere quantitatem attributa cum ſubſtãtia communia, ſcil. non habere contrariũ nec ſuſcipere magis, & min⁹. Quãtitas non habet contrarium, nam hæc propriè reperitur inter qualitates, quæ ab eodem ſubiecto ſe inuicem expellunt, nec inter quantitates verſatur repugnantia formalis, vt Scotus docet in 4. d. 49. q. 16. ad 1. imò nec propriè virtualis, cùm nõ ſint formæ actiuæ; & lt. ab eodem loco quantitates ſe expellant, non proinde dicendæ ſunt contrariæ, nam repugnantia contraria eſt in ordine ad idem ſubiectum, Quantitates verò duorum corporum non reſpiciunt locum, vt commune ſubiectum; Et licèt quantitas cõtinua, & diſcreta, magnum, & paruum, multum, & parum; linea curua, & recta, ſurſum & deorſũ &c. oppoſitionem inter ſe habere videantur, reuera tamen hæc omnia inter ſe propriè non contrariantur, aut ſi aliqua ſunt contraria, ad hoc genus vtique nõ attinebunt.

2. Aliud attributũ, quod quantitas commune habet cum ſubſtãtia eſt, non ſuſcipere magis & minus, ſcil. non poſſe intendi, & remitti nam per intenſionem plures partes formæ ſunt in eodem ſitu, & in eadem parte ſubiecti, quæ per remiſſionem tolluntur; quantitas verò eſt ratio, qua partes extenſionis petunt diuerſam loci partem, atque ideò non eſt capax intenſionis, & remiſſionis; benè tamen ſuſcipit maius, & minus. datur .n. linea maior, & linea minor, numerus maior, & numerus minor, vnde ſuſcipere maius, & minus in quantitate continua, eſt eſſe plus, vel minus extenſum; in quantitate verò diſcreta, eſt habere plures, vel pauciores vnitates. Solùm obſtare videtur, quòd Ariſt. cap. de ad aliquid, ait: æquale, & inæquale ſuſcipere magis, & minus, ſicut etiam ſimile, & diſſimile, quod eſſe non poteſt, niſi ratione fundamenti, quatenus .n. quis participat quantitatem, vel qualitatem conuenientem, dicitur magis, vel minus æqualis, vel ſimilis alteri, ergo quantitas, quæ eſt æqualitatis fundamentum ſuſcipit magis, & minus; at occurrit vt faciliter, negãdo conſequentiã, & ratio eſt, qa vt æqualitas in quantitate fundata ſuſcipiat magis, & minus, ſufficit, vt ipſa quantitas ſuſcipiat maius, & minus, ſic .n. ſecundum maiorẽ, vel minorem differentiam in quãtitate, res dicitur maior, vel minor æqualis.

3. Quãtùm verò ad proprietates veras, & adæquatas, quæ omni quantitati conueniunt, tàm continuæ, quàm diſcretæ, quatuor ſunt, quas per ordinem Sot. commemorat in 5. met. cit. & ex Philoſopho colliguntur 5. meth. 18. & 3. phyſ. Prima eſt diuiſibilitas in partes integra-

tegrales, per quam Ariſt. loc. cit. eſſentiam quantitatis explicuit, q̄ diuiſibilitas in partes integrales duplex eſt, vna, quæ importat ſolam partium diſtinctionem entitatiuam, & ſeparabilitatem vnius ab alia, & hæc non eſt paſſio propria, & adæquata quantitatis, cùm etiā ſubſtantiæ, & qualitati materiali conueniat; alia, qua pars eſt ſeparabilis ab alia parte per incōpoſſibilitatem earum adinuicem, & fit inſtrumento corporeo per ceſſionem vnius quanti alteri quanto, conāti occupare eumdem locum, & hæc eſt affectio propria quantitatis ſecundum Scot. in 4. d. 1. q. 5. lit. F. quæ ſubſtantiæ, & qualitati conuenit ſolùm per quantitatem, quæ cùm non ſit ratio conſtitutiua quantitatis, vt in phyſica demonſtrabitur, ſequitur, quòd ſit propria, & adæquata paſſio, & 4. modo, qa ei ſoli cōuenit. & omni, nulla.n.continua quantitas ab hac diuiſibilitate eximitur, quamuis aliquando ex defectu agētis naturalis nō reducatur ad actum, vt patet de quantitate cæli &c. Diſcreta etiam, quæ non eſt propriè quantitas, etiam aliquo modo eam participat, licèt.n. à parte rei diuiſa ſit, tamen quatenus ab intellectu numerante colligitur in vnum, poteſt ſub tali collectione ab intellectu diuidi, & de facto agit, quando totalē numerū diuidit in duos partiales, pares vel impares, & cū vnam vnitatem ab alijs ſecernit. Conuenit etiam ſemper, nunquam enim quātitas poteſt reduci ad talem ſtatum, vt in indiuiſibile reſoluatur, cùm ſit in infinitum diuiſibilis, vt Ariſt. docuit 6. phyſic. hinc etiam ipſum minimum naturale, vt minima caro, quantum de ſe eſt, poteſt vlterius diuidi, quatenus quanta, licèt ab agente naturali talis diuiſio inſtrumento corporeo fieri non poſſit, ſed de hoc iterum in phyſ. &c.

4. Secunda proprietas eſt, quātum eſſe finitum, vel infinitū, quæ colligitur ex Phil. 1. phyſ. 15. & 3. phyſ. 36. quæ affectio oritur ex diuiſibilitate, & illa dicitur finita magnitudo, quæ diuidi poteſt in ſuas partes; & finita multitudo, quę in ſe tot vnitates; & non plures colligit, in quas diuidi poſſit. Quantū verò ad infinitum, hoc poteſt intelligi dupliciter, vel de infinito in actu, & ſimpliciter, ſeu cathegorematico; vel de infinito in potentia, & ſyncathegorematico; primo mō do intelligitur quòd tot V. g. habet actu partes æquales, quòd alias habere repugnat, & ita eſt infinitè extenſum, ſi eſt in quantitate continua; vel tot continet vnitates, quòd plures habere repugnat, ſi eſt in quantitate diſcreta; Infinitus verò ſyncathegorematicè, dicitur, qui continet plures, & plures ſine termino, nunquam tamen in tanta multitudine, vt ſint illa plura additionis incapacia; hinc quia maiorari poteſt, dici ſolet infinitum in potentia.

5. Si igitur proprietas de infinito

nito ſyncathegorematico intelligatur, clarum eſt omni quantitati conuenire, vtraque .n. quantitas, tàm continua, quàm diſcreta hanc infinitatem ſuo modo participat; nam continua, nullum habet præfixum terminum in diuiſione per partes proportionales procedẽdo; vndè clarè deducitur, eas in continuo eſſe ſyncathegorematicè infinitas, vt in phyſ. patebit. Numerus etiam ſemper augeri poteſt in infinitum per additionem vnitatũ ex diuiſione continui reſultantiũ, & in hoc ſenſu, membrum hoc explicat Doct. 2. meth. q. 6. & vtrũque cõuenire poteſt quãtitati copulatiuè, non .n. repugnat eamdẽ quantitatem eſſe finitam in actu, & infinitam in potentia, & ſyncathegorematicè: At ſi de infinito in actu intelligatur, dubiũ eſt an poſſit quantitati conuenire. Qui affirmant hoc infinitum poſſibile eſſe, admittunt talem infinitatem eſſe verã quantitatis proprietatem, nã talis infinitas nõ repugnat quãtitati, ſiuè cõtinua ſit, ſiuè diſcreta. Qui verò tale infinitum repugnare defendũt, quibus nos adhæremus, vt in phyſ. demonſtrabimus, diuiſi ſunt; nã aliqui volũt hanc infinitatẽ eſſe quantitatis proprietatem in ſenſu cõditionato, quatenus ſi daretur, aut dari poſſet quãtitas infinita, ad hoc prædicamentũ attineret; Quidã verò hoc negant etiã in ſenſu conditionato, nam infinitas actualis deſtruit rationẽ quantitatis, tale enim infinitũ nõ eſſet menſurabile, nec diuiſibile, nec poſſet maiorari, vel detrahi; & multa alia illi repugnarẽt, ꝙ quãtitati tribui ſolẽt, vnde Ariſt. 5. meth. c. 13. ait, de ratione numeri eſſe numerabilitatẽ, ſicut de ratione magnitudinis menſurabilitatem: Alij tãdem cum Ruuio cõcedunt, quòd ſi actu daretur quantitas continua infinita, ad hoc ſpectaret prædicamentum, non tamen diſcreta, & ratio huius differentiæ apud ipſos, eſt varia eſſentia vtriuſque quãtitatis; nam continua talis eſt, quòd etiam ſi ei addantur infinitæ partes, ſemper maneret in ſua determinata eſſentia, & natura; numerus verò quia eſſentialiter variatur ex additione vnitatis, ſi additio erit infinita, fiet etiam eſſentia infinita, non vtique ſimpliciter ſicut Deus, ſed ſecundum quid, quod ſufficit, vt à prædicamento quãtitatis excludatur.

6. Aſſerendum tamen eſt, ꝙ ſi daretur quantitas actu infinita, ſiuè continua, ſiuè diſcreta eſſet in prædicamento quantitatis, & eſt doctrina Scoti in 1. d. 8. q. 3. R. quẽ ſequuntur Scotiſtæ cõmuniter, & multi ex Thomiſtis, vt Soncin. 5. meth. q. 15. Soto hic q. 1. Suar. diſput. 41. ſec. 4. & multi ex Recẽtioribus, & colligitur clarè ex Ariſt. 6. Top. loc. 72. vbi docet lineã finitã, & infinitã eſſe eiuſdem ſpeciei, ſi hæc daretur; neq; ex hoc ſequitur habere infinitã eſſentiam, nam vt benè ibi probat Doctor, ſi daretur linea infinita, licèt infinita foret in certo genere entis .ſ. infinita quan-

quantitas, abſolutè tamen in genere entis eſſet finita, & limitata; ideò non benè deduceretur, eſt infinita quātitas, ergo infinitum ens; quia nūquā ad ſummū in inferiori, ſequitur ſummum in ſuperiori, niſi inferius illud eſſet nobiliſſimū contentū ſub illo ſuperiori, vt non ſequitur, eſt perfectiſſimus Aſinus, ergo perfectiſſimum animal; benè tamen ſequitur: eſt perfectiſſimus homo, ergo eſt perfectiſſimū animal; & ideò cū tale non ſit quicquid ſub genere accidentium continetur, nūquam deduci poteſt, eſt infinita quātitas, vel infinita qualitas, ergo infinitum ens, & conſequēter à prędicamento non abſoluitur, & idem dicendū eſt de quantitate diſcreta; vndè etiā ipſe Ruuius concedit talem eſſentiam numeri in caſu poſito, non fore ſimpliciter infinitam, ſed tantū ſecundum quid; quā tamen non debet à prædicamento excludere: quare ſicut ſi infinita albedo daretur, ad prædicamentū Qualitatis ſpectaret, ita in propoſito de linea infinita dicendum eſt, & de numero infinito. Neq; officit, q quędā quātitatis attributa infinito repugnare videntur, nā attributa illa quantitati conueniunt ea ratione, qua finita eſt, & non vt quantitas ſimpliciter eſt, & hoc colligitur maniſeſtè ex Ariſt. 5. meth. c. 13. tex. vbi ſe declarans quid intelligeret per multitudinē numerabilem, & magnitudinem menſurabilem, ait ſe intelligere multitudinē, & magnitudinem finitam: Abſolutè tamen dicendum eſt, infinitatem actualē non eſſe proprietatē quantitatis; nam ſi non repugnat rationi formali ipſius quantitatis, ei tamē repugnat ratione infinitudinis partium; adhuc tamen ſuſtineri poteſt eſſe eius proprietatem in ſenſu conditionato, vt ſupra, &c.

7. Tertia proprietas eſt æqualitas, vel inæqualitas ex Scoto in 2. d. 1. q. 3. & eſt proprietas quantitatis finitæ: maius .n. & minus, æquale, & inæquale ſoli quantitati finitæ conueniunt; nam de ratione quantitatis maioris eſt excedere, minoris excedi, & æqualis cōmenſurari, quæ omnia videntur finitatem arguere; eſt tamē aduertendum, q æqualitas, vel inæqualitas non eſt affectio quantitatis, vt formaliter importat relationes conuenientiæ, vel diſconuenientiæ duorum in quantitate, ſic .n. ſunt relationes intrinſecus aduenietes, diſtinctæ realiter à quantitate, ſed paſſio quantitatis eſt aptitudo ad ipſas fundādas. Et quando Ariſt. dixit propriū eſt quantitati ſecundum eam æquale, vel inæquale dici, ly ſecundū, non dicit rationem formalem, ſed quò fundamentale, nec ſemper actuale, & proximum, ſed aptitudinale, & remotum, quo ſenſu competit omni quantitati, tàm continuæ, quā diſcretæ, & ſemper; quare ſi omnes quantitates (vna ſola excepta) deſtruerentur, illa adhuc diceretur æqualis, vel inæqualis alteri poſſibili, quatenus

ſi il-

ſi illa produceretur, nata eſſet ſtatim reſpectu eius fundare æqualitatem, vel inæqualitatem. Et quia nomen ipſum quantitatis non ſolũ ſignificat extẽſionem, & diſcretionem rerum corporaliũ, ſed etiã trãslatum eſt ad ſignificandã perfectionem, & virtutem cuiuslibet rei, ſic etiam nomen æqualitatis, & inæqualitatis translatum eſt ad ſignificandam perfectã, vel imperfectam conuenientiam rerum in perfectione, intenſione, & virtute, hinc dicimus ſpecies eſſe inæquales in perfectione, vnum calorem alteri æqualẽ in gradibus, vel inæqualem, &c. Et ſicut Scot. quantitatem virtutis, quæ in omnibus reperitur, appellat traſcendẽtalem, ità etiam ęqualitatem, vel inęqualitatem in ipſa fundatam, traſcendentalem vocat quol. 6.

8. Quarta proprietas eſt ratio menſuræ, tã actiua, quã paſſiua, & colligitur ex 10. meth. tex. 1. & 2. & accipi debet aptitudinaliter, nã ſic quælibet quantitas menſurare, vel menſurari poteſt, ſiuè ſit continua, ſiuè ſit diſcreta, vlna n. V. g. certificare poteſt magnitudinem panni, numerus multitudinẽ nummorum, &c. actualiter autem non oportet, nam plures ſunt quantitates, quæ nec actu menſurant, nec menſurantur; hæc autem proprietas ex præcedenti oritur, quia vna quantitas alteri comparata, ideo illam menſurare poteſt, vel per eã menſurari, quia eſt ei æqualis, vel inæqualis. Si æqualis, erit menſura per applicationem, ſeù ſuppoſitionem: Si inæqualis erit per replicationem, ſeù repetitionem, ſi quantitas mẽſurans eſt minor mẽſurata, ſi verò eſt maior, tũc quantitas minor menſurari dicitur per acceſſum maiorem ad eam, vel minorem receſſum ab ea, & fuit doctrina Scoti in 2. d. 2. q. 2. §. *Ad ſecundam partem*. G. Vbi etiam docuit, quòd ſicut ratio quantitatis transfertur ad ſignificandam quãtitatem virtutis, & perfectionem rei, ità etiam ratio menſuræ transfertur ad manifeſtandum, quanta ſit perfectio rei, quo ſenſu menſura ponitur etiam in quidditatibus rerum, iuxta illud: *Primum in vnoque genere eſt menſura cæterorum*, quæ menſura in quidditatibus, ſẽper exercetur per acceſſum ad pfectiorem, vel receſſum ab ea; & fundatur in quidditate, & natura ipſarum rerum, nimirum, in excellentia, & perfectione vnius naturæ ſuper aliam. Solent etiam alię proprietates recenſeri à Doctoribus, quæ ſunt peculiares quantitatis molis, quarum præcipua, à qua cæteræ oriuntur eſt impenetrabilitas, vt ex 4. phyſ. 76. & 77. colligitur, quæ eſt ita intima quantitati, vt per principium eius exigitiuum rectè eſſentia quantitatis explicetur, & pri⁹ res eſt impenetrabilis, quàm diuiſibilis quantitatiuè, ideò enim res eſt ſic diuiſibilis, & inſtrumento corporeo, quia eſt impenetrabilis; & ſi diximus diuiſibilitatem eſſe primam paſſionem

nem quantitatis, hoc fuit, quia tunc locuti ſumus de eius proprietatibus, quæ communes erant omni quantitati, tā continuæ, quàm diſcretæ, inter quas diuiſibilitas vtique cenſetur prima, impenetrabilitas verò eſt paſſio peculiaris magnitudinis, ſeù Quantitatis cōtinuæ, ex qua aliæ multæ affectiones ſequuntur. Sed de hoc iterum agemus, & fuſius in phyſica, &c.

# DE QVALITATE, ET QVALI.

## TEXTVS.

*Qualitatem verò dico, ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur, eſt autem Qualitas eorum, quæ multipliciter dicuntur, &c.*

ARiſt. poſtquam egit de ſubſtantia, immediatè egit de quantitate, eam præferendo qualitati, quæ tamen nobilior, & dignior quantitate cenſetur; & licèt huius rei variæ rationes ab expoſitoribus aſſignari ſoleant, illa tamē præcipua, & rationabilior, mihi videtur, quā Scot. aſſignat in 4. d. 12. q. 2. quòd ſcil. cū Ariſt. ſubſtantiam conſiderauerit in ratione ſubſtandi accidentibus, illud accidens præcedere debebat, ꝙ magis in hoc munere ſubſtantiam imitaretur, hoc autem eſt quantitas, vt potè, quæ proximum, & immediatum ſubiectum eſt aliorum accidentium, eadem ratione Philoſophus 5. meth. poſtquam egit de quātitate, immediatè egit de qualitate, quæ cū ſit prædicamentum abſolutum maiorem affinitatē habet cum ſubſtantia; & ideò ratione dignitatis, & etiam cauſalitatis plurium accidentiū, debebat prædicamentum relationis præcedere; & quamuis alijs de cauſis hic relationem qualitati præmiſerit, quia tamen ordo in meth. ſeruatus eſt rationabilior, & ordinis doctrinæ magis conformior, ideò in præſenti hunc ſeruabimus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De eſſentia Qualitatis, ac de eius combinationibus, in quas diuiditur.*

1. SCot. Eruditorum omniū ſtudioſiſſimus, pluribus in locis de his differit, vt videri pōt quæſt. 36. prædicament. & in 2. ſentent. diſt. 3. q. 10. §. *Ad quæſtionem P.* & in 4. d. 12. q. 2. lit. C. & alibi, cuius doctrinam ſequūtur Mayron. Ant. And. Ioann. de Magiſtris, Orbell. Tatar. & Scotiſtæ communiter in hoc prædicamento. Et quātùm ad eius definitionem, vt hoc prædicamentum conſtituit, magna eſt inter Authores diſſentio, & ratio eſt, quia cùm varias ſub ſe contineat ſpecies, quæ diuerſo modo ſubſtantiam afficiunt, difficilè eſt omnib. illis ratio communis inueniri; vt D. Aug. lib. Cate. fatetur, hinc Ariſt. ipſe putauit nō poſſe commodius definiri, quàm per eius effectum formalem, dicēs: *Qualitas eſt ſecundum quam quales eſſe dicimur.* Ex quib. verbis multi Authores occaſionem rapuerunt ipſum

ſum Phyloſophum irridere, ſic .n. facilè quæcumque forma definienda eſſet, & etiam de quantitate dicere poterat, quantitatem eſſe, ſecundum quam quãti dicimur &c. imò aiunt, manifeſtum commiſiſſe circulum, nam in principio capitis, qualitatem definiuit per quale, & poſtea in progreſſu quale p qualitatem. Quidã defendunt eſſe bonam definitionem, quia data eſt per effectum formalem, quem ipſa qualitas confert ſubiecto, quomodo definire, licèt omnem formam, nam ab alijs accidentibus ſubſtantia denominatur quanta, vel relata, vel agens, vel patiens, &c. à qualitate verò denominatur ſimpliciter qualis; vndè Tatar. hic negat Ariſt. circulum commiſiſſe, nam definitio qualitatis data fuit per quale, tamquam per aliquid notius ſecundum naturam. Circulus verò propriè cõmittitur, quando vnum definitur per aliud eodẽ modo, quo aliud definitur per ipſum, &c. & ſequuntur Murtia Cõplut. Didacus, & alij.

2. Verùm, licèt præfata definitio tradita in ordine ad effectum formalem, poſſit aliquo modo ſuſtineri, non poteſt tamen negari, q per eam non niſi confusè eſſentia qualitatis explicetur, ſicut confusè explicaretur eſſentia quantitatis, ſi diceremus eſſe illam formam, à qua denominamur quanti; ideò paucis Authorib. exceptis, qui eã definitionem amplectuntur, cæteri aliam aſſignare ſatagunt, & planè mirum eſt, quot ſunt circa hanc rem doctorum placita; nam aliam aſſignat Suar. diſp. 42. meth. ſec. 1. aliam Auerſa q. 20. ſec. 1. aliam complut. cum cæteris Thomiſtis, aliam Blanc. aliam Arriaga, aliam Hurt. & alij aliter, & diuerſimodè, ſemper tamen in aliquo deficiẽtes, vt benè aduertunt Maſtr. & Bellut. diſp. 7. log. q. 3. art. 1. quos curioſi alumni in fonte videre poterunt; quare in tanta Doctorum varietate, ſufficit nobis pro modo ſententiam ſequi pręfatorum Scotiſtarũ, quæ reuera inter alias, & probabilior, & magis accommodata videtur; Sicut igitur dicebam. de quantitate, quòd .ſ. eius eſſentia per radicem impenetrabilitatis explicari poteſt, tamquam per primam eius paſſionem, quæ nobis circũſcribere ſolet vltimam rerum differentiam, ſic dicimus in propoſito de qualitate, quòd ſcil. aptius medium ad eius eſſentiã indagandã, erit primam eius affectionem inueſtigare, & indè aſſerere in principio exigitiuo talis affectionis cõſiſtere eſsẽtiam qualitatis; talis autem pprietas eſt ſuſcipere magis, & minus, ſeù intendi, & remitti, q affectio ſoli qualitati conuenit, vt infra dicemus; conuenit omni, qa nulla eſt incapax intenſionis, & remiſſionis, & conuenit ſemper; Vndè ſicut quantitas definiebatur in ordine ad partium extenſionem, in quo omnes Authores conueniebant, licèt diuerſimodè illas partiũ extenſiones explicauerint, ità in

pro-

propoſito, qualitas definienda eſt per ordinem ad partes inteſionis, quæ ſolent dici gradus, in quo etiã omnes Authores conueniunt; & ſicut effectus formalis quantitatis erat tribuere ſubiecto pluralitatẽ partium extenſarum, ſic in propoſito effect' formalis qualitatis erit afferre ſubiecto pluralitatem partium intenſarum; & vtique rationabile eſt, quod ſicut omnes acquieſcunt definitioni quantitatis, datæ per pluralitatem extenſionis partium, conueniant etiam in definitione qualitatis traditæ per pluralitates intenſionis partium: Vndè ſic poteſt deſcribi: *Qualitas eſt accidens abſolutum, ratione cuius ſubiectum qualificatum poteſt intendi, & remitti.* Sic planè benè à quocumque alio accidente diſtinguitur, & eius formalis effectus explicatur diſtinctè.

3. Antequam Ad combinationes accedamus, præſcire oportet, tripliciter qualitatem accipi poſſe ex Ariſt. 5. meth. c. 14. primò pro Eſſentiali differẽtia cuiuslibet rei, in quo ſenſu Porphyr. ait differentiam prædicari de pluribus in quale quid: Secundò pro quocumque accidente, ſiuè abſoluto, ſiuè reſpectiuo, quo ſenſu ipſemet Porph. inquit, accidens omne prædicari in quale: Tertiò pro determinato ac ſpeciali quodam accidente, ſecundum quod quales eſſe dicimur, in quo ſenſu conſtituitur hoc prædicamẽtum velut genus ſupremũ; Vndè Ariſt. in textu ait: qualitatẽ eſſe ſecũdum quam denominamur quales, & per ly quale, excluduntur differẽtiæ eſſentiales, per quas res dicuntur quale quid, & etiam cætera accidentia, à quibus ſubiectum non denominatur propriè quale, ſed vel quantum, vel relatũ &c. Et quando Porphy. ait accidẽs omne prædicari in quale, ipſum accepit largè, prout prædicari in quale contra diſtinguitur à modo prædicandi eſſentiali, in præſenti loquimur de qualitate tertio modo ſumpta. Ariſt. igitur in hoc pr̃dicamento diuiſit qualitatem in 4. Combinationes, ſeù Claſſes; primò in Habitum, & diſpoſitionem; Secundò in naturalem potentiam, & impotentiam; Tertiò in paſſionem, & paſſibilem qualitatem; Quartò in formam, & figuram; & quamuis non ſit res magni momẽti, magnas tamen circa eam ſolent Authores difficultates excitare, ex quibus nos ſolùm tangemus, quæ magis neceſſaria, & veritati, & Ariſt. conſona videntur.

4. Prima igitur Claſſis qualitatum eſt habitus, & Diſpoſitio. per habitum intelligitur omnis qualitas ſubiectũ diſponens ad operandum, vel patiendum, ab extrinſeco ei adueniens, quæ tamen ab eo ſit difficulter mobilis, quomodocumque id proueniat; per diſpoſitionẽ verò intelligimus omnem qualitatem ab extrinſeco prouenientem, & ſubiectum ad operandum, vel patiendum diſponentem, quæ tamen ab eo ſit faciliter mobilis, vndecumque hoc eueniat; atque ideò

membra combinationis huius non diſtinguntur eſſentialiter, ſed tantum accidẽtaliter. Vndè qualitas communis vtrique membro cõueniens, & conſtitutiua huius claſſis eſt qualitas proueniẽs ſubiecto ab extrinſeco, & illud ordinans, ac pparans ad agendum, vel patiendũ, & non tantùm ad ſic agendum, vel patiendum, ſed etiam ad ſimpliciter agendum, vel patiendum, & eſt doctrina conformis Scoti opinioni q. 60 prædicament. §. ad 2. q. & in 2. ſent. d. 3. q. 10. §. ad quæſtionem R. quem ſequuntur Anton. Andr. Mayron, Orbell. Tatar. & Scotiſtæ communiter. Explicantur ſingula, & primò quòd in hac claſſe reponantur qualitates, non ſolùm quæ ordinantur ad agendum, ſed etiam quæ ad patiendum, eſt Ariſt. qui hic ponit ægritudinem, quæ vtique nõ diſponit ſubiectum ad agendum, ſed potius ad patiendum; & ideo malè ſentiunt illi, qui aſſerunt hanc primam claſſem cõſtituere ſolam qualitatem, quæ ad operandum diſponit. Secundò in hac claſſe collocantur ſolùm qualitates ab extrinſeco prouenientes; nõ autem qualitates innatæ, & ſubiecto debitæ ex naturali conſtitutione, nam iſtæ ad ſecundam claſſem ſpectant, quod manifeſtè colligitur ex Ariſ. per exempla adducta de virtute, & ſcientia, ſanitate, & egritudine &c. Tertiò non ſolũ hic reponũtur illæ qualitates, quæ conferunt ſubiecto ſic agere. ſ. magis, vel minus faciliter, vt ſunt habitus omnes, ſaltem naturaliter acquiſiti, ſed etiam illæ, quæ dant ſimpliciter agere, vt eſt calor in aqua, quę dat ei poſſe ſimpliciter calefacere; & ſpecies in intellectu, cui licèt non cõferat actiuitatẽ in ordine ſuo, ſecũ tamen ſimpliciter concurrit ad intellectionem efficiendam, & etiam habitus ſupernaturales ſecundum communiorem ſẽtentiam, qui non ſolùm potentiam iuuant ad operandum, ſed illi conferũt poſſe ſimpliciter operari ſupernaturaliter; Vndè malè ſentiunt aliqui, qui hanc primam ſpeciem aſſerunt eſſe illarum qualitatum, quæ potentiam ſupponunt, & illi ſuperadduntur, vt coadiuuãtes ad operandum, nam calor in aqua nõ ſupponit potentiam ad calefaciẽdum; nec habitus ſupernaturalis in anima ſupponit potentiam ad ſupernaturaliter operandum, niſi tãtùm obedientialem. Quartò denique Ariſt. hic appellat habitum, qualitatẽ ſubiecto firmiter adhærentem, quod datur intelligi ex vi ipſius nominis, dicit. n. perfectam poſſeſſionem, & radicationem, ſiuè hæc proueniat ex frequentatione actuum, vt eſt de habitibus acquiſitis, ſiuè diuturnitate temporis vt eſt de febri, quæ longiori tempore fit Ethica; ſiuè ex ſpeciali ratione ſubiecti, quod eſt alicuius qualitatis tenax, vt eſt de ſpecie intelligibili in intellectu, ratione cuius permanentiæ concedit Scot. poſſe habitum appellari, vt de habitu hic Ariſt. loquitur. Per diſpo-

ſitio-

Digitized by Google

ſtionem verò intelligit Ariſt. qualitatem à ſubiecto facilè mobilem, vndecumque hoc proueniat, vel ex breuitate temporis, vt febris citò tranſiens, ſiuè quia ſubiectum non ſit illius tenax, vt eſt de ſpeciebus ſenſibilibus, præſertim ſenſuũ externorum, ſiuè ex alio capite id ꝓueniat, Vndè clarè deducitur, ꝙ membra huius combinationis tantùm accidentaliter diſtinguũtur, quatenus eadem qualitas ſpecie in ſuo ſubiecto dicitur habit', in alio diſpoſitio, imò in eodem ſubiecto modò dicitur habit', modò diſpoſitio, hinc ait Ariſt. quòd qualitas illa, quæ erat diſpoſitio, ſi in ſubiecto valdè inualeſcat, dicitur habitus, & in iuuenibus ſcientiam appellat diſpoſitionem, quæ in eiſdẽ prouectis euadit habitus.

5. Thomiſtæ ex D. Thoma p. 2. q. 49. art. 2. ad Tertium volunt eſſentialiter, & ſpecificè habitum, & diſpoſitionem inter ſe diſtingui, & habitum accipiunt pro qualitate ex natura ſua difficulter mobili à ſubiecto, ſicut eſt ſcientia, quæ cũ ſpeciem ſumat ab obiecto, neceſſariò, & à neceſſaria cauſa producitur, .ſ. demonſtratione, id circò firmiter intellectui inhæret, propter neceſſitatem, & euidentiã cauſæ, quamuis vnico actu fuerit acquiſita; diſpoſitionem autem accipiunt pro qualitate ex natura ſua leuiter ſubiecto inherente, vt eſt opinio, quæ cùm ſpeciem ſumat ab obiecto contingenti, & habeat pro cauſa argumẽtum probabile, ideò facilè ab intellectu diuelli poteſt. Verùm, licèt hoc modo ſumendo habitum, & diſpoſitionem, eſſentialiter inter ſe diſtinguantur, vt patet; ſi tamen habitus, & diſpoſitio ſumãtur pro qualitate, qua ratione mobiliter, vel immobiliter inhęrẽt ſubiecto, ſiuè id proueniat ex natura ſua, ſiuè ex natura ſubiecti, ſiuè ex parte temporis, aut frequentatione actuum, vt Ariſt. accepit, ſic quidẽ in hoc ſenſu accidentaliter tantùm diſtinguntur; de quibus plurimum, & ſatis eruditè agit Tatar.

6. Secunda Claſſis eſt naturalis potentia, & impotentia. Pro cuius intelligentia ſupponimus ex Scoto loco cit. q. 36. predicam. §. *ad Tertiam quæſt.* quòd potentia, & impotentia hic accipiuntur fundamentaliter pro qualitatibus abſolutis, natis fundare relationem potẽtiæ, & pro facultatibus ſubiecto innatis, eique debitis ex ſua naturali conſtitutione; Vnde excluduntur ſpecies Angelicæ, q̃ licèt ſint Angelis congenitæ ab initio creationis eorum, quia tamen non erant eis debitæ ex naturali eorum conſtitutione, ideò adhuc ſpectant ad primam qualitatis ſpeciem; & notandum eſt etiam, quòd per facultates innatas huius ſpeciei, non ſolùm intelligimus qualitates illas, q̃ ſubiecto naturaliter debitæ conferunt illi ſic agere, .ſ. faciliter, vel difficulter, ſed etiam quę dant ſimpliciter agere, vt calor in igne, frigus in aqua, grauitas in graui &c.

nam

nam calor eſt potentia calefactiua ignis, frigus aquæ &c. cum hac tamen differentia in ſententia Scotiſtarum, quòd nō omnes facultates innatæ, & à natura datæ ad ſimpliciter agendum in hoc prædicamēto reponuntur, quia nec propriæ paſſiones, nec potentiæ animæ hic collocātur, ſed tātū virtutes actiuę quæ à ſuis ſubiectis sūt realiter diſtinctæ, vt dixim' de calore reſpectu ignis, frigore reſpectu aq; &c. habilitates verò; vel inhabilitates naturales ad huiuſmodi facultatib' à natura datis vtēdū, ſiuè sīt realiter à ſubiectis diſtinctę, ſiuè identificatæ, ad hoc prędicamētū attinēt. Et in hoc ſenſu explicādi ſunt Scotiſtæ ex Scoto in 2.d.16.q. vn. P. cùm dicunt in hac Claſſe tantū reponi facilitates, & difficultates ad vtendum facultatibus innatis, non autem ipſas facultates; nam per hoc ſolùm ſignificare volunt, quòd ſolæ prædictæ habilitates, & inhabilitates in hac ſpecie collocantur vniuerſaliter, non autem excludunt omnes prorſus facultates in actu, datas à natura ad ſimpliciter operandum, vt diximus de calore in igne &c.

7. Et ità per naturalem potentiam intelligitur qualitas innata, qua ſimpliciter, vel facilè ſubiectū agit, vel contrario reſiſtit; per naturalem verò impotentiam nō intelligitur defectus, & priuatio potentiæ, ſic .n. non eſſet qualitas, ſed ſignificat modū qualitatis ait Scot. ſecundū quem iſta eſt principium difficulter agendi, & reſiſtēdi, & faciliter patiēdi, vt aliqui expoſitores intelligunt; ſumi etiam debet pro qualitate poſitiuè retardante, & impediente ſubiectum ab actione, vel reſiſtentia, vt patet de inſolubritate, quæ non confert vllo modo ſubiecto potentiam reſiſtendi cōtrarijs, ſed potius formaliter præſtat oppoſitum, quia reddit ſubiectum facilè ad patiendū à contrario; ſic etiam mollities nō eſt potentia reſiſtendi diuiſioni, nec perfecta, nec imperfecta, ſed potius eſt qualitas reddens ſubiectum facilè poſitiuè, vt diuiſionem patiatur; hæc eſt tamen differētia inter iſtos duos modos, ꝙ ſi naturalis impotentia accipiatur primo modo, non diſtinguitur ſpecificè à naturali potentia, quia in hoc ſenſu ſignificat virtutem debilem, & imbecillem ad agendum, vel reſiſtendum, vbi naturalis potentia ſignificat virtutem fortem, & validam, & ideò ſic non differunt niſi ſicut perfecta, & imperfecta potētia intra eamdem ſpeciem, at ſi ſecundo modo accipiatur .ſ. pro facultate patiendi aliquid facilè, vel retardante ſubiectū ab actione, vt in quibuſdam eſt naturalis quædā deſidia, & inertia, vel totaliter impediente ab aliqua actione, quomodo humor noxius in oculo dicitur naturalis impotentia, ſpecificè, & eſſentialiter à naturali potētia differt, vt benè aduertit Amic. tract. 16. diſp. 3. q. 3. dub. 3.

8. Tertia qualitatum Claſſis eſt paſ-

paſſio, & paſſibilis qualitas, Vbi inter Authores maior eſt diſſenſio, ſed eorum placitis relictis, ſufficit nobis noſtri Doctoris, ſententia q quæſt. 36. prędicam. ad 4. quæſt. do cuit, ꝙ hæc tertia ſpecies cōſtituitur, vel per comparationem qualitatis ad ſubiectum natum ſecundū ipſam alterari, vel per cōparationē ad ſenſum, cui infert paſſionem; ſi primo modo deſignetur, tunc ad talem ſpeciem pertinebunt diſpoſitiones materiam pro receptione formæ ſubſtantialis præparantes; Si verò ſecundo modo deſignetur, quòd magis ad intentionem Ariſt. videtur, tunc diſpoſitiones materiam præparātes reduci debent ad primā ſpeciē, quia diximus huiuſmodi qualitatē non tantū diſponere debere ſubiectum ad agendū, ſed etiam ad patiendū, & recipiēdum, Vndè potius hæc ſpecies ad mentem Philoſophi deſignanda erit per ordinem ad ſenſum, quatenꝰ omnis qualitas huius ſpeciei, vel paſſionem intentionalē in ſenſu efficit, vt patet de colore reſpectu viſus, ſaporis reſpectu guſtus, ſonus reſpectu auditus, &c. q̄ huiuſmodi ſenſus mouent, & afficiūt; vel quia coaleſcit ex aliqua paſſione, ſeu immutatione intentionali ipſius ſenſus, vt rubedo ex verecūdia, pallor ex metu; vel quia per ſe eſt paſſio afficiens animam, vt sūt omnes affectꝰ, qui appellātur paſſiones appetitus ſenſitiui, Amor, Ira, Odium, &c. quæ paſſiones ad hanc ſpeciem attinēt, vt ex tex. ipſius Ariſt. colligitur, & Scot. quol. 13. lit. Cc. aduertit, & non tantùm paſſiones appetitus ſenſitiui, ſed etiā intellectiui ad hāc ſpeciem reduci debēt, licèt Ariſt. ſolū mētionē fecerit de paſſionibus corporalibus, vt nobis manifeſtioribus.

Quo autem pacto membra huius cōbinationis inter ſe differant, Philoſophus ipſe declarauit, qui ꝑ paſſibilem qualitatem illam intellexit, quæ firmiter, & diu ſubiecto inhæret, vel in ſubiecto ſe habet ꝑ modum permanentis, vt robur ex naturali complexione procedens; per paſſionem verò illā, quæ citò, & dè facili tranſit, vt rubor ex verecundia proueniēs, pallor ex metu, &c. ex quibus conſtat membra huius combinationis, non niſi accidentaliter differre, vt diximus in inſtitutionibus, quòd etiam ex ipſo Ariſt. patet, qui innuit paſſionē in paſſibilē qualitatē tranſire poſſe, ſi alio modo in ſubiecto perſeuerāter maneat. Tūm quia vbi eſt idem formalis effectus in ſpecie, non poſſunt diuerſæ cauſæ in ſpecie aſſignari, quòd maximè de qualitatibus verificatur; quæ .n. eumdem effectū formalem cauſare natæ ſunt, eædem qualitates ſpecie ſunt, ſed paſſio, & paſſibilis qualitas ſunt huiuſmodi, rubedo enim ſiuè diu permaneat, ſiuè citò tranſeat, æqualiter quid rubeum habent, ergo, &c.

9. Quarta Claſſis eſt forma, & figura, quæ membra ſecundū communiſſimam ſententiā non diſtin-

gun-

gũtur eſſentialiter, ſed tantũ accidentaliter, quicquid dicat Auerſa, hinc Boetius ait: figuram dici, quę afficit quantitatem, & formam dici pulchritudinẽ, vel deformitatẽ, & ità forma non videtur eſſe niſi accidens figurę ſuper additũ, quòd figuram ipſam reddat pulchrã, vel deformẽ, quem dicẽdi modum ſequitur Suar. explicans pulchritudinem per concomitantiam colorum; vel cenſentur accidentaliter diſtinctę ex diuerſitate ſubiectorũ, ità vt figura dicatur in artificialibus, forma in naturalibus; vel quòd figura tribuatur rebus inanimatis, forma rebus animatis iuxta varios dicendi modos hic ab expoſitoribus. Ad cuius maiorem intelligentiam, recolendum eſt id, quòd in inſtitutionibus de hàc ſpecie perfunctoriè diximus. ſ. quòd in re aliqua figurata tria conſiderare poſſumus, nempè ipſam rẽ, ex qua conſtat, vt lignũ, & quo adhoc ad genus ſubſtantiæ ſpectat; quantitatem eius terminatam linealiter, & ſuperficialiter, & ſic pertinet ad genus quantitatis; & tandẽ terminationẽ, vel diſpoſitionem quãtitatis, quæ dici ſolet forma, & figura, vt rectitudo, curuitas, triangulatio, &c. Et hæc conſtituit hanc quartam ſpeciẽ qualitatis, monuit tamen Doctor in d. 1. q. 1. & alibi, ꝙ qualitates huius ſpeciei nõ ſunt propriè qualitates, quẽ ſequuntur Franciſcus de Mayr. Tatar. & alij Scotiſtæ, cũ potius quid relatiuum importent, figura .n. ait Scotus vltra quantitatem, non dicit, niſi relationem terminorum includẽtiũ partes ad ſe inuicem, dicuntur tamen qualitates, quia habent modum denominandi, vel prædicãdi qualitatis, quatenus prædicantur modo quodam abſoluto, nõ ſignificante ordinem ad aliud; dum .n. aliquod dicitur rectũ, curuũ, triãgulatum, &c. nullus quippè ordo ad aliud ſignificatur, & eadẽ ratione pulchritudo, & deformitas dicũtur qualitates, q̃a nimirũ modũ prædicãdi, & denominãdi qualitatis habẽt, cũ tamẽ in ſe potius relationes importẽt ex Doct. quol. 18.

10. Quæres, ad ꝙ igitur prędicamentum propriè ſpectat figura? ℞. cum Tatar. hic, ad prædicamẽtum Situs, ꝙ tamen intelligendum eſt de figura poſitiuè ſumpta, nã ſi priuatiuè ſumatur, non dicit niſi terminationem quamdam intrinſecam quãtitatis, & magnitudinis, quę vltra illam nihil poſitiuum addit, ſed priuationem tantũ vlterioris extenſionis, quæ figura ſic poſitiuè accepta adhuc diſtinguitur; nã vna eſt intrinſeca, & fundatur in poſitione de genere quantitatis, & in ordine, quem ſeruant ad inuicem partes in toto; alia extrinſeca, quę fundatur in poſitione de genere Situs, & in ordine, quem inuicẽ ſeruant partes in loco, quæ diſtinctio deducitur ex Scoto in 4. diſt. 10. q. 1. §. *dico ergo*, M. vbi docet, quòd licèt Corpus Chriſti in Sacramento careat figura ſecũdi generis, adhuc tamen priorem retinet,

net,

Digitized by Google

nec quatenus caput nõ eſt immediatè vnitum cũ pede, ſed mediantibus alijs partibus; qui ordo partium in toto videtur quidem aliquam figuram conſtituere, & ità cùm dicimus figuram propriè pertinere ad prædicam. Situs, de figura poſitiua extrinſeca præcipuè intelligendum eſt, quæ reſpicit locum, &c.

11. Dices, domus in vacuo iam retineret figuram, vbi tamen nullus adeſſet locus, ſeu ſuperficies ambiens, ergo falſum eſt figuram ad prædicam. Situs pertinere. R. quòd in caſu poſito ſolùm haberet figuram intrinſecam, vel etiam extrinſecã in ordine ad ſpatium imaginarium, vt benè Tatar. de hac diſtinctione differit 2. phyſic. quæſt. 1. dub. 3.

12. Petes, an figura ſit modus ſolius quãtitatis, an etiam alijs rebus materialibus conueniat. Thomiſtæ quia negant in ſubſtantijs, & alijs rebus materialibus pluralitatem partiũ entitatiuarum, & omnem prorſus extenſionem antecedentet ad quantitatem, aſſerunt conſequenter figuram eſſe modum ſolius quantitatis; Scotiſtæ verò è contra, quia pluralitatem partium entitatiuarum, ac etiam ordinem earum ad inuicem admittunt in ſubſtantia materiali, antecedenter ad quantitatem, tenentur quoque aliam figuram ei concedere, ſaltẽ intrinſecam, nam ex hoc in quantitate figura reſultat, quia partes quantitatis ſunt extenſę, ordinatę, & proprijs terminis terminatę; Vndè figura definitur, quòd ſit qualitas, vel relatio reſultans ex terminatione partiũ quãtitatis; ſi igitur partes rei materialis habẽt ordinationem, extenſionem, & terminationem propriam, ſecluſa quantitate, vtique ex illis aliqua figura reſultabit, ità nobiſcum ſentiunt Blancus, & Amicus, imò iſte concedit vlterius ſubſtantiæ materiali (quãtitate ſecluſa) figuram extrinſecam &c. Attamen quia communiter figura dicitur modus quantitatis, & inter eius affectiones connumeratur, aſſerimus, quòd eſtò figura intrinſeca poſſit, & debeat cuicumque rei materiali conuenire, figura tamẽ extrinſeca poni debet modus quantitatis proprius; & ratio eſt, quia licèt ſubſtantia materialis poſſit eſſe in loco diuiſibiliter citra quantitatem, & conſequenter fundare in ſuis partibus poſitionem de genere ſitus, adhuc tamen poſſunt partes illæ inuicem naturaliter penetrari; figuratio autem extrinſeca, & ſitualis poſtulat neceſſariò impenetrationem partium, & in ea fundatur, nam facta tali penetratione, partes confunduntur, & commiſcentur ad inuicem in ordine ad locum, & conſequenter figura extrinſeca, & ſitualis euaneſcit, ſola intrinſeca figura remanente &c.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*In quo aliqua dubia circa relata elucidantur.*

SCot. Vir vtique famæ celebritate conſpicuus, q. 36. prædic. docet, non enumeraſſe Ariſt. adamuſſim omnes qualitatis ſpecies, ſed magis famoſas, quod etiam Philoſophus ipſe euidenter innuit, dum poſt explicationem quartæ ſpeciei ait: *Et fortaſſe quidam alij apparent qualitatis modi, ſed qui maximè dicuntur ſūt hi.* Verū quia ſpecies ab ipſo aſſignatæ, ſi aliquatenus amplientur, cōmodè ad omnes qualitates reduci poſſunt, ideò præfatā diuiſionē velut ſufficientē, & idoneam amplectimur, breuiter aliqua dubia, q̄ hic excitari ſolēt reſoluēdo.

1. Et primò dubitari ſolet de pulchritudine, ac deformitate, q̄ non videntur ad aliquam illarum quatuor ſpecierū reduci poſſe; quod ſi dicatur ad quartam Claſſem reduci, ſtatim opponitur, quòd qualitates quartæ ſpeciei nō ſuſcipiūt magis, & minus benè tñ ſuſcipiunt pulchrum, & deforme; & relictis aliorum reſponſionibus, dicimus breuiter, illa non eſſe ſimplices entitates, ſed potius aggregata quædam ex entitatibus diuerſis, vt Fōſeca, Suar. & alij tenent, pulchritudo .n. eſt quid aggregatū ex colore, & debita membrorum proportione, & allatam obiectionem de magis, & minus, ſoluit Scot. q. 36. cit. in fine, vbi inquit: non negaſſe Ariſt. ab omnibꝰ qualitatibꝰ quartæ ſpeciei ſuſcipere magis, & minus, ſed à quibuſdam tantùm merè mathematicis.

2. Secundò dubitatur de actib. intellectus, & voluntatis, & ratio dubitandi eſt, quia huiuſmodi actus non ſunt operatiui, vel cauſatiui, ſed potius termini actionum potentiarum illarum, vt benè probat Scot. quol. 13. atque ideò non videntur poſſe reduci ad primam, vel ſecundam ſpeciem, in quibus ordinari videntur qualitates illæ, quæ aliquam habent actiuitatem, ad Tertiam claſſem, licèt reduci poſſint actus ſenſitiui, non tamen intellectiui, qui merè ſpirituales ſunt, genus namque tertiæ ſpeciei eſt qualitas ſenſibilis; quòd neque ad quartam reduci poſſint, patet ſenſui. Variæ ſolutiones ab Authoribus adducuntur, ſed ſufficiat nobis pro omnibus Doctor ſubtilis, qui quol. 13. Cc. actus intellectus, & voluntatis commodè reducit ad primam, ſ. ſub diſpoſitione, nam eſtò per tales actꝰ nihil cauſari poſſit, vt per actionem productiuam, cū potiꝰ ipſi ſint termini taliū actionum, poſſunt tamen veluti principium Quo, & ratione producendi aliquid cauſare, ſcil. habitum, in quo ſenſu dicimus habitum fieri ex frequentatis actibus; tamquam ex rationibus producendi, ex Doct. in p. d. 3. q. 9. in fine.

3. Tertiò dubitatur de qualitatibus ſupernaturalibus, vt ſunt Fides, Spes, Charitas, lumen gloriæ, character, q. imprimitur per quędā Sacramenta, &c. non .n. videtur ad quam ſtarum reduci debeant; imò quia ex Ariſt. 10. meth. corruptibile, & incorruptibile differunt ge-

nere, quod magis de naturali, & ſupernaturali vrget, non videtur poſſibile in hoc prædicamento reponi. At ꝑ. ex Scot. in 4. d. 6. qu. 10. lit. M. quòd etiam qualitates ſupernaturales in hoc prædicamẽto reponi debent, cùm illis ratio generica qualitatis verè cõueniat. neque ſupernaturalitas eas ab hoc prædicamento extràhit, nam naturalitas, & ſupernaturalitas nõ ſunt conditiones, niſi per comparationem ad agens, quæ comparatio nõ variat aliquid, vt ponatur, vel excludatur à prædicamento; res .n. ponuntur in genere quoad ſuam propriam quidditatem formalem, circumſcripta omni relatione ad agens: Authoritas Philoſophi explicatur de genere phyſico, vt ſæpè dictũ eſt; & planè maxima pars qualitatũ ſupernaturalium ad primam ſpeciem attinet, & enumeratæ præſertim continentur ſub habitu, hinc Fides, Spes, Charitas vocãtur habitus Theologici, quod etiam aſſeri ſolet de lumine gloriæ: ſolùm dubium vrget de charactere. Aucrſa illud reducit ad quartã ſpeciem, quatenus eſt figura quædam ſpiritualis in anima, Chriſtum configurans, ſed reijcitur à Scoto loc. cit. & ratio eſt, quia nihil collocatur in genere per proprietates methaphoricas, ſicut eſt iſta characteris in Anima, alioquin Chriſtus eſſet verè in genere ſubſtantiæ inanimatæ, quia dicitur petra &c. Vult igitur Scot. quòd ſi character ponatur forma abſoluta (de quo eſt ibi problematicus) poteſt reponi in ſecunda ſpecie, quatenus eſt potentia quædam ſupernaturalis, vel melius in prima ſub habitu, quà eſt de difficili mobilis, & eſt aliquo modo diſpoſitio ad benè agẽdum, ſaltem remota, & imperfecta: eſt etiam aliquo modo præuia diſpoſitio in Anima ad gratiam in ratione receptiui, quatenus eſt forma prior, ſine qua non reciperetur ſecunda, ex pacto diuino, ob quæ munera optimè reduci poteſt ad primam Claſſem, ità Scot. &c.

4. Quartò dubitatur, an diuiſio hæc qualitatum ſit verè generis in ſpecies. Communis ſententia cùm Thomiſtis eſt affirmatiua. Scot. quamuis q. illa 36. prædicam. §. *Ad omnes iſtas &c.* Doceat modum defẽdẽdi hãc communem opinionem, abſolutè tamen in 4. d. 6. q. 10. lit. N. docet non eſſe verè diuiſionem generis in ſpecies per differentias, ſed potius per quoſdam modos diuerſos, qui eidem qualitati omnino competere poſſunt. Vndè innuit eſſe potius diuiſionẽ ſubiecti in accidentia, & ità ſequũtur Mayr. paſſ. 42. Anton. Andr. Zerbius, Orbell. Roc. Ioann. de Magis. Faber 5. meth. diſp. 16. & alij. & deducitur euidenter ex verbis Ariſt. qui tradendo qualitatis diuiſiones in has quatuor combinationes, ait illos eſſe diuerſos modos qualitatis. Patet etiam ratione, quia non poteſt res vnius ſpeciei eſſentialiter tranſire ad aliam ſpeciem, nec ſimul ſub plurib. ſpe-

ciebus eſſentialiter contineri; ſed eadem qualitas, ad plures qualitatis claſſes pertinet, nam calor in aqua pertinet ad primam ſpeciem, in igne ad ſecundam, vt virtus naturalis eius; in quantum cauſat paſſionem in ſenſu tactus, ſpectat ad Tertiam, ergo illi potius ſunt diuerſi modi accidentales qualitatis, quàm differentiæ eſſentiales.

5. Thomiſtæ concedunt eidem qualitati cõuenire poſſe omnes rationes formales illarum ſpecierũ, ſed negant inde ſequi, quòd non conſtituat ſpecies eſſentialiter diuerſas, benè .n. poteſt (dicunt ipſi) eadem res materialiter pertinere ad diuerſas ſpecies ſub diuerſis rationibus formalibus, quas habet, imò ad diuerſa prædicamenta, vt conſtat de actione, & paſſione, quæ cum ſit eadem entitas realis, efficiunt tamen diuerſa prædicamenta, ob rationes formales diuerſas. Sed iam hæc ſolutio exploſa ex dictis remanet, probauimus enim prædicamẽta realiter diſtingui nõ tantum ratione ratiocinata, &c. Et planè ridiculum videtur, quòd eadem entitas caloris poſſit eſſe in diuerſis ſpeciebus eſſẽtialiter. Nec iuuat dicere hoc euenire poſſe beneficio diuerſarum formalitatum, nam hoc eſt probandum, implicat .n. eandem rem ſub eodem genere poſſe ſimul conſtitui eſſentialiter ſub diuerſis ſpeciebus, & licèt idem homo ſm̃ ſuam quidditatem ſpectet ad ſubſtãtiam, prout quantus ad quantitatem, prout qualis ad qualitatem, & ſic hoc concipit ratio talia prædicata diſtinguuntur realiter ab ipſo homine, &c. vide Suar. diſp. 42. metaph. ſect. 2. qui benè reijcit allatam Thomiſtarum ſolutionem, cum alijs Recentioribus.

6. Sed vrges, omnes admittere tenemur prædicamentum hoc qualitatis; at prædicamentum eſt coordinatio quædam conſtans ex ſupremo genere, & ſubordinatis ſpeciebus, ergo cùm Ariſt. genus huius prædicamenti diuiſerit per habitũ, & potentiam, &c. vtique hæ merè ſpecies illius cenſentur. R. negant. conſeq. & ratio eſt, quia Philoſophus in aſſignandis ſpeciebus prædicam. locutus fuit famoſè iuxta communem loquendi modũ tunc temporis, & hoc patet præſertim de quarta ſpecie, quæ non niſi ſecundum dici ſpectat ad hoc prædicamentum. Multa alia eſſent hic apponẽda, & examinanda, quæ neceſſaria videntur, quæ idcircò conſultò dimittimus, quia talium ſpecierum exacta cognitio ex ſpectalibus ſcientijs pendet, præſertim ex libris de anima, de quib. commodiùs, & fuſius (Deo preſtãte) agem⁹.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De Affectionibus, & Attributis Qualitatis.*

1. SCot. qui Cæſar eſt Eruditorũ primarius, de hoc articulo diſſerit q. 36. prædicam. & alibi, cuius ſenſum ſequitur Tatar. & Scotiſtæ communiter. Tres ſunt qualitatis affectiones, prima eſt habe-

re cõtrariorum, quæ nullitã in abſtractio, quã in concreto conueniũt; frigiditas n. contrariatur caliditati, & frigidum calido, albedo nigredini, & album nigro, &c. Vbi aduertendum eſt, q̃ contrarietas, vt hic ponitur qualitatis affectio, nõ accipitur in toto rigore, in quo .n. ſenſu primis tantum qualitatibus conuenit, quæ ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellunt actione propria; vt ſunt caliditas, frigiditas, ſiccitas, & humiditas; ſed ſumitur ſimpliciter pro repugnãtia duarũ formarũ magis inter ſe pugnãtiũ, quã cum tertio, & ab eodem communi ſubiecto ſe formaliter expellentium, ſiuè hoc eueniat actione propria, ſiuè actione alterius. Neque ex hoc inferas, q̃ contrarietas ſic ſumpta non poſſit dici qualitatis affectio, quia competit etiã formis ſubſtantialibus, quæ formaliter ab eodẽ ſubiecto ſe inuicẽ expellunt; hoc .n. falſum eſt, nã forma ſubſtantialis ſimpliciter, & abſolutè loquendo, non excludit determinatã formam ã ſubiecto, nec magis hanc, quã illã, ſed æquè omnem diſparatam excludit; & cum quacumque tali incõpoſſibilis eſt; atq; ideò cõtrarietas ſũpta pro repugnantia determinata inter duas formas in ordine ad idẽ ſubiectũ, eſt propria qualitati, & ei ſoli cõuenit; & quamuis etiam tribui ſoleat actioni, & paſſioni, hoc tamen euenit ratione qualitatum cõtrariarum, ad quas terminãtur, quod etiam dicendum eſt de relationibus, vt infra patebit.

2. Quæres, an hæc affectio in hoc ſenſu competat omni qualitati? R. ex Ariſt. negatiuè, nã in coloribus medijs talis contrarietas non reperitur; nã pallidum nõ contrariatur viridi; ſi tamen ly omni intelligatur pro vt diſtribuit pro generibus ſingulorum, poteſt omni qualitati adaptari, nã in prima ſpecie inueniri poteſt inter plures habit⁹, & diſpoſitiones; poteſt etiã inueniri in ſecunda, accipiendo p̃ſertim naturalẽ impotentiam pro poſitiua ineptitudine ad aliquam actionẽ, ſic v. g. in oculo qualitas facilitans viſum potentiæ viſiuæ, cõtraria humori noxio illum poſitiuè impedienti; de tertia, quæ eſt paſſio, & paſſibilis qualitas nulla eſt dubitatio, & tandẽ de quarta, prout ad hoc ſpectat prædicamentum, poteſt etiam aliqua contrarietas aſſignari, vt inter formoſitatem, & deformitatẽ, &c. Et cũ Ariſt. negauit medios colores habere contrarietatem, intelligi debet comparatiuè .ſ. non habere talẽ, qualis eſt inter extremos, & ſi nõ ratione ſui, ſaltẽ ratione extremorum, de quibus magis, vel minus participãt, &c. ſolũ eſt hic adnotandũ, q̃ quædã qualitates nullum habent contrarium, vt lumen, ſpecies ſenſibiles, & ſpecies intelligibiles; & ideò diximus hanc proprietatem competere poſſe omni qualitati, ſi ly omni diſtribuat pro generibus ſingulorum, nã pro ſingulis generum non militat.

3. Se-

3. Secunda affectio eſt ſuſcipere magis, & minus, ſeu intendi, & remitti; nã vna qualitas eſt intenſior alia, vnum calidũ magis calidum alio, quia habet plures gradus caloris, quàm aliud, & idẽ pro diuerſo tempore eſt magis, vel minus calidũ; quæ proprietas, .ſ. eſſe intenſibilẽ, & remiſſibilem ſecũdũ gradus indiuiduales formæ, eſt ità adæquata qualitati, vt illi ſoli cõpetat, & omni, & ſemper. Competit ſoli, qa & ſi relationes aliquæ, & actio, & paſſio magis, & minus ſuſcipiant, hoc vtique eis conuenit dependẽter à qualitate, ſuper quã fundantur, & ad quã actio, & paſſio aliquando terminantur. Conuenit etiam omni, & licèt Ariſt. hoc negare videatur figuris mathematicis quartæ ſpeciei, hoc tamen non officit; Tũ quia, quæ ponuntur in quarta ſpecie non ſunt veræ qualitates; Tũ quia nec etiam omnibus qualitatibus quartæ ſpeciei eam proprietatẽ negauit, nam pulchritudo, & deformitas ſuſcipiunt magis, & minus; imò videtur aliquo modo etiam figuris mathematicis conuenire, quatenus vna linea dicitur magis recta, vel curua, quàm alia. Competit etiam ſemper, & quãuis Ariſt. dicat non conuenire qualitati in abſtracto, quia nõ dicimus vnam albedinem eſſe magis albedinẽ alia, hoc tamen intelligitur ſolũ ad modum loquendi, quatenus per nomina abſtracta denotẽtur quidditates, & eſſentiæ rerũ, quæ conſiſtunt in indiuiſibili, alioquin de re ipſa nõ eſt dubitãdum, nam verè ipſa forma, quæ eſt in ſubiecto ſuſcipit magis, & minus, & ideo vnũ calidũ dicitur magis calidũ alio, quia habet in ſe magis intenſum calorem, & etiã in abſtracto dicere ſolemus, hic eſſe maiorẽ caliditatem, & magis intenſam &c. ità quòd magis, vel minus cadat ſupra latitudinem graduũ indiuidualium, non ſupra naturam.

4. Tertia, & vltima Affectio, q̃ qualitati etiam in quarto modo conuenire videtur, eſt vt ſecũdum eã aliquid ſimile, vel diſſimile dicatur; ſicut ſecundũ quantitatem res dicebatur æqualis, vel inæqualis, & eodẽ prorſus modo hæc explicanda erit, quo illa in quantitate explicata fuit; q. ſ. ly ſecundum, dicat rationem fundamentalẽ, nõ formalem, & ſimiles ac diſſimiles ſumantur, vt dicunt aptitudinẽ nõ actum; & ſicut etiam dicebamus æqualitatem, & inæqualitatem accipi poſſe prędicamẽtaliter, & trãſcendentaliter, ſic etiam in propoſito de ſimilitudine, & diſſimilitudine aſſerimus; ſi .n. amplè ſumãtur pro qualicumq; conuenientia, vel diſconuenientia, vt in communi vſu loquendi accipi ſolet, ſic vtique non eſt proprium qualitatis, ſed vagatur per omnia, nam duas relationes dicimus ſimiles, vt duas paternitates, paternitatem verò, & filiationem vocamus diſſimiles, & ſic de alijs.

DIS-

Digitized by Google

# DISPVTATIO XIII.

## DE PRÆDICAMENTIS RESPECTIVIS.

A Prædicamentis abſolutis gradũ facimus ad reſpectiua, & licèt reuera diſputatio hæc ad meth. pertineat, ſicut exacta notitia aliorum prædicamentorum, cognitio tamen relationis potiori ratione videtur eſſe hic anticipanda, ob maximã, & vrgentem neceſſitatem relationum, quibus in philoſophia indigemus; nihil .n. frequentius eſt in ore philoſophorũ, quã vnũ referri ad aliud, vt materia ad formam, actus ad potentiam, æquale, & inæquale, ſimile, & diſſimile, actionẽ, & paſſionem, quæ pro formali dicere ſolent relationẽ, &c. Et maximè in ſubtilium ſchola, quæ tota relationibus ſcaturire videtur. Ne igitur natura relationis ignorata, ad totam philoſophiam ingreſſus præcludatur, rationabiliter hic totam hanc diſputationem de relatione inſtituimus, maiori tamen, qua fieri poterit breuitate, illa tãtũ apponendo, quæ magis neceſſaria cenſentur; inutilia, verò, & ſuperflua reſecando.

### T E X T V S.

*Ad aliquid verò talia dicuntur quæcũq; hæc ipſa quæ ſunt, aliorũ eſſe dicuntur, vel quomodolibet alterum ad alterũ, vt maius hoc ipsũ, quod eſt alterius dicitur, &c.*

CAput iſtud in tres diuiditur partes. Prima continet definitionem quamdam eorũ, quæ ad aliquid ſunt, & ipſius explicationẽ; quæ definitio communis erat tẽpore Ariſt. imò ipſius Platonis, vt Boetius, & Alber. referunt. Secũda cõtinet quatuor proprietates, ſeù affectiones relatiuorum. Tertia proponit vnũ abſurdum, q̃ circa talem definitionẽ ſequitur, qua reiecta, aliam ponit, quæ maximè relatis conuenit. De quibus omnibus, & alijs ad ea pertinentibus in hac diſputatione exactè diſſerimus, eam in plures articulos diuidentes, quorum primus ſit.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Quid ſit Relatio Realis, & quotuplex, vbi etiam de Relatione traſcendentali.*

1. SCot. vir vtiq; ſpectabilis ſapientiæ, de his ſubtiliter more ſuo diſſerit, vt videri poterit in p. d. 31. q. vn. & diſt. 8. q. 4. lit. N. & O. & diſt. 19. q. 1. & alibi ſæpè, de cuius plenitudinis fõte Multi accipiunt, tã ſui, quã exteri, & quantũ ad Conceptũ relationis prout in hoc prædicaméto reponitur, ſic deſcribi poteſt: *Relatio eſt accidens, quo vna res ad aliam refertur, ſeù quo vna res aliam reſpicit*; Vndè etiam reſpectus appellari ſolet, vt Paternitas

nitas V.g. eſt relatio, qua Pater refertur ad Filium, vel reſpicit Filiũ, qua ratione, relatiua, quæ ſunt cõcreta relationis, definiuntur eſſe illa, *quorum eſſe eſt ad illud ſe habere*. Et in quacumq; relatione tria conſiderare debemus, ſ. ſubiectũ, ſeu fundamentum, quod refertur; rationem referendi, per quam refertur; & terminum, ad quẽ refertur. Primum dicitur ſubiectũ, quia eſt illud, in quo recipitur relatio, & dicitur etiam fundamentũ, vt Petrus, qui fundat ſimilitudinem in ordine ad Paulũ; Secundũ eſt, quo formale, aut fundamentale, formale eſt ipſamet relatio, V.g. ſimilitudo, qua Petrus, & Paulus dicuntur ſimiles; fundamẽtale eſt ratio fundãdi talem relationẽ, V.g. albedo; Tertium eſt terminus relationis, & dicitur correlatiuũ, vt Paulus, cui Petrus aſſimilatur; & hæc etiã ſuo modo relationibus rationis cõueniunt, vt ſuo loco patebit. Relatio alia eſt realis, alia rationis; hæc fit ab intellectu in re, quæ relationẽ a parte rei fundare non poteſt, de qua ſupra ſatis egimus; illa reperitur in re, ablata quacumq; intellectus operatione. Ad hãc quæ realis eſt, tres conditiones requiruntur ex Doct. in 1. diſt. 31. q. vn. & quol. 6. art. 3. Prima eſt, ꝙ extrema eius ſint realia, ita vt in ratione fundandi, & terminandi non depẽdeat ab intellectu. Secunda, quòd ſint realiter diſtincta, nã idem non poteſt ad ſe ipſum realiter referri. Tertia, ꝙ oriatur ex natura extremorum, & non per actum collatiuum intellectus, quas conditiones Recentiores recipiunt, vt videre eſt apud Suar. diſp. 47. meth. ſec. 9. Cõplut. diſput. 14. q. 3. & alij paſſim. Verũ quia aliquando relationi reali deficit aliquã prædictorũ conditionum, ſolet frequenter appellari relatio rationis, vt Tatar. hic aduertit ex Doctore quol. 13. lit. N, & talis eſt diſtinctio materiæ a priuatione, & vniuerſaliter entis a non ente; hæc. n. non diſtinguũtur ſolũ per actionem noſtrã, ſed verè a parte rei, dicitur tamen hæc diſtinctio rationis, quia non eſt ad terminum poſitiuum, & realem, ꝙ etiam in multis alijs relationibus accidit, ſed de his latius infra. Vt autem aliquam rationem cõmunẽ aſſignemus, quæ omnibus relationibus competere poſſit, tam prædicamentalibus, quam traſcendentalibus, & etiam rationis, ſic eam deſcribere poſſumus: *Relatio eſt quædam ratio formalis, qua vnum reſpicit aliud*; & hæc quantum ad primam quæſiti partem.

12. Quo verò ad aliã partẽ, Relatio realis præſertim diuiditur in prædicamentalem, & traſcendentalem, circa quam diſtinctionem, magna eſt inter Auctores altercatio; Quidam. n. aſſignant diſcrimẽ ex parte termini; & fundamentum deſumitur ex tribus relatis conditionibus, quæ communiter tradi ſolent de relatione prædicamentali; Relatio autem traſcendens non neceſſariò petit terminum realem,



Digitized by Google

vt patet de diſtinctione entis rationis, & priuationis; nec realiter diſtinctum, vt conſtat in ſcientia Diuina reſpectu eſſentiæ, inter quę eſt relatio traſcendentalis, & tamen non adeſt diſtinctio realis: Sed eſtò verum ſit illas tres cõditiones præſertim eſſe relationis prædicamentalis, negari tamen nõ poteſt, quin etiam ſuo modo relationi competant traſcendentali, cùm etiam ipſa ſit relatio realis, & non rationis; & præcipuè Secunda conditio, ꝙ .ſ. relatio realis requirit extrema aliquo modo realiter diſtincta, eſt vtique ſimpliciter vtrique neceſſaria: non .n. poteſt reſpectus realis, ſiuè prædicamentalis, ſiuè traſcendentalis, eſſe eiuſdem ad ſe ipſum, nam ſemper tendentia, & reſpiciẽtia eſt ad aliud, aliter idem etiam dici poſſet ſibi ipſi ſimilis, æqualis &c. Vndè requiritur, quòd extrema ſint ſaltèm diſtincta ex natura rei. Ad illud de ſcientia Diuina, ſi negant diſtinctionem ex natura rei inter Attributa Diuina, & cum Diuina eſſentia, tenẽtur etiam fateri ibi non eſſe relationem traſcendẽtalem. Item viſio intuitiua creata dicit ordinem traſcendentalem ad obiectum, quod tamen actu exiſtit, & idem eſt de creatione paſſiua creaturarum ad Deum; & Vnio, Actio, & paſſio per aduerſarios ſunt relationes traſcendẽtes, & ſine extremis realibus actu exiſtentibus intelligi non poſſunt, ergo ex hoc medio non benè deducitur diſcrimen inter relationem prædicamẽtalem, & traſcendentalem; & ſi aliquando eueniat, quòd relatio traſcendentalis non requirat terminum, hoc ei competit quatenus aptitudinalis eſt, non actualis; nã hæc ſemper requirit terminum actu exiſtentem.

3. Thomiſtæ eamdem ſequuntur ſententiam, ſed alia via ad hoc probandum procedunt; volunt .n. ex hoc capite diſtingui, quòd relatio prędicamentalis reſpicit terminum ſub ratione puri termini, nullum munus exercendo circa illum, ſed omnino gratis; traſcendentalis verò eum nõ reſpicit omnino gratis, & vt purè terminum, ſed aliqd efficiendo circa illum, vel .ſ. ipſum producendo, vel amando, vel cognoſcendo, vel vniendo, vel reſpiciendo, vel actuando &c. Vndè fit, vt terminus talium relationum nõ appelletur purè terminus, ſed potius obiectum, ſubiectum, principium, vel aliquo alio nomine iuxta diuerſitatem muneris, quòd circa eum exercet ralatio. Ità Caiet. c. 7. de ente, & eſſentia q. 15. & ſequuntur Thomiſtæ communiter Complut. Maſ. Ioann. de S. Thom. Iauell. Fonſec. Suar diſp. 47. met. ſec. 4. Conimbr. Amic. & alij.

4. Sed hic cenſetur error peior priore, vt benè aduertit Arriag. d. 12. ſec. 4. qui fatetur nunquam capere potuiſſe, quid Auctores citati ſignificare velint per hoc, ꝙ eſt reſpicere, vt purè terminum, & non vt purè terminum, cùm nulla relatio ſiuè prædicamentalis, ſiuè traſ-

traſcendentalis ex tali reſpicientia ponat aliquid in termino, ſed ſolū extrinſecè illum terminum denominat, quare omnes illum reſpiciunt, vt purè terminum. Hinc Faber 5 meth. diſp. 20. c. 2. benè hoc diſcrimen Thomiſt. refellit, dicere .n. quod relationes traſcendentes reſpiciunt aliud, non vt purum terminum, eſt deſtruere in relationibus traſcendentibus veram rationem relationis, & maximè in ſententia Suar. qui ponit huiuſmodi relationes eſſe ſecūdum eſſe, & ratio eſt euidentiſſima, quia eſſentia relationis eſt eſſe ad, ergo diſtinguere relationes traſcendentes à prædicamentalibus penès aliud, quàm per ad, non eſt diſtinguere illas, vt relationes sūt, ſed per aliquā aliā differētiam accidētalem, & extraneam. Tùm quia in omniū ſententia, creatura reſpicit Deum traſcendentaliter, vt purè terminum, & tamen nullum circa Deum mun⁹ exercet, quòd etiam de omnibus traſcendentibus patet. Tùm quia è contra relatio Paternitatis eſt relatio prædicamentalis apud omnes, & tamen Pater aliquid efficit circa Filium, quem producit; quare illlud ſpeciale munus, quòd relationibus traſcendentibus tribuitur exercere circa ſuum terminum, aliud reuera non eſt, quàm ipſum tali, vel tali modo reſpicere, V. g. in vnione vnum extremū alteri coniungere, eſt vnionem reſpicere illud extremum tali modo ſ. coniungendo &c. quæ diuerſitas etiam in relationibus prædicamētalibus inuenitur iuxta diuerſitatē modorum, quibus ſuos terminos reſpiciūt, ſic ſimilitudo dicitur aſſimilare, æqualitas æquare &c.

5. Alij diſtinguūt has relationes ex parte fundamenti, ità vt relatio traſcendens ſit illa, quæ ità eſt de eſſentia ſubiecti, & illi adæquatè identificata, vt ſine illa tale ſubiectum neq; eſſe, neque intelligi poſſit, vt relatio actus ad ſuum obiectum, vnionis ad terminum, creaturæ ad Deum, potentiæ ad actus poſſibiles &c. Prædicamentalis verò ſit illa, quæ ſubiecto merè accidit, & ab eo ſeparari poteſt, vt Paternitas à Petro, ſimilitudo ab albo, &c. ità Arriag. loc. cit. Hurtad. diſp. 15. met. ſec. 1. & alij. Sed hoc diſcrimen optimè refellitur, ex eo quia nulla relatio poteſt eſſe de eſſentia abſoluti, vt infra oſtendem⁹.

6. Alij has relationes diſtinguūt ex parte vtriuſque extremi ſ. termini, & fundamenti, & volunt, vt relatio prædicamētalis ſit illa, cui⁹ totum eſſe ſit ad aliud ſe habere, iuxta ſecundam definitionem traditam in hoc capite ab Ariſt. traſcendentalis verò ſit illa, cuius totum eſſe non eſt ſolùm reſpectiuū, ſed partim abſolutū, partim reſpectiuū, & ità nō ſolùm gerit munus referendi, ſed etiā munus abſoluti ex parte fundamēti, vt V. g. ſciētia non tantùm refert intellectum ad ſcibile, quod eſt mun⁹ relatiui, ſed etiā illum qualificat, quod eſt munus abſoluti. Sed hic modus dicendi

di infrigitur ex ratione ſupra allatâ, implicat enim ꝙ vna, & eadem entitas partim ſit abſoluta ad ſe, & partim relatiua, & ad aliud, ſic .n. ſecundum ſuam rationem formalem eſſet ad ſe, & non ad ſe.

7. Scotiſtæ verò alia via gradiūtur, volunt enim illas relationes eſſe traſcendentes, quæ per plura p̄dicamenta vagantur, qualis eſt relatio creaturæ ad Deum, &c. prædicamētales verò quę ſpeciale cōſtituunt prædicamētum, vt Paternitas, ſimilitudo, æqualitas &c. ita Lychet. in 2. d. 1. q. 6. Faber loco cit. Tatar. & multi alij, qui etiam docent, non omnem relationem fundamento realiter idētificatam eſſe traſcendentalem, neque è contra omnem traſcendentalem eſſe ſubiecto realiter eamdem; & fundamentum accipiunt ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. in ſol. ad 2. Vbi docet, ex eo creationem eſſe relationem traſcendentem, quia conuenit enti, antequam in genere deſcendit, & omne, quod conuenit enti in tali prioritate, eſt traſcendens, & nō alicuius determinati generis. Sequitur Suar. loc. cit. ſec. 3. Tolet. hic q. 1. qui ſolùm illas vocant relationes traſcendētes, quæ ita ſunt communes vt prædicentur de pluribus prædicamentis, & alij.

8. Verùm licet Doctor loc. cit. & alibi ſignificatum hoc relationis traſcendentis agnouerit, non tamē hoc aſſeruit eſſe adæquatum, & præciſum ſignificatum eius, alioquin ſequeretur, quòd plures relationes vnius determinati prædicamenti, rebus identificatæ, vt ſunt aptitudines omnes, & peculiares inclinationes rerum, quæ ad illud prædicamentum determinatè pertinent, in quo res illæ inueniuntur, prædicamentales dici deberent, ꝙ tamen falſum eſt, cùm per relationem prædicamentalem, illa intelligatur, quæ quartū conſtituit prædicamentū, vel vnum ex alijs ſex.

9. Melius ergo aſſerendum iudicamus cum Doctore in 2. cit. ꝙ illæ propriè dicantur relationes p̄dicamentales, quæ ſuis fundamentis accidunt, ac conſequenter ab eis ſeparabiles ſunt; è contra verò illæ traſcendentes dicantur, quæ his non accidunt, ſed ſunt idem, non quidem formaliter, & eſſentialiter, ſed realiter, vt infra patebit, ſiuè iſtæ ſint actuales, ſiuè aptitudinales, ac proinde ab eis inſeparabiles. Quia igitur accidit huic albo eſſe illi ſimile, & Petrum eſſe Patrem Pauli, &c. hinc peculiare genus accidētis conſtituere debēt; at quia relationes traſcendentes, vt relatio Creaturæ ad Deum, materiæ ad formam &c. per reductionem ſpectant ad prædicamenta rerum, quibus realiter identificatæ ponuntur, ideò peculiare genus accidentis nō conſtituunt, ac proinde traſcendentales appellantur, & hæc eſt potiſſima ratio huius aſſerti, relatio .n. quæ eſt eadem cū ſuo fundamento, non eſt accidens ſibi, ergo non erit prædicamentalis, quæ debet eſſe accidens, ergo traſ-

traſcendentalis; Et licèt quædam relationes traſcendentales dicantur, quia nimirum enti conueniũt prius quàm in decem prędicamenta deſcendant, adhuc tamen iſtæ traſcendentes dicuntur illa generali ratione, quòd per identitatem realem traſcendunt, & peruadunt, totam entitatem fundamentorum ſuorum; & ità habemus generaliter loquẽdo, quòd omnis relatio traſcendentalis ſit realiter identificata cum ſuo fundamento, & è contrà omnis relatio prædicamentalis ſit à ſuo fundamẽto realiter diſtincta, ità Mayr. in 1. d. 19. q. 1. art. 3. Baſſol. in 1. diſt. 30. q. 1. ad tertium princ. Zerbius 5. meth. qu. 17. & nouiſſimè Maſtr. & Bell.

10. Alia præcipua relationis diſtinctio eſt in relationem ſecundum eſſe, & ſecundum dici, quàm Ariſt. aſſignauit in hoc capite de ad Aliquid, non quidem de ipſa relatione in abſtracto, ſed de relatiuis in concreto, ſic .n. Philoſophus eam aſſignauit; & licèt omnes Authores huiuſmodi diuiſiones recipiant, non tamen omnes eodem modo explicant. Thomiſtæ putant hanc diuiſionem coincidere cum præcedenti, atque ideò relatiua ſecundum eſſe confundunt cum prædicamentalibus, relatiua verò ſecundum dici cum traſcendentalibus: ſed hæc ſententia nullo fulcitur fundamento; Tùm quia fruſtra hæc diuiſio aſſignaretur, vt ab illa diſtincta; Tùm quia relatiua traſcendentalia non minus à ſuis terminis, & correlatiuis eſſentialiter pendent, quàm prædicamentalia; Tùm tandem quia ex hac doctrina ſequeretur, ità Creaturam referri ad Deum, ſicut ala ad alatum, ala .n. refertur ad alatum ſecundum dici, ex Ariſt. hic in tex.

11. Quamplures Neuther. autumant hanc diuiſionem coincidere cũ diuiſione relationis in realẽ, & rationis, ità vt relatiua ſecundũ eſſe ſint eadem, ꝙ relatiua realia; relatiua ſecundũ dici, ſint eadẽ, ꝙ relatiua rationis; quæ opinio coincidit cum illa, quam tradũt Vaſquez 1. p. diſp. 173. n. 13. Conimb. hic q. 1. Fouſ. Faber loco cit. & alij, qui aſſerunt relatiua ſecundũ eſſe, illa eſſe, quę verè à parte rei ad alia referuntur, ſiuè prædicamentaliter, ſiuè traſcendentaliter; Relatiua verò ſecũdum dici ea eſſe, quæ non verè, ſed voce tantùm, & ſecundum loquendi modum referũtur ad aliud, vt ala ad latum &c. Sed neutra explicatio valet, non prima quia fruſtrà diuideretur relatio in realem, & rationis; Tùm quia etiã relationes rationis computari debent inter relationes ſecundum eſſe, nam etiam ſuo modo ſunt ad aliud: Neq; ſecunda, nam Ariſt. inter relatiua ſecundum dici enumerat quædam relatiua, quæ verè dicunt relationẽ ad aliud, vt ſunt ſcientia, ſenſus, &c. ergo non omnia relatiua ſecundũ dici, talia ſunt tantum ſecundum vocẽ. Alij aliter, & diuerſimodè explicant, quorum explicationes ad mentem

Philoſophi non ſunt.

12. Ideò melius dicendum putamus cum multis Scotiſtis, quòd .ſ. relatiua ſecundum eſſe illa ſint, quæ ſunt eſſentialiter relatiua, ità vt eorũ eſſentia ſit ad aliud ſe habere; Relatiua verò ſecũdum dici quæ relatiua ſunt tantũ accidentaliter, & denominatiuè, fundamẽtaliter verò, & eſſentialiter ſunt abſoluta; ità Mayr. loc. cit. Baſſol. in p. d. 3. q. 1. Orbel. Ioann. de Magis. Tatar. & alij, quæ doctrina deſumitur ab Ariſt. qui in prima definitione complectẽs relatiua omnia ſecundum dici, multa abſoluta enumerat, & partes ſubſtantiæ, vt manus, caput, ſcientiam, ſenſum, habitum, &c. quæ vtique ad aliã attinent prædicamenta; neq; in hoc reponi poſſunt, niſi denominatiuè, quatenus .ſ. relationes aliquas fundãt, eo modo, quo Petrus albus ſecundum albedinem denominatiuè ponitur in prædicamento qualitatis, in ſecunda deinde definitione explicans ſola relatiua ſecundum eſſe, enumerat duplum, & dimidium, melius, & peius, & alia ſimilia, quæ omnia ſecundũ eorũm eſſentiam ad aliud referũtur, ità quod præter ordinem ad aliud, nihil de ipſis formaliter acceptis intelligere poſſimus, ſic Pater refertur ad Filium, quia ſub ratione Patris aliud intelligere non poſſumus, niſi quod ad Filiũ referatur, licèt vt concretum accidentale, ſubiectũ connotet: Et quamuis ſciẽtia V. g. ſit quoddam aggregatum ex abſoluto, & reſpectiuo, vnũ tamen dicit primariò, aliud ſecundariò; & eſtò abſolutũ etiam actualiter relationem aliquam fundet, nõ ideò relatiuum ſecundũ dici cenſetur, ſed ſolùm quãdo deſignatur nomine non purè abſoluto, ſed cõnotante relationem ad aliud.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Identitate, & Diſtinctione Relationum Tranſcendentium cum rebus.*

1. SCot. qui viris doctis numquam patitur deeſſe patrocinium, in 2. d. 1. q. 5. §. ad quæſt. iſtam, M. ſic ait: *Igitur dico, quod relatio ad Deum communis omni creaturæ, eſt idem realiter fundamento, non tamen idem formaliter, nec præciſè idem, ſiuè non idem identitate adæquata, &c.* Quibus verbis ſubtilis Doctor oſtendit quanta ſit inter huiuſmodi relationes cum fundamentis Identitas, & diſtinctio &c. Diximus in præcedẽti articulo relationes traſcendentes cum rebus identificari; imò ex hoc capite deduximus diſcrimen earum à prædicamentalibus; in præſenti quærimus, qualis, & quãta ſit talis idẽtitas. Thomiſtæ, & Neuterici ſupponũt huiuſmodi relationes reb' identificari formaliter, & quidditatiuè; Vndè inferũt relationẽ traſcẽdẽtalẽ eſſe penitus eamdẽ entitatem abſolutã fundamenti, non tamen purè abſolutam, ſed in ſuo intrinſeco conceptu includere ordinem ad aliud, & ſine tali ordine eſſentialiter, & quidditatiuè intelligi non poſſe.

Faten-

Fatentur etiam in entibus creatis nullum dari eſſe ita abſolutum, quòd in ſua quidditate non includat aliquem reſpectum traſcendētalem, ſaltē quatenus eſt ens participatum per ſe, & eſſentialiter dependens ab ente per eſſentiā; licèt .n. pendentia actualis eſſet relatio diſtincta ex natura rei à creatura, aptitudinalis tamen formaliſſimè eſt ipſamet creaturæ entitas. Admittunt etiam in pluribꝰ rebus ab alijs pēdentibus, aliquo modo relationes quaſdā ſpeciales traſcendentes, ſic potentiæ includunt ordinem ad actum, actus ordinem ad obiectum, partes eſſentialiter incompletæ ordinem ad aliam comparatem, vt ſunt materia, & forma &c. Et hoc eſt principium in metha. ita tritum apud ipſos, quòd potius, vt indubitatum ſupponant, quàm probent.

2. Scotiſtæ verò ex oppoſito, licèt admittant identitatem realē harum relationum cum rebus, negant tamen talem identitatem eſſe formalem, & eſſentialem, ita vt habeant pro principio in meth. irrefragabili, nullum prorſus reſpectum includi in conceptu quidditatiuo abſoluti; & licèt quidam Scotiſtæ aliquas relationes à rebus realiter diſtinctas appellant traſcēdentales, ex eo quia diuagātur per plura prædicamenta, qualis eſt inhærentia actualis accidentis, quæ nouem generibus communis eſt; in ſententia tamen Scoti hæc, & conſimiles relationes ſunt per ſe determinati generis, & ſolùm denominatiuè cæteris conueniunt; ità manifeſtè docet in 4. d. 14. q. 1. §. *ad Quæſtionem de inhærentia præcisè accidentis*. Solùm igitur denominatiuè tales relationes traſcendētes nuncupantur, quatenus denominare poſſunt res aliorum generum, non eſſentiales, & hoc dicere volunt Scotiſtæ ſupra relat. Lych. Faber. Tatar. &c. Et ideò euadit quæſtio de nomine inter Scotiſtas.

*Concluſio Prima.*

3. *Dicimus 1. Relationes traſcendētes rebus realiter identificari.* eſt Scot. loc. cit. & communiter recipitur à Scotiſtis, & Thomiſtis omnibus, & ità à Doctore probatur. Omnis illa relatio eſt realiter identificata cum fundamento, ſine qua fundamentum eſſe implicat ab intrinſeco; ſed nulla res, etiam de potentia Dei abſoluta eſſe poteſt ſine ordine, quem dicit traſcendentaliter ad aliam, vt creatura ſine relatione dependentiæ ad Deum, accidens ſine dependentia aptitudinali ad ſubſtantiam, materia ſine ordine ad formam, & ſic de reliquis, ergo &c. minor patet ex differentia aſſignata articulo præcedenti inter relationes traſcendentales, & prædicamentales, nam iſtæ rebus accidunt, vt patet de paternitate, ſimilitudine &c. traſcendentes minimè; ſed cum ipſa re incipiunt, & deſinunt; maior probata remanet ex articulo diſtinctionis realis, vbi aſſignata fuit intrinſeca ratio impol-

poſſibilitatis ſeparationis duorum &c. ſi ergo fundamentũ neceſſariò eſt pri⁹ natura ipſa relatione fũdata, & eſſe nequit ſine relatione, & hoc implicas ab intrinſeco, hoc neceſſariò erit ꝓpter idẽtitatẽ realẽ cũ ea, q̃a nũquã implicat ab intrinſeco prius ſeparari à poſteriori, niſi ob idẽtitatẽ realẽ, vt de ſubiecto, & propria paſſione patet.

*Concluſio Secunda.*

4. *Dicimus 2. Relationes traſcendentes diſtingui formaliter à ſuo fundamento abſoluto, itaut non ingrediantur conceptum eius formalem, & quidditatiuum.* eſt Scoti loc. cit. in 2. & in 4. d. 12. q. 1. F. & quol. 1 q. art. 4. quem ſequuntur Scotiſtæ contra Thomiſtas omnes; & probatur primo Auctoritate Auguſt. 7. de Trinit. c. 2. vbi ait: *omne quod relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo.* ergo fundamẽtum relationis eſt aliqua entitas non includens formaliter relationem illam, quam fundat. Tùm quia in relationib⁹ Diuinis, vbi eſt maxima identitas cum fundamento, non ſunt eædem cũ fundamento, vt modo ſupponimus &c. Tùm quia in definitione hominis, lapidis &c. poni deberet relatio dependentiæ ad Deum, Definitio.n.eſſentialis continet quicquid eſt de eſſentia definiti, & ſine quo definitũ nõ poteſt quidditatiuè intelligi. Tùm tandem, quia entitas abſoluta, vt ſic eſt formaliter ad ſe, Relatiua, vt ſic eſt formaliter ad aliud, ergo vna non includitur in conceptu formali, & præciſo alterius, aliter eadem omninò entitas per eũdem formaliſſimè conceptum, eſſet ſimul ad ſe, & non ad ſe, ad aliud, & non ad aliud, quod implicat. Reſpõdent, Argumẽtũ probare ſolũ de reſpectu prædicamentali, quod non ſit de conceptu abſoluti, non ſic de traſcendentali; ſed planè parum refert ad contradictionem euitandam, quòd ſit ad aliud prædicamentaliter, vel traſcendentaliter, cùm vtraque relatio ſit eſſentialiter habitudo ad aliud, ſolùm differunt, quòd vna merè accidit ſuo fundamento, nõ altera. Tùm quia vt Baſſol. arguit, abſolutum, & reſpectiuum diuidunt totam latitudinem entis antequam in prædicamenta deſcendunt; ergo etiam præſcindendo à reſpectu prædicamentali, non poteſt reſpectiuum cum abſoluto coincidere quoad conceptus quidditatiuos, & eſſentiales.

5. Alij Reſpondent, nullam ſequi contradictionem, quia in eadem re huiuſmodi rationes ad ſe, & ad aliud, ſunt diſtinctæ ab inuicem penès diuerſos conceptus inadæquatos. Non valet, quia hic nos loquimur de conceptu adæquato illius rei abſolutæ, quæ eſſentialiter imbibit traſcendentalẽ reſpectum, & illum adæquatè cõſtituit in tali ſpecie, & quærimus, An talis conceptus ſit abſolutus, vel relatiuus, vel vterque ſimul, & impugnamus hoc vltimum, velut implicatorium, quælibet enim res in vna tantùm ſpecie athoma con-

ſti-

ſtituitur, per vnicam, & vltimam differentiam ſpecificam, ergo ſicut nulla res coaleſcere poteſt ex pluribus realitatibus ſpecificis, à quibus prædicata contradictoria ſumātur, ità in propoſito non poteſt eadem res ſecundum ſuam rationem ſpecificam, quæ vnica eſt, eſſe ad ſe, & ad aliud &c.

*Obiectiones.*

6. Ob. contra primam: Data tali ſentẽtia, ſequeretur omnia entia mundi eſſe relatiua, quod veluti maximum inconueniens intulit Ariſt. 4. meth. patet ſequela, quia omnia entia dicunt dependentiam ad Deum. R. Scot. inconueniens eſſe ponere omnia ad aliquid formaliter, & quidditatiuè, vt aſſerebat opinio ibi ab Ariſt. impugnata, non autem realiter, & identicè.

Ob. 2. ex D. Aug. 5. de Trinit. c. 5. & c. 6. vbi docet, q in Creaturis quicquid non ſecundum ſubſtantiam dicitur, reſtat, vt ſecundũ accidens dicatur, ex quibus etiam videtur deduci relationem creaturæ ad Deum eſſe accidens. R. Doctor concedẽdo relationes in creatis eſſe accidentia, ſi ſunt ad illa, ad quæ eſſentialiter non dependẽt, ſed ſi ſunt ad illa, ad quæ eſſentialiter dependent, accidentia non ſunt, niſi ſumendo accidens p extraneo à quidditate rei &c.

Ob. 3. relatio traſcendens pendet eſſentialiter ab extremis, ergo à fundamẽto diſtinguitur realiter; patet conſequentia, quia eſſentialis dependentia ſemper infert diſtinctionem eſſentialem inter dependens, & terminum dependentiæ. R. neg. conſeq. & ratio eſt, q a relatio traſcendens pẽdet à fundamento, eo modo, quo paſſio pendet à ſuo ſubiecto, quatenus, ſcil. eſt ſibi conſubſtantialis, & realiter identificata, non poteſt tamen dici propriè eſſentialiter dependere, quia non eſt ab eo phyſicè, & realiter cauſata.

Ob. 4. relationes traſcendentales ſpectant etiam ad prædicamentum relationis, ergo accidunt reb. patet aſſumptum, nam iſtæ relationes ſunt tales ſecundum eſſe, ex quibus prædicamentum relationis conſtituitur, & eis competit ſecũda definitio relatiuorum ab Ariſt. tradita, eorum, n. eſſe eſt eſſentialiter ad aliud ſe habere. R. negan. aſſumptum, nam ordo eſſentialis rerum ad ſuos terminos, poni debet per reductionem in prædicam. ipſarum rerum; ad probationem dicimus, quòd non quæcumq; relationes ſecundum eſſe cõſtituunt prædicam. relationis, & illas hic definiri; ſed illæ, quæ rebus accidunt, quales ſunt pdicamentales.

Contra Secundam ità obijcitur: Sunt quædam res ex propria cõditione ità imperfectæ, & exiles, vt earum eſſentia intrinſecam dicat proportionem cum alijs, ad quæ natura ſua ordinantur; patet de accidentib. in ordine ad ſubſtãtiam, de actu, & potentia in ordine ad obiectum, ad quod ità referuntur, vt illorum eſſentia, & diſtinctio

prop-

prorſus intelligi nequeat, nec etiã ab Angelis, & à Deo, niſi per ordinem ad illa, ergo talis ordo eſt de eſſẽtia talium rerum; Quamuis igitur actus nõ pertineat ad eſſentiam potentiæ, nec obiectum ad eſſentiam actus, quia ſunt res inter ſe omnino diuerſæ, ordo tamen ad illa, neceſſariò, & eſſentialiter iti eis imbibitur. ℞. neg. aſſumptum, cum ſua probatione, & ratio eſt, quia accidens nõ definitur per ſubiectum, nec potentia per actum, nec actus per obiectum, quatenus hi termini, vel habitudines ad ipſas ſint de eſſentia illarum rerum, & pertineant ad cõceptum earum quidditatiuum; quia tunc magis depẽdentia eſſentialis creaturę ad Deum in definitione cuiuſcumque creati poni deberet, cùm hæc non ſit habitudo minus eſſentialis alijs; ſed ratio eſt, q̃a huiuſmodi res, ꝑpter imperfectam eorũ entitatem, non habent perfectum conceptum quietatiuum, niſi addatur illud, ad quòd ordinantur, Vndè non ſolùm forma accidentalis; ſed nec etiam ſubſtantialis perfectè q̃ttatiuè exprimitur, niſi inſinuatur ſubiectũ, cuius eſt forma, vt Scot. docuit in 4. d. 12. q. 1. lit. C. poteſt ergo cõcipi, & definiri accidens ſine ordine ad ſubiectum, ſed talis conceptus non erit quietatiuus, ſed ſolum quidditatiuus; quomodo nedùm Deus, ſed etiam Angelus cognoſcere poterit, ſcilicèt quidditatem, & eſſentiã accidentis abſoluti ſine tali reſpectu; hinc aduertit Doct. quodl. 13. *Ad primum princ.* quòd ideò potentia non poteſt perfectè concipi, niſi per ordinem ad obiectum, quia voces impoſitæ ad ſignificandum operationes important relationes annexas ipſi abſoluto, & ità ſemper oportet cointelligere obiectum in ratione termini, at ſi vox præcisè imponeretur ad ſignificandum entitatem abſolutam, & in genere qualitatis, benè ſignificatũ illius vocis intelligi poſſet, non intelligendo obiectũ in ratione termini; Vndè Scot. qu. cit. lit. Hh. auctorit. illam 2. de anima 33. potẽtiæ diſtinguuntur per actus, actus per obiecta, ait intelligi debere extrinſecè, & manifeſtatiuè; quatenus obiectorum diſtinctio, manifeſtior eſt nobis diſtinctione actuum, & diſtinctio actuum diſtinctione potentiarum, non autem intrinſecè, & quidditatiuè, ſic n. proprijs differentijs abinuicem diſtinguuntur.

Ob. 2. Accidens realiter, & q̃dditatiuè, eſt ens aptum inhærere ſubſtantiæ, ergo dicit ordinem intrinſecum ad ſubſtantiam, & non poteſt quidditatiuè concipi, & explicari, niſi per talem ordinem, & hoc conſtat ex nomine ipſo accidentis, nam accidens eſt alicuius accidens, & quod accidit, alicui accidit; hinc Ariſt. 7. meth. cap. 2. vocat accidẽs entis ens. ℞. ex Sco. in 4. d. 12. q. 1. §. *Ad quæſtionem reſpondeo &c.* quòd accidens poteſt ſumi dupliciter, vel pro per ſe ſignificato, & formaliter, ſcilicèt ꝓ

eſſe eſt ad terminum referri: & dicitur ad aliquid, ſeu relatiua, quia ex Doctore, hic non definitur relatio in abſtracto, neque ſubiectum relationis, neque totum aggregatum, ſed relatio in concreto, vt ſic informat ſubiectum. Dicitur *ſunt*, quia definiuntur relatiua realia, non rationis, ſupra n. diuiſerat ens reale in Decem prædicamenta. Dicitur *Quibus*, per quam particulam inſinuatur genus, vt ſenſus ſit, relatiua ſunt accidentia realia, quibus &c. Et quia ſuperius diuiſerat accidens reale in nouem prædicamenta, per hoc excluduntur relationes Diuinæ, quæ non ſunt accidentia, & etiam relationes traſcẽdentales, quæ non accidunt rebus. Dicitur, *Hoc ipſum eſſe eſt ad aliud ſe habere*: ſ. quorum tota eſſentia in eo conſiſtit, vt ad aliud ipſa referantur, per quod diſtinguuntur ab abſolutis, & relatiuis ſecũdum dici, quæ non eſſentialiter, ſed denominatiuè, & accidentaliter tantùm referuntur &c.

*Obiectiones.*

Ob. quod hæc definitio non fuerit bene aſſignata, nam relatio huius prædicamenti eſt accidens, ergo male dicitur totum illius eſſe conſiſtere in ordine ad aliud, nam cum ſit accidens, debet etiam exprimi per eſſe in. ℞. relationem poſſe conſiderari dupliciter. ſ. vt accidens eſt, & vt tale accidens; ſecũdũ primam conſiderationem habet eſſe in, iuxta ſecundam habet eſſe totaliter ad aliud, Ariſt. hic eam definiuit ſecundo modo ſumptam.

Sed dices, in relatione non diſtinguitur à parte rei eſſe accidentis, & eſſe relationis, ergo fieri nequit, vt ſit in ſubiecto realiter, quatenus accidens, & non, ſecundum eſſe relatiuũ, cum iſta realiter nõ diſtinguantur eſſe relatiuum, & eſſe accidentale. ℞. quòd ſaltem diſtinguuntur diſtinctione virtuali, & ratione ratiocinata, quatenus per conceptus inadæquatos, ratio eſſendi in, & Ad, à nobis circumſcribunt propriam, & adæquatam relationis differentiam, vt ab accidente abſoluto diſtinguitur; Vnde Ariſt. non intendit excludere à relatione eſſe in, cùm reuera habeat, ſed ſolum excludere eſſe in accidẽtis abſoluti quatenus accidens abſolutum per ſuam inhærentiam, ita afficit ſubiectum vt ibi ſiſtat, & nõ ad aliud referat; at relatio licèt formaliter etiam vt relatio, ſit in ſubiecto, illud tamen ita afficit vt in ipſo non ſiſtat, ſed ipſum afficiendo, ordinat ad aliud &c.

Vrges, conceptus in eſt abſolutus, conceptus ad, eſt relatiuus, ergo non dicunt eundem conceptum adæquatum à parte rei. ℞. negando antecedens, quoad primam partem, quia ratio eſſendi In, nec in communi, nec in particulari competit accidenti abſoluto tantùm, vt ſic, cum etiam enti relatiuo competat; vnde conceptus abſolutus potius eſt abſtrahendo quam implicando formaliter.

Ob. Si relatio eſt eſſentialiter

habitudo vnius ad aliud; igitur in abſtracto non poteſt concipi ſine fundamento, & termino; ſed hoc eſt falſum, ergo &c. probatur minor, quia terminus abſtractus eſt ille, qui ſignificat formam ſine ordine ad ſubiectum. ℞. negãdo minorem, cum ſua probatione, & ratio eſt, quia relatio ex ſua peculiari natura poſtulat fundamentum, & terminum, à quibus ita eſſentialiter dependet, vt ſine illis neque in concreto, nec in abſtracto conſeruari poſſit; & licet extrema non ſint de eſſentia relationis in primo modo dicendi per ſe, ita tamen relatio pendet ab eis, vt ſine illis concipi non poſſit, nec diuiſiuè, nec præciſiuè, & hoc quia relatio eſt, ex Doct. in 4. d. 12. q. 1.

Ob. in rerum definitionibus nõ exprimitur actus, ſed aptitudo, vt homo non definitur per actũ, ſed per aptitudinem ad ratiocinandũ, ſed hæc definitio datur per actum referendi; quia non dicitur totum eſſe relatiui conſiſtere, quòd poſſit ad aliud ſe habere, ſed quòd actu ad illud ſe habeat. Tum quia, ſicut effectus formalis albedinis eſt facere ſubiectum actu album; ſic relationis relatum, ergo ſicut non bene definitur albedo, dicendo, quòd ſit forma, quæ facit album, ſed dici debet forma, quæ poteſt facere albũ, ita in propoſito &c. ℞. maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, & ideo falſã de relatione, quæ conſiſtit in formalitate actualitatis referentiæ, & in hoc diſtinguitur ab albedine, & alijs huiuſmodi accidentibus; licèt n. effectus formalis albedinis ſit actu efficere album, tamen quia albedo poteſt eſſe extra ſuum ſubiectũ, ideò eſſe poteſt ſine effectu formali, relatio verò quia nec eſſe, nec concipi poteſt ſine ſubiecto, ideò neque ſine effectu formali actualis referentiæ ſubiecti; Vnde illud axioma logicũ, quòd in definitionib. nõ exprimitur actus, ſed aptitudo, intelligitur de illo actu, qui accidit rei conſtitutæ, non de illo, quo ipſa conſtituitur in eſſe, ſunt autem plures res, quorum eſſentia conſiſtit in aliquo actu, vt Deus, qui conſtituitur per actualitatem exiſtendi, ſubſtantia per actualem perſeitatẽ, & ſic de alijs, quod etiam in propoſito de relatione dicendum eſt, quòd ſ. per actualem referentiam conſtituatur.

Sed dices, relatio poteſt etiam ſeparari à ſubiecto, ſicut alia accidentia, imò ab vno ſubiecto in alio poni, & de facto ita eueniſſe, cùm Chriſtus dixit in Cruce, Mulier ecce Filius tuus, deinde diſcipulo, Ecce Mater tua, tunc n. filiationem Mariæ à ſe ſeiunxit, & poſuit in Ioanne, ergo &c. ℞. falſum eſſe aſſumptum, vt n. Scot. docet in 4. d. 12. q. 1. & 2. eſt manifeſta repugnantia poſſe relationem ſine extremis conſeruari, ob dependentiam eſſentialem ab eis; & illa verba Chriſti in Cruce intelligẽda sũt moraliter ex Vallo tract. formal. ex ſingulari affectu Chri-

ſti in Ioannem; non .n. concipi poteſt paternitas in eo, qui non genuit Filium, nec filiatio in aliquo in ordine ad eum, à quo genitus non eſt, quia vel daretur pater ſine Filio à ſe genito, vel forma informans ſubiectum ſine effectu formali &c.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*An Relatio Prædicamentalis ſit accidens ab extremis realiter ſuperadditum, & diſtinctum.*

1. SCot. qui veritati tantùm innigilans, aliorum ſententias ſemper ſine iniuria diſcutit, affirmatiuè Reſpondet in 2. d. 1. q. 5. & in 3. d. 1. q. 1. & quol. 11. & alibi ſæpè, & eſt communi calculo in ſchola Peripatetica ab omnibus Realibus recepta. Tres extāt de hac famoſa controuerſia ſententiæ, duæ extremæ, & vna media. prima extrema negat abſolutè relationes prædicamentales eſſe veras, ac reales formas accidentales, ſed affirmat eſſe tantùm extrinſecas denominationes deſumptas ex collectione, ſeù combinatione rerum, ità vt relatio prædicamentalis, non ſit aliud, quàm concomitantia, & coexiſtentia duorū extremorum, V.g. ſimilitudo eſt duorum alborum combinatio, ſeu coexiſtentia; æqualitas eſt duarum quantitatum palmarum, vel bipalmarum coexiſtentia &c. Diſſimilitudo verò, albi, & nigri combinatio, & ſic de alijs; ità Nominales, Ocham, Aureol, Gregor. Gabriel, Marſil. Maior, Adam, &c. Quos plurimi ex Recētioribus ſequuntur, qui doctrinam Peripateticam, & communiter Realium dedignantes, hic in logica negant relationes, in philoſophia indiuiſibilia, in meth. præciſiones obiectiuas, & naturas communes; quibus principijs negatis, magna ex parte præfatæ ſcientiæ ruunt, ſaltèm, vt ſunt ab Ariſt. traditæ; ità Auerſa, Arriag. & alij, Nominal. ſequentes. Secunda ſententia extrema concedit relationem prædicamentalem eſſe formam verè accidentalem rebus ſuperadditam, & ab eis realiter diſtinctam, ſiuè talis diſtinctio realis vocetur, ſiuè tantùm modalis, quatenus relatio nō ſit propriè res, ſed mod.⁹ rei; & hæc eſt ſententia Ariſt. tàm hic in logica, quàm in 5. meth. vbi verum, & reale prædicamentum relationis ſtatuit, quod planè in ſola denominatione extrinſeca conſiſtere nō poteſt, vt infra patebit; imò hæc opinio non ſolùm in ſchola Peripat. ſed etiam Platonica communis fuit, teſte Suar. diſp. 47. meth. ſec. 1. num. 10. quam perpetuò ſecuti ſunt omnes Ariſt. interpr. tàm Arabes, quàm Græci, & Latini, tota realium ſchola Thomiſt. & Scotiſt. ità D. Thomas 1. p. q. 13. art. 7. & q. 28. art. 1. & q. 7. de potentia, & alibi frequenter, & Scot. loc. cit. Tertia opinio media admittit quidem relationes prædicamentales eſſe veras formas accidentales rebus inſidentes, negat tamen eſſe

ali-

aliquo modo actuà parte rei diſtinctas ab eis, ſed tantùm fundamentaliter, & ratione ratiocinata; formaliter verò ſolùm diſtingui ꝑ intellectum, ita Alenſis 5. metaph. tex. 2. Henric. quol. 9. q. 3. Baccon. Soncin. & Suar. diſp. 47. met. ſec. 2. Vbi aſſerit, q̃ relatio identificatur realiter cum ſuo fundamento, exigit tamen terminum, nõ vt partem formalem relationis, ſed vt quid connotatũ in obliquo, concludens, quòd relatio ſit forma abſoluta, non abſolutè ſumpta, ſed vt aliam reſpicit, quem modum dicendi ſequuntur Aliqui, vt autẽ hæc veritas magis eluceſcat, oppoſitas opiniones primò euellemus, noſtram deindè inſtituendo firmabimus.

*Concluſio Prima.*

2. *Dicimus 1. Relationem prædicamentalem non eſſe ſolam duorum extremorum combinationem, ſeù cõcomitantiam.* Eſt contra primam ſententiã, & probatur, quia ex hac opinione tolleretur prædicamẽtum relationis, quòd in maxima abſurda totã Peripatheticam doctrinam poneret, & multas Sanctorum Patrũ Auctoritates diluderet, quas hucuſque, iuxta morem Eccleſiæ Ariſt. ſecuti ſunt. Reſpondent Aduerſarij nos irridendo, non ob hæc auferri ab Eccleſia vnum Sacramentum, aut vnum Decalogi præceptum. Sed ſaltèm, vt benè hic multi arguunt cum Ioan. de Magiſt. validè labefactant Miſt. SS. Trinitatis, quod maximum eſt Sacramentum in fide noſtra. Reſpondent has negare in creatis, non in Diuinis.

3. Sed Contra, vndè hoc nomẽ relationis in Diuinis ſancti Patres, & Concilia generalia tranſtulerũt, ſi non datur relatio in creatis; cùm omnia attributa Deo, & creaturis ſint communia? iam patet de ratione ſubſtantiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Iuſtitiæ, &c. inter quæ ſolũ hoc intereſt, quòd in Deo ob ſimplicitatem diuinam, & infinitatem identificantur, in nobis diſtinguntur realiter, in nobis ſunt accidentia, in Deo ſunt ſubſtantia. Sicut igitur Iuſtitia in communi abſtrahit à iuſtitia increata, quæ in Deo eſt ſubſtantia, à iuſtitia creata, quę in creaturis eſt accidens, ſic pariter de relatione philoſophandum, nec paritatem negare poterunt, niſi principium petendo. Reſpondent Aliqui, Datur Prædicam. relationis, ſed formaliter diſtinctum à reliquis, quòd ſufficit. hæc reſponſio eſt min⁹ intolerabilis, ſed iſti negãt diſtinctionem formalem.

4. Pro 2. dãtur in Creaturis denominationes purè relatiuæ, ergo dantur puræ relationes, quæ ſunt prædicamentales; patet conſequẽtia, quia effectus formalis non eſt niſi forma ipſa à ſubiecto participata. Aſſumptum eſt euidens de ſimili, & diſſimili, æquali, & inæquali, & de alijs huiuſmodi fundatis ſuper vnum, & multa ex 5. meth. 19. quæ Aduerſarij concedunt eſſe denominationes relatiuas purè prædicamentales; ſi igitur tales denomi-

mi-

minationes reales relatiuas admittunt, vtique & formas relatiuas concedere tenentur, à quibus tales denominationes deſumuntur: quòd ſi dicant, has eſſe purè denominationes extrinſecas; nec vim argumenti peruadant, nam etiam extrinſeca denominatio realis ſemper deſumitur ab aliqua forma reali exiſtente in aliquo ſubiecto, vt patet de eſſe viſo, & cognito, quæ ſic denominatur per viſionem realem exiſtentem in oculo, & cognitionem in intellectu, &c. Sic & relatiuæ denominationes extrinſecæ ab aliqua forma ſubiecto inhærente deſumi debebunt, quæ vtique relatiua eſſe debent, nõ abſoluta, cùm denominatio formæ denominanti debeat proportionari.

5. At Reſpondent, denominationem relatiuam non poſſe vtiq; ab vna forma abſoluta deriuari, benè tamen à pluribus; Vndè denominatio Similis ſumitur à duobus albis ſimul coexiſtentibus, per duos conceptus abſolutos; hinc ſubdit Arriag. hanc non eſſe denominationem prorſus extrinſecam, ſed partim intrinſecam, quatenus dicit ipſum fundamentũ; partim extrinſecam, quatenus dicit terminum. Non valet, nã ſimilitudo nõ dicit præcisè conceptus duarum albedinũ, ſed quid amplius, ſcilicet habitudinem illarum, quæ explicari ſolet per ſicut, ergo, &c. aſſumptum patet, nam per hanc copulatiuam, Petrus eſt albus, Paulus eſt albus, explicatur vtique coexiſtẽtia duorum alborum, non tamen eorum ſimilitudo, nam Petrum, & Paulum eſſe ſimiles non tantùm dicit Petrum eſſe album, & Paulũ eſſe album, ſed Petrum eſſe album ſicut Paulũ; & ita præter hanc, & illam albedinem, dicit etiam comparationem vnius ad aliam ex natura rei. Tùm quia ex his duabus propoſitionibus, Petrus eſt albus, & Paulus eſt albus, benè deduci tur hæc concluſio, ergo ſunt ſimiles, ergo ſimilitudo non eſt formaliter, & præcisè coexiſtentia albedinum Petri, & Pauli, alioquin peteretur principium, & idem per idẽ probaretur. Tùm quia iſtæ duæ albedines coexiſtentes ſecundũ duos conceptus abſolutos, tantùm faciunt binarium albedinum, nec denominant illas albedines, niſi eſſe duas, vt enim vna albedo vnum facit albũ, ſic duæ albedines duo alba, quæ denominatio eſt abſoluta, ſpectãs ad prædicamentum qualitatis. Tũ quia non benè explicare poſſunt, cur hoc dicatur fundamentum, & illud terminus, nunquam enim dici poſſunt extrema, niſi detur quid veluti medium inter ea, cuius dicantur extrema, & hac ratione materia, & forma in compoſito dicũtur extrema vnionis. Nec ſi relatio dicit ſolùm duos conceptus abſolutos, hoc extremum rectè diceretur fundamentum relationis, & illud terminus; quia vnus conceptus abſolutus nòn poteſt dici terminus alterius conceptus abſoluti, nec ad habitudinẽ rationis recurrere

poſ-

poſſunt, quia hic loquimur de denominatione relatiuâ reali, non rationis.

*Concluſio Secunda.*

6. *Dicimus* 2. *Relationem prædicamentalem non eſſe aliquid ſuperadditũ fũdamẽto ſola ratione ratiocinata ab eo diſtinctum*. Et Scoti loc. cit. & cõtra Tertiam opinionem, quæ aſſerebat relationem prædicamentalẽ adæquatè à parte rei cum fundamento identificari; Et ità probatur: Vel talis relatio ſupponebatur iam in fundamento quoad totum ſuum eſſe; vel habetur ad poſitionem termini de nouo; ſi primum, non ſaluatur eſſe verum accidens, vt ipſi ponunt, quia hoc non identificatur cum ſubiecto, à quo poteſt ad eſſe, & ab eſſe; Tum quia ſemper in ſubiecto daretur tam ante quàm poſt exiſtentiã termini, & ſemper ſubiectum actu denominaret relatiuum, effectus .n. formalis relatiuus prædicamentalis eſt actu referre ſubiectum, & ità Petrus albus diceretur ſimilis Paulo, nõ dum albo &c. Et ſequeretur etiã, quòd, vel relatio ſecundum ſuam ſpecificã rationẽ à termino non pẽderet, vel quòd res dependens exiſteret ſine eo, à quo depẽdet; Si ſecundum, vel erit ſola amborum extremorum coexiſtentia, ſeù denominatio ex ipſis deſumpta, quæ erat opinio Nominaliũ; vel erit forma aliqua de nouo reſultans in fundamento ad poſitionem termini, quæ eſt noſtra ſententia.

7. Reſpõdent Auctores Tertiæ ſententiæ, quòd ſemper relatio reperitur in fundamento quantum ad entitatem realem, quam dicit, cùm nõ ſit diuerſa ab entitate fundamenti, non ſemper tamen reperitur cũ denominatione relatiuã, quia hæc denominatio pendet etiam à termino. Verùm hæc neceſſitas termini, vt in fundamẽto relatiua denominatio habeatur, nõ eodem modo ab omnibus explicatur, nam Baccon. Soncin. & alij volunt relationem præcedere in fundamento, ante exiſtentiã termini in eſſe quodam incompleto, & inchoato, compleri autem poſtea per aduentum termini, & hac ratione antea nõ præbebat fundamento relatiuam denominatione. Sed contra, vel per relationem in eſſe incompleto, intelligunt ſolam entitatem abſolutam fundamenti, ex qua termino poſito, nata eſt relatio reſultare, & ità benè dicitur, ſed non ſequitur ex hoc identitas relationis cum fundamento, ſed potius ex natura rei diſtinctio, vel intelligunt veram formam relatiuam, ſed ſolùm virtualiter, vel ratione ab entitate abſoluta fundamenti diſtincta, & ità reddit difficultas, quæ ſupra, nam ſecluſo termino, haberetur tota relationis quidditas, atque ideò actu ſubiectum referret ante exiſtentiam termini.

Hinc Suar. loc. cit. aliter reſpõdet, quòd .ſ. præexiſtat relatio in fundamento ſecundum eſſe com-

Fatentur etiam in entibus creatis nullum dari eſſe ita abſolutum, quòd in ſua quidditate non includat aliquem reſpectum traſcendẽtalem, ſaltẽ quatenus eſt ens participatum per ſe, & eſſentialiter dependens ab ente per eſſentiã; licèt .n. pendentia actualis eſſet relatio diſtincta ex natura rei à creatura, aptitudinalis tamen formaliſſimè eſt ipſamet creaturæ entitas. Admittunt etiam in pluribꝰ rebus ab alijs pẽdentibus, aliquo modo relationes quaſdã ſpeciales traſcendentes, ſic potentiæ includunt ordinem ad actum, actus ordinem ad obiectum, partes eſſentialiter incompletæ ordinem ad aliam comparte m, vt ſunt materia, & forma &c. Et hoc eſt principium in meth. ità certum apud ipſos, quòd potius, vt indubitatum ſupponant, quàm probent.

2. Scotiſtæ verò ex oppoſito, licèt admittant identitatem realẽ harum relationum cum rebus, negant tamen talem identitatem eſſe formalem, & eſſentialem, ita vt habeant pro principio in meth. irrefragabili; nullum prorſus reſpectum includi in conceptu quidditatiuo abſoluti; & licèt quidam Scotiſtæ aliquas relationes à rebus realiter diſtinctas appellant traſcẽdentales, ex eo quia diuagãtur per plura prædicamenta, qualis eſt inhærentia actualis accidentis, quæ nouem generibus communis eſt; in ſententia tamen Scoti hæc, & conſimiles relationes ſunt per ſe determinati generis, & ſolùm denominatiuè cæteris conueniunt; ità manifeſtè docet in 4. d. 14 q. 1. §. *ad Quæſtionem de inhærentia præciſè accidentis*. Solùm igitur denominatiuè tales relationes traſcendẽtes nuncupantur, quatenus denominare poſſunt res aliorum generum, non eſſentiales, & hoc dicere volunt Scotiſtæ ſupra relat. Lych. Faber, Tatar. &c. Et ideò euadit quæſtio de nomine inter Scotiſtas.

*Concluſio Prima.*

*Dicimus 1. Relationes traſcendẽtes rebus realiter identificari.* eſt Scot. loc. cit. & communiter recipitur à Scotiſtis, & Thomiſtis omnibus, & ità à Doctore probatur: Omnis illa relatio eſt realiter identificata cum fundamento, ſine qua fundamentum eſſe implicat ab intrinſeco; ſed nulla res, etiam de potentia Dei abſoluta eſſe poteſt ſine ordine, quem dicit traſcendentaliter ad aliam, vt creatura ſine relatione dependentiæ ad Deum, accidens ſine dependentia aptitudinali ad ſubſtantiam, materia ſine ordine ad formam, & ſic de reliquis, ergo &c. minor patet ex differentia aſſignata articulo præcedenti inter relationes traſcendentales, & prædicamentales, nam iſtæ rebus accidunt, vt patet de paternitate, ſimilitudine &c. traſcendentes minimè; ſed cum ipſa re incipiunt, & deſinunt; maior probata remanet ex articulo diſtinctionis realis, vbi aſſignata fuit intrinſeca ratio im-

pol-

Digitized by Google

poſſibilitatis ſeparationis duorum &c. ſi ergo fundamentũ neceſſariò eſt pri' natura ipſa relatione fũdata, & eſſe nequit ſine relatione, & hoc implicat ab intrinſeco, hoc neceſſariò erit ꝑpter idẽtitatẽ realẽ cũ ea, qa nũquã implicat ab intrinſeco prius ſeparari à poſteriori, niſi ob idẽtitatẽ realẽ, vt de ſubiecto, & propria paſſione patet.

*Concluſio Secunda.*

4. *Dicimus 2. Relationes traſcendentes diſtingui formaliter à ſuo fundamento abſoluto, itaut non ingrediantur conceptum eius formalem, & quidditatiuum.* eſt Scoti loc. cit. in 2. & in 4. d. 12. q. 1. F. & quol. 13. art. 4. quem ſequuntur Scotiſtæ contra Thomiſtas omnes; & probatur primo Auctoritate Auguſt. 7. de Trinit. c. 2. vbi ait: *omne quod relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo*, ergo fundamẽtum relationis eſt aliqua entitas non includens formaliter relationem illam, quam fundat. Tùm quia in relationib' Diuinis, vbi eſt maxima identitas in fundamento, non ſunt eædem cũ fundamento, vt modo ſupponimus &c. Tùm quia in definitione hominis, lapidis &c. poni deberet relatio dependentiæ ad Deum, Definitio. n. eſſentialis continet quicquid eſt de eſſentia definiti, & ſine quo definitũ nõ poteſt quidditatiuè intelligi. Tùm tandem, quia entitas abſoluta, vt ſic eſt formaliter ad ſe, Relatiua, vt ſic eſt formaliter ad aliud, ergo vna non includitur in conceptu formali, & præciſo alterius, aliter eadem omnino entitas per eũdem formaliſſimè conceptum, eſſet ſimul ad ſe, & non ad ſe, ad aliud, & non ad aliud, quod implicat. Reſpõdent, Argumẽtũ probare ſolũ de reſpectu prædicamentali, quod non ſit de conceptu abſoluti, non ſic de traſcendentali; ſed planè parum refert ad contradictionem euitandam, quòd ſit ad aliud prædicamentalitèr, vel traſcendentaliter, cùm vtraque relatio ſit eſſentialiter habitudo ad aliud, ſolùm differunt, quòd vna merè accidit ſuo fundamento, nõ altera. Tùm quia vt Baſſol. arguit, abſolutum, & reſpectiuum diuidunt totam latitudinem entis antequam in prædicamenta deſcendunt; ergo etiam præſcindendo à reſpectu prædicamentali, non poteſt reſpectiuum cum abſoluto coincidere quoad conceptus quidditatiuos, & eſſentiales.

5. Alij Reſpondent, nullam ſequi contradictionem, quia in eadem re huiuſmodi rationes ad ſe, & ad aliud, ſunt diſtinctæ ab inuicem penès diuerſos conceptus inadæquatos. Non valet, quia hic nos loquimur de conceptu adæquato illius rei abſolutæ, quæ eſſentialiter imbibit traſcendentalẽ reſpectum, & illum adæquatè cõſtituit in tali ſpecie, & quærimus, An talis conceptus ſit abſolutùs, vel relatiuus, vel vterque ſimul, & impugnamus hoc vltimum, velut implicatorium, quælibet enim res in vna tantùm ſpecie athoma con-

ſti-

ſtituitur, per vnicam, & vltimam differentiam ſpecificam, ergo ſicut nulla res coaleſcere poteſt ex pluribus realitatibus ſpecificis, à quibus prædicata contradictoria ſumãtur, ità in propoſito non poteſt eadem res ſecundum ſuam rationem ſpecificam, quæ vnica eſt, eſſe ad ſe, & ad aliud &c.

*Obiectiones.*

6. Ob. contra primam: Data tali ſententia, ſequeretur omnia entia mundi eſſe relatiua, quod veluti maximum inconueniens intulit Ariſt. 4. meth. patet ſequela, quia omnia entia dicunt dependentiam ad Deum. R. Scot. inconueniens eſſe ponere omnia ad aliquid formaliter, & quidditatiuè, vt aſſerebat opinio ibi ab Ariſt. impugnata, non autem realiter, & identicè.

Ob. 2. ex D. Aug. 5. de Trinit. c. 5. & c. 6. vbi docet, q in Creaturis quicquid non ſecundum ſubſtantiam dicitur, reſtat, vt ſecundũ accidens dicatur, ex quibus etiam videtur deduci relationem creaturæ ad Deum eſſe accidens. R. Doctor concedẽdo relationes in creatis eſſe accidentia, ſi ſunt ad illa, ad quæ eſſentialiter non dependẽt, ſed ſi ſunt ad illa, ad quæ eſſentialiter dependent, accidentia non ſunt, niſi ſumendo accidens pro extraneo à quidditate rei &c.

Ob. 3. relatio traſcendens pendet eſſentialiter ab extremis, ergo à fundamẽto diſtinguitur realiter; patet conſequentia, quia eſſentialis dependentia ſemper infert diſtinctionem eſſentialem inter dependens, & terminum dependentiæ. R. neg. conſeq. & ratio eſt, quia relatio traſcendens pẽdet à fundamento, eo modo, quo paſſio pendet à ſuo ſubiecto, quatenus, ſcil. eſt ſibi conſubſtantialis, & realiter identificata, non poteſt tamen dici propriè eſſentialiter dependere, quia non eſt ab eo phyſicè, & realiter cauſata.

Ob. 4. relationes traſcendentales ſpectant etiam ad prædicamentum relationis, ergo accidunt reb. patet aſſumptum, nam iſtæ relationes ſunt tales ſecundum eſſe, ex quibus prædicamentum relationis conſtituitur, & eis competit ſecũda definitio relatiuorum ab Ariſt. tradita, eorum, n. eſſe eſt eſſentialiter ad aliud ſe habere. R. negan. aſſumptum, nam ordo eſſentialis rerum ad ſuos terminos, poni debet per reductionem in prædicam. ipſarum rerum; ad probationem dicimus, quòd non quæcumq; relationes ſecundum eſſe cõſtituunt prædicam. relationis, & illas hic definiri; ſed illæ, quæ rebus accidunt, quales ſunt p̃dicamentales.

Contra Secundam ità obijcitur: Sunt quædam res ex propria cõditione ità imperfectæ, & exiles, vt earum eſſentia intrinſecam dicat proportionem cum alijs, ad quæ natura ſua ordinantur; patet de accidentib. in ordine ad ſubſtãtiam, de actu, & potentia in ordine ad obiectum, ad quod ità referuntur, vt illorum eſſentia, & diſtinctio

pror-

Digitized by Google

prorſus intelligi nequeat, nec etiã ab Angelis, & à Deo, niſi per ordinem ad illa, ergo talis ordo eſt de eſsẽtia talium rerum; Quamuis igitur actus nõ pertineat ad eſſentiam potentiæ, nec obiectum ad eſſentiam actus, quia ſunt res inter ſe omnino diuerſæ, ordo tamen ad illa, neceſſariò, & eſſentialiter iis eis imbibitur. ℞. neg. aſſumptum, cum ſua probatione, & ratio eſt, quia accidens nõ definitur per ſubiectum, nec potentia per actum, nec actus per obiectum, quatenus hi termini, vel habitudines ad ipſas ſint de eſſentia illarum rerum, & pertineant ad cõceptum earum quidditatiuum; quia tunc magis depẽdentia eſſentialis creaturæ ad Deum in definitione cuiuſcumque creati poni deberet, cùm hæc non ſit habitudo minus eſſentialis alijs; ſed ratio eſt, qa huiuſmodi res ꝓpter imperfectam eorũ entitatem, non habent perfectum conceptum qdditatiuum, niſi addatur illud, ad quòd ordinantur, Vndè non ſolùm forma accidentalis; ſed nec etiam ſubſtantialis perfectè qdditatiuè exprimitur; niſi inſinuatur ſubiectũ, cuius eſt forma, vt Scot. docuit in 4. d. 12. q. 1. lit. C. poteſt ergo cõcipi, & definiri accidens ſine ordine ad ſubiectum, ſed talis conceptus non erit quidditatiuus; ſed ſolum quidditatiuus; quomodo nedum Deus, ſed etiam Angelus cognoſcere poterit, ſcilicèt quidditatem, & eſſentiã accidentis abſoluti ſine tali reſpectu; hinc aduertit Doct. quolõ 13. *Ad primum princ.* quòd ideò potentia non poteſt perfectè concipi, niſi per ordinem ad obiectum, quia voces impoſitæ ad ſignificandum operationes important relationes annexas ipſi abſoluto, & ità ſemper oportet cointelligere obiectum in ratione termini, at ſi vox præcisè imponeretur ad ſignificandum entitatem abſolutam, & in genere qualitatis, benè ſignificatũ illius vocis intelligi poſſet, non intelligendo obiectũ in ratione termini; Vndè Scot. quæ cit. lit. Hh. auctorit. illam 2. de anima 33. potẽtiæ diſtinguuntur per actus, actus per obiecta, ait intelligi debere extrinſecè, & manifeſtatiuè; quatenus obiectorum diſtinctio, manifeſtior eſt nobis diſtinctione actuum, & diſtinctio actuum diſtinctione potentiarum, non autem intrinſecè, & quidditatiuè, ſic. n. proprijs differentijs ab inuicem diſtinguuntur.

Ob. 2. Accidens realiter, & qdditatiuè, eſt ens aptum inhærere ſubſtantiæ, ergo dicit ordinem intrinſecum ad ſubſtantiam, & non poteſt quidditatiuè concipi, & explicari, niſi per talem ordinem. & hoc conſtat ex nomine ipſo accidentis, nam accidens eſt alicuius accidens, & quod accidit, alicui accidit; hinc Ariſt. 7. meth. cap. 2. vocat accidẽs entis ens. ℞. ex Sco. in 4. d. 12. q. 1. §. *Ad quæſtionem reſpondeo &c.* quòd accidens poteſt ſumi dupliciter, vel pro per ſe ſignificato, & formaliter, ſcilicèt ꝓ



Digitized by Google

ipſamet accidentalitate, & inhærentia accidentis; aut materialiter, & pro denominato ab iſta V.g. pro albedine; primo modo eſt vtique quid relatiuum eſſentialiter, eſt n. ipſamet relatio accidentalitatis, & inhærentiæ; & in hoc ſenſu admittimus argumentum, non autem ſi ſecundo modo ſumatur &c.

Ob. 3. ſi entitas Creaturæ diſtingueretur formaliter à relatione dependentiæ, nec in eius quidditate includeretur, quæritur, vel vt ſic eſt à Deo dependens, vel independens, non ſecundum, ergo primum, ergo relatio dependentiæ eſt de conceptu eſſentiali ipſius creaturæ. Reſpondetur quòd entitas creaturæ in ſe, & abſolutè conſiderata, neque eſt dependens, neque independens formaliter, ſed vtique dependens fundamentaliter, quatenus ipſi debetur formalis dependentia; ſicut homo formaliter, nec eſt riſibilis, nec non riſibilis in primo modo dicendi per ſe, ſed ſolū radicaliter, quatenus in ſecundo ſigno ei debetur riſibilitas, ità benè Bellutus, & Maſtrius.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De Supremo Genere Quarti Prædicamenti, & an fuerit ab Ariſt. rectè definitum.*

SCot. vir equidem ſupra humanum modum altitudine ingenij præditus, de hoc quæſito diſertè egit q. 25. in prædicam. §. Dicendo, & ſeq. fol. mihi 84. & quamuis quoad primam partem nulla eſt inter Auctores controuerſia, omnes n. concedunt cum Ariſt. dari vnum ſupremum genus huius prædicamēti, quòd ità ex Doctore probatur. Omnia illa accidentia, quæ eodem modo denominant ſubſtantiam, ſunt vnius generis, ſed omnes relationes habent eumdem modum denominandi ſubſtantiam, ſcilicèt in comparatione ad aliud, & ſecūdum eamdem rationem dicitur de omnibus inferioribus, ergo &c.

3. Solùm remanet ſoluendum quoddam Scoti argum. loc. cit. circa hāc rem, & ità moleſtum, vt vſque ad præſens etiam Auctores angat; & conſiſtit in hoc, quia non videtur poſſe aſſignari terminus adæquatus relationis in communi, quæ dicitur Supremum genus, nā ſi ponatur eſſe correlatiuum, iam erūt duo ſuprema genera adæquata, ſi ponatur abſolutum, cùm in termino ſequatur neceſſariò Correlatio, ſequeretur idem abſurdum ſi dari correlatiuum adæquatum ſupremo generi, & ſic eſſēt duo genera ſuprema; circa cuius ſolutionem ſatis Doctores laborant, Ioānes de Magiſtris hic, quem ſequitur Fonſeca in meth. docet ſupremum genus huius prædicamēti nō eſſe relatiuum in Concreto, ſed relationem in abſtracto, relatio autem non refertur, ſed tantùm eſt principium referendi. Non ſoluit, nam ſicut nominatur relatio in communi, ità & relatiuum in cōmuni, in quo eſſentialiter conueniunt etiam ſingula relata. Tùm

quia

Digitized by Google

quia ſicut alia accidentium prædicamenta poſſunt non ſolùm in abſtracto, ſed etiam in concreto diſponi, ſic etiam, & hoc prædicamentum. Tûm tandem, quia de relatione quoque in abſtracto redit eadem difficultas, ſi enim relatio eſt habitudo vnius ad aliud, adhuc deſignari debent hæc duo extrema in communi, quæ inuicem relationes mutuas fundare poterunt.

2. Maſius hic, Sanch. & quamplures Thomiſtæ concedunt relationem, ac etiam relatiuum in cõi eſſe hic ſupremum genus, ſed negant referri actu exercito, ſed volunt conſiderari tantùm in actu ſignato, & mente concepto, & ideò non habere terminum in communi; ſed neque iſta ſolutio ſatisfacit, nam eſſentia relationis conſiſtit in ordine ad terminum: ergò ſiuè cõſideretur in eſſe exercito, ſiuè ſignato, ſemper quoq; cogitari debet terminus eius exercitè, vel ſinatè, ſicut à pari patet de Accidẽte, quòd licèt in communi actum inhærendi non exerceat, adhuc tamen cogitatur ſubiectum eius in communi, velut in eſſe ſignato &c.

3. Alij concedunt relatiuum in communi referri ad correlatiuũ in communi, nõ tamen ei adæquatum; ſed inadæquatum: atque ideò non ſunt duo ſuprema genera, quia vnum ſub alio continetur. Sed neque iſta reſponſio ſatisfacit, nam relatiuum; & correlatiuum ſunt ſimul natura, ergo vnum nõn poteſt eſſe prius, & communius altero, ſuperius enim eſt prius natura inferiori: ergo debent poni æqualia, & ità erunt duo generaliſſima &c.

4. Alij aliter reſpondent, ſed reuera ſemper inſufficienter, vt intuentibus patere poteſt; quare lic. hoc argum. ſatis ſit Thomiſtis moleſtum, qui ponunt vnum relatiuũ formaliter ad ſuum correlatiuum terminari, nobis tamen, qui aſſerimus terminari ad entitatem abſolutam, vel ſaltem habentem modum abſoluti, nihil officit, dicimus .n. quòd termin' relationis in cõi vt ſic eſt aliqua entitas, vt ſufficiẽtem vim habet terminãdi, quæ vt plurimum eſt abſoluta, & ſi interdum eſt relatiua, id habet, vt cõditionem quamdam communem cum entitate abſoluta, ratione cui' terminat relationem, vt ſupradictum eſt; & ità non ſequitur dari duo genera ſuprema, quia terminus relationis in communi non eſt relatiuus, ità Nobiliores Scotiſtæ Mayr. in 1. d. 29. q. 5. meth. q. 19. Maſtr. & Bellut. hic. quam reſpõſionem vt ſatis plauſibilem amplectuntur Recentiores omnes. Tolet. Suar. Ruu. Didac. Amic. Blanch. & alij.

5. Quo ad aliam quæſiti partẽ, dicimus optimã eſſe relatiuorum definitionem ab Ariſt. traditam .ſ. *Ad aliquid ſunt, quibus hoc ipſum eſſe eſt ad aliud ſe habere*. Cuius ſenſus eſt, relatiua eſſe, quorum totum ſuum

eſſe eſt ad terminum referri, & dicitur ad aliquid, ſeu relatiuũ; quia ex Doctore, hic non definitur relatio in abſtracto, neque ſubiectum relationis, neque totum aggregatum, ſed relatio in concreto, vt ſic informat ſubiectum. Dicitur *ſunt*, quia definiuntur relatiua realia, & non rationis, ſupra n. diuiſerat ens reale in Decem prædicamenta. Dicitur *Quibus*, per quam particulam inſinuatur genus, vt ſenſus ſit, relatiua ſunt accidentia realia, quibus &c. Et quia ſuperius diuiſerat accidens reale in nouem prædicamenta, per hoc excluduntur relationes Diuinæ, quæ non ſunt accidentia, & etiam relationes traſcẽdentales, quæ non accidunt rebus. Dicitur. *Hoc ipſum eſſe eſt ad aliud ſe habere*: ſ. quorum tota eſſentia in eo conſiſtit, vt ad aliud ipſa referantur, per quod diſtinguuntur ab abſolutis, & relatiuis ſecũdum dici, quæ non eſſentialiter, ſed denominatiuè, & accidentaliter tantùm referuntur &c.

*Obiectiones.*

6 Ob. quod hæc definitio non fuerit benè aſſignata, nam relatio huius prædicamenti eſt accidens, ergo malè dicitur totum illius eſſe conſiſtere in ordine ad aliud, cùm n. ſit accidens, debet etiam exprimi per eſſe in. R. relationem poſſe conſiderari dupliciter, ſ. vt accidens eſt, & vt tale accidens; ſecũdũ primam conſiderationem habet eſſe in, iuxta ſecundam habet eſſe totaliter ad aliud; Ariſt. hic autem definit in ſecũdo modo ſumptam.

Sed dices, in relatione non diſtinguuntur à parte rei eſſe accidentis, & eſſe relationis, ergo fieri nequit, vt ſit in ſubiecto realiter, quatenus accidens, & non, ſecundum eſſe relatiuũ, cùm iſta realiter nõ diſtinguantur eſſe relatiuum, & eſſe accidentale. R. quòd ſaltem diſtinguũtur diſtinctione virtuali, & ratione ratiocinata, quatenus per conceptus inadæquatos, ratio eſſendi in, & ad, à nobis circumſcribunt propriam, & adæquatam relationis differentiam, vt ab accidente abſoluto diſtinguitur; Vnde Ariſt. non intendit excludere à relatione eſſe in, cùm reuera habeat, ſed ſolum excludere eſſe in accidẽtis abſoluti quatenus accidens abſolutum per ſuam inhærentiam, ita afficit ſubiectum, vt ibi ſiſtat, & nõ ad aliud referat, at relatio licèt formaliter etiam vt relatio, ſit in ſubiecto, illud tamen ita afficit, vt in ipſo non ſiſtat, ſed ipſum afficiendo, ordinat ad aliud &c.

Vrges, conceptus in eſt abſolutus, conceptus ad, eſt relatiuus, ergo non dicunt eundem conceptum adæquatum à parte rei. R. negando antecedens, quoad primam partem, nã ratio eſſendi In, nec in communi, nec in particulari competit accidenti abſoluto tãtùm, vt ſic, cùm etiam enti relatiuo competat; vnde conceptus abſolutus potius eſt ad ſe quàm in, ſubintelligendo formaliter.

Ob. Si relatio eſt eſſentialiter

ha-

habitudo vnius ad aliud; igitur in abſtracto non poteſt concipi ſine fundamento, & termino; ſed hoc eſt falſum, ergo &c. probatur minor, quia terminus abſtractus eſt ille, qui ſignificat formam ſine ordine ad ſubiectum. ℞. negãdo minorem, cum ſua probatione, & ratio eſt, quia relatio ex ſua peculiari natura poſtulat fundamentum, & terminum, à quibus ita eſſentialiter dependet, vt ſine illis neque in concreto, nec in abſtracto conſeruari poſſit; & licèt extrema non ſint de eſſentia relationis in primo modo dicendi per ſe, ità tamen relatio pendet ab eis, vt ſine illis concipi non poſſit, nec diuiſiuè, nec præciſiuè, & hoc quia relatio eſt, ex Doct. in 4. d. 12. q. 1.

Ob. in rerum definitionibus nõ exprimitur actus, ſed aptitudo, vt homo non definitur per actũ, ſed per aptitudinem ad ratiocinandũ, ſed hæc definitio datur per actum referendi; quia non dicitur totum eſſe relatiui conſiſtere, quòd poſſit ad aliud ſe habere, ſed quòd actu ad illud ſe habeat. Tùm quia, ſicut effectus formalis albedinis eſt facere ſubiectum actũ album; ſic relationis relatum; ergo ſicut non bene definitur albedo, dicendo, quòd ſit forma, quæ facit album, ſed dici debet forma, quæ poteſt facere albũ, ità in propoſito &c. ℞. maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, & ideo falſã de relatione, quæ conſiſtit in formalitate actualitatis referentiæ, & in hoc diſtinguitur ab albedine, & alijs huiuſmodi accidentibus; licèt n. effectus formalis albedinis ſit actu efficere album, tamen quia albedo poteſt eſſe extra ſuum ſubiectũ, ideò eſſe poteſt ſine effectũ formali. relatio verò quia nec eſſe, nec concipi poteſt ſine ſubiecto, ideò neque ſine effectu formali actualis referentiæ ſubiecti; Vnde illud axioma logicũ, quòd in definitionib⁹ nõ exprimitur actus, ſed aptitudo, intelligitur de illo actu, qui accidit rei conſtitutæ, non de illo, quo ipſa conſtituitur in eſſe, ſunt autem plures res, quorum eſſentia conſiſtit in aliquo actu, vt Deus, qui conſtituitur per actualitatem exiſtendi; ſubſtantia per actualem perſeitatẽ, & ſic de alijs, quod etiam in propoſito de relatione dicendum eſt, quòd ſ. per actualem referentiam conſtituatur.

Sed dices, relatio poteſt etiam ſeparari à ſubiecto, ſicut alia accidentia, immò ab vno ſubiecto in alio poni, & de facto ità eueniſſe, cùm Chriſtus dixit in Cruce; Mulier ecce Filius tuus, deinde diſcipulo; Ecce Mater tua, tunc n. filiationem Mariæ à ſe ſeiunxit, & poſuit in Ioanne, ergo &c. ℞. falſum eſſe aſſumptum, vt n. Scot. docet in 4. d. 12. q. 1. & 2. eſt manifeſta repugnantia poſſe relationem ſine extremis conſeruari, ob dependentiam eſſentialem ab eis; & illa verba Chriſti in Cruce intelligẽda sũt moraliter ex Vallo. tract. formal. ex ſingulari affectu Chri-

ſti in Ioannem; non .n. concipi poteſt paternitas in eo, qui non genuit Filium, nec filiatio in aliquo in ordine ad eum, à quo genitus non eſt, quia vel daretur pater ſine Filio à ſe genito, vel forma informans ſubiectum ſine effectu formali &c.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*An Relatio Prædicamentalis ſit accidens ab extremis realiter ſuperadditum, & diſtinctum.*

1. SCot. qui veritati tantùm inuigilans, aliorum ſententias ſemper ſine iniuria diſcutit. affirmatiuè Reſpondet in 2. d. 1. q. 5. & in 3. d. 1. q. 1. & quol. 11. & alibi ſæpè, & eſt communi calculo in ſchola Peripatetica ab omnibus Realibus recepta. Tres extãt de hac famoſa controuerſia ſententiæ, duæ extremæ, & vna media. prima extrema negat abſolutè relationes prædicamentales eſſe veras, ac reales formas accidentales, ſed affirmat eſſe tantùm extrinſecas denominationes deſumptas ex collectione, ſeù combinatione rerum, ità vt relatio prædicamentalis, non ſit aliud, quàm concomitantia, & coexiſtentia duorũ extremorum, V.g. ſimilitudo eſt duorum alborum combinatio, ſeu coexiſtentia; æqualitas eſt duarum quantitatum palmarum, vel bipalmarum coexiſtentia &c. Diſſimilitudo verò, albi, & nigri combinatio, & ſic de alijs; ità Nominales, Ocham, Aureol, Gregor. Gabriel, Marſil. Maior, Adam, &c. Quos plurimi ex Recẽtioribus ſequuntur, qui doctrinam Peripateticam, & communiter Realium dedignantes, hic in logica negant relationes, in philoſophia indiuiſibilia, in meth. præciſiones obiectiuas, & naturas communes; quibus principijs negatis, magna ex parte præfatæ ſcientiæ ruunt, ſaltèm, vt ſunt ab Ariſt. traditæ; ità Auerſa, Arriag. & alij, Nominales ſequentes. Secunda ſententia extrema concedit relationem prædicamentalem eſſe formam verè accidentalem rebus ſuperadditam, & ab eis realiter diſtinctam, ſiuè talis diſtinctio realis vocetur, ſiuè tantùm modalis, quatenus relatio nõ ſit propriè res, ſed mod⁹ rei; & hæc eſt ſententia Ariſt. tàm hìc in logica, quàm in 5. meth. vbi verum, & reale prædicamentum relationis ſtatuit, quòd planè in ſola denominatione extrinſeca conſiſtere nõ poteſt, vt infra patebit; imò hæc opinio non ſolùm in ſchola Peripat. ſed etiam Platonica communis fuit, teſte Suar. diſp. 47. meth. ſec. 1. num. 10. quam perpetuò ſecuti ſunt omnes Ariſt. interpr. tàm Arabes, quàm Græci, & Latini, tota realium ſchola Thomiſt. & Scotiſt. ità D. Thomas p. p. q. 13. art. 7. & q. 28. art. 1. & q. 7. de potentia, & alibi frequenter, & Scot. loc. cit. Tertia opinio media admittit quidem relationes prædicamentales eſſe veras formas accidentales rebus inſidentes, negat tamen eſſe

ali-

aliquo modo actuà parte rei diſtinctas ab eis, ſed tantùm fundamentaliter, & ratione ratiocinata; formaliter verò ſolùm diſtingui per intellectum, ità Alenſis 5. methap. tex. 2. Henric. quol. 9. q. 3. Baccon. Soncin. & Suar. diſp. 47. met. ſec. 2. Vbi aſſerit, quod relatio identificatur realiter cum ſuo fundamento, exigit tamen terminum, nõ vt partem formalem relationis, ſed vt quid connotatũ in obliquo, concludens, quòd relatio ſit forma abſoluta, non abſolutè ſumpta, ſed vt aliam reſpicit, quem modum dicendi ſequuntur Aliqui, vt autẽ hæc veritas magis eluceſcat, oppoſitas opiniones primò euellemus, noſtram deindè inſtituendo firmabimus.

*Concluſio Prima.*

2. *Dicimus 1. Relationem prædicamentalem non eſſe ſolam duorum extremorum combinationem, ſeù cõcomitantiam.* Eſt contra primam ſententiã, & probatur, quia ex hac opinione tolleretur prædicamẽtum relationis, quòd in maxima abſurda totã Peripatheticam doctrinam poneret, & multas Sanctorum Patrũ Auctoritates diluderet, qui hucuſque, iuxta morem Eccleſiæ Ariſt. ſecuti ſunt. Reſpondent Aduerſarij nos irridendo, non ob hæc auferri ab Eccleſia vnum Sacramentum, aut vnum Decalogi præceptum. Sed ſaltèm, vt benè hic multà arguunt cum Ioan. de Magiſt. valdè labefactant Miſt. SS. Trinitatis, quod maximum eſt Sacramentum in fide noſtra. Reſpondent has negare in creatis, non in Diuinis.

3. Sed Contra, vndè hoc nomẽ relationis in Diuinis ſancti Patres, & Concilia generalia tranſtulerũt, ſi non datur relatio in creatis, cùm omnia attributa Deo, & creaturis ſint communia? iam patet de ratione ſubſtantiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Iuſtitiæ, &c. inter quæ ſolũ hoc intereſt, quòd in Deo ob ſimplicitatem diuinam, & infinitatem identificantur, in nobis diſtinguntur realiter, in nobis ſunt accidentia, in Deo ſunt ſubſtantia. Sicut igitur Iuſtitia in communi abſtrahit à iuſtitia increata, quæ in Deo eſt ſubſtantia, à iuſtitia creata, quę in creaturis eſt accidens, ſic pariter de relatione philoſophandum, nec paritatem negare poterunt, niſi principium petendo. Reſpondent Aliqui, Datur Prædicam. relationis, ſed formaliter diſtinctum à reliquis, quòd ſufficit. hæc reſponſio eſt minus intolerabilis, ſed iſti negãt diſtinctionem formalem.

4. Pr. 2. datur in Creaturis denominationes purè relatiuæ, ergo dantur puræ relationes, quæ ſunt prædicamentales; patet conſequẽtia, quia effectus formalis non eſt niſi forma ipſa à ſubiecto participata. Aſſumptum eſt euidens de ſimili, & diſſimili, æquali, & inæquali, & de alijs huiuſmodi. fundatis ſuper vnum, & multa ex 5. meth. 19. quæ Aduerſarij concedunt eſſe denominationes relatiuas purè prædicamentales; ſi igitur tales deno-

mi-

minationes reales relatiuas admittunt, vtique & formas relatiuas concedere tenentur, à quibus tales denominationes deſumuntur: quòd ſi dicant, has eſſe purè denominationes extrinſecas, nec vim argumenti peruadant, nam etiam extrinſeca denominatio realis ſemp deſumitur ab aliqua forma reali exiſtente in aliquo ſubiecto, vt patet de eſſe viſo, & cognito, quæ ſic denominātur per viſionem realem exiſtentem in oculo, & cognitionem in intellectu, &c. Sic & relatiuæ denominationes extrinſecæ ab aliqua forma ſubiecto inhærente deſumi debebunt, quæ vtique relatiua eſſe debent, nō abſoluta, cùm denominatio formæ denominanti debeat proportionari.

5. At Reſpondent, denominationem relatiuam non poſſe vtiq; ab vna forma abſoluta deriuari, benè tamen à pluribus; Vndè denominatio Similis ſumitur à duobus albis ſimul coexiſtentibus, per duos conceptus abſolutos; hinc ſubdit Arriag. hanc non eſſe denominationem prorſus extrinſecam, ſed partim intrinſecam, quatenus dicit ipſum fundamentū; partim extrinſecam, quatenus dicit terminum. Non valet, nā ſimilitudo nō dicit præcisè conceptus duarum albedinū, ſed quid amplius, ſcilicet habitudinem illarum, quæ explicari ſolet per ſicut, ergo, &c. aſſumptum patet, nam per hanc copulatiuam, Petrus eſt albus, Paulus eſt albus, explicatur vtique coexiſtētia duorum alborum; non tamen eorum ſimilitudo, nam Petrum, & Paulum eſſe ſimiles non tantùm dicit Petrum eſſe album, & Paulū eſſe album, ſed Petrum eſſe album ſicut Paulū; & ita præter hanc, & illam albedinem, dicit etiam comparationem vnius ad aliam ex natura rei. Tùm quia ex his duabus propoſitionibus, Petrus eſt albus, & Paulus eſt albus, benè deduci tur hæc concluſio, ergo ſunt ſimiles, ergo ſimilitudo non eſt formaliter, & præcisè coexiſtentia albedinum Petri, & Pauli, alioquin peteretur principium, & idem p idē probaretur. Tùm quia iſtæ duæ albedines coexiſtentes ſecundū duos conceptus abſolutos, tantùm faciunt binarium albedinum, nec denominant illas albedines, niſi eſſe duas, vt .n. vna albedo vnum facit albū, ſic duæ albedines duo alba, quæ denominatio eſt abſoluta, ſpectās ad prædicamentum qualitatis. Tū quia non benè explicare poſſunt, cur hoc dicatur fundamentum, & illud terminus, nunquam .n. dici poſſunt extrema, niſi detur quid veluti medium inter ea, cuius dicantur extrema, & hac ratione materia, & forma in compoſito dicūtur extrêma vnionis. Nec ſi relatio dicit ſolùm duos conceptus abſolutos, hoc extremum rectè diceretur fundamentum relationis, & illud terminus; quia vnus conceptus abſolutus nōn poteſt dici terminus alterius conceptus abſoluti, nec ad habitudinē rationis recurrere poſ-

Digitized by Google

poſſunt, quia hic loquimur de denominatione relatiua reali, non rationis.

*Conclusio Secunda.*

6. *Dicimus 2. Relationem prædicamentalem non eſſe aliquid ſuperadditū fūdamēto ſola ratione ratiocinata ab eo diſtinctum.* Et Scoti loc. cit. & cōtra Tertiam opinionem, quæ aſſerebat relationem prædicamentalē adæquatè à parte rei cum fundamento identificari; Et ità probatur: Vel talis relatio ſupponebatur iam in fundamento quoad totum ſuum eſſe, vel habetur ad poſitionem termini de nouo; ſi primum, non ſaluatur eſſe verum accidens, vt ipſi ponunt, quia hoc non identificatur cum ſubiecto, à quo poteſt ad eſſe, & ab eſſe; Tum quia ſemper in ſubiecto daretur tam ante quàm poſt exiſtentiā termini, & ſemper ſubiectum actu denominaret relatiuum, effectus .n. formalis relatiuus prædicamentalis eſt actu referre ſubiectum, & ità Petrus albus diceretur ſimilis Paulo, nō dùm albo &c. Et ſequeretur etiā, quòd, vel relatio ſecundum ſuam ſpecificā rationē à termino non pēderet, vel quòd res dependens exiſteret ſine eo, à quo depēdet; Si ſecundum, vel erit ſola amborum extremorum coexiſtentia, ſeù denominatio ex ipſis deſumpta, quæ erat opinio Nominaliū; vel erit forma aliqua de nouo reſultans in fundamento ad poſitionem termini, quæ eſt noſtra ſententia.

7. Reſpōdent Auctores Tertiæ ſententiæ, quòd ſemper relatio reperitur in fundamento quantum ad entitatem realem, quam dicit, cùm nō ſit diuerſa ab entitate fundamenti, non ſemper tamen reperitur cū denominatione relatiuā, quia hæc denominatio pendet etiam à termino. Verùm hæc neceſſitas termini, vt in fundamēto relatiua denominatio habeatur, nō eodem modo ab omnibus explicatur, nam Baccon. Soncin. & alij volunt relationem præcedere in fundamento, ante exiſtentiā termini in eſſe quodam incompleto, & inchoato, compleri autem poſtea per aduentum termini, & hac ratione antea nō præbebat fundamento relatiuam denominationē. Sed contra, vel per relationem in eſſe incompleto, intelligunt ſolam entitatem abſolutam fundamenti, ex qua termino poſito, nata eſt relatio reſultare, & ità benè dicitur, ſed non ſequitur ex hoc identitas relationis cum fundamento, ſed potius ex natura rei diſtinctio, vel intelligunt veram formam relatiuam, ſed ſolùm virtualiter, vel ratione ab entitate abſoluta fundamenti diſtincta, & ità reddit difficultas, quæ ſupra, nam ſecluſo termino, haberetur tota relationis quidditas, atque ideò actu ſubiectum referret ante exiſtentiam termini.

Hinc Suar. loc. cit. aliter reſpōdet, quòd .ſ. præexiſtat relatio in fundamento ſecundum eſſe com-

pletum quoad entitatem, non tamen ipſum refert, vel actu denominat, quia ad hoc requiritur terminus, velut neceſſaria conditio. Vndè expectatur terminus, vt cõplementum denominationis, non autem entitatis. Sed pace tanti viri hæc ſolutio patitur maiores difficultates, quàm prima, nam illa nõ admittebat ante exiſtentiam termini in fundamento relationem formaliter, ſed tantùm radicaliter, & inchoatè, & ideò deducebat, nõ poſſe actu ſubiectum denominare. At iſta concedit ante exiſtentiam termini relationem completam, & formalem in fundamento, & deindè negat præbere denominationẽ actualem, ex quo duo abſurda intolerabilia ſequuntur; primum eſt, quòd detur relatio prædicamentalis actualis, & completa ſine termino; ſecundum, quod talis in ſubiecto reperiatur, & tamen actu, & formaliter illud nõ denominet; & fuit ratio Scoti 5. meth. quæſt. 11. num. 12. Vbi ait: ſi relatio vniformiter informat tùm ante, quã poſt productionem termini, quare non vniformiter denominat?

8. Reſpondent aliqui Recẽtiores, ꝙ entitas fundamenti continet perfectionem relationis ante exiſtentiam termini, in fundamẽto .n. ineſt intrinſecè relatio quędã traſcendentalis ad terminum poſſibilem, quæ relatio fit prædicamentalis exiſtente termino, ſine vlla mutatione intrinſeca fundamenti, ſed ſolùm extrinſeca, eo ꝙ traſcendentalis differt à prædicamentali, non ſecundum intrinſeca, ſed ſolùm ex connotatione extrinſeca termini. V. g. albedo ſtatim ac eſt ſolitariè producta dicitur ex vi ordinis traſcendentalis aſſimilabilis albedini non exiſtenti, cùm verò eſt producta altera albedo, dicitur actu aſſimilata, quæ actualis aſſimilatio nihil intrinſecũ ponit in priori albedine, ſed tantũ extrinſecũ cõplemẽtũ, ratione cuius aſſimilabilitas fit aſſimilatio actualis.

Sed neque iſti allatam opinionẽ bene defendunt, nam ſi relatio traſcendentalis identificatur realiter cum ſuo fundamento, quomodo ex poſitione termini fiet prædicamentalis, & accidentalis, ab eodem ſubiecto realiter diſtincta? Tùm quia eiuſdem prædicamenti ſunt actus, & potentia, vt patet de Antichriſto, qui in eodem prædicamẽto ſubſtantię ponitur modo, & quando actu erit, ergo cùm albedo ſolitariè producta, potens alteri aſſimilari actu, deindè illi iam productæ aſſimilatur, illa ſimilitudo, quæ fit actualis, erit eiuſdem ordinis cum illa potentiali, ſicut euenit in productione cuiuſcũq; alterius indiuidui, quod prius erat in potentia obiectiua, & poſtea fit in actu, ergo vel vtraque ſimilitudo erit traſcendentalis, vel vtraque prædicamentalis &c.

*Concluſio Tertia.*

9. *Dicimus 3. Relationem prædicamentalem eſſe formam accidentalem fundamento ſuperadditam, ab eo realiter*

*liter diſtinctam*. ità D. Thomas, & Scot. cùm ſuis diſcipulis, quam ſic Scot. probat, qua etiam ratione alij vtuntur: poteſt relatio prædicamentalis alicui fundamento ſuperaddi, quod prius ſine ea exſtiterat, & etiam ab eo tolli, ità vt ſine ea remaneat, ergo cùm poſſit adeſſe, & abeſſe præter eius corruptionem, vtique accidens erit re ipſa ab eo diſtinctum, aſſumptũ patet experientia in omnibus, nã album V. g. ſolitariè ſumptum eſt ſine ſimilitudine, quę poſtea ad ortum alterius albi in eo reſultat, & ad eiuſdem interitum euaneſcit; conſequentia eſt manifeſta, tùm ex definitione accidentis, tùm ex ſeparabilitate, quæ ſufficiens inditium diſtinctionis realis eſt inter aliqua duo &c.

10. Reſpõdent aliqui ex Suar. pro tertia ſententia, negantes cõſequentiam, & ratio eſt quia dùm Petrus albus fit ſimilis Paulo dealbato, non acquirit nouam entitatem ſuper albedinem, ſed tantum nouam denominationem, ex noua connotatione termini; & hoc confirmant exemplo de actib⁹ liberis Dei, nam potuit Deus non velle mundum, qui actus quoad entitatem non potuit non eſſe, cùm velle Dei ſit ipſi Deo identificatum, potuit tamen non eſſe quoad denominationem; afferunt etiam exẽplũ de Creatione, & cõſeruatione, quæ nõ diſtingũtur à parte rei, & tamẽ in primo inſtãti eſt creatio, & nõ cõſeruatio, & in tẽpore ſequẽti eſt conſeruatio, & non creatio. Cõtra quã expoſitionẽ benè inuehũtur Hurtad. & Arriag. ex hac. n. Doctrina ſic malè intellecta de cõnotatis, præcluditur via probandi modos à rebus diſtingui, nec per idem Argumen. allatum in probatione concluſionis, probari poterit vnionem diſtinctam eſſe à materia, & forma, quo etiam Aduerſarij ad hoc probandum vtuntur, nam poſſent ſimiliter negare conſequentiam, & dicere, quòd in materia præexiſtat vnio in ratione entitatis, nõ in ratione denominationis, & poſtea ex noua cõnotatione formæ vnio denominet materiam vnitam. Tùm quia intelligi non poteſt, fundamentum habere nouum, & intrinſecum ordinẽ ad terminũ ſine noua, & intrinſeca additione, Nec fieri poteſt phyſicus, & realis trãſit⁹ à cõtradictorio in cõtradictoriũ ſine aliqua reali mutatione, ergo ſi illud albũ priùs non dicebatur ſimile, & poſt productionem alterius albi dicitur realiter ſimile, talis denominatio non eſt illi extrinſeca, ſed intrinſeca, atque ideò non reſultat niſi per aliquam intrinſecam nouitatem, & mutationem illius albi, quod irrationabiliter negat Suar. Exemplũ, quod adducunt actuum liberorum Dei nihil officit, actus. n. Diuinæ volũtatis propter ſuã illimitationem, abſque additione alicuius reſpectus realis dicitur terminari ad Creaturam volitam eſſe, quam poterat non velle, abſque vlla ſui mu-

tatione: cũ igitur in Creaturis non ſit illimitatio, & libertas, non poterit in fundamento dari noua cõnotatio termini abſque reali additione: vel ad ſummum, vt benè hic aduertunt Maſtr. & Bell. fundamentum denominabitur relatũ per meram, denominationem extrinſecam, ex poſitione termini extrinſeci, quod tamen neque ipſi contrarij admittunt; ſi ergo illa denominatio eſt intrinſeca, & noua, & realis, non rationis, neceſſariò aliquid reale additur fundamento ex poſitione termini. Nec iſtãtia de Creatione, & cõſeruatione eſt ad rẽ, qa eo modo illa diſtinguũtur, quo ſeparãtur, ſeparantur autem nõ ratione realis reſpectus dependentiæ, qui per vtramque formaliter importatur, ſed in ordine ad reſpectus connotatos, ad non eſſe immediatè præcedens, quod connotatur à creatione, & ad eſſe præhabitum quod connotatur à conſeruatione, Relatio aũt Prædicamentalis eſt ſeparabilis a parte rei à fundamento &c.

11. Reſpondent Auct. pro prima opinione, argum. cõcludere de diſtinctione, ſimilitudinis à ſolo fũdamento, non tamen à fundamento, & termino, quia ab vtroque ſeparari impoſſibile eſt; etiã quoad potentiam Dei abſolutam; ex quo inferunt eſſe adequatè idem cum vtroque, nec aliquid eis ſuperaddi. Et Confirmatur, nam ad probandum Vnionem, Vbicationem, Actionem, Paſſionem &c. eſſe modos rebus ſuperadditos, ex eo deducitur, quia poſſunt in rerum natura extrema reperiri ſine illis modis, vt corpus, & anima ſine vnione &c. Vndè deducimus ab eis diſtinctionem, cùm ergo de his relationibus prædicamentalibus ſimilitudine, æqualitate &c. Id aſſerere non poſſimus, quia extrema ſine illis reperiri nõ poſſunt; ideò oppoſitum inferre debemus .ſ. quòd non ſint aliquid ab extremis diſtinctum, & eis ſuperadditũ, ſed neq. hæc Reſponſio Argum. infringit, nã licèt ſeparabilitas ſẽper inferat realem diſtinctionẽ inter aliqua duo, nõ tamẽ inſeparabilitas ſemper infert identitatem, vt ſuo loco diximus, & conſequenter cõcedendo duo alba non poſſe eſſe ſine ſimilitudine, non rectè infertur ſimilitudinẽ cum illis identificari. Nec etiam aſſumpta paritas de Vnione, Vbicatione &c. conuincit, nam iſtæ ſunt relationes extrinſecus aduenientes, non inſurgentes, niſi facta extremorũ approximatione, & idcircò extrema reperiri poſſunt in rerum natura ſinè illis, ſimilitudo verò, æqualitas &c. de quibus hic loquimur ſunt intrinſecus aduenientes, inſurgentes ex natura extremorum, & ideò illis poſitis, neceſſariò relatio reſultat, & hæc eſt ratio, quod extrema ſine illis in rerum natura reperiri non poſſunt. Aliæ rationes à Doctore afferuntur ibidem, & aliæ de nouo à ſuis Aſſeclis ad idem roborandũ apponuntur, cum multis etiã Sãct.

Pa-

Patrum auctorib' veritatem hanc fulcientes, ſed iſtæ ſufficiant.

12. Deindè eſt dubiũ inter Auctores ſecundæ ſententiæ, an hæc diſtinctio inter relatione m, & fundamentum dici debeat realis, an modalis, ſicut & an relatio dici debeat res, vel modus. Quidam cõtẽdunt eſſe realem, & relationem debere dici rem, ita Complut. Quidã verò Iuniores contendunt debere dici modum, & conſequenter diſtinctionem eius à fundamento debere dici modalem. Scot. in 2. d. 1. q. 5. §. *Quod ſi adhuc proteruiatur &c.* inquit hanc eſſe contentionem de nomine, quatenus pendet ex varia acceptione terminorũ rei, & modi, diſtinctionis realis, & modalis, & addit, quòd poteſt dici res, quia, eſſentialiter cadit ſub diuiſione entis realis, & omne tale eſt res, vt à modo diſtinguitur, nam modi rigoroſè loquendo, vt ſunt gradus intrinſeci rerum, nõ includunt ens formaliter, & quidditatiuè, & præſertim in ſchola Subtilium, vt in meth. patebit; põt etiã relatio dici modus, quatenus cõparata ad entitatem abſolutam eſt imperfecta entitas, nõ valens per ſe exiſtere, ſed ſemper alteri affixa, quod modificat. Si etiam diſtinctio realis accipiatur pro illa diuerſitate, quæ reperitur inter duo, quorum vnum eſſe poteſt ſine alio, ſiuè id mutuò ſit, ſiuè nõ, ſic diſtinctio, quæ reperitur inter fundamẽtum, & relationem poteſt dici realis; ſi verò magis rigoroſè ſumatur pro ea, .ſ. diuerſitate, quæ inuenitur inter duo, quorum vnum põt eſſe ſine altero reciprocè non debet dici realis, ſed modalis, Abſolutè tamen loquendo, etiam hæc magis appellari debet realis, quã modalis, non .n. eo ipſo, quòd aliqua duo ità diſtinguuntur, vt vnũ eſſe poſſit ſine alio, & non è cõtra, ſolùm diſtingui modaliter dici debent, nam eodem modo Deus, & Creatura diſtinguũtur, quia Deus eſſe poteſt ſine iſta, & non iſta ſine Deo, & tamen realiter diſtinguuntur, non modaliter, nec etiam ſententiam illorum recipimus, qui p̃fatam diſtinctionem appellant, nõ mutuam, nã omnis diſtinctio realis eſt mutua, & quòd relatio ſine fundamẽto eſſe nequeat, ſolùm infert, quòd non ſint mutuò ſeparabilia, non quòd nõ ſint mutuò realiter diſtincta.

13. Aliud dubium eſt, an Connotatiuum ſit idem, quod relatiuum. Et ℞. breuiter, quòd licèt connotatiua cum relatiuis aliquã habeant affinitatem, quia vtraq; dicunt quemdã ordinem ad aliud, re vera tamen in multis differunt; nam relatiuum per ſe primò, & directè reſpicit aliud, vt Pater Filiũ, connotatiuum verò ſecũdariò, indirectè, & minus principaliter cõcernit ſubiectum: Item relatiuum reſpicit aliud præciſè, vt terminũ, præſcindendo ab omni alia ratione, Connotatiuum verò reſpicit aliud per modum annexi, & acceſſorij, præſcindendo à ratione termi-



Digitized by Google

mini, vt album V.g, concernit parietem, non vt terminum, ſed vt ſubiectum & ita connotatio etiam in rebus abſolutis inuenitur, vt de exemplo modo allato patet: Differunt tandem, quia connotatio ſpectat ad modum ſignificandi, nō ad rem ſignificatam, reperitur .n. in nominibus, quæ ex eorũ impoſitione vnũ ſignificant, & ex modo ſignificandi principalis ſignificati dant aliud intelligere ſecundariò, vt patet exemplo nominis cœnæ, q̃ ex vi nominis ſignificat cōmeſtionem, ex modo tamen ſignificandi dat intelligere temp⁹ veſpertinũ, & hoc dicitur cōnotatum; & licèt tam connotatiuum, quàm relatiuum diſtinguantur ab abſoluto, cũ hac tamen differentia, quòd connotatiuum propriè diſtinguit terminos, quorum alter eſt abſolutus, alter connotatiuus; relatiuum verò diſtinguit res ipſas, quarum aliæ ſunt abſolutę, aliæ relatiuæ &c.

*Obiectiones.*

14. Obijciũt Nominales, & primò auct. Ariſt. 5. phyſ. tex. 10. Vbi expreſsè ait ad relationem non dari motũ, quia aduenit ſubiecto, & ab eo recedit abſq; vlla eius mutatione, per ſolam mutationem alterius extremi, idem probant ex D. Anſel. monol. c. 24. Vbi ait: vnum hominem ex natiuitate alterius fieri ei ſimilem, æqualem &c. Abſque vlla ſui mutatione, ex qua etiã ratione de nouo admittit denominationes relatiuas, quia ex ipſis nulla in eo ſequitur mutatio, ergo ſicut ſaluãtur in Deo veræ denominationes relatiuæ abſque diſtinctis relationibus, quę mutationem faciũt, ita etiam in alijs ſaluari poterunt, quòd ſi formæ reales ſuperadditæ ſubiectis eſſent, vtiq; mutationem efficerent. Reſpondet Scot. in 2. d. 1. q. 5. G. & quol. 11. R. & alibi, quòd ibi Ariſt. aſſignauit illa prædicamenta, ad quæ fit p̃ ſe motus, & illas formas, quæ propria acquiſitione, ac nouitate acquiruntur; ex quibus excludit relationes huius prædicamenti, quatenus non propria acquiſitione acquiruntur, ſed tantùm reſultant, neque ibi Ariſt. negat motum per ſe ad quemcumq; reſpectum, nam concedit motum ad vbi, cùm ſit de genere eorum reſpectuum, qui nō neceſſariò conſequuntur extrema poſita in eſſe, atque ideò propriam acquiſitionem habere poſſunt; Vnde nō negauit Ariſt. per huiuſmodi relationes ſubiectum mutari mutatione communiter dicta (ait Doctor) quæ nihil aliud eſt, quàm ſubiectum aliter ſe habere nunc, quã prius, vt ipſemet Philoſophus concedit 11. meth. c. 4. dum ait, tot eſſe ſpecies mutationis, quot entis, ſed negauit ſolùm mutationem propriè dictam, quæ eſt ad terminum propria nouitate acquiſitum, & per ſe ab agente intentum, & q̃ hæc fuerit mens Ariſt. patet ex 5. phyſ. tex. 10. vbi poſtquam negauit ad relationem eſſe per ſe motũ, ſubdit (quare ſecundum accid. motus horum eſt) vt benè hic Conim.

ad-

aduertunt q. 1. & Suar. diſp. 47. ſec. 15. num. 20. ait: ſic intelligendum eſſe D. Anſelmum, & maximè qà in fine capitis modum illum dicē-di, vt incertum prætermittit; quòd ſi amplius ex S. Doctore prætendunt, habemus etiam nos D. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 5. Ambroſ. lib. 1. de fide ad gratianum cap. 5. Hilar. 12. de Trinit. Ariſt. 12. Met. cap. 2. Auic. 3. Meth. cap. de Relat. qui docent, relationes prædicamentales eſſe accidentia rerum; & ratio, qua mediante denominationes relatiuæ dicūtur de Deo in tempore abſque vlla eius mutatione, eſt quia de ipſo dicūtur per ſolam extrinſecam denominationē, ſcilicèt p terminationem relationis realis exiſtentis in creatura, neq; valet argumentari quo ad denominationem relatiuam à Deo ad creaturas, vt benè Scot. aduertit in p. d. 30. q. 2. nam Deus eſt incapax accidentis, non ſic creaturæ, &c.

Ob. 2. ratione: poſitis duob. albis, quocumque alio ſecluſo, illa dicuntur ſimilia, non tantùm fundamentaliter, vt communiter reſpondetur, ſed etiam formaliter, nã ex 5. meth. ſimilia dicuntur, quorū qualitas eſt vna eiuſdem rationis, talia autem illa duo alba forēt abſque vllo modo ſuper addito; ſic etiã argui poteſt de duabus quantitatibus eiuſdē menſuræ, eſſent .n. æquales, quocumque alio præciſo; & eodem modo argumentari pōt in relationibus diſquiparantię, poſito .n. albo, & nigro, quocumque alio ſecluſo, eo ipſo ſunt diſſimilia, quòd fortius oſtēditur de relationibus diuerſitatis, nam Petrus eſt eſſentialiter diuerſus à Bucefalo, q relatio nō poteſt dici accidens eorum entitatibus ſuperadditum, qa tunc per illam tantùm denominarentur diuerſa accidentaliter, non eſſentialiter.

℞. quòd poſitis duobus albis, & duabus quantitatibus palmaribus &c. quocumque alio præciſo, non eſſent ſimilia, vel æqualia, niſi fundamentaliter, ſicut etiam dicimus, ſublata ſubſiſtentia, ſubſtantiam non eſſe formaliter ſubſiſtentem, ſed tantùm fundamentaliter, & p̄ciſa riſibilitate, humanitatem remanere riſibilem tantùm fundamentaliter, non formaliter; Ad impugnationem deductam ex definitionibus ſimilitudinis, & æqualitatis ex 5. Methaphyſic. ℞. cum Scoto in 2. cit. lit. H. quòd ibi Ariſt. eas definiuit per fundamenta, quia ſic facilius cognoſcitur, & definitur, cum relatio in ſe ſit minimè entitatis, & intelligibilitatis; & eodem modo Reſpondetur de relationibus diſquiparantiæ, in albo .n. & nigro requiruntur relationes diſſimilitudinis, vt formaliter diſſimilia dicantur, quia hic præciſè eſt earum formalis effectus; ſic etiam de inæqualitate dicendum eſt, &c. Et ratio eſt, quia forma abſoluta non poteſt tribuere formaliter habitudinem ad aliud; quia igitur videmus dari nunc effectum

in

in rerum natura .ſ.ordinari aliqua, & vnum ad aliud habitudinem habere præter opus intellectus, quòd præſtari non poteſt ab entitatibus abſolutis, hinc rectè inferimus dari genus entitatis relatiuæ diſtinctum à genere abſolutorum; neque ad hoc requiritur maior experientia, quàm in alijs formis accidentalibus; ſicut .n. quia videmus effectus quantitatis, vel qualitatis qui à ſubſtantia præſtari non poſſunt, inferimus dari tales formas accidentales à ſubſtãtia diſtinctas, ſic etiam quia videmus dari hunc effectum in rerum natura, qui ab abſolutis dari non poteſt, inferimus formas relatiuas &c. Ad illud de relatione diuerſitatis. ℞. quòd multoties relationes ſumũt denominationẽ ex natura extremorum inter quæ verſantur, Vndè vnionẽ inter materiam, & formam appellamus ſubſtãtialem, quia inter ſubſtantias verſatur, cùm ſecundum ſuam entitatem ſit accidens; ſic in Propoſit. relatio diuerſitatis, quâ Petrus, & Bucefalus denominantur formaliter diuerſi, eſt accidẽs formaliter, dicitur tamen eſſentialis, & ſubſtantialis, quia diſtinguit ſubſtãntias, & eſſentias.

Ob. 3. ex abſurdis, & primò ſequeretur, quòd Sorte mouente digitò, totus orbis immutaretur, quia cauſerentur noui reſpectus diſtantiæ in ſingulis entibus, ſicut etiam in ipſo infiniti ferè reſpectus reſultarent. ℞. Mayr. nullum eſſe incõueniens, imò ſatis neceſſarium, quòd ſi aliquid mutet ordinem in vniuerſo, omnia, quæ ſunt in mundo mutent ordinem ad illud; neq; hoc eſt abſurdum, omnia .n. quæ ſunt in vniuerſo, ſunt ad inuicem ordinata, & connexa; nec talis cõtinua, & perennis mutatio in entibus inconuenit, quia vt dictum eſt, mutatio ad huiuſmodi relationes non meretur propriè nomen physicæ mutationis, ſed tantùm largè, & communiſſimè ſumptæ. Neque inconueniens eſt in vno, & eodem ente tot concedere relationes diſtinctionis, diſtãtiæ &c. quot ſunt entia in toto orbe, nam vt idẽ Doctor ait, quaſi aduerſariorum admirationes irridens, eas portare nullum eſt onus. At Reſpondet Auerſa, quòd licèt non ſit onus humeris; magnum tamen, & intolerabile onus eſt intellectui, ſed replicat Mayr. non eſſe onus niſi intellectui groſſo; & quidem Aduerſarij nullo alio modo hanc reſponſionem impugnare ſolent, quàm per admirationem, & exclamationes, vt etiam ipſemet Hurt. fatetur.

Secundum abſurdum eſt, quòd agens creatũ agere poſſet ad quantamcumque magnam diſtantiam, & ſimul eſſet ferè infinitorum effectuũ cauſa, nam ſi ponãtur exiſtere in toto Orbe infinita alba, & hic Meſſanæ vnum de nouo producatur album, producet infinitas entitates relatiuas in ſingulis illis albis quantumcumque diſtantibus, etiam apud Antipodas, quod falſiſſimum videtur eſſe, & varij ſunt

mo-

modi euadẽdi hoc abſurdum apud Auctores; Quidã .n. negãt relationem verè, & propriè produci, & cauſari, ſed ſolùm concauſari. Alij dicunt non cauſari propriè, qa relatio poti' eſt ſequela extremorum, quàm eorum effectus; Vndè dicitur reſultare, & dimanare ab extremis, non autem effici. Alij diſtingunt de actione phyſica, & methaphyſica, ſeù methaphorica; & quòd relatio hac actione producatur à termino in fundamento, quæ actio non requirit determinatum ſitum inter agens, & patiens; ſicut petit actio phyſica, & videtur opinio May. & Ioan. de Magiſtris. Sed re vera nulla ſolutio ſatisfacit, & ratio eſt, quia omne ens reale creatum habere debet cauſam ſui eſſe productiuam, vel immediatã, vel ſaltem mediatam, & licèt detur aliquis effectus à cauſa finali methaphoricè cauſatus, adhuc tamẽ debet ei aſſignari cauſa realis & phyſica; nec etiam ſufficit cauſalitas methaphyſica, quia per hanc non procedit effectus à cauſa realiter diſtinctus, cùm non ſit per verum influxum phyſicum; ſicut nos cum Scotiſtis ponimus hoc modo paſſionem à ſubiecto &c. Nec iuuat dicere, quòd cauſetur per reſultantiam, & naturalem ſequelã, nam dimanatio naturalis non excludit veram, & phyſicam efficiẽtiam, niſi in cauſalitate methaphyſica; alioquin multa entia realiter creata non dicerentur cauſata, nã calor dicitur ſequela ignis, compoſitum ſequela materiæ, & formæ &c. Nec tandem dicere ſufficit, quòd relatio tantùm concauſetur, quia ex hoc, quòd aliquid cauſetur cum alio, non tollitur quin verè cauſetur; Vndè Ariſt. 1. phyſ. tex. 64. docet formã non cauſari, ſed concauſari, quia non per ſe ſola producitur, ſed ad productionem compoſiti, & tamen verè producta dicitur.

Alij fatentur vtique relationem verè, & realiter cauſari; quidã tamẽ volunt cauſari à ſolo fundamẽto, poſito tamen termino, veluti conditione neceſſaria; quidã verò è contra aſſerunt produci totaliter à termino in fundamento, quòd merè paſſiuè ſe habeat, vel à producẽte terminum; & ad præfatam difficultatem Reſpondent, ꝙ licèt agens limitatum, nõ poſſit in quacũque diſtantia producere formã abſolutam, poteſt tamen relatiuã, ita ex noſtris Tatar. hic, Faber loc. cit. & ſequitur Rou. ſed adhuc inſufficienter, quia non aſſignant rationem cur productio effectus abſoluti in quacumque diſtantia impediatur à limitatione agentis, nõ autem productio relatiui, cùm agens in vtriuſq; productione limitatum maneat.

Melius igitur præſtat dicere, ꝙ relatio proximè, & immediate ꝓducatur à ſolo fundamento, poſito tamen termino, veluti conditione neceſſariò requiſita per reſultantiã quamdam, & naturalem ſequelã, quæ tamen veram efficientiam nõ ex-

excludat; affertur exéplum lapidis deſcendentis deorsū, cuius deſcenſus reſultat naturaliter ex ipſa lapidis grauitate, ad quam tamē reſultantiā concurrit remouens prohibens, vt conditio ſine qua non: hinc quia terminus non concurrit per verū, & phyſicū influxū ad reſultātiā relationis, ideo diſtātia nō obſtat, quo minus poſito termino reſultet relatio in fundamento, in quacumq; diſtantia: ita Lychet. in 2. d. 1. q. 5. ad 2. Ocham. & quol. 11. Bonet. in prædicam. de rela. & Maſtr. & Bell. hic diſp. 8. q. 3. art. 2. qui ex Bonet. aſſerunt hanc eſſentialem dependentiā relationis ad terminum eſſe quandam coexigentiā, coexigit. n. ipſum terminū, ſicut illud ſine quo nec produceretur, nec conſeruaretur, & hoc ex natura ſua habet; vt patet à ſimili de voluntate, quę non poteſt volitionem elicere reſpectu alicui' obiecti, niſi obiectum ſit præcognitum, & tamē cognitio obiecti nec eſt cauſa productiua, nec cōſeruatiua, nec ſubiectiua volitionis, ab illa tamen dependet coexigitiuè, quæ doctrina manifeſtè insinuatur à Scoto in 4. d. 13. q. 1. lit. D. & quol. 11. Vbi docet relationem conſequi fundamentum poſito termino, ſeù termino non excluſo.

Tertium Abſurdū eſt, quòd pars æquaret toti, quod ita probamus: ſi in quantitate maiori ponatur certa relatio ad quantitatem minorē V. g. relatio duplæ ad ſubduplam, vel relatio duplicitatis eſt diuiſibiliter in ea quantitate, ita vt ſit tota in toto, & pars in parte, vel indiuiſibiliter, ita q ſit tota in toto, & tota in qualibet parte: quomodocumque dicatur, ſemper ſequitur, q qualibet pars illius quantitatis ſit dupla, ſicut quātitas ipſa, nam ſi ponatur eſſe in ea diuiſibiliter, vtique compartes duplicitatis eſſent ſingulæ eiuſdem rationis cū ipſa tota duplicitate, ſicut ſingulæ partes albedinis ſunt eiuſdē rationis cum tota albedine, eamdē quoque denominationem præberent ſingulis partibus illius quātitatis, quam tota duplicitas prębēret toti quātitati, ſicut quęlibet pars parietis dicitur alba per albedinē, q euidētius ſequitur, ſi duplicitas toti illi quātitati indiuiſibiliter inſit.

Reſpondent aliqui, relationem nō eſſe accidens extēſum, ſicut alia accidentia, ſic enim ſequeretur, q quælibet eius pars denominaret partem ſubiecti in quo fundatur; & ita qualibet pars hominis eſſet Pater. Sed hæc ſolutio vim argumēti nō perſuadit: Tū quia admittit Accidens indiuiſibile recipi in ſubiecto diuiſibili, quod ſolius animę rationalis priuilegiū eſt propter eius independentiam à ſubiecto. Tùm quia ſi tota duplicitas nō ſolùm in tota quātitate V. g. palmari reperitur, ſed etiā in qualibet eius parte, adhuc benè ſequitur quamlibet partem denominari duplam, vt in argumēto inferebatur. Melius ſoluit Lichet. in 2. d. 1. q. 5. cit. in ſolut. Ad argumen. Ochā §. *Nunc*

*reſtat.*

*reſtat.* Ad argum. penul. Vbi etiā cōcedit relationē duplicitatis eſſe indiuiſibiliter in ſubiecto, ait tamē non denominare partem, quia primò determinat ſibi totum, & non partem, & ſic anima licèt ſit eiuſdē rationis in omnibus partibus, non tamen denominatur animal quælibet pars, ſed ſolùm totum, quia vtique illud tantū ſibi determinat, vt perfectibile adæquatum, eſtò ſit quoque in partibus; ſic longitudo palmaris V.g. eſt vtique accidens, quod nō ſolùm eſt in toto palmo, ſed etiam in omnibus eius partib', ſed quia illas inadęquatè tantū reſpicit, & totum ſibi determinat, velut, vt adęquatum ſubiectum, ideò totum palmare tātùm denominat, nō autē partes, & hoc innuit Ariſt. 2. Topic. c. 1. dum ait, non ſemper tenere cōſequentiam ab in eſſe, ad denominari; licèt multa quoq; ſint accidētia, & præſertim qualitates, quæ ita ſe habent, vt indifferenter denominent tam ſubiectum adæquatum, quàm inadequatum denominatione eiuſdem rationis, vt albedo in pariete, calor in aqua &c. Et hæc eſt vera ſolutio huius argumēti quam tradidit Lychet: qui ſolùm in hoc diſplicet, quòd admiſerit abſurdū illud, quòd relatio ſit accidēs indiuiſibile, & in ſubiecto indiuiſibiliter reſidens; Nos verò admittimus duplicitatem, æqualitatem, & alias huiuſmodi generis relationes diuiſibiles eſſe, & in ſubiecto extenſas, licèt partes ſubiecti eodem modo nō denominēt, nō quia partes illarū ſint alterius rationis, & ætherogeneæ, vt Cōplut. cōtendunt ſed quia illæ relationes requirunt integrum fundamentū, vt fiat denominatio, vt diximus.

Quartum abſurdū eſt, quòd ex hac poſitione ſequeretur dari proceſſum in infinitū in relationibus, quod ita probant: ſi diſtinctio, & diuerſitas inter Petrum, & Paulum ſuperaddit eis relationem realiter diſtinctam, ergo diſtinctio fundata in Petro, diſtinguitur realiter ab ipſo Petro, & ſic etiam in Paulo, & p cōſequens relatio diſtinctionis Petri à Paulo realiter refertur ad Petrum, & per aliam relationē diuerſitatis diſtinguitur ab eo, & iterū hæc ſecunda relatio diſtinctionis eſt diuerſa realiter à prima, ergo p aliam relationem erit diuerſa, & ſic de alijs &c. ℞. concedendo relationèm diſtinctionis Petri à Paulo eſſe aliam realiter à Petro, ſed hæc alietas non eſt alia relatio realiter diſtincta à relatione diuerſitatis, qua Petrus diſtinguitur à Paulo, ſed eſt ſibi realiter eadem, ità quod ſe ipſa realiter talis relatio diſtinctionis ſit diuerſa à Petro.

Sed vrges, licèt diuerſitas nō alia diuerſitate, ſed ſe ipſa dicatur diuerſa à Petro, quia ſine illo eſſe non poteſt; cùm ſit eius fundamētum, Petrus tamen non poteſt dici ſe ipſo diuerſus à diuerſitate, qua differt à Paulo, quia poteſt eſſe ſine illa, & ita indigebit alia relatione diſtincta, qua diuerſus dicatur à prima illa diuerſitate; & ſic ab iſta

ſecunda diuerſitate alterum differt realiter, quia poteſt eſſe ſine illa. Rurſus quoque alia relatione diuerſitatis indigebit, quæ dicatur diuerſus ab ea, & ſic in infinitum. Ter. quòd ſicut ex parte relationis datur ſtatus; ità etiam ex parte fundamenti in eo genere, in quo relatio illud denominat, ſic materia nõ dicitur alia vnione vnita vnioni, qua iungitur formæ, nec productio dicitur alia productione producta, & ratio eſt, quia quod eſt quo in aliquo, non præſupponit in ſubiecto aliud quo in eodem genere, iuxta doctrinam Tatar. hic dub. 2. vbi ait quandocũque aliquid eſt medium in aliquo ordine, nõ oportet tali medio aſſignare aliud mediũ ſed ipſũ ſe ipſo in tali ordine eſt mediũ.

5 Quintum Abſurdum eſt, quia ſequeretur poſſe ſaltem de potentia Dei abſoluta duo alba nõ eſſe ſimilia, & ratio eſt, quia cũ ſint priora ſimilitudine, poſſent ab ea ſeparari, & ſine ea conſeruari, & ſic non eſſent ſimilia, vel eſſent ſimilia ſine ſimilitudine. Reſpondetur communiter negãdo ſequelam, ob eſſentialem, quo dependentiam, nec relatio eſſe poteſt ſine extremis, nec extrema ſine relatione, quòd euidenter colligitur ex mente Doctoris, qui vbicumque loquitur de relatione intrinſecus aduenieute, ſemper docet ſequi abſoluta neceſſitate poſitis extremis, vt benè Lychet. aduertit loc. cit. ad hoc argumentum, quod fuit Tertiũ Ochã, & ad probationem, iterũ negatur, prius realiter diſtinctũ à poſteriori poſſe ab ipſo ſeparari; ſi hoc ex illo p naturalem ſequelã dimanet, & affertur exemplũ de ſubſiſtẽtia, quæ diſtinguitur realiter à natura ſubſtantiali, & eſt ea poſterior, ſicut etiam figura à quãtitate, & tamen ſecũdum communem opinionem non poteſt Deus facere naturam ſine aliqua ſubſiſtentia &c. nã per neceſſariam cõcomitantiã illi modi illas entitates ſequuntur.

Sed contra hanc ſolutionem inſurgunt Soar. Auerſa, Amicus, & alij; Deus .n. ad extra liberè agit ad quẽcumque effectum, ergo poſito termino, & fundamento poteſt cõcurſum ſuſpendere ad relationem; & cõmune eſt apud Theol. Deum impedire poſſe omnẽ cauſalitatem cauſæ ſecundæ ſi ſit in genere cauſæ efficientis, vt in propoſito eſt cauſalitas fundamẽti in ordine ad relationem.

Verùm facilè reſpondetur, Deũ vtique liberè ad quemlibet effectũ concurrere abſolutè, & ſimpliciter loquendo, ad multos tamen effect. concurrere neceſſariò neceſſitate ex ſuppoſitione, & ſecũdum quid, quæ vtique libertatem non tollit, vt patere poteſt de allato exemplo ſubſiſtentiæ, & figuræ; poteſt .n. Deus non producere naturam, vel quantitatem; at ſuppoſito, quòd velit naturam, & quantitatẽ, neceſſariò tenetur concurrere ad naturalem reſultantiã ſubſiſtentiæ eius, & figuræ; &c. Et ſi etiã per impoſſibile à duobus albis auferetur relatio,

latio, non manerent ſimilia formaliter, ſed tantùm fundamentaliter, vt ſupra dicebamus.

Sextum Abſurdum, quod ſequeretur eſt, quia idem accidens poſſet ſimul, & ſemel in plurib⁹ ſubiectis diſtinctis, & loco diſſitis reperiri, ſic relatio duplicitatis V. g. qua numerus quaternarius hominum eſt duplus, reſpectu binarij, ineſſet quatuor illis hominibus; quare ſicut hac ratione ſupra negauimus numerum eſſe accidens realiter diſtinctum à rebus numeratis, ſic in propoſito de relatione dicendum eſt. ℞. negando ſequelam, cuius ratio eſt, quia ſicut numerus ex dictis nõ eſt ens aliquod per ſe vnum, ſed ſolùm multitudo, ſic relatio numeri maioris ad minorem, vel è contra, nõ eſt vna relatio ſimplex, ſed in quolibet ſubiecto ſua relatio, quaten⁹ eſt pars componens illam multitudinẽ, & ſolũ comparatiuè ſe habet in exceſſu, vel defectu ad partes alteri⁹ numeri, q declarari ſolet exemplo de pluribus trahentibus nauim, quia in quolibet eſt relatio, non trahentis ſimpliciter, & adequatè, ſed ad trahendum coadiuuantis, & ità in ſolidum conſtituunt integrã tractionem, quæ doctrina colligitur ex Doctore in 4. d. 1. q. 2. in ſolut. ad 1. principale. Alia ſunt argumenta apud Veteres Nominales negãtia ſpeciales relationes actionis, Vbicationis, inhærentiæ, &c. de quibus in phyſ. in proprijs locis agemus. hæc eſt illa famoſa controuerſia, de qua tantùm Neutherici gloriantur, ac ſi proprio marte ab eis inuenta, & roborata fuiſſet, cũ tamẽ nec minimum quidem argumentum addiderint, ex his, quæ Nominales adinuenerũt, Ocham, Rubion, Aureolus, & alij. Nobiliſſimi Scotiſtæ inſudarunt, & Alij in ſudoribus aliorũ gloriãtur.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*An Relatio Prædicamentalis conſtituatur per eſſe In, vel per eſſe Ad, an verò per vtrumque.*

Scot. Auctor claſſicus, & primæ dignitatis, pluribus in locis de hoc articulo diſſerit, ſed præcipuè in 4. d. 12. quæſtione 1. & in 1. diſt. 26. quæſt. vnic. lit. C. vbi ſatis eruditè dubium reſoluit. Thomiſtæ ex D. Thom. p. p. q. 28. art. 2. aſſerunt relationem conſtitui per vtrumque, ſed cum hac differentia, quod eſſe In, conueniat relationi ſecundum rationem genericam accidentis, & eſſe ad, ſecundum rationem propriam relationis; quidam tamen volunt, quòd talis habitudo Ad, vt præſcindit à ratione eſſendi In, non ſit realis, ſed à reali, & rõnis abſtrahat, ità Caiet. Capreol. Soncin. Alij verò Recentiores Thomiſtæ defendunt illam habitudinem eſſendi ad, etiam ſic præciſè ſumptam eſſe realem, ità Bannes, Complut. Suar. Vaſquez, & cæteri communiter. Quidam ex Scotiſtis affirmant relationem cõſtitui eſſentialiter per eſſe Ad, eſſe verò In, ei conuenire in 2. modo dicendi per ſe, admodum paſſionis iden-

Digitized by Google

identificatæ realiter cum ſubiecto; ita Anton. Andr. Mayr. Trombet. Bonet. Alij verò ex oppoſito, volunt potius eſſentialiter conſtitui per eſſe In, quàm per eſſe Ad.

*Concluſio.*

1. *Dicimus Relationem conſtitui nõ tantùm per eſſe Ad, reale, ſed etiam per eſſe In, non tamen quod eſſe In concurrat præcisè, vt ratio generica.* eſt Scoti loc. cit. & ſequũtur Barg. in 1. d. 3. q. 5. & Maſt. & Bell. & quoad primã particulã eſt ità patens, vt probatione nõ indigeat, omnes. n. Auctores cũ Ariſt. ſemper relationẽ relatiuorũ explicuerunt p hoc, q̃ eſt eſſe ad aliud. Et Doctor in 1. d. 26. cit. ait: relatio ità eſt ad aliud, q̃ ſi non ſit ad aliud, vtiq; relatio non eſt; hæc. n. eſt differentia ſpecifica, quæ ipſam ab accidentibus abſolutis diſtinguit, quòd intelligendum eſt, vt etiam ipſum eſſe ad aliud actualiter, & formaliter relationem conſtituat, non autem eſſe ad aliud aptitudinaliter tantũ, & radicaliter; & ratio eſt, quia eſſẽtia relationis eſt ipſamet formalis habitudo, & ordo, nõ verò quaſi potẽtia, & facultas referendi vnum ad aliud, quòd ità verum eſt, vt etiam in relationibus aptitudinalibus veritatem habeat, nam etiam ipſa aptitudinalis relatio actualiter ſuum munus referendi exercet; Vndè non dicitur aptitudinalis, quia fundamentum ſuum actu non referat, ſed quia termin⁹, ad quem actu fundamentum refert, non actu exiſtit, ſed ſolùm aptitudine, & in potentia, qua de cauſa relatio illa aptitudinalis tantùm appellatur, & fuit doctrina Scot. quol. 13. in ſolut. *Ad primum principale*, ſic V. g. mobilitas denominat corpus naturale actu mobile, & actu illud refert, ac coordinat ad motum, ſed non ad motum in actu, ſed tantùm in potentia, & ſequuntur aliqui ex Recentioribus cum Suar. diſp. 47. ſec. 5. num. 9.

2. Deindè, quòd hæc ratio eſſendi ad aliud in relatione reali ſit verè realis, etiam quod præſcindat ab eſſe In, ex eo patet, quia differentiæ entium realium eſſe debent reales, ſed relatio prædicamentalis eſt ens reale, & realiter ſubiectum refertur ad aliud non minus, quàm verè, & realiter ſubiectum eſt quantum per quãtitatem, quale per qualitatem &c. ergo in relatione non ſolùm reali eſt ratio eſſendi In, quæ illi competit, vt accidens, ſed etiam ratio eſſendi Ad, quæ ſibi conuenit præcisè, vt relatio eſt. Tandem quòd eſſe In, conſtituat relationem non minus eſſentialiter, quàm eſſe ad, & non tantùm vt ratio generica, ſed etiã, vt ſpecifica, probatur ex eo, quia in fundamento relationis creatæ, quę eſt accidens, Alia eſt ratio ſubiecti, alia fundamenti, atq; ideò in ea duæ habitudines eſſendi in, ſunt diſtinguendæ, vna ad fundamentũ ſub ratione ſubiecti, in quantum eſt accidens, quæ propriè inhærentia apellatur, alia ad fundamentũ reduplicatiuè, vt fundamẽtum eſt,

in

in quantum eſt relatio; & quòd hæ duæ habitudines in relatione diſtinguantur, ex hoc patet, quia relatio Diuina includit rationem eſſendi In, veluti in fundamento, non velut in ſubiecto, cùm non ſit Accidens. Si ergo eſſe In, accipiatur pro ratione eſſendi in, veluti in ſubiecto, concurrit ad conſtitutionem relationis prædicamentalis, vt ratio generica, quia ſic, eſt ipſa ratio accidẽtis in communi ad abſolutum, & reſpectiuum; ſi verò ſumatur pro ratione eſſendi In, velut in fundamento, planè in hoc ſenſu concurrit ad conſtitutionẽ relationis, velut ratio ſpecifica, non minus, quàm eſſe Ad, q̃ indè patet, quia non minus implicat relationem eſſe ſine fundamẽto, quàm eſſe ſine termino, ergo ſi ratio eſſendi Ad, eſt eſſentialis relationi; ſimiliter, & ratio eſſendi in tamquam in fundamento relationis. Tùm quia eſtò ratio eſſendi In, velut in ſubiecto, vniuerſaliter conueniat omnibus accidentibus, & ideò ad relationis conſtitutionem cõcurrat vt ratio communis, & generica, ratio tamen eſſẽdi In, velut in fundamento, conuenit præcisè relationi, vt ab accidẽtibus aliorum generum diſtinguitur, ergo relationi competit, vt differentia propria, & ſpecifica; non minus quàm eſſe Ad; Hinc aliqui rationabiliter aſſerunt eſſe Ad, & In, non eſſe duas differentias, ſed vnam, & adæquatam circumſcribere, quæ genus relationis in tali eſſe conſtituit, ratio .n. eſſendi Ad aliud in relatione re vera nihil aliud eſt, quàm peculiaris modus afficiendi realiter ſuum ſubiectum, .ſ. referendo, & ordinando ad aliud; & quòd hoc ſit de mente Doctoris colligitur manifeſtè ex 4. loc.cit. Vbi in probatione ſecundæ concluſionis, loquendo de habitudine ad fundamentum ſub ratione fundamenti, ait: *Sicut tollere terminum ad quem reſpectus, eſt tollere, vel deſtruere reſpectum; ità tollere illud, cuius eſt reſpectus, eſt tollere reſpectum, & deſtruere rationem reſpectus, non ergo quia accidens reſpectiuum eſt accidẽs, ideò requirit ſubiectum, vel fundamentũ, ſed quia reſpectus eſt reſpectus, ideò requirit cuius ſit, & ad quod ſit, etiam in Diuinis.* Hæc ſunt verba formalia Scoti, quibus manifeſtè oſtẽdit eſſe In, eſſe de eſſentia, & intrinſeca ratione relationis, dum ait, quòd ſicut tollere terminũ ad quem eſt deſtruere reſpectum, ità tollere id, cuius eſt; quòd etiam declarauit in eodem 4. d. 11. q. 2. in ſolut. ad Tertium princ. Vbi ait, dependentiam relationis ad fundamentum eſſe eſſentialiſſimam, ità vt ſine ea ratio relationis eſſe non poſſit.

*Obiectiones.*

3. Obijci ſolet 1. Auct. Ariſt. q in definitione Relationis, ſemper per eſſe Ad fecit, non per eſſe In, quòd etiam docuit Simplic. ſuper prædic. qui manifeſtè ait, eſſe In, non conſtituere relationem, ſed eſſe Ad, & Ariſt. fuiſſe ità locutum,

quia

Digitized by Google

quia id ſolùm de relatione explicare intendebat, quòd nõ erat notum apud veteres,.ſ. quòd eſſet ad aliud, quod .n. eſſet in alio, nemo ignorabat. Ad Simplic. ℞. ꝙ fuerit locutus de eſſe In, vt in ſubiecto, quomodo non conſtituit aliquod ſpeciale genus accidentis, cùm ſit ratio communis omnium.

Ob. 2. ratione: Si vtraque habitudo eſt de eſſentia relationis, ergo relatio eſt ens per accidẽs, nam duo non poſſunt facere vnum per ſe, niſi vnum ſit per ſe potentia, aliud per ſe actus ex 8. met. tex. vlt. Rt. Barg. id procedere ex falſa imaginatione, nam in relatione nõ ſunt cogitandæ duæ habitudines vna ad fundamentum, altera ad terminum, ſed ipſamet relatio eſt vna ſimplex habitudo fundata in fundamento, & terminata ad terminum, cui vtiq; eſſentiale eſt fundari, ſicut, & terminari.

Ob. 3. quandocumque aliquod commune diuiditur per duas differentias, pro quocumq; ſigno vna conſtituit ſpeciem, etiam & alia; ſed ens diuiditur per abſolutũ, & reſpectiuum, hęc.n. duo totã naturam entis euacuãt, ergo pro eodem ſigno, pro quo abſolutum eſt ad ſe, pro eodem reſpectiuum eſt ad aliud; ſed abſolutum prius natura eſt ad ſe, quàm inſit alteri, ergo reſpectiuum etiam prius natura erit ad aliud, quàm in alio; & eſt argumentum Mayr. in 4. ſent. d. 12. q.7. in fine, & Tromb. 7. met. q.1. ℞. Argum. procedere de eſſe In, vt in ſubiecto, non vt in fundamento, vt nos loquimur. Falſum eſt etiam, ꝙ ens abſolutum prius natura ſit ad ſe, quàm inſit alteri, ens.n. prædicamentale prius diuiditur in ens in ſe, & ens in alio, & hoc poſtea diuiditur in abſolutũ, & reſpectiuum, &c.

Obijcitur 4. conceptus relationis, vt eſt Ad, æquè conuenit relationi reali, & rationis, ergo ex ſe ab vtroque præſcindit. ℞. neg. anteced. ex Scoto in 1. d. 29. q. vn. Vbi docet, à relatione reali, & rationis nihil abſtrahi poſſe commune vniuocum. Tũ quia ex dictis hæc duo .ſ. eſſe In, & eſſe Ad ſunt neceſſariò connexa in relatione, nec poteſt intellectus referre ad aliud, niſi aliquid referat. Tũ tandem qa Ad, quòd conſtituit relationẽ prædicamentalem, eſt Ad, quod cõuenit à parte rei, non ſic Ad, quòd cõſtituit relationem rationis, &c.

4. Eſt tamen pro complemẽto huius articuli hic valdè notandũ, ꝙ cũ dicimus ralationem cõſtitui per eſſe Ad, & In, hoc nõ debet intelligi, quaſi terminus, & fundamẽtũ ſint de eſſe relationis, & veluti partes intrinſecæ illius, ſed intelligi debet, quòd relatio ſit forma ſimplex, dependens tantũ extrinſecè à fundamento, & termino, neceſſariò tamen, eo modo, quo dicimus potẽtiam, vel actũ ab obiecto pendere, cũ tamen obiectum nõ ſit pars conſtitutiua actus, vel potentiæ; & quòd re vera in hoc ſenſu fundamentum, & terminus nõ ſint

de

de cōceptu relationis,ex eo patet, quia fundamentū, & terminus regulariter ſunt abſoluta,ergo non poſſunt eſſe partes intrinſecæ, & conſtitutiuæ rei alterius prædicamenti. Tùm quia terminus,& fundamentum non ſunt genus, & differentia relationis, ſed ſolùm extrema illius,ergo &c. multa etiam abſurda ſequerētur; quòd .ſ.albedo eſſet de eſſentia ſimilitudinis &c. cùm igitur dicimus relationem eſſentialiter conſtitui per eſſe ad aliud, & per eſſe in alio, Ad, & In, ſumi debent, vt dicunt ipſam ſimplicem habitudinem, non verò vt etiam extrema ipſius habitudinis includant, & ità eſſe Ad, & eſſe In, partim ſunt quid intrinſecum, partim verò quid extrinſecum; intrinſecum quatenus dicunt ipſam habitudinem expreſſam per Ad, & p In, Extrinſecum verò vt dicit terminum, vel fundamentum illius habitudinis, primum eſt de intellectu relatiui, ſecundùm verò de cointellectu relatiui, quia ponitur tantùm, vt additamentum in eius definitione.

Sed vrges, illud eſt de eſſentia alicuius, ſine quo nec eſſe, nec intelligi poteſt, ſed relatio nec eſt, nec intelligi poteſt ſine fundamento, & termino, ergo &c. ℞. aliquid eſſe de eſſētia alicuius, poteſt ſumi dupliciter; primò pro eo, ſine quo res intelligi non poteſt, ſiuè hoc intret definitionem, vt pars eſſentialis, ſiuè vt additum, & ità dicimus ſubiectum eſſe de eſſentia accidentis, quia ingreditur eius definitionem, vt additum, & in hoc ſenſu extrema ſunt de eſſentia relationis; alio modo, quòd ſit pars eſſentialis, & intret definitionem, vt genus, vel differentia, & in hoc ſenſu extrema non ſunt de eſſentia relationis, quia non ingrediuntur eius definitionem in recto, ſed tantùm in obliquo, & veluti addita, & fuit reſponſio Bargij in 1. diſt. 28. quæſt. 3.

## ARTICVLVS SEXTVS.

*An Subiectum relationis debeat eſſe ens reale, & finitum.*

1. Scot. in ſuis reuera monimentis tàm doctus, quā exactè eruditus, vt nihil ſit vltra requirēdum, quæſitum hoc reſoluit in 4. d. 12. q. 1. S. & ibidem d. 6. q. 10. §. *Sed reſtant*, G. & alibi, ad cuius mentem omnes eius diſcipuli ſequuntur. Adnotamus primò pro Articuli reſolutione, duplex eſſe ſubiectum, ſeù fundamentum relationis, vnum .ſ. Remotum, alterum Proximum; Proximum eſt illud, in quo immediatè relatio reperitur; Remotū in quo eſt tantū mediatè V.g. relatio ſimilitudinis proximè eſt in qualitate, mediatè in quantitate, & ſubſtantia; ſic relatio æqualitatis proximè eſt in quantitate, remotè in ſubſtantia, docet tamen Doctor 5. meth. tex. 20. in fine, quòd ſolū fundamētū proximū abſolutè dici debet fundamētū, Remotū verò potius dici debet ſubiectum relationis, quàm fundamentum. Item aſſignari ſo-

let ratio fundandi relationem, & conditio, ſine qua non ſequeretur relatio ad fundamentum, quæ duo etiam diſtinguuntur, quod Scot. oſtendit de relatione paternitatis quol. 12. lit. C. ratio .n. fundandi relationem Paternitatis in Patre, eſt potētia generatiua Patris, conditio verò præuia eſt actio generatiua eiuſdem, quæ ſtatim tranſit, & ideò nō poteſt dici propriè cauſa, ſed tantùm præuia conditio, ſine qua relatio non reſultaret. Hoc autem intereſt inter rationem proximam fundādi, & fundamentum proximum, quod hoc eſt ità quo, vt poſſit eſſe etiam quod, poteſt .n. ſuſcipere denominationē relationis, nam quantitas dicitur æqualis, & qualitas ſimilis; illud verò .ſ. ratio fundandi eſt ità Quo, vt non poſſit eſſe quod, licèt .n. duæ quātitates dicantur æquales, & duę albedines ſimiles, vnitas tamen, quæ eſt ratio proxima fundandi huiuſmodi relationes æquiparantiæ, nō denominatur æqualis, vel ſimilis, nec potentia generatiua Patris dicitur Pater; eſtò aliquādo hæc duo confundantur, præſertim quando fundamentum proximum confertur cum remoto, tunc enim dicitur etiam ratio fundandi, vt albedo quæ eſt fundamentum proximum, eſt etiam ratio fundādi ſimilitudinem inter Petrum, & Paulū.

2. Adnotamus 2. quòd licèt eiuſdem relationis poſſint eſſe plura ſubiecta diuerſarum rationum cum præfata ſubordinatione, quod .ſ. alterum ſit proximum, alterum remotum, plura tamen eſſe eiuſdē rationis impoſſibile prorſus eſt. cū .n. relatio ſit verum accidens, & per ſe vnum, vnum etiam ſubiectū in hoc ſenſu poſcit, hinc meritò opinio Henric. quol. 9. q. 3. ab omnibus cōiter reijcitur, qui aſſerebat relationem eſſe veluti interuallum quoddam inter duo extrema, & in duobus extremis inſidentem, veluti in proprio, & adæquato ſubiecto, quod vt improbabile Doctor reijcit 5. meth. q. 11. nu. 7. & ratio eſt, quia vel relatio, quæ inter illa extrema ab inuicem diſtantia, eſt etiā in medio, ſicut corda, quæ cornua arcus connectit, vel non, ſed reperitur in extremis tantùm; non primum, quia relatio V. g. Paternitas non recipitur in aere: neq; ſecundum, quia idem numero accidens non poteſt eſſe naturaliter in duobus ſubiectis realiter diſtinctis, & loco diſtantibus; quare relatio eſt tantùm in illo extremo, quod refertur ad aliud, & ſi illud aliud ad hoc referatur, dabitur in illo alio noua relatio, & ſic non erit vna relatio, ſed duæ in duobus ſubiectis, ſequitur Suar. diſp. 47. ſec. 6. num. 3. cum alijs.

3. Adnotamus 3. quòd Gregorius in 1. d. 28. q. 3. docuit relationes prædicamentales etiam in non entibus fundari poſſe, & præcipuè patet de priuatione, quæ fundat relationem principij ad generationem, ſicut etiam de cauſa finali aſſeritur, quòd fundet relatio-

nem

nem cauſalitatis ad effectum, abſque eo, quòd finis exiſtat,& ſic de multis alijs, ex quib. Auctores occaſiones arripuerunt dubitãdi. An Relatio prædicamentalis neceſſariò petat ſubiectum reale, & exiſtens. Et quia etiam Gregor. ibidem admittit in Deo relationes prædicamẽtales ad creaturas cum alijs Nominalibus, conſequenter affirmat huiuſmodi ſubiectum relationum non eſſe neceſſariò limitatum, & finitum.

*Concluſio.*

4. *Dicimus, ſubiectum idoneum relationis prædicamentalis neceſſariò eſſe ens reale, & finitum.* eſt Scoti,& Scotiſtar. cum communi Realium, & ſequitur neceſſariò ex dictis; ſi enim relatio eſt accidens reale fundamẽto ſuperadditum, neceſsè eſt. vt tale fundamentũ ſit entitas realis, & finita, nam non ens non pôt per modum ſubiecti verum accidens ſuſtentare; Nec ens infinitũ, cuiuſmodi eſt Deus, eſt accidentis capax, cùm ſit ab omni potentialitate ſemotus; & ideò Nominales concedunt in Deo relationes reales ad Creaturas, quia negant has ſuperaddere fundamento veram realitatem accidentis, ſed ipſas ſtatuunt in mera denominatione, & concomitantia rerum, atq; ideò quia à nobis in principijs diſſidẽt, in concluſione quoque diſſentim'; qui modus loquendi Nominalium licèt ſit inconſuetus apud priſcos Theologos, non eſt tamen vt erroneus damnandus, vt multi irrationabiliter faciunt. Probatur etiam concluſio quo ad primam partem, relatio .n. ſuam entitatem realem habet à fundamẽto in genere cauſæ efficientis ex dictis,ergo fundamentum neceſſariò debet eſſe ens reale, quia nemo dat, quòd non habet,

5. Si tamen relatio realis ſumatur non in toto rigore(quòd.ſ.tres illas conditiones habeat ex Scoto, vt ſupra diximus,ſed realis dicatur quatenus à relatione rationis contra diſtinguitur, quæ ſit per actum collatiuum intellectus, ſic relatio realis in hoc ſenſu fundari poteſt in non ente ad ens,& in hoc etiam ſenſu dici poteſt priuationem fundare relationem realem principij in ordine ad generationem, quomodo etiam admitti poteſt opinio Gregorij aſſerentis relationes reales etiam non entibus conuenire; non quòd tales relationes ſint entia realia poſitiua,ſed dicũtur reales eo ſenſu, quo tenebræ, & cæcitas reales dicuntur,quatenus ſunt, nullo intellectu cõſiderante,& hoc modo priuatio admittitur cõcurrere ad generationem per modum principij, in quo etiam ſenſu Scot. in 1. d. 28. q. 2. ad ſecundum concedit ingenitum in Patre dicere relationem realem negatiuam. Ad id de cauſa finali parum obſtat, nam finis non eſt vera cauſa realis, & phyſica, ſed tantùm methaphorica, quæ non dat eſſe, ſed ſolùm mouet agẽs, vt illud det in ratione amati, vel deſiderati,& ideò

nõ fundat relationẽ realẽ, & verã.

6. Quod deindè relationis realis prædicamentalis ſubiectum eſſe debeat finitum, & limitatum, eſt Scoti in 1.d. 30. q.2. quod probat ex perfecta ſimplicitate, & neceſſitate Dei, quia .n. Deus perfectè ſimplex eſt, nihil eſt in eo, quod nõ ſit ipſum ex D. Aug. 11. de Ciuitate Dei num. 10. ergo relatio realis in Deo ad Creaturas, ſiuè ſit temporalis, ſiuæ æterna admitti non poteſt, cùm relatio veram compoſitionem faciat cũ eo, cui aduenit.

7. Sed Dices, ſicut forma eſt in aliquo; ità denominat illud, ergo ſi non eſt aliqua relatio in Deo ad Creaturam realiter, Deus non poſſet dici realiter Creator, realiter Dominus &c. ℟. Deum non dici realiter Creatorẽ, Dominum &c. intrinſecè, & ſubiectiuè, ſed tantũ extrinſecè, & terminatiuè, quatenus terminat realiter relationem creationis paſſiuæ exiſtentem in creatura, Vndè hæc propoſitio eſt vera, Deus eſt realiter Creator, quatenus ly realiter determinat inhærentiam .i. totam propoſitionem, non inhærens .i. extremum propoſitionis, ſeù prædicatum, ex Doct. vt alibi pluries dictum eſt.

*Obiectiones.*

8. Obijcitur pro Nominalibus contra Reales: Qua ratione ſaluãturhę denominationes relatiuæ in Deo ſine diſtinctis relationib⁹ poterunt etiam ſaluari in rebus creatis ſine tanta entium multitudine, & mutatione, ergo ℟. quòd denominatio relatiua neceſſariò habet fieri, vel per realẽ ſuſceptionẽ relationis, vel ꝑ realẽ eius terminationem, ſed quia Deus non eſt ſubiectum capax relationis, ſaluari debent in eo denominationes relatiuę per realem terminationẽ; Creaturæ verò quia capaces ſunt relationis, ſaluari in eis debẽt per realem ſuſceptionem; & quia vtrumq; extremum eſt relationis capax, in vtroque admitti debet, cùm nõ ſit maior ratio, cur potius in vno reſultet, quàm in alio, vt ſunt relationes primi, & ſecundi modi, falſum eſt aũt quòd in Deo ad intra ſaluantur denominationes relatiuæ abſque diſtinctis relationibus, ſi de illis etiam loquamur.

Hinc not. non eſſe inconueniẽs, quòd eadem relatio vnã denominationẽ præbeat ſubiecto, cui inhæret intrinſecè, & oppoſitam præbeat termino extrinſecè, & terminatiuè; quod euidenter patet de viſione, quæ intrinſecè, & ſubiectiuè denominat oculum videntem, & extrinſecè, & terminatiuè parietem uiſum, ſic creatio paſſiua in creatura exiſtens, intrinſecè ipſã denominat creaturã, Deũ verò extrinſecè Creatorẽ denominat.

2. Deus dicitur Creator quatenus ad Creaturas refertur, ſed non poteſt referri ad creaturas per relationem, quę eſt in creatura, ergo per eam, quæ in ipſo reperitur. ℟. negando maiorem, potius .n. Deus dicitur realiter Creator, qa Creaturæ ad ipſum referũtur, ſicut ſci-

bile

Digitized by Google

bile eo præcisè dicitur relatiuum ſcientiæ, quia ſcientia refertur ad ipſum, & ideò Scot. omnes relationes creaturæ ad Deū vocat tertij modi, quæ non ſunt mutuæ; quòd ſi de denominatione intrinſeca, & formali loquamur, Deꝰ dicitur ſic Creator per relationem rationis, à nobis in Deo efformatam, &c.

3. Relationes ſecundi modi relatiuorum, quæ ſcil. in actione, & paſſione fundantur, ſunt mutuæ, & reales ex Ariſt. 5. meth. at relationes Dei ad Creaturas ſunt huiuſmodi, quatenus ſunt cauſa, & effectus, ergo. &c. ℞. ex Doct. in 1. d. 30. §. *Reſpondeo ad primum.* negando minorem, defectu .n. talis mutuitatis omnes relationes creaturę ad Deum, ſemper ad tertium modum ſpectant, vbi vniuerſaliter relationes non mutuæ ponuntur; vel neganda eſt maior vniuerſaliter, licèt .n. relationes huiuſmodi in Creaturis ſint mutuæ, non tamē in Deo; neq; ex hoc præcisè diſtingui debent illæ relationes, quòd in 2. modo ſemper ſunt mutuæ, non autē in primo, & tertio; ſed ſufficienter diſtinguuntur, ꝙ in 3. nunquā ſint mutuę, in alijs verò ſic, licèt nō ſemper, & fuit Reſpōſio Baſſolij in 1. d. 30. q. 1. art. 4. & ſequitur Suar. cum multis ex Recentioribus.

4. Quando aliquid denominatur denominatione, quæ eſt in altero accipit denominationē illius, ergo ſi Deus denominatur denominatione exiſtente in creatura, diceretur creatura. ℞. conſequentiam eſſe verā, ſi denominatio acciperetur vniformiter, quomodo non eſt in propoſito, nā vna eſt intrinſeca, & ſubiectiua, alia extrinſeca, & terminatiua, & hanc, nō illam Deus à Creatura accipit. Et ſi curioſiores alia multa de hac re ſcire deſiderāt legāt Barg. in 1. d. 30. & Mayr. ibidem q. 1. & 2. qui ſatis diffusè hāc cōtrouerſiā exagitant.

Hic quæri ſolet, an ſaltē admitti debeant in Deo Relationes traſcēdentales ad Creaturas, & ratio dubitandi eſt, quia Deus ſecluſa quacumque operatione intellectus dicitur omnipotens, & omniſciens, ꝗ in Deo ponuntur, ſicut Attributa dicentia perfectionem ſimpliciter, quæ omnia ibi ponuntur ex natura rei; ſed hæc dicunt reſpectū potentiæ, & ſcibilitatis ad creaturam poſſibilem, non .n. poteſt Deus cōcipi omnipotēs ſine creatura poſſibili, ergo reſpectus ſaltem traſcēdentalis ad creaturas poni dēt in Deo. Franciſcus de Mayr. in 1. d. 30. q. 3. quem multi Recētiores ſequuntur, libenter huiuſmodi relationes in Deo admittit. Sed hoc eſt directè cōtra Scotum, & ideò meritò Scotiſtæ communiter contra præfatū Doctorem inuehuntur; & ratio deſumitur à Doct. ex neceſſitate Dei, quęlibet .n. creatura etiā quoad eſſe poſſibile, & ſcibile conſiderata, adhuc non eſt in eo gradu neceſſitatis, in quo eſt Deus, nā ſemper eius neceſſitas erit participata, & ideo ponere creaturam nō eſſe poſſibilē, nō eſſet ita impoſſibile,

bile, ſicut non eſſe Deum, quia adhuc in eſſe poſſibili non eſt ita neceſſaria ſicut Deus, atq; ideò non debet in eo relatio realis ad creaturã admitti, Deus. n. ſemper eſſet, etiã ſi omnis creatura repugnaret; Vnde ad mentem Doctoris talis formatur ratio: ſicut neceſſariũ non pendet in ſuo eſſe à contingẽti, ſeù illud non coexigit ad ſuum eſſe, itã neq; magis neceſſariũ pẽdet in ſuo eſſe à minus neceſſario, ſeù illud non neceſſariò coexigit, alioquin vnum nõ eſſet magis neceſſarium, quã aliud, ſed eſſent inæquali gradu neceſſitatis, nã implicat dicere vnum ens neceſſarium coexigere aliud ad ſuũ eſſe, & adhuc eſſe magis neceſſarium illo, ſi .n. concedatur magis neceſſarium poſſe deficere, deficiẽte minus neceſſario, & è cõtra, iam illa duo eſſent æqualis neceſſitatis, &c. qua ratione moti Suar. diſp. 47. meth. ſec. 3. num. 6. & 1. p. tract. 1. lib. 2. c. 26. num. 14. Vaſq. diſp. 104. c. 6. Hurt. diſp. 15. meth. ſec. 9. & alij negant in Deo relationes traſcendẽtes ad Creaturas.

Et ad rationem dubitandi Subtilis Doctor ſe remittit ad inferius dicenda de omnipotentia, & ſciẽtia Dei in ſequentibus diſtinctionib'. ſ. in 1. ſent. d. 35. 36. & 49. Vbi docet huiuſmodi perfectiones poſſe dupliciter accipi, vno modo fundamentaliter, & pro denominato, & ſic ſunt perfectiones abſolutæ, Deum fundamentaliter denominantes Omnipotentem, & omniſcientem; Alio modo pro formali, & in hoc ſenſu addunt reſpectum rationis, & itã implicãtibus Creaturis, adhuc De' diceretur Omnipotens ob perfectionẽ abſolutam, quam in ipſo importat omnipotẽtia, natam fundare reſpectum rationis ad creaturas, ſi poſſibiles forent. Et hoc patet exemplo de chymera, quæ dicitur impoſſibilis, nõ quia Deus nõ poſſet illam producere, & illi potentia deſit, ſed è cõtra, potentia Dei non poteſt exire in actũ circa chymerã, quia ipſi deeſt potentia paſſiua, vt producatur; cũ ergo impoſſibilitas ſemper ſe teneat ex parte rei, non ex parte Dei, inferendum eſt, quòd ſi homo in ſe impoſſibilis eſſet, adhuc Deus eſſet omnipotẽs, quo ad intrinſecam perfectionem, & virtutem productiuam eius, qua ſolutione relati Auctores vtuntur.

Sed vrges, itã ſe habet potentia factiua ad factibile, ſicut viſiua ad viſibile, ergo ſicut iſta concipi non poteſt ſine obiecto viſibili, itã nec illa ſine termino factibili. ℞. negãdo paritatem, & ratio eſt, quia potentia viſiua in ſua entitate depẽdet ab obiecto, & ideo dicit ordinem traſcendentalem ad illud, quod aſſeri non poteſt de potentia factiua Dei, cũ tota eius formalitas independẽter à creaturis ſaluari debeat; atq; ideò conſiſtere debet in perfectione abſoluta, nata fundare reſpectum rationis ad creaturas poſſibiles, vel realem dependentiã earum in tali ſtatu poſſibili terminare,

nare; quãtum .n. ad denominationes relatiuas non eſt idem iudiciũ ferendum de Deo, & creaturis, vt ſupra dictum eſt.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

*An ſubiectum Relationis debeat eſſe abſolutum, vel Reſpectiuum.*

1. SCot. cui in ſpeculatiuis multũ debet poſteritas 5. meth. q. 12. & in 2. d. 3. q. 1. ſupponit, nõ ſolũ accidens, ſed etiã ſubſtantiã eſſe poſſe immediatum, & proximum fundamentum relationis prædicamentalis, imò in 1. d. 19. q. 1. §. *hic primo Videndum.* & in 2. d. 1. q. 5. H. & alibi, manifeſtè docet vnam relationem ſuper aliam fundari poſſe. Articulus hic duas continet difficultates: prima eſt, An relatio prædicamentalis petat ità neceſſariò in accidenti abſoluto ſubiectiuari, vt omnẽ ſubſtantiam creatã excludat: Secunda eſt, An vna relatio poſſit ſuper aliam fundari. Et quantum ad Primam D. Thom. 4. contra gentes c. 14. videtur negare ſubſtantiam eſſe poſſe proximum, & immediatum relationis fundamentum, vt de eius mente Thomiſtę defendũt. Scot. verò loc. cit. totum oppoſitum docet, quem Scotiſtæ communiter ſequuntur, & ex Recẽtiorib. Suar. Blanc. Ruu. cũ multis etiam ex Thomiſtis nobilioris notæ, vt Caiet. Capreol. Soncin. Maſi. & alij, qui Sanctũ Doctorẽ gloſant locutum fuiſſe de relationibus quo ad maiorem partẽ, vt plurimũ .n. in accidentibus immediatè fundantur, vt ipſemet Sãctus Doctor ſe explicauit opuſc. 48. tract. 5. cap. 4. & probatur manifeſta Ariſt. Auctoritate 5. meth. c. 14. vbi ait: vnitatem in ſubſtantia facere identitatẽ, ſicut in qualitate facit ſimilitudinẽ, & in quãtitate æqualitatem. Probatur etiã ratione, ſicut. n. duæ albedines habent inter ſe conformitatem, quæ eſt relatio prædicamentalis, & dicitur ſimilitudo, ſic & duę ſubſtantiæ eiuſdem ſpeciei v. g. duo homines habent ſuam proportionatam conformitatem, quæ dicitur identitas eſſentialis; nã ſicut in qualitatibus attenditur ſimilitudo, vel diſſimilitudo accidentalis, ità in ſubſtantijs attenditur ſimilitudo, & diſſimilitudo eſſentialis in natura, quæ dicitur identitas, & diuerſitas, & ſunt etiam relationes prædicamentales, nam deſtructo v. g. Brunello, nõ amplius dicitur Paulus ab eo formaliter diuerſus, ſed ſolũ potentialiter, ſicut albedo nõ dicitur amplius ſimilis formaliter albedini deſtructæ, ſed tantũ potẽtialiter. Tũ quia dum homo generat hominẽ, vel ignis generat ignẽ, generatio pri⁹ terminatur ad ſubſtantiam, quàm ad vllum accidẽs, ergo in illo priori relatio effectus fundatur in ſubſtantia, nullo modo in accidente, &c.

2. Maior difficultas eſt, quo ad aliam partem, An ſcil. vna relatio ſuper aliam fundari poſſit, negant cõmuniter Thomiſtæ cũ D. Thom. 2. p. q. 42. art. 1. ad Quartũ, & q. 3.

de potentia art. 3. ad ſecundum, ſequuntur Vaſquez diſp. 166. c. 4. Didac. diſp. 14. log. q. 5. & alij. Scot. verò affirmat lo. cit. & quol. 6. §. de Tertio, quē vniuerſaliter ſequuntur Scotiſtæ, vt videre eſt apud Lichet. in 2. d. 1. qu. 5. Mayr. Anton. Andreas, Tatar. Zerb. Ioann. de Magiſtr. Fab. Bell. & Maſtr. & ex Exteris ſequũtur Duran. in 1. d. 7. q. 2. Suar. in meth. diſp. 47. ſec. 11. & alij. Aliqui verò has opiniones cōciliare cupientes (aiunt) relationē dupliciter cōſiderari poſſe. Primò eſſentialiter, & formaliter; in quo ſenſu eſt ratio referendi vnū extremum ad alterum ſibi oppoſitum, v. g. Paternitas eſt ratio referendi Patrem ad Filium, & hoc modo negant relationem eſſe poſſe fundamentum relationis, vt ſic .n. eſt ratio referendi, nō id, quod refertur. Secundò materialiter, & accidentaliter quatenus ſcil. vna relatio conuenit cū alia eiuſdem rationis, vt Paternitas v. g. comparata cum alia paternitate, ad quam fundat relationem ſimilitudinis, ſic .n. nō eſt ratio referendi ſed id, quod refertur, & in hoc ſenſu (inquiunt) relationem cum abſoluto conuenire, & relationi accidere, vt relatio eſt; quia vt talis non refertur, ſed refert, & ità aiunt D. Thom. negare relationem primo modo cōſideratam, nō autem ſecundo modo, in quo ſenſu fuit Scot. locutus; ſed reconciliatio hæc nulla eſt, nā controuerſia non eſt de relatione in primo ſenſu, ſed in ſecundo, & in eo negat Sanctus Doctor vnam relationem aliam fundare, vt ex eius rationibus patebit.

*Concluſio.*

3. *Dicimus poſſe vtiq; vnam relationem ſuper aliam fundari*. eſt Scoti loc. cit. quam probat auctoritate Euclid. 5. lib. Geometriæ, vbi definit proportionalitatem eſſe duarū proportionum ſimilitudinem, ſed proportio, & proportionalitas ſūt relationes, ergo, &c. Probatur 2. ratione, nam relationes etiam denominationes relatiuas veras ſuſcipiunt, non minùs, quā entia abſoluta, duæ .n. paternitates dicuntur inter ſe ſimiles, ſicut duæ albedines, & ſimilitudo eſt entitas diuerſa à Paternitate, & filiatione, & huiuſmodi etiā denominationes accidunt præfatis relationibus, ſtantē enim paternitate Petri, incipit de nouo eſſe ſimilis; ſi alia paternitas de nouo ponatur in eſſe, & deſinit eſſe ſimilis, ſi ea deſtruatur; ergo huiuſmodi denominationes fiūnt per relationes realiter ſuperadditas, quod fuit vnum ex præcipuis fundamentis ad diſtinguendū relationes à rebus abſolutis, qua ratione motus Suar. cum alijs, nobis in hac ſententia adhæret, & Auerſa q. 15. phyſ. ſec. 4. ait: magis cōſequenter hic loqui, qui conceſſerunt relationes reales diſtinctas à rebus, quàm ipſi Thomiſtæ.

4. Reſpondent igitur Thomiſtæ ad Argumentum negando paritatem, quia duæ paternitates (inquūt) ſunt inter ſe ſimiles fundamentaliter

ter tantùm, & negatiuè, quatenus nòn ſunt diuerſæ ſpeciei, at duæ albedines ſunt ſimiles poſitiuè per relationem ſuperadditam. Sed bona pace, deberent aſſignare rationem, cur potius duæ albedines habeant inter ſe conformitatem poſitiuam, non autem duæ paternitates. At aſſignant aliqui rationem, quia relatio eſt minimæ, ac debiliſſimæ entitatis, & ità non poteſt eſſe cauſa nec materialis, nec efficiens alterius formæ, vel effectus; Sed friuola ratio, multi .n. rationabiliter negant fundamentum eſſe ſemper maioris entitatis re fundata, vt patet de materia prima reſpectu formæ, &c. Et quãdo etiam id cõcederetur, eſtò relatio ſit minoris entitatis reſpectu accidentiũ abſolutorum, intra ſeriem tamen relationum, vna relatio poteſt eſſe perfectior alia, & ideò idoneum eius fundamentum. Tùm quia cùm prima relatio ſupponatur fundata in abſoluto, poterit eam virtute abſoluti ſuſtentare, cui tota ſtructura relationum innititur. Quantùm verò ſpectat ad causã efficientem, quia relationum efficientia ſit per modũ emanationis, & ſimplicis reſultantiæ, non eſt neceſſaria maxima entitas, & virtus ad illam producendam. Tùm tandèm, quia hæc reſponſio non euadit difficultatem, quomodo in relationibus fundentur relationes denominatiuæ ſine alijs relationibus, &c.

5. Ideò alij, aliam aſſignant diſparitatem, quòd .ſ. relatio eſt modus rei, modus autem non habet modum in eo genere, quo modificat, & ità actionis nõ eſt actio, neque figuræ eſt figura; ſic in propoſito, quia relatio eſt, qua alia referuntur, non per aliam relationẽ, ſed ſe ipſa referũtur, & ita paternitas ſe ipſa dicitur ſimilis alteri paternitati, ſimilitudo ſe ipſa eſt diuerſa à paternitate. ità Caiet. Fer. Fõſec. Vaſq. & alij, & hoc probant illa regula vniuerſali, quod in quocũq; genere, id, quo aliqd eſt tale, ſe ipſo, & nõ per aliquid aliud eſt tale.

6. Sed hæc euaſio etiam facilè reijcitur; quamuis .n. modi non detur modus in eodẽ genere, quo ipſe modificat, datur tamen in diuerſo, ſic v.g. vnio nõ indiget alio vnionis modo quo ipſa vniat, vel vniatur, indiget tamen actione à ſe diſtincta, qua producatur, vnio .n. non eſt ratio agendi, & idem de figura, Vbi, & alijs modis dici poteſt; & ratio huius eſt, quia quòd eſt quo in vno genere, poteſt eſſe quòd in alio, vt patet de cognitione V.g. lapidis, vbi ipſa eſt quo repræſentatur lapis, & ideò non indiget alia cognitione, vt ipſum repræſentet, tamen vt ipſa repræſentetur, alia reflexa cognitione cognoſci poteſt vt quod, & tunc cognitionis non dicitur eſſe cognitio, tunc .n. non habet rationem cognitionis, ſed obiecti; illa verò regula, id, quo aliquid eſt tale &c. intelligenda eſt formaliter. i. in ordine ad illud, reſpectu cuius habet rationem Quo, nõ autem reſpectu alte-

alterius, reſpectu cuius poteſt habere rationẽ Quod, vt eſt in propoſito de relatione reſpectu alterius.

*Obiectiones.*

7. Ob. 1. Auctoritate Ariſt. qui 5. meth. c. 15. tria tantùm fundamenta relationum poſuit .ſ. Vnitatem ſubſtantiæ, quantitatis, & qualitatis ꝓ primo genere; Actionem, & paſſionem pro ſecundo; & menſuram pro Tertio; ſed relatio nihil horum eſt, vt conſtat, ergo &c. ℞. ex Scoto in 4. d. 6. q. 10. D. Vnitatem, & pluritatem genericã, & ſpecificam ſuper quas fundãtur relationes primi modi reperiri in omnibus prædicamentis, ſeruata proportione, & analogia ad primũ genus, & idcircò etiam in prædicamento relationis reperiri poteſt fundamentum ſufficiẽs primi modi, cum vna relatio cum altera cõparata ſit eiuſdem, vel diuerſæ rationis ab illa: Vndè Ariſt. per vnitatem ſubſtantiæ, intellexit vnitatem eſſentiæ, quæ etiam in accidẽtibus ſuo modo reperitur.

Ob. 2. ſi hæc doctrina eſſet vera, darentur in Diuinis aliæ relationes præter quatuor, illæ .n. relationes habent inter ſe diſtinctionem, & oppoſitionem, quæ eſſent relationes aliæ ſuper ipſas fundatæ. Reſpondent aliqui hoc libenter concedẽdo nec ex eo ſequi aliquid abſurdi, illa .n. quaternitas ordinata eſt ad conſtitutionem trium ꝑſonarum. Aliqui Scotiſtæ negant conſequentiam ex Doctore in 2. d. 1. q. 5. N. & ratio eſt, quia ordo oppoſitionis relatiuæ vnius relationis cum alia, & diſtinctionis ab illa, non debet eſſe alia relatio realiter diſtincta, quia implicat vnam ſine altera conſeruari, cùm ſint ſimul natura, ſunt .n. huiuſmodi reſpectus intimè incluſi in ipſis relationib⁹, alij verò reſpect⁹ ſunt accidentarij vt ſunt illi, qui reſpiciũt alios terminos, qui per accidens ſe habent ad tales relationes. V.g. in Paternitate ex eo, quòd eſt ratio referendi Patrem ad Filium includitur intrinſecè, & inſeparabiliter oppoſitio cum filiatione, atq; adeò diſtinctio; reſpectus verò ſimilitudinis vnius paternitatis ad aliam, non includitur intrinſecè in ipſa paternitate, ſed accidentaliter, nã vna paternitas eſt terminus ꝑ accidens alterius ſimilitudinis, & paternitas poteſt ſine illa conſeruari. vtraque reſponſio poteſt amplecti.

Ob. 3. ex Ariſt. 5. phyſ. 10. actio non fit per aliam actionem, ergo nec relatio refertur per aliam relationem. ℞. conſequ. eſſe veram formaliter, & reſpectu proprij termini, non materialiter, & in ordine ad terminum diſparatum.

Quartò, ſi hoc eſſet verum daretur proceſſus in infinitum in relationibus, nam ſi paternitas fundat relationem ſimilitudinis ad aliam paternitatem &c. hæc etiam ſimilitudo iterum fundabit ſimilitudinem ad aliam, & è contra, quæ ſimilitudines erũt etiam inter ſe ſimiles. ℞. ex aliquibus admittẽdo talem proceſſionem in infinitum

absque

abſque vllo inconueniente. Sed nõ eſt ad mentem Scoti, qui licèt hoc admittat in relationibus rationis, negat tamen in relationibus realibus. Multa ſuper hoc argumentum congerũt Doctores, ſed ſufficit nobis ſolutio Scoti, quæ ſi benè percipiatur, nulla melior excogitari poteſt. Rꝫ. igitur Doctor negando dari proceſſum in infinitũ, ſed dari ſtatum in ſecundis relationibus, q̃ ſe ipſis referuntur; quare duæ paternitates dicuntur ſimiles per ſimilitudinem quidem ſingulis ſup additam, ſed quandò poſtea iſtæ duæ ſimilitudines dicuntur ſimiles inter ſe, hoc non fit per alias ſimilitudines ſuperadditas, ſed ſe ipſis. Et rõ eſt, quia cùm ſint ſimul natura, implicat vnam ſine altera conſeruari; eſt autem regula generalis in Doctrina Scoti, quòd quandò fundamentum non poteſt eſſe ſine termino, ad quod refertur, relatio qua refertur, non eſt ab ipſo realiter diſtincta. Tùm quia quòd eſt quo in vno genere, non poteſt eſſe quod in eodem genere.

Sed vrget Ocham, licèt ſimilitudo vnius ad aliam eſſe non poſſit ſine ſimilitudine alterius ſibi correſpõdente, vt patet de ſimilitudine inter duas paternitates, hæc tamen ſimilitudo duarum poteſt eſſe ſine ſimilitudine reperta inter alias duas res, & ità in his non valet reſponſio Scoti. Sed hęc euaſio parum nocet, debet .n. dari ſtatus in ea relatione cùm qua cæteræ, quæ cõcipiuntur conſurgere, conueniunt in ratione fundandi, & in ratione referendi; v.g. duæ paternitates fundant relationem ſimilitudinis inter ſe, deindè ſi hæc ſimilitudo conferatur cum altera, quæ reperitur inter alias duas paternitates, ſe ipſa dicetur ſimilis illi, & non alia ſuperaddita, ſi .n. vlterius tendas, ſemper eãdem rationem fundandi reperies, ſcilicèt conuenientiam, ſicut eamdẽ ſemper rationẽ referendi, & terminandi, id eſt, vt ſimile; & eodem modo reſpondendum erit, ſi fieret argumentum eodem modo ad multiplicandas relationes diſſimilitudinis, vel diuerſitatis; & ratio fundamentalis huius eſt, quia in quacumque denominatione deueniendum eſt ad aliquid, quod in illo ordine denominandi ſit ità. Quo, vt non poſſit eſſe quod, vt albedo nequit eſſe alba nec quantitas quanta, & ſic de alijs; ità in propoſito, ſemper ſiſtẽdum eſt in illis relationibus, quæ dicuntur ad aliud per denominationem eiuſdem rationis cum illa, quàm intrinſecè ſecum afferũt, ità Ant. Andr. & ſequitur Suar. cum multis ex Recẽtioribus, & fuit doctrina Scoti 5. met. q. 12.

## ARTICVLVS OCTAVVS.

*An Relatio Prædicamentalis neceſſariò petat terminum realem, & actu exiſtentem.*

1. SCot. cuius ſcripta venuſtiſſimis, ac ſubtiliſſimis ſentētijs plena, magno honore ſunt habita. Articulum hunc reſoluit in 4. d. 6. q.

10. §. *Sed reſtant duo dubia &c.* Et ità doctè, & adæquatè, vt ferè omnes ſine diſcrepantia illi adhæreāt, nō ſolùm Scotiſtæ, ſed etiam exteri, & quantùm ad punctum de neceſſitate termini, nulla eſt inter Doctores diſsētio, cùm .n. relatio ſit formaliter habitudo ad aliud, ſi nihil eſſet, ad quòd relatio terminaretur, relatio nullo modo eſſet; & licèt re vera terminus non requiratur ad relationē vel vt cauſa totalis, vel partialis, requiritur tamen vt cōditio neceſſaria, quæ eſt quędam cauſalitas reductiuè reducibilis ad cauſalitatem formalem extrinſecam in ratione terminantis, cuius concurſus eſt ità neceſſarius, vt neque per potentiam Dei ſuppleri poſſit, vt benè Bargius aduertit ex Doctore in tertio diſtinc. 15. quæſt. vnica. patet exemplo de actibus intellectus, & Voluntatis in ordine ad obiecta, eſtò .n. Deus vices obiecti ſupplere poſſit in genere cauſæ efficientis, non tamen terminantis; ſicut igitur nō poteſt Deus relationem conſeruare ſine fundamento, ſic nec etiam ſine termino. Solùm ergo remanet difficultas, an talis terminus neceſſariò eſſe debeat realis, & poſitiuus; & an in potentia, vel actu.

2. Nec etiam quæſtio eſt de relatione traſcendentali, omnes .n. concedunt hanc terminari poſſe ad terminum non realem, & actu non exiſtentem, vt patet de potentia, quæ reſpicit actum, vt poſſibilem, non actu exiſtentem; & ſcientia habet ordinem ad ſcibile, non actu exiſtens, imò, & ad ens, quod exiſtere nō poteſt, vt ſunt negationes, & entia rationis, ſaltèm vt ad obiecta terminatiua, quod etiam verum eſt vniuerſaliter de reſpectibus aptitudinalibus, quæ ad ſuos terminos tendūt, vt poſſibiles, ſub quo ſtatu poſſibilitatis ſufficientes ſunt, vt tales reſpectus in fundamētis dimaneāt. Nec rectè aliqui Scotiſtæ affirmant, huiuſmodi reſpect⁹ eſſe tantùm rationis, non verò reales, niſi quando termini actu ponuntur V.g. potentia non dicit reſpectum realem ad actum, niſi quādo actus ponitur in actu, & ea ratione mouentur, quia relatio dicit eſſe ad aliud, vt ad terminum, ſed non ens, vel ens tantùm in potentia non poteſt dici ad aliud, ergo &c. non valet, ex hoc enim ſequeretur nullam paſſionem eſſe realem, cum omnes conſiſtant in reſpectibus aptitudinalibus ad actus eis conformes, vel ſaltèm tales reſpectus neceſſariò imbibunt, ſic etiam nec potentia materiæ, vt reſpicit formas, eſſet realis; neque riſibilitas, vt reſpicit riſum, nec eorum ratio vrget, nam ly aliud, ex vi ſuæ ſignificationis non dicit diuerſitatem exiſtentiæ, ſed eſſentię, qualiſcumque ſit &c. Quæſtio igitur eſt de relatione prædicamentali, ſed non ſecundum ſtatum eſſentiæ, & poſſibilitatis conſiderata, ſed in ſtatu actualis exiſtentiæ.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, Relationem prædicamētalem*

*talem actualem, terminum petere realẽ, & actu exiſtentem.* ex Scoti loc. cit. & ſequuntur Mayr. Baſſol. Faber, Lichet. & Scotiſtæ communiter cum Thomiſtis, & Neuthericis vnanimiter, quę concluſio licèt ſit communis, non tamen omnes eodem modo probant, nam reuera difficile eſt eius aſſignare rationem, quæ æquè de traſcendentibus nõ procedat, vt benè Suar. hic aduertit. Ideò nos vt conſequenter loquamur ad ſuperius dicta, ex eo medio eam probamus, quia extrema relationis pręd icamentalis ità ſe habent, quòd fundamentum eſſe poteſt ſine termino, & conſeqnenter ſine relatione ad illum, Vnde relatio dicitur illi accidere; ſi .n. fundamentum ſine termino eſſe non poſſit, iam relatio eſſet illi realiter idẽtificata, ex regula Doctoris ſæpius relata, ex hoc rectè ſequitur ꝙ relatio prædicamentalis tendere non poſſit in terminum, vt poſſibilem, ſed neceſſariò vt actu exiſtentem; vnde poſtea ad nouã productionem, & exiſtentiam termini dicitur per accidens reſultare de nouo relationem in fundamento; hinc licèt ſtatus merè poſſibilitatis ſufficiat in termino, vt relatio traſcendẽs actu à fundamento cõſurgat, non tamen ſufficit, vt reſultet relatio prædicamentalis, vt .n. quis dicatur actu pater, nõ ſufficit, vt reſpiciat Filiũ in ſolo ſtatu poſſibilitatis, ſed reſpicere debet Filiũ in actu realis exiſtentiæ, aliter eſſet pater eorum, quos non adhuc genuit; & Beata Virgo non ſolũ dici poſſet Mater Chriſti, ſed etiam aliorum, quia alios filios habere potuit; & q̃a actualis exiſtentia accidit termino, ideò etiam rectè dicimus relationem prædicamentalem à termino pendentem fundamento accidere, ità Maſt. & Bell.

4. Verum tamen eſt, negari nõ poſſe dari relationem realem etiã prædicamentalem actu ſubiectum denominantẽ, quæ terminatur ad non ens, ſeù ad aliquam negationem, vel priuationem, talis eſt diſtinctio, quà forma dicitur à ſua priuatione diſtingui, & dependentia compoſiti phyſici à priuatione in fieri, & reſpectus, quẽ dicit creatio ad non eſſe rei immediatè præcedens, & reſpectus informationis ad non informationem immediatè præcedẽtem, quem dicit mutatio ex Scoto in 2. d. 1. q. 1. lit. T. & quol. 12. art. 2. qui omnes reſpect⁹, & multi alij confimiles ſunt ad nõ ens, tamquam ad terminum, & tamen adhuc dicuntur reales, nã ex natura rei ſequuntur ad fundamẽtum. Tùm quia licèt terminus eorum non ſit quid poſitiuũ, adhuc tamen non eſt ens rationis, habẽs eſſe precisè per intellectum, ſed eſt vera negatio realis, & poteſt etiam dici actu exiſtens, eo modo, quo poteſt exiſtentia negationibus, & priuationibus competere. Et hæc eſt communis opinio Scotiſtarũ, ꝗ huiuſmodi reſpectus pro realibus agnoſcunt, & ſolũ reales nõ vocãt, ſed appellant reales ſecundũ quid,

vel

vel rationis, quatenus illi vna ex cõditionibus requiſitis ad rigoroſam relationem realem aliqualiter deficit, & tantò magis, quia ex dictis terminus nõ cauſat relationẽ, ſed eſt ſola conditio ſine qua non; at non inconuenit aliquam negationẽ realem eſſe conditionẽ neceſſariã reſpectu alicuius effectus poſitiui, vt patet de priuatione reſpectu compoſiti, &c.

In hoc sẽſu opinio Gregorij intellecta, poteſt ſuſtineri, cum hoc tamẽ, quòd quãdo huiuſmodi relationes prædicamentales ad aliquam negationem realẽ terminãtur, ſemper ad illã tendere debent, vt ſuo modo actu exiſtentem, non verò vt poſſibilem, hoc .n. ſolum traſcendẽtalibus cõuenire poteſt.

5. Ex his facilè argumẽta Gregorij diluuntur, procedunt .n. de relationibus traſcendentalibus, nõ de prædicamentalibus, nec eſt audiendus Baſſol. qui, vt conſequenter loquatur, negat etiam relationes traſcendentales ad terminum non exiſtẽtem eſſe reales, atq; ideò negat materiam eſſe in potentia ad omnes formas per aliquam relationem realem ad illas terminatam, ſed dicit eſſe in potentia fundamentaliter, quatenus apta eſt ex ſe referri exiſtente termino; & etiã quia habet negationem repugnãtiæ ad formas recipiẽdas, quæ negatio dicitur potentia, & materiæ cõuenit a parte rei, & idem aſſerit de inclinatione animæ ad Corpus, & de inhærẽtia aptitudinali ad ſubiectum, &c. Non eſt inquam audiendus; Tùm quia eius opinio eſt ſingularis contra communem, negat enim relationes traſcendentales reales; Tum quia aptitudo aliquid aliud dicit vltra nõ repugnãtiam, ſimplex enim non repugnantia conſtituit potentiam neutram in ſubiecto, non aptitudinem.

## ARTICVLVS NONVS.

*An vna, & eadem numero Relatio poſſit plures terminos reſpicere.*

SCot. qui in literarum certamine nuſquam haſtam abiecit, in 3. d. 8. q. vn. ità egreggiè reſolutionẽ huius dubij demonſtrauit, vt non ſolũ ſuos, ſed etiã multos ex Thomiſtis in ſuam traxerit ſentẽtiam. Supponimus pro reſolutione quæſiti, hic non controuerti de pluribꝰ terminis ſpecie diſtinctis, ſic enim clarũ eſt ad plures terminos, plures quoq; tẽdere relationes, vt patet de eodem homine, in quo alia eſt relatio filiationis ad Patrẽ, alia paternitatis ad Filium, alia ſimilitudinis ad album, &c. Sed controuerſia eſt de terminis eiuſdem rationis, & ſolo numero inter ſe diſtinctis. Et quia huiuſmodi termini adhuc ſunt in duplici differẽtia, quidam ſcil. totales, & adæquati, quorum ſinguli per ſe ſumpti ſufficiunt ad terminandam relationẽ ſuæ ſpeciei, vt ſunt plures filij reſpectu paternitatis, quilibet .n. ſolus ſufficit ad terminandam relationẽ paternitatis; quidã verò ſunt partiales, & inadæquati, ità vt ſinguli

per

per ſe ſumpti non ſufficiant ad relationem terminandam, ſed ſimul ſumpti vnum totalẽ, & adæquatũ terminum conſtituunt, in quo ſenſu ſingulæ partes ſunt termini inadæquati reſpectu totius. lis in præſenti nõ eſt de terminis inadæquatis, & partialibus, ſic. n. vna relatiõ poteſt ad plures huiuſmodi terminos tendere, quia omnes illos, velut vnum terminum totalẽ, & adæquatum reſpicit, ex Doctore in 4. d. 1. q. 2. in calce; Sed lis eſt de terminis totalibus, & adæquatis, vt ſenſus ſit, an quando vnũ relatiuũ plures reſpicit terminos eiuſdem ſpeciei, vt Pater plures filios, ſimile plura ſimilia, &c. ſingulos reſpiciat diſtinctis numero relationibus, an verò vnica tantùm, & eadẽ numero ad omnes extenſa.

Duę sũt opiniones, vna ex Thomiſt. qui conſtanter affirmant plures terminos eiuſdẽ ſpeciei attingi per vnicam, & eamdem numero relationem; ità D. Thomas 3. p. q. 35. art. 5. & quol. 1. art. 2. quem ſequuntur Caiet. Capreol. Medina, Aluarez, & alij, & ex Recentiorib. Complut. Ruuius, Ioann. de Sãcto Thoma, & multi alij, oppoſita ſẽtentia eſt Scoti in 3. cit. quem ſequuntur Lychet. ibidem Baſſol. ibidem, Mayr. in 1. diſt. 29. q. 2. ad 2. Faber. in 3. diſp. 21. Tromb. 5. meth. q. 7. Zerb. 5. meth. q. 19. Pariſiẽſes de relatione quęſt. 3. Fatar. Maſtr. & Bell. hic, & Scotiſtæ cõmuniter, & ex Recentioribus Thomiſtis Fõſeca 5. meth. c. 15. Suar. in meth. diſp. 47. ſec. 17. Vaſq. Hurtad. Auerſa, Baccon. Blanc. Ainic, & alij ex Neothericis paſſim.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, ad multiplicationem numericam terminorum eiuſdem rationis debere neceſſariò relationes multiplicari*, probatur faciliter à Scoto, cuius rationibus oẽs alij vtuntur: Quot ſunt genuiſſe, ſiuè generationes actiuè præteritæ, tot ſunt paternitates, ergo, & ſimiliter quia filiatio fundatur ſuper genitum eſſe, ſiuè ſuper generationem paſſiuam, quot ſunt genita eſſe, ſiuè generationes paſſiuæ, tot ſunt filiationes. Eſt hic aduertendum ex Lichet. ꝙ paternitas ſequitur neceſſariò ad genuiſſe, nõ quòd immediatè fundetur in illo, qa genuiſſe, ſiuè generatio actiua prçterita non eſt, quãdo paternitas eſt, & ideò diximus, quòd eſt conditio ſine qua non, ità etiam dicas de genitum eſſe, Scotus verò intelligitur præſuppoſitiuè. Pr. 2. Correlatiua ſunt ſimul natura, ità vt deſtructo vno, deſtruatur, & reliquum, ergo deſtructa hac filiatione in hoc filio, deſtruitur, & hæc paternitas in hoc patre, cũ ergo maneat pater reſpectũ ſecũdi filij, mortuo primo, ſeqtur, ꝙ alia paternitas fuit ad ſecũdũ filiũ, ab illa, quæ fuit ad primũ.

3. Reſpondent Aduerſarij correlatiua illa eſſe ſimul natura cum primo filio ſecundum ſubſtantiam relationis, cũ cæteris verò filijs dici ſimul natura ſecundũ extenſionẽ accidẽtalẽ illius primæ relationis.

nis. Non valet, nam vel hæc extenſio eſt tm̃ per intellectũ, & hoc nõ, quia à parte rei reſpicit nouum filiũ; vel in re, & tunc aliquis nouus reſpectus accedere debet, qa extẽſio ad hunc nouũ terminũ nõ põt formaliter eſſe, niſi relatio, cũ non ſit quid abſolutũ. Tũ quia paternitas fundatur ſuper generationẽ, vel ſaltem illã neceſſariò ſequitur, ergo ſicut pater non generatione prioris filij attingit quoq; ſecũdũ, & tertiũ filiũ p maiorẽ eius extenſionẽ, ſed p nouã generationẽ, ità etiam illũ reſpicit per nouã paternitatem. Tum quia reſpicere terminum non eſt accidentale, ſed eſſentiale relationi, totum .n. eſſe relationis eſt ad aliud, ergo ſecũdum ſubſtãtiã relationis relatiua sũt ſimul natura, nõ per ſolã extenſionẽ accidẽtalẽ eiuſdẽ relationis. Tùm quia deficiente primo filio aſſignare debent, cũ quo cæterorũ euadat pater ſimul natura ſecundum ſubſtantiam relationis, & quia non poteſt magis hic filius aſſignari, quàm ille, ſequitur, vt cum omnibus ſecundum ſubſtantiam relationis dicatur ſimul natura. Tùm quia adhuc ſequeretur talem relationẽ eſſentialiter pendere ab vnoquoque illorum terminorum, cùm omnes, & ſingulos reſpiciat, & relatio eſſentialiter à termino pendeat; & ex alio capite ſequeretur non dependere, quia quolibet pereunte, adhuc eadem relatio remanet. Nec reſpondere valet, quòd pendeat tantùm ab vno termino, indeterminato tamen, & vago nam relatio quod ad exiſtentiã pendet à termino exiſtẽte, ergo non à termino vago, nam omne quod exiſtit, non poteſt eſſe, niſi determinatum. Tùm quia ſicut relatio in communi totũ ſuum eſſe habet ad terminum in communi, ità hæc relatio particularis totum ſuum eſſe habet ad hunc teminum in particulari ſignatè, & non vagè. Multæ aliæ rationes apud Maſtr. & Bell. ad hanc concluſionem roborandã reperiuntur in log. diſp.8.q.6.art.2. vbi varios dicendi modos Thomiſ. eruditè refellunt, quos curioſi ibi videre poterunt.

*Objectiones.*

4. Obijciunt Thomiſtæ primò: nõ poſſunt in eodem ſubiecto plura accidentia ſolo numero differẽtia recipi, omnis .n. diſtinctio numerica accidentium ſumitur à ſubiecto, ergo non poſſunt in eodem ſubiecto plures reſpectus ſolo numero differẽtes reperiri; Vndè docent, quòd licèt ſecunda, & tertia generatio filij ſufficeret, vt reſultaret relatio paternitatis in Patre, p accidens tamen euenit, vt non reſultet, quatenus inuenit obicem ex parte fundamenti, quòd nõ poteſt plura accidentia ſolo numero differentia recipere, & hoc eſt Achille aduerſariorum. ℞. neg. ant. cum ſua probatione, licèt .n. in ſententia Thomiſt. ſit quoddam principium methaphyſicum vniuerſaliter receptum, eſt tamen falſum in

ſen-

ſententia Scoti loc.cit. vt communiter à Recẽtioribus amplectitur; omnes .n. formæ tàm ſubſtãtiales, quàm accidentales, non per ſubiectum indiuiduantur, quòd illis ꝓrſus extrinſecũ eſt, ſed per proprias hæcceitates formaliter, quare aſſumptum non ſolùm falſum eſt de accidentibus relatiuis, ſed etiam abſolutis, quod patet exemplo de ſpeciebus intentionalibus, cùm.n. quis videt plures homines, vnumquemque per propriam ſpeciem, vtique habet in oculo plures ſpecies intentionales ſolo numero diuerſas; Vndè ſolùm repugnant in eodem ſubiecto plura accidentia ſolo numero differentia, quando omnia tribuerẽt eumdem prorſus effectum formalem, quod non accidit in caſu; hæc .n. numero relatio refert ad hunc numero terminum, & alia ad alium, ſicut hęc numero ſpecies repræſentat Petrum, illa Paulum &c. Ais, Accidens à ſubiecto habet entitatem, ergo & vnitatem. & maximè relatio, quæ à ſolo fundamento pendet ex dictis. ℞. aſſumptum eſſe verũ extrinſecè tantùm in genere cauſæ efficientis, non intrinſecè in genere cauſæ formalis; Vndè non ſequitur plura numero accidentia eſſe non poſſe in eodem ſubiecto, nam cum vnitate cauſæ ſtare poteſt pluralitas effectuum, vt in meth. patebit.

Ob. 2. ſi plures numero paternitates eſſe poſſet in eodem ſubiecto, iſte non eſſet vnus Pater, ſed plures Patres, ad multiplicationẽ .n. abſtracti, multiplicatur, & concretum. Rt. Scot. loc.cit. negando ſequelam cum ſua probatione; & ratio eſt quia ad multiplicationem concretorum non ſufficit multiplicatio formarum, ſed requiritur etiam multiplicatio ſuppoſitorum; concretum .n. non ſolùm ſignificat formam, ſed etiam cõnotat ſubiectum, & ità vtriuſque plurificationem neceſſariò exigit, qua de cauſa homo habens plures ſcientias vnus dicitur ſciens, non plures ſciẽtes. ex Doctore quol. 11. lit. H. ità in caſu Petrus habẽs plures paternitates dicitur pluries pater, ſed nõ plures patres. Sed dices, Petrus habens plures filios, eſt tantùm vnus Pater numero, ergo per vnam numero relationẽ dicitur ad omnes, & ſingulos filios, quia ſi per aliam numero, ergo nõ eſt idem numero Pater reſpectu omnium, ſed alius, & alius numero; nam vna paternitate eſt vnus Pater, & hac paternitate eſt hic Pater, ergo alia paternitate erit alius Pater. Argum. eſt Scoti, & ab eodem ſoluitur, negando conſequentiam cum ſua probatione, docens, quòd in tali forma arguendi, hac paternitate eſt hic pater, ergo alia paternitate eſt alius Pater, committitur fallacia conſequentis à deſtructione antecedentis, ad alietatem .n. Patris non ſufficit alietas formæ, ſed requiritur etiam alietas ſuppoſiti; hinc pereũte primo filio, & naſcente ſecundo, iam etiam ſecundum Aduerſarios alia paternitate dicitur Pater re-

ſpectu ſecundi, non tamen dicitur alius numero Pater.

Tertiò: filius per vnicam numero relationem filiationis attingit duos terminos, ſcil. vtrumque parentem, ſpecie quidem diſtinctos, ſi mater concurrit tantùm paſſiuè, vel certè numero, ſi concurrat actiuè, ergo &c. Relictis aliorum reſponſionibus, Reſpõdemus breuiter negando aſſumptum, Filius .n. duas habet relationes numero diſtinctas, quarum vna reſpicit Patrem, & alia Matrem indiuiſibiliter, & vna manet ſine altera, altero parentum intereũte. Et hoc magis Thomiſtæ confiteri tenentur, q defendunt Matrem tantùm paſſiuè concurrere, in quo caſu potentia generatiua vtriuſque parentis eſſet omnino alterius rationis; & ideò eũdem numero reſpectum terminare non poſſent; & quando etiam aſſumptũ admitteretur, adhuc negaretur conſequentia, non .n. currit paritas, nã Pater, & Mater ſunt termini per ſe connexi dependentiæ filij, nam alter ſine altero non eſt ſufficiens ad generationem, & conſequenter ad filiationem terminandam adæquatè; nam vt ſic ſũt termini partiales, & inadæquati, quibus correſpõdent in filio relationes numero diſtinctæ; in propoſito autem vnuſquiſq; filius eſt terminus totalis, & adæquatus paternitatis.

Quartò: quando plures filij naſcũtur ex eodem partu, relatio Patris non poteſt eſſe niſi vnica, cùm in eadem actione fundetur, ergo etiam quando per plures actiones producuntur, nam per accidens ẽ, quòd potentia generatiua reducatur ad actum per vnã, vel per plures generationes. ℞. neg. aſſumptũ, falſum enim eſt, parentes vnica generatione attingere gemellos, nec verum eſt paternitatem fũdari in præuia actione, cũ hæc ſit potius præuia diſpoſitio; & quando etiam hæc eſſent vera, falſa eſt conſequentia, nam ſuper vnum, & idem fundamẽtum poſſunt plures relationes fundari, tàm ſucceſſiuè, quàm ſimul.

Quintò: effectus formalis relationis iam poſitus eſt in actu p primam relationem, ergo ſuperfluit ſecunda; antecedens patet, nam effectus illius eſt conſtituere hũc Patrem, ſed iam per illam primam eſt ſufficienter Pater cõſtitutus. ℞. quòd effectus formalis relationis potius eſt referre Patrem ad hunc numero terminum, & alterius ad alium numero terminum: Vndè p vnam numero relationem dicitur tantùm vna vice Pater, & per plures dicitur pluries Pater, & ideò negatur conſequentia; & hanc doctrinam etiam Thomiſtæ confiteri tenentur quando Pater ſucceſſiuè plures acquirit paternitates, generando vnum filium poſt interitum alterius.

Sextò: vna potẽtia materiæ plures reſpicit formas, vna potentia viſiua plures reſpicit colores, vna riſibilitas multos actus ridendi, &

plures trahentes nauim vnica relatione à naui reſpiciuntur, ergo ità in propoſito &c. ℞. exempla allata nō eſſe ad propoſitum nam currunt de terminis inadæquatis, vt patet, nos verò loquimur de terminis adæquatis, ex Doct. in 4. diſt. 1. quæſt. 2. & alibi.

Septimò: multiplicatis terminis, non multiplicantur omnia requiſita ad relationē, quia nō multiplicatur fūdamētū, ergo neq; relatio multiplicatur. ℞. neg. cōſeq. & ratio deſumitur ab experiētia, plurium .n. filiorum ad eumdem Patrem, plures ſunt relationes. & plurium alborum adunum album plures ſimilitudines, & tamen eſt vnicus terminus; ſicut igitur vnic' terminus ſufficit ad plures relationes terminandas, ità vnicum fundamētum ad plures fundandas, non .n. eſt neceſsè ad plurificationem poſterioris, plurificari prius, hinc benè ait Auerſa: magis conſequenter loqui Scotiſtas, quàm Thomiſtas in hac quæſtione, quibus magis expediēs erat potius negare relationes cum Nominalibus, quàm illis admiſſis, negare, quòd neceſſariò ſequantur ad poſitionem terminorum.

## ARTICVLVS DECIMVS.

*An terminus relationem terminet ſub ratione abſoluta, vel relatiua.*

1. SCot. cuius ſententiæ indies magis, magiſq; effloreſcentes innumeris laureādis ſertis clamitant, art. hunc determinauit in 1. d. 30. q. 2. vbi cōmuniter ſequūtur Scotiſtæ, Lychet. ibidem Barg. Baſſol. Mayr. Faber 5. meth. diſp. 21. Maſt. & Bell. in log. & alij. Tit. quæſt. eſt, an id, ꝙ terminat relationē ſit correlatio alterius extremi, an potius entitas abſoluta illius; V. g. num inter Petrū patrem, & Paulum filiū, filiatio Pauli ſit terminus paternitatis Petri primari', & formalis, an potius ſubſtantia genita Pauli, circa ꝙ dubium tres ſunt opiniones; duæ extremæ, & vna media. Prima extrema aſſerit in omnibus relationibus tā mutuis, quā non mutuis, formalem terminum relationis eſſe aliquā relationē in alio extremo correſpondentē, quæ eſt in ſchola Thomiſtarum communior, ità Caiet. in log. c. de relat. & 1. p. quæſt. 13. art. 7. Bannes, Complut. Nazar. Sanch. Fonſ. & alij: Altera extrema eſt Scoti, & Scotiſt. loc. cit. & ſequuntur quaſi omnes Neutherici, Suar. diſp. 47. meth. ſec. 16. Vaſq. Hurtad. Auerſa, Vallius, Onna, Blancus, Murcia, Moriſ. Didacus, & alij, in quā ſententiam etiam citantur Capreol. in 1. d. 30. quæſt. 1. art. 2. Ad Tertium, Soncin. & Soto in hoc cap. q. 1. ad 8. Tertia tandem opinio media aſſerit relationes mutuas terminari ad relatiuum, non mutuas verò ad abſolutum, ità quam plures Thomiſtæ Ferrar. 2. contra gētes cap. 11. Ioann. de Sancto Thoma quæſt. 17. art. 5. Maſt. hic ſec. 3. q. 2. Niphus, & alij.



Digitized by Google

*Concluſio Prima.*

2. *Dicimus 1. relationem omnẽ non mutuam ad abſolutum terminari.* eſt Scoti loc. cit. & Scotiſt. communiter cum omnibus Doctorib. ſecundæ, & tertiæ ſententiæ, quã Doct. probat §. *Reſpondeo igitur, &c.* ex Ariſt. 5. meth. cap. 15. de relationibus nõ mutuis, quæ dicuntur tertij modi, vt eſt relatio ſcientiæ ad ſcibile, & ſic poteſt formari ratio: ideò talis relatio dicitur non mutua, quia terminatur ad terminum, in quo nulla eſt alia relatio correſpondens, ergo non terminatur ad relationẽ, quæ ibi non eſt, ſed ad entitatem eius abſolutam. Reſpondet Fonſeca 5. meth. c. 15. ſec. 4. quod terminus relationis eſſe debet relatio oppoſita, vel realis ſi eſt mutua, vel rationis, ſi nõ eſt mutua, vt eſt in caſu; ſed contra inſtat Scot. nam licèt poſſet Intellectus negotiari circa terminum alicuius relationis tertij modi, & in eo relationẽ rationis cauſare; illa tamen relatio non poterit eſſe ratio terminandi, talis n. relatio non eſt in tali abſoluto, niſi dum actu conſideratur ab intellectu, ſciẽtia verò realiter refertur ad ſcibile, nullo intellectu conſiderante, ergo illa relatio rationis in ſcibili non poteſt eſſe ratio terminandi relationem ſcientiæ.

3. Ideò vniuerſaliter Reſpondent Compl. Nazar. & alij ex Caiet. quòd, licèt in relatiuis non mutuis terminus à parte rei nõ habeat aliquam relationem ſibi inhærentem, ratione cuius terminet, habet tamẽ denominationem relatiuam, à relatione alterius extremi prouenientem; per quam cõſtituitur formaliter in genere relationis, vt correlatiuum eius, & aiunt, hoc ſignificaſſe Ariſt. dum in 5. meth. c. 15. ait, in relatione tertij generis alterum extremum dici ad aliq. nõ quia ipſum dicatur ad aliquid, ſed quia aliud dicitur ad ipſum; & niſi ſenſus eſſet, alterum extremum eſſe formaliter relatiuum, non à relatione ſibi inhærente, ſed à relatione exiſtente in alio extremo, in illis verbis eſſet manifeſta implicatio (ait Caiet.) qui vult relatiua nõ mutua eſſe ambo verè, & realiter relatiua, ſicut ſunt mutua, cum hac tamen differentia, quòd in mutuis vtrumq; extremum eſt relatiuum per relationem ſibi intrinſecam, ſed in non mutuis, vnum refertur per relationem ſibi intrinſecam, aliud verò refertur per eamdem relationem ſibi extrinſecam.

4. Quæ doctrina non ſolùm reijcitur ab exteris, ſed etiam à pluribus Thomiſtis, vt à Ferrar. Sonc. 5. meth. q. 30. ad 2. & 3. & alijs; & ratio eſt clara, nam terminus diſtinctus eſt à relatione, quam terminat, ergo, manifeſtè implicat relationem in vno extremo exiſtentem eſſe terminum ſui ipſius in alio extremo, cui adhæret. Tùm quia referri eſt propriè habere in ſe relationem, ergo non poteſt aliquid propriè referri per relationẽ alteri inexiſtentem; hinc conſultò Ariſt. nunquam dixit ſcibile referri ad



Digitized by Google

ſti ad ſcientiam, ſed ideò dici relatiuum, quia ſcientia refertur ad ipſum; & licèt Ariſt. 3. phyſ. 22. docere videatur eamdem entitatem motus dici poſſe actionem, vt eſt ab agente, & paſſionem, vt recipitur in paſſo, non tamen valet in propoſito de relatione; & ratio eſt, qa entitas motus, vel formæ fluentis ſic denominari poteſt propter diuerſos reſpectus in ipſa fundatos, importatos per habitudines à quo & in quo, in præſenti verò eſt ſermo de vna, & ſimpliciſſima relatione, quæ proindè extrema diſtincta referre non poteſt differentijs diuerſis, & oppoſitis.

15. Sed dices, vna, & eadẽ relatio pbere pōt diuerſas, & oppoſitas denominationes extremis, vnũ attingendo intrinſecè, & ſubiectiuè, aliud tantùm extrinſecè, & adhæſiuè, vt patet de viſione, quæ denominat oculum videntem, & parietem viſum, ergo ſimiliter in caſu, nõ valet, nam terminus relationis benè poteſt denominari extrinſecè, quatenus eam terminat, ſed tunc terminat, vt abſolutum, cùm nõ habeat relationem intrinſecam denominantem, per quam etiam poſſit referri in alio extremo, quia referri neceſſariò dicit intrinſecã denominationem in re relata, cùm enim eſſentia relationis cõſiſtat in ordine vnius ad aliud, non poteſt ad aliud ordinari per ordinem exiſtentem in alio. Tùm denique quia prius natura intelligitur ſcibile terminare relationem, quàm denominationem relatiuam accipiat à relatione ſcientiæ, ergo nõ eſt terminus illius relationis per talem denominationem relatiuam, quæ iam terminationem factam ſupponit. Neque Ariſt. dum numerauit inter relatiua, ſcibile, & ſenſibile, ſignificare voluit, quòd ſint verè, & realiter talia, imò ibi expreſsè negat eſſe verè relatiua, quia non referuntur; & ait in hoc ſenſu tantùm poſſe dici ad aliquid, ex eo qa alia dicuntur ad ipſa, ſcil. pertinere ad genus ad aliquid tamquam terminos, non tamquam relatiua, ſed vt abſoluta, ex Doctore loc. cit.

*Concluſio Secunda.*

16. *Dicimus 2. etiam relationes mutuas non terminari, niſi ad abſolutum, & ad ſummum relatio correſpondens, terminus concomitans appellari poteſt,* ità Scot. loc. cit. quæ ſic facilè probatur: Relatio non tantùm ſupponit fundamentum, ſed etiam terminum, coaleſcit .n. ex poſitione extremorum, ergo terminus vnius relationis non poteſt eſſe oppoſita relatio, quia ſic vna relatio præexigeret alteram; at hoc eſt falſum, nam relationes mutuæ ſunt ſimul natura, & in eodem ſigno poſitis extremis conſurgunt. Tùm quia ex Doct. l. cit. G. termino, vt terminus eſt, accidit, quòd referatur, vt patet de pariete viſo, &c. ergo ratio formalis terminãdi in termino nõ ẽ referri, ſeu ipſa mutua relatio, ſed entitas ipſa abſoluta termini, nã tendentia, & terminatio differunt. Tùm quia ſicut ratio fundan-

dandi eſt illa, quę eſt proxima cauſa, qua mediante vna res ad aliam refertur, ità ratio terminãdi eſt illa, quæ eſt proxima cauſa, qua aliud referatur ad illã, ſed hæc cauſa in relatiuis mutuis æquiparãtiæ eadem eſt ad fundandam relationem, & terminandam, ergo ſi vna eſt abſoluta, ſimiliter, & altera, maior eſt clara, minor probatur, nam ſi quæratur cur hoc album fundet ſimilitudinem ad aliud album, aſſignatur pro cauſa albedo; & ſi quęratur cur aliud illud album terminet ſimilitudinem, adhuc aſſignatur albedo, non ſimilitudo, quia reuera in albedine comparantur, nõ in ſimilitudine, ergo &c. Et hoc ità verum eſt, quòd, etiam ſi paternitas ad aliam paternitatem referatur in ratione ſimilis, adhuc dici non poteſt terminum talis relationis eſſe reſpectum ſibi formaliter oppoſitũ, ſimilitudo .n. vnius paternitatis formaliter reſpicit entitatem alterius paternitatis, non ſimilitudinem mutuam illius, Vndè paternitas alia terminando relationẽ ſimilitudinis, reſpectu illius non ſe habet, vt relatio; quia non eſt ſibi oppoſita, ſed ſe habet, vt quid abſolutum, ſaltèm, vt modus; reuera .n. terminare non eſt tendere, vt ex vi vocabuli cõſtat, ſed potius terminare eſt tendentiam alterius ſiſtere.

Reſpondent ad has rões Thomiſtæ, quòd in quocumque relatiuo eſt diſtinguenda duplex ratio terminandi, vna materialis, & radicalis, alia verò formalis; entitas abſoluta (aiunt) vtiq; eſt ratio materialis terminans relationem, ratio verò formalis terminans eſt relatio oppoſita fundata in illa entitate abſoluta, argumenta allata (inquiunt) procedunt de termino materiali, non formali; & illud axioma Dialecticorum, quòd relatio reſultat ex poſitione termini cùm fundamento, intelligitur de termino materiali, non formali, ſi .n. de iſto fiat ſermo non eſt dicendum relationem dependere à termino, ſed ad terminũ, cùm in hoc ſenſu nõ præexigat terminum, ſed potius conſtituitur per formalem oppoſitionem, ad illum, & optimè ſtat vnam relationem eſſe rationẽ formalem terminandi aliam, & eſſe ſimul natura cum illa; ità Ruu. Complut. & alij.

8. Sed allata argumenta vtique in ſenſu formali contra ipſos procedunt, vt intuenti patet, non in ſenſu radicali, ille .n. formalis, & per ſe terminus relationis dicitur, qui ſemper neceſſarius eſt ad relationem terminandam, talis autem entitas abſoluta eſt, non relatio, vt patet de relatiuis non mutuis, vbi in termino nulla relatio reperitur. Tùm quia vt diximus, accidit termino relationis, vt terminus eſt, q̄ referatur, quia referri, & opponi eſt ad aliud tendere, & aliud reſpicere, terminare verò eſt reſpici, & ſiſtere tendẽtiam alterius ad ipſũ. Tùm quia tota eſſentia relationis concipi poteſt, etiam ſi non concipia-

pia

piatur relatio in termino, ſi .n. eſſet paternitas in Petro, & non reſultaret filiatio in Paulo ab ipſo Petro genito, vt D. Thomas docet 3.p.q.45. quòd in Beata Virgine datur relatio realis maternitatis ad Chriſtum filium, & tamen non datur in Chriſto filiatio realis ad ipſam, dato hoc caſu, adhuc paternitas non foret ens abſolutum, ſed relatiuum, quia iam eſſet ad aliud, non ad ſe, de ratione .n. entis relatiui eſt, quòd non ſiſtat in ſe, ſed ad aliud tendat, qualecumque illud ſit, ergo nõ neceſſariò ad aliud relatiuum tendit. Tùm tandem q̃a non eſt idem terminare, & opponi, vel ſaltèm oppoſitio terminatiua eſt prorſus diſtincta à relatiua, vt infra patebit, &c.

Reſpõdent Auctores Tertię ſententiæ, admittendo vtique munus terminandi non cõuenire relationi, vt ſic, cùm interdum abſoluto conueniat, vt in non mutuis patet, addunt tamen conuenire relationi, vt mutua eſt, nam vbi ſunt relationes mutuæ, ibi ſicut eſt reſpect⁹ mutu⁹, ità & mutua terminatio ſecundum illam rationem reſpectus, nã talis relatio ex natura ſua exigit coexiſtentiam alterius relationis in termino.

9. Sed contra, relatio non dicitur mutua per rationem terminandi, ſed per rationem referendi, quatenus vtrumque extremum refertur ad aliud; ergo vt relatio dicatur mutua, non oportet, vt ſit ratio terminandi, ſed ſufficit, vt ſit ratio referendi in vtroque extremo. Tùm quia ſi relationi conuenit hoc munus terminãdi ſub rõne formali relationis, nõ poterit amplius competere abſoluto, quòd extra genus relationis eſt, ſicut riſibilitas, quia conuenit animali ratione rationalitatis non poterit alteri animali cõpetere extra genus rationalitatis. hoc autem eſt contra ipſos Thomiſt. relatos pro tertia ſententia, qui admittunt poſſe abſolutum relationem terminare. Tùm quia terminare, vt diximus non eſt reſpicere aliud, ſed reſpici, non tendere ad aliud, ſed ſiſtere tendentiam alterius ad ſe ipſum, quod optimè abſoluto competere poteſt.

*Obiectiones.*

10. Ob. 1. auctoritate Ariſt. in hoc prædicamento, vbi inter proprietates relatiuorum ponit, quòd dicantur ad conuertentiam, & declarans modum, ait, fieri debere per relationes hinc inde, ità quòd circumſcriptis omnibus alijs à Domino, hoc ſolũ relicto, quòd Dominus eſt, ſeru⁹ dicetur ad ipſum, & è contra, ſolo Domino circumſcripto, & omnib⁹ alijs poſitis, auffertur relatio ſerui ad Dominum, ex quibus ſic arguunt: Ille eſt terminus formalis, & proprius relationis, quo poſito ponitur, & quo ablato auſertur relatio ad ipſum, ſed poſita, vel ablata ratione Domini ponitur, vel auſertur relatio ſerui, ergo terminus præciſus, & formalis relationis eſt Dominus,

vt

vt relatiuum eſt. ℞. quòd ſi hoc argumentum vim habet, tenentur etiam ipſum ſoluere Thomiſtæ Tertiæ ſententiæ, nam ibi Ariſt. loquitur vniuerſaliter de omnibus relatiuis, tàm mutuis, quā non mutuis, loquitur .n. ibi etiam de relatiuis Tertij modi, & omnibus allatam proprietatem tribuit. ℞. igitur hāc conſequentiam non valere, relatiua dicuntur ad controuertentiam, ergo vnum eſt terminus alterius, nam aliud eſt relatiua dici ad conuertentiam, aliud vnum terminari ad alterum; & ratio eſt, quia conuertentia non ſemper eſt realis, ſed aliquando eſt rationis ex parte vnius extremi, vt in relatiuis tertij modi, & fit cū vnum relatiuū dicitur in ordine ad aliud ſub habitudine alicuius caſus, vt ſcientia ſcibilis ſciētia, &c. terminatio autem ſemper eſt realis, & ab intellectu independenter; Vndè ad Argument. negatur minor in ſenſu Aduerſariorū, quæ ſolū poſſet admitti ex alio capite .ſ. ex naturali ſimultate eorum; Cæterum præciſa relatione dominij, ſi adhuc remaneret fundamentum, ſcil. poteſtas coercendi, iubendi, &c. adhuc maneret relatio ſeruitutis, licèt nō maneret reciprocatio, ex quo colligitur, quòd Dominus, vt Dominus, & quodlibet relatiuum, vt relatiuum, eſt terminus conuertētię, & reciprocationis alterius relatiui, nō terminus relationis. ità colligitur ex Lichet. in 1. d. 30. q. vn. Ad tertium Argumentum Sueſſani, vbi Lichet. docet, quòd referri eſt propriè referri. ſub habitudine alicuius caſus, non ſic terminari, &c. Et ſequitur Amicus, dicens, quòd Ariſt. nō loquitur ibi de termino relationis, ſed de correlatiuo, cum quo conuertitur. Et idem habent Barg. & Baſſol.

Ob. 2. oppoſitio relatiua eſſentialiter includit rationes referendi, & terminandi, ſed relatiua quatenus formaliter talia exercēt oppoſitionem relatiuā, ergo relatiua vtrūq; munus per relationes exercent; maior probatur, nam oppoſitio mutua in hoc conſiſtit, ꝙ relatiua mutuò ſe reſpiciant, ſed mutuò ſe reſpicere eſt quodlibet reſpicere aliud, & ab eo reſpici, quod eſt terminare relationē eius, ergo in mutua oppoſitione per relationes facta, vtrumq; munus includitur referendi, & terminādi, minor eſt clara, quia relatiua per ipſas relationes, & non per fundamenta abſoluta ſortiuntur formalem oppoſitionem. ℞. ex Bargio, Baſſol. & alijs, negando maiorem, relatiuum .n. vt tale non poteſt munus terminandi exercere, ſunt .n. omnino diuerſa referri, & terminari, oppoſitio, & terminatio; & Ad probationem concedimus vnam relationem oppoſitam aliam reſpicere, & ab ea viciſſim reſpici, hinc tamē non ſequitur illā terminare, à qua reſpicitur, quia vnum propriè terminare reſpectū alterius, eſt ità ab eo reſpici, vt illud viciſſim non reſpiciat, terminare .n. nō eſt tēdere,

vt ſæpè

vt ſæpè dictum eſt, ſed eſſentialiter eſt ſiſtere tendentiam alterius ad ſe ipſum; & ideò propriè eſt munus entitatis abſolutæ.

Tertiò: ſi relationes præſcindãtur à fundamentis, vt paternitas, & filiatio, adhuc opponerentur, & ſe inuicem terminarẽt, vt relationes oppoſitæ, ergo etiam munus terminandi exercent, vt relationes ſunt. Barg. negat caſum, vt per locũ intrinſecum implicantem; eo tamen admiſſo p impoſſibile, ait Baſſol. ꝙ tales relationes à fundamentis ſeparatæ eſsẽt vtiq; oppoſitæ, eſsẽt mutuæ, & ſe inuicẽ coexigerẽt, nõ tamẽ eſſent terminatæ, ſed terminabiles; & ità paternitas eſſet ad filiationem, velut ad oppoſitum, nõ tamquam ad terminum.

Quartò: ſi relatiuè oppoſita formaliter, vt relatiua ſunt, ſolũ exercent munus referendi, nõ verò terminandi, ſequitur oppoſitionẽ relatiuam non conuenire relatiuis, vt talia ſunt formaliter, ſed tantũ ratione fundamentorum. ℞. negãdo conſequentiam, & ratio eſt, quia ad oppoſitionem relatiuam non exigitur eſsẽtialiter munus terminandi, ſed ſufficit, vt ſic oppoſita ſe inuicem reſpiciant.

Quintò: Relatio includit oppoſitionem cũ ſuo termino, ꝙ patet ex poſt prædicamentis, c. de oppoſitis. Vbi Philoſophus definiẽs relatiuè oppoſita ait: *Quæcumq; vt relatiua dicuntur ea ipſa, quæ ſunt oppoſitorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea*. Sed oppoſitio relatiua non tendit ad abſolutũ, ſed ad correlatiuum, ergo, &c. Reſpondet Barg. negãdo maiorem, & ad probationem inquit, non valere hanc conſequentiam, relatiua dicuntur ad ſua oppoſita, ergo terminantur ad ea; vel ibi oppoſitum accipitur nõ pro formali, ſed pro fundamẽto; conceſſa tamen maiori, poteſt negari minor cũ Maſtr. Bell. & aliquibus Scotiſtis, nam oppoſitio relatiua duplex eſt, vna formalis, & eſt, quæ verſatur inter relationem vnius extremi, & alterã in alio extremo correſpondentem, vel inter relatiuum, & correlatiuum eius, & hęc oppoſitio reperitur tantùm in Relationibus mutuis; Altera oppoſitio dici ſolet terminatiua, quæ verſatur inter relationẽ, & terminum eius, cũ enim relatio eſſe non poſſit eiuſdẽ ad ſe ipſum, neceſſariò eſſe debet ad aliud à ſe diſtinctũ, hac .n. ratione pugnant inter ſe, quæ oppoſitio omni relationi intrinſeca eſt.

Sextò: Relationes Diuinæ reſpiciũt formaliter ſuos terminos quo ad relationes mutuas oppoſitas, Pater .n. refertur, & terminatur ad filium, vt ſic, non ad aliquod abſolutum, tamquam ad terminum realiter diſtinctum, ergo idem dicendum erit de relationibus creatis. ℞. cum Bargio (relictis reſpõſionibus aliorum) negãdo conſeq. & ratio eſt, quia ibi relatio conſtituit perſonam in eſſe perſonę ab alia realiter diſtinctæ; nec ante relationem talis perſona intelligitur

aut aliquid habet, quòd relationẽ perſonalem terminet; hoc autem non militat in creaturis, in quibus prius intelligitur res abſoluta ſecundum ſuam entitatem, quæ benè poteſt relationem alterius extremi terminare, qua ſolutione vtuntur Recentiores communiter; Si autem teneatur Diuinas perſonas conſtitui per abſoluta, ſecundum aliquos, negari debet añs.

Septimò: Relationes traſcendẽtales in creatis terminãtur ad correlatiuum formaliter, vt patet de materia, & forma, de actu & potentia &c. quæ inter ſe ſecundum propriam eſſentiam referuntur, ergo etiam & relationes prædicamẽtales, nam rationes, quæ de his cõcludunt, etiam de illis concludere videntur. ℞. Argumentum vrgere illos, qui defendũt relationes traſcendentales eſſe quid eſſentiale rebus abſolutis, nos verò qui aſſerimus tales relationes eſſe ſuperadditas, ſaltèm formaliter rebus abſolutis, negamus antecedens cum Doctore loc. cit. lit. P. vbi docet actum terminare relationem potentiæ ſub ratione abſoluta, quæ in ipſo actu ſaltèm formaliter à relatiua diſtinguitur.

Octauò: ſi relatio non haberet aliam relationem pro termino, ſequeretur relatiua nõn eſſe ſimul natura, & cognitione, ſed hoc eſt contra Ariſt. ergo &c. probatur ſequela, quia tunc paternitas non terminaretur ad filium, vt relatiuũ eſt, ſed vt abſolutum, & ſubſtantia genita, quæ prior eſt relatione filiationis. ℞. neg. ſequ. cum ſua probatione, & ratio eſt, quia vt Scot. docet loc. cit. lit. G. tàm ſubſtantia patris generantis quàm genita filij præcedunt relationes paternitatis, & filiationis prioritate naturæ, &c. & in a ſigno naturæ ambæ ſimul reſultant per indiuiſibilem concomitantiam, & ità relatiuum eſt ſimul natura cum ſuo correlatiuo, licèt non terminet, vt correlatiuum eſt, ſed vt abſolutum, quia igitur fundamentum, & terminus ſunt cauſæ merè naturales, ſicut ipſis poſitis, neceſſariò cauſantur relationes in eſſe, ità etiam ambo extrema cauſãt neceſſariò in eodem ſigno earum cognitionem.

Sed dices, ſi ad cognitionem relationis cognoſci debeat abſolutũ, ad quod terminatur, ergo non poterit cognoſci depẽdentia creaturæ ad Deũ, quin cognoſcatur Deus ſecundum eius eſſe abſolutum. Libenter admittimus ſequelam cum Scot. 1. Prol. vbi Lychet. diffusè, ſufficit tamen, vt Deus vtcumque cognoſcatur, poſſumus io. ſaltèm confusè attingere perfectionem abſolutam omnipotentiæ Dei, ex quo tamen non ſequitur, Deum poni debere in definitione Creaturæ cùm relatio depẽdentiæ non ſit de eius intrinſeca quidditate &c.

Nonò: ſi hæc doctrina eſſet vera, Pater non diceretur ad Filium, nec duplum ad dimidium &c. ſed hoc eſt falſum, ergo &c. ℞. quòd Pater dicitur ad Filium, & duplum

ad dimidium reduplicatiuè, quatenus reciprocatio, & conuertentia fieri debet ſub nomine relatiuo, terminatur verò Pater ad Filium, (& ſic de alijs relatiuis) ſpecificatiuè, ad id, quod eſt Filius; ità Bar. vel cum Baſtol. quem ſequitur Pater Faber, quòd filius, & quodlibet conſtitutum ex abſoluto, & reſpectiuo eſt termin. Quòd relationis, abſolutū verò eſt, terminus Quo; vel tandèm, quòd relatio ſit terminus concomitans, non tamen per ſe neceſſarius, vt formaliter, & primariò terminet, ſine ipſa .n. benè fieri poteſt terminatio, vt de relatiuis non mutuis patet.

Decimò: ex his ſequeretur, quod omnia relatiua eſſent Tertij modi, omnia .n. terminarentur ad abſolutum in altero extremo. ℞. neg. ſequ. nam relatiua Tertij modi nō ideò differunt ab alijs, quia hæc ad abſolutum terminantur, non alia; ſed quia abſolutum ad quod hæc terminantur, non refertur realiter ad ſuum correlatiuum ex Ariſtot. quinto meth.

Vndecimò: terminus eſſe debet eiuſdem generis cum eo, quòd terminat, vt patet de ſubſiſtentia, quę terminat ſubſtantiam, & de indiuiſibilibus, quæ terminant quantitatem, ergo terminus relationis debet eſſe relatiuus, nō abſolutus. ℞. quòd terminus pertinet ad prędicamentum rei terminatæ, vel reductiuè, vt in exemplis in argumēto adductis, vel in obliquo; ſic in propoſito de termino relationis dicendum eſt, neque hoc inconuenit, & etiam per abſolutum relationem definiri, cùm talis definitio dicatur per additamentum &c. ideò neg. conſeq. an autem relatiuum definiri debeat per ſuum correlatiuū, an potius per fundamentum ſui correlatiui, patebit infra.

## ARTICVLVS VNDECIMVS.

*An inter fundamentum, & Terminum requiratur diſtinctio ex natura rei, & quanta eſſe debeat.*

1. SCot. cuius profectò tanta eſt laudandi materia, vt quiſq; exordium exordiri neſciat, de hoc quæſito egregiè diſſerit in 1. diſtin. 31. & quol. 6. & alibi. Duæ occurrunt difficultates circa præſentem articulum; vna eſt, An inter fundamentum, & terminum, quæ dicuntur extrema relationis, requiratur diſtinctio in re; Alia eſt, an fundamentum debeat eſſe plurificatum in extremis, vt illa dicantur realiter intèr ſe referri ſecundum illud, V.g. An vt Petrus dicatur realiter ſimilis Paulo, albedo, quæ eſt fundamentum talis relationis debeat in illis extremis eſſe geminata? Et quantum ad primam, aliqui dixerunt, nullam diſtinctionem eſſe neceſſariam inter fundamentum, & terminum, & hoc inferunt ex relatione identitatis ad ſe ipſum, quæ realis videtur, quia ſine fictione intellectus eſt aliquod ens idem ſibi, ſicut eſt diuerſum ab alio, vel alteri ſimile. Alij verò defendunt inter fundamentum, & terminum

eſſe diſtinctionem ex natura rei, nō tamen ſemper realem, ſed ſufficere formalem, nam eiuſdem ad ſeipſum poteſt eſſe relatio realis, ſub diuerſis tamen formalitatibus cōſideratum, & eſt cùm idem mouet ſeipſum, vt V.g. voluntas producendo inſe volitionem, tunc in ratione mouētis realiter refertur ad ſe ipſam, vt motam; & fuit opinio Baſſol. in 1. diſt. 30. q. 1. vbi aſſerit, quòd licèt relationes cauſātis, & cauſati, producentis, & producti requirāt diſtinctionem realem inter extrema, quia nihil poteſt ſe ipſum cauſare, id tamen neceſſariū nō eſt in relationibus actiui ad paſſiuum, mouentis ad motum, quia inter mouens, & motum, agens, & patiens eſt relatio realis; & tamen voluntas agit in ſe ipſam cauſando actum ſuum, ita vt ipſa ſit agens, & patiens, mouens, & mota, & videtur doctrina Scoti in 2. d. 25. q. vn, Lit.L. vbi triplex diſtinguit genus relationum; primum eſt earū, quæ dicunt dependētiam eſſentialem, vt relatio cauſati ad cauſam; Secundum eſt earum, quæ dicunt ſolam originationem vnius ab alio præſcindendo à dependentia, vt ſunt productiones Diuinæ; Tertiū eſt earum quæ dicunt ſolùm depēdentiam accidentalem, vt relationes actiui, & paſſiui, mouentis, & moti, & inquit Doctor relationes primi generis repugnare in eadem natura, & ſuppoſito; relationes ſecūdi repugnare in eodem ſuppoſito, non in eadem natura; Relationes tandèm tertij modi neć etiam in eodem ſuppoſito repugnare, qa idem poteſt in ſeipſo perfectionē accidentalem cauſare; & deindè in ſolutione principali: voluntas in quantum potentia actiua, quæ pōt elicere ſuam volitionem, eſt alia formalis ratio à potentia, vel ratione recipiēdi ſuam volitionem, ipſam perficientem.

*Concluſio Prima.*

2. Dicimus tamē, *relationē realem (de ipſa rigoroſè loquendo) petere neceſſario extrema realiter diſtincta*, ità Scot. loc. cit. in 1. & quol. 6. vbi agens de conditionibus requiſitis ad relationē realē, præcipuā aſſignat, vt ſit inter extrema realia, realiter diſtincta, & ſequuntur cōmuniter tā Scotiſtæ vt Lichet. in 2. d. 25. q. vn. Barg. in 1. d. 5. q. vn. Fab. 5. meth. diſp. 22. c. 3. Maſt. & Bell. in log. & alij, quàm Thomiſtę omnes, & prob. faciliter auctoritate Ariſt. 4. meth. vbi ex hoc probat identitatem eiuſdē ad ſe ipſum nō eſſe relationem realem, quia relatio realis verſatur inter duo, idem autèm non eſt duo realiter, quare idē ad ſe ipſum tantùm ratione refertur, idem ſibi ipſi comparando, ac ſi eſſet duo extrema; dicitur autem quodcumq; ens idem ſibi ſine vlla fictione intellectus, non quia illa idētitas dicat aliquam relationem realem eiuſdem ad ſe ipſum, ſed quatenus dicit negationem diſtinctionis realis à ſe ipſo, quæ negatio eſt à parte rei. Tū quia, vel terminus relationis realis eſt quid

abſo-

Digitized by Google

abſolutũ, in quo fundatur, vel oppoſita correlatio; quocumq; ponatur, ſemper inſurgit diſtinctio realis inter fundamentum, & terminum, extrema .n. nata ſunt relationes oppoſitas fundare. Nec valet dicere, ad hanc relatiuam oppoſitionem, quæ inter extrema relationis verſatur ſufficere diſtinctionem ex natura rei formalem, nã non benè colligerent ſancti Patres cum Theologis ex oppoſitione relatiua diſtinctionem realẽ inter diuinas perſonas; & tantò magis, quia hic loquimur de relatione prædicamentali, quæ eſt verum accidens.

3. Nec Scot. loc. cit. in 2. d. 25. docuit oppoſitum, ſed ſuppoſita iã reali diſtinctióne inter extrema, innuere voluit, non eſſe neceſſariò in omnibus æqualem, ſed juxta naturam ipſarum relatiuorum, ſi .n. important ſimplicem originationem ſine dependentia, petunt realẽ diſtinctionem tãtùm ſuppoſitorum; ſi importãt originationem cum eſſentiali dependentia, petunt realem diſtinctionẽ, non tantùm ſuppoſitorum, ſed etiam naturarum; ſi tandẽ important ſolam dependentiam accidẽtalem, neutram requirunt, idem .n. poteſt à ſe ipſo accidentaliter dependere, cauſando in ſe ipſo aliquam perfectionẽ accidentalem; ex hoc autem non requirit Scot. realem diſtinctionem quãcumq; inter extrema relationis, ſed tãtùm ſuppoſitalem, ità in illo caſu poſito à Baſſolios vel negãda eſt relatio realis inter mouens & motum, & ſolùm admittẽda inter mouens, & effectũ de nouo productũ in moto, vt voluit Barg. loco cit. vel ſi etiam inter mouens, & motũ concedatur, tunc dicendum eſt, q̃ idem, vt non habens aliquam formam realem, diſtinguitur realiter accidentaliter à ſe ipſo, vt illã habet, vt Lichet. docuit in 2. d. 25. & accepit à Doctore ibidẽ ad argum. principale, vbi ait: In quãtum medicus eſt ſanans; eſt aliud à ſe ipſo in quãtum ſanatur; & dum ibi ſubdit, quòd ly inquãtum aliud, reduplicat rationem formalem aliã, nõ verò aliam rem; per hoc noluit excludere diſtinctionem realẽ inter mouens, & motum, quando idem mouet ſe ipſum, ſed tantùm diſtinctionem realẽ ſuppoſitorum. Si tamen relatio realis minus propriè, & min' rigoroſè accipiatur pro ea ſcil. quæ non eſt penitùs rationis, ſed quomodocumq; ex natura rei reperta, dummodo tamen non importet verum accidens, ità admitti poteſt relationem realem non petere extrema realiter diſtincta, & in hoc ſenſu poteſt concedi diſtinctionem formalem importare realem relationem inter formalitates ex natura rei diſtinctas, vt benè hic aduertunt Maſtr. & Bellut. ſic enim ſolùm dicit negationem formalis Identitatis, & ità plures Scotiſtæ reconciliantur.

4. Quantùm verò ad aliam difficultatẽ, eſt cõtrouerſia inter Scotiſtas, & Thomiſtas, iſti .n. volunt, quòd

quòd fundamētum debet eſſe plurificatū in extremis, & ob hāc cauſam negant æqualitatē, quæ eſt inter diuinas Perſonas, eſſe relationem realem, quia fundatur in eſsētia, quæ eſt eadem in tribus; Vndè inferunt, quòd ſi vna, & eadem albedo numero poneretur in duobus ſubiectis, ibi non eſſet ſimilitudo realis, ſed rationis, & ſequuntur communiter Neuthetici; Scotiſtæ verò totum oppoſitum docent &c.

*Concluſio Secunda.*

5 *Dicimus 2. non eſſe conditionem neceſſariò requiſitam ad relationem realem, vt fundamentum Quo, multiplicetur in extremis, atque ideò, ſi eadem albedo numero eſſet in duob' ſubiectis, adhuc inter illa eſſet ſimilitudo realis*: ità Scot. loc. cit. in 1. d. 31. q. vn. & quol. 6. vbi è contra hac ratione probat, æqualitatem, & ſimilitudinē in diuinis eſſe relationes reales, & ſequuntur communiter eius diſcipuli Faber in 1. diſp. 47. Rada 1. p. controu. 26. art. 3. Vulp. to. 3. p. 1. diſp. 68. & Bellut. Maſtr. in log. diſ. 8. q. 7. & alij: & dimiſſis rationibus Theologicis, ità methaphyſicè probatur: Tres conditiones requiruntur neceſſariò ad relationē realem, ſcil. quòd extrema ſint realia, ſint realiter diſtincta, & quòd oriatur ex natura extremorum citra opus intellectus: at ſi eadem albedo numero eſſet in Petro, & Paulo, omnia illa tria interuenirēt, ergo &c. patet minor, hæc .n. in caſu forent duo ſimilia, nullo intellectu cogitāte. Tùm quia æqualitas, & ſimilitudo fundantur ſuper vnitatem quātitatis, aut qualitatis in diſtinctis extremis, ergo quanto maior, & verior eſt vnitas aliquorum duorū in communi ratione fundandi, tanto maior, ac verior æqualitas, & ſimilitudo inter illa orietur; hinc magis ſimilia dicuntur duo alba, quia cōueniunt in vna ratione fundandi ſpecifica, quam albū, & nigrum quę conueniunt in generica, ergo ſi duo extrema in vnico numerico fundamento conuenirent, ſicut hęc vnitas eſt omniū maior, ità relatio eſſet realiſſima; Vndè Rada ait, ſanè res miranda eſt, quod duo alba habentia eandem ſpeciem albedinem ſint intrinſecè ſimilia ſimilitudine reali; & quòd ſi illa haberent eamdem numero albedinem, eſſent quidem ſimilia nullo intellectu conſiderante, non tamē ſimilitudine reali, ſed rationis, certè hoc albū eſſet illi ſimile formaliter, nec poſſet inter illa extrema non oriri ſimilitudo ex natura rei, ergo verè relatio ſimilitudinis realis eſſet.

Reſpondet Caiet. ex D. Thoma 1. p. q. 42. art. 1. quem omnes Thomiſtæ ſequuntur, quòd præter illas tres cōditiones requiritur alia, ſcil. quòd fundamentum proximū ſit in ipſis extremis plurificatum, & ratio eorum eſt, quia fundamēta proxima ſunt illa, quę primò referuntur, remota verò, ſeu ſubiecta mediantibus illis, .ſ. albedo in Petro, & Paulo ſunt primò ſimiles, & deindè Petrus, & Paulus dicuntur

tur

tur ſimiles illis mediantibus; Hinc ad argumenta Reſpondent, quòd poſita eadem numero albedine in Petro, & Paulo eſſent vtique veræ, & realiter ſimiles ratione fundamenti realis, non tamen ratione denominationis relatiuæ, quia hæc eſſet rationis, in quo etiam ſenſu quodlibet ens dicitur eſſe idem ſibi realiter independenter ab intellectus operatione, & hæc eſt præcipua ratio, in qua fundatur Aduerſariorum ſententia.

6. Verùm, licèt de facto ità ſit in creatis, quòd ratio fundandi ſit in extremis plurificata, vt duæ albedines in duobus albis, & ideò albedines ſint fundamenta proxima, quę primò referuntur per ſimilitudinem, & ipſis mediantibus Petrus & Paulus, hoc tamen eſt per accidens ad rationem relationis, quatenus non eſt poſſibile in creaturis reperiri extrema, quæ ſint realiter diſtincta, & quòd ratio fundandi ſit in eis vna numero; quantùm verò eſt ex parte relationis, hoc totũ eſt per accidens, nam relationes primi modi præcipuè exigunt vnitatẽ in ratione fundandi ex 5. metaph. tex. 20. non diſtinctionem. hinc diſtinguè Scot. quol. 6. cit. §. *Iſtarum quatuor rationum &c.* Co. docuit, quod in Diuinis relationes ipſæ originis, quæ ad ſecundum modũ ſpectare videntur, fundantur in eſſentia, quę in tribus Perſonis eſt omnino vna, & indiſtincta, ex qua doctrina validum argumentum deducitur contra Thomiſtas, ſi .n. ad relationẽ productionis nõ requiritur neceſſariò extrema Quo, eſſe realiter diſtincta, ſed ſufficit talis diſtinctio inter extrema Quod; ità quoq; in qualibet relatione aſſerendum eſt; licèt .n. tunc ratio fundandi vnam relationẽ, nõ diſtingueretur à ratione terminandi, diſtingueretur tamẽ à termino totali, quia terminus totalis nõ eſſet præcisè albedo in alio extremo, ſed ipsũ extremũ cum albedine, & ſimiliter ex parte fundamenti, nam totale fundamentum eſſet ſubiectum cum albedine, & ità extrema totalia diſtinguerẽtur à parte rei, quod ſufficeret ad realitatem relationis, ſicut ſufficit in Diuinis ad veram, & realem perſonarũ productionẽ. Tùm tandem, quia ſubiectum non dicitur ſimile alteri ex relatione fundata in albedine in abſtracto, ſed in albedine, vt ipſi ſubiecto tribuit ſuum effectum formalem; ſed in caſu eſſent duo effectus formales à parte rei diſtincti; Petrus enim dicitur albus, ſicut Paulus, eſtò eſſet vnica forma albi, nam deſtructo effectu formali informãdi Petrum, adhuc eſſet vnio cum Paulo, ergo eſſent duo extrema formalia diſtincta relatione ſimilitudinis, Petrus enim eſt ſimilis Paulo, proximè ratione effectus formalis, quem à forma recipit.

*Obiectiones.*

7. Obſtant Thomiſtæ, ex ſuo vnico fundamento: Extrema referũtur realiter ratione fundandi, albedinis V. g. ergo ratio fundandi

debet

debet eſſe diſtincta in extremis, cõſequentia probatur, quia fundamenta proxima sũt, quę primò referuntur, & ipſis mediantibus ipſa extrema materialia, ſeu ſubiecta. Scotiſtæ communiter negant conſequentiam cum ſua probatione, nolunt enim admittere, quòd fundamenta proxima ſint illa quę primò referuntur, non n. (aiunt) vna albedo dicitur alteri ſimilis, nec vna quantitas alteri æqualis, ſed ſunt eadem in natura, & ſpecie referuntur verò fundamenta remota .ſ. ſubiecta habẽtia illas albedines, non placet, nam reuera duæ quantitates benè dici poſſunt æquales, & duę qualitates ſimiles, & qualitas, & æquale dicũtur paſſiones quantitatis, ſicut ſimile, & diſſimile sũt paſſiones qualitatis, non autẽ ſubſtantiæ, cui inhærent; & dimenſiones, & albedines quarum hoſtiarũ conſacratarum benè, & cum omni prioritate æquales, & ſimiles inter ſe dicuntur, & Mathematica demonſtrat has paſſiones de quantitate ſeparata à ſubſtantia. Tum quia hoc eſt directè contra Scot. in 4. diſt. 12. q. 2. lit. A. & Gabr. ibi. dicente oſtendit has relationes fundari immediatè ſuper ſingulares quantitates, & qualitates, ita vt hæ ſint extrema primo relata, etiã quando ſunt in ſubiecto.

Meliùs igitur ſeruit ſupra .ſ. cõcedendo, quòd albedines dicuntur primò ſimiles; & ipſis mediantib ſubiecta, ſed totũ hoc accidit quãtum ad realitatem relationum ſpectat; æqualitas. n. & ſimilitudo potius petunt vnitatem, quàm pluralitatem in fundamento; & ita ſi eadem albedo eſſet in pluribus ſubiectis, tunc illa dicerentur relatiua ſimilia, etiam quantum ad relatiuam denominationem, nam in tali caſu ipſa ſubiecta eſſent extrema, quæ primò referuntur ratione duplicati effect formalis, quos forma illis tribueret, & eſſet realis diſtinctio inter extrema adequata, & totalia; & ad illud Scotiſtarum, quòd vna quantitas, vel albedo nõ eſſet alteri æqualis, vel ſimilis, ſed eadem in ſpecie, vel natura, parũ vrget, nam in quantitate, & qualitate ratione vnitatis fundari poſſunt relationes duplicis generis .ſ. ratione vnitatis in eſſentia, fundat relationem Identitatis, ratione verò vnitatis accidentalis fundant ſimilitudinẽ, & æqualitatẽ, nã ratione vnitatis in gradibus intẽſionis qualitas fũdat ſimilitudinẽ, & quãtitas ratione vnitatis in partib extenſionis fundat æqualitatem & c.

Ob. extrema nata ſunt fundare oppoſitas relationes, idque beneficio ipſius fundamẽti, ergo hoc habet in illis eſſe diſtincta. R. nego conſequentiam, ſufficit. n. vt diſtinguantur ipſa ſubiecta totalia, & adæquata, vt ſupra diximus, vt oppoſitæ relationes reſultent; nã tam numero diſtinguũtur duę ſimilitudines exortę à duab albedinibus, quàm illæ duæ, quæ orirẽtur ab eadem albedine in duobus ſubiectis replicata, nec maior oppoſitio eſ-

ſet inter illas, quàm inter iſtas, tota .n. earum oppoſitio in hoc cõſiſtit, quod è regione contraponuntur, quatenus ꝙ eſt fundamentum vnius, eſt terminus alterius, & è cõtra.

Ob. 3. æqualitas, & ſimilitudo referũt extrema, vt vnũ, ergo quãdo vnitas extremorũ in fundaméto foret maxima, ſcil. numerica, referrent illa, vt vnum numero, & cõſequenter relatio æqualitatis, & ſimilitudinis inter ea nõ eſſet realis, ſed rationis, ſicut eiuſdem ad ſe ipſum. ℞. negãdo aſſumptum, & ratio eſt, quia nihil realiter dicitur ſibi ſimile, vel æquale, ſed vera, & realis æqualitas, & ſimilitudo eſt inter duo extrema realiter diſtincta, & ideò ad inuicem realiter referuntur, vt plura, licèt illud, in quo dicuntur aſſimilari, vel æquari ſit vnum.

## ARTICVLVS DVODECIMVS.

*Quotuplex ſit Relatio Prædicamentalis, & quæ Quartum Prædicamentum conſtituat.*

1. SCot. re vera doctrinarũ norma in 4. ſent. d. 13. q. 1. §. *Ad huius autem difficultatis Intellectũ &c.* B. Et quol. 11. art. 4. ſub lit. H. & alibi, diuiſit relationem prædicamentalem, vt à traſcẽdentali diſtinguitur, in intrinſecus, & extrinſecus aduenientem, quæ diuiſio tẽporibus ſuis erat communiſſima, & ab Antiquis Ariſt. expoſitoribus tradita, quod etiam egit Auctor ſex principiorum in eodem libro c. 1. in fine, vbi hanc diuiſionem aſſignat, & veluti famoſam ſupponit, & de vltimis ſex prædicamentis agit, vt de reſpectibus extrinſecus aduenientibus: ait enim, *ea verò, quę extrinſecus cõtingunt, aut actus, aut pati, aut diſpoſitio, aut eſſe alicubi, aut in mora, aut habere, neceſſariò erũt &c.* Quamuis præfatus Auctor ſub accidente intrinſecus adueniente comprehendat etiam quãtitatem, & qualitatem, quam tamẽ diuiſionẽ Thomiſtæ cũ pluribus Neothoricis funditus euertere conati ſũt, vt Caiet. in 3. p. q. 63. art. 2. Soncin. Suar. Rúu. Hurtad. Arriaga, & alij.

2. Supponimus pro deciſione quæſiti, relationẽ intrinſecus aduenientem in ſent. Doctoris eſſe, quę neceſſariò cõſurgit poſito fundamento, & termino, ſeu eſt illa, quę oritur ex natura extremorum, & non ex aliquo eis extrinſecè adueniente; extrinſeca verò eſt illa, quæ inſurgit non ex natura extremorum, ſed virtute alicuius, quod omnino ab extrinſeco venit, nec pertinet ad rationem extremorũ, vt extrema ſunt .i. vt habent rationem fundamenti, & termini.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, Relationes prædicamẽtales poſſe, imò & diſtingui debere in relationes intrinſecus, & extrinſecus aduenientes, & per primas hoc quartum Prædicamentum cõſtitui; per alias verò, ſex vltima prædicamenta, de quibus agemus infra.* eſt Scoti loc. cit. & ſequuntur communiter Scotiſtæ, vt videre eſt apud Fabrum 5. meth. diſp. 23. & multi etiam ex Exteris, & ita probatur: Dantur Relationes quædam, quæ poſitis extremis in

rerum natura, virtute ipſorũ præciſa, & alio quocumque ſecluſo, inſurgũt, vt diximus de ſimilitudine, æqualitate &c. dantur etiam aliæ, quæ poſitis extremis, nõ inſurgũt, ſed quædam alia requirunt omnino extrinſeca rationi fundamenti, & termini, vt modò patebit, ergo diuiſio illa benè poteſt, imò admitti debet. Aſſumptum eſt clarum, nã relationes ſimilitudinis, & æqualitatis poſitis extremis in rerum natura, in quacumque diſtantia reſultant, ità vt ad earum poſitionem nihil alind deſideratur vltra eſſe extremorum, ſic relatio ſimilitudinis, poſito Petro albo Romę, & Paulo albo Meſſanæ, neceſſariò reſultat; è contrà verò, poſitis extremis in eſſe V.g. igne, & ligno in rerum natura, ex ſolo defectu alicuius extrinſeci, ſcil. debitæ approximationis, non reſultat relatio actionis, & ſic de alijs, ergo &c. Tũ quia diſtinctio horum reſpectuũ, vt Scot. loc. cit. docet, expreſsè deducitur ex 5. Phyſ. tex. 10. vbi Philoſophus ait, ad genus ad aliquid non dari motum, quia non per ſe, ſed per accidens relationes illius generis acquiruntur, ſcil. ex ipſa extremorum poſitione, affirmat tamen dari motum ad vbi, quia habet propriam nouitatem, & propria acquiſitione acquiritur, & tamen Vbi non eſt, niſi purus reſpectus locati ad locum, vt infra patebit, ergo hi duo ordines reſpectuum diſtinguuntur.

4. Reſpondent Thomiſtæ, quòd ſi in argumento ſermo fiat de fundamento, & termino proximis, falſum eſt aſſumptum de quacumque relatione etiam extrinſecus adueniente, nã ẽt iſtæ poſitis fundamẽto, & termino proximis, ſtatim abſque alio medio reſultant: ſi de remotis eſt verum in omni relatione etiam intrinſecus adueniente, nam poſito Petro, & Paulo non ſtatim ſimilitudo inſurgit, nam illa ſunt extrema remota, at poſi a albedine in vtroq; illorum, ſtatim inſurgit relatio ſimilitudinis, cum albedo ſit fundamentũ proximum ſimilitudinis; ſic etiam in propoſito, poſito actiuo, & paſſiuo, loco, & locabili, non ſtatim reſultat relatio, quia non ponuntur cum fundamento proximo, quod in caſu eſt approximatio, at poſita approximatione, ità neceſſariò ſequitur actio, & præſentialitas, ſicut quælibet alia relatio, & hoc eſt (inquiunt) quod decepit Scot. quia locutus fuit de fundamento remoto, nõ proximo, & cõparatione illius aſſignauit relationem, extrinſecus aduenientem, quod inconſultò fecit, quia ſic etiã ipſa ſimilitudo extrinſecus aduenit, nã reſultat in ſubiecto V.g. in Petro per acceſſionem alicuius extrinſeci, ſcil. albedinis.

5. Sed tantum abeſt, quòd Subtilis Doctor fuerit deceptus, cùm potius ipſi decepti remaneãt, ſenſũ eius non penetrantes, ille .n. loquitur de relatione extrinſecus adueniente comparatione fundamenti proximi, non remoti, vt patet in



Digitized by Google

4. cit. d. 13. q. 1. lit. E. Nec fundamentum proximum actionis eſt approximatio, vt ipſi autumant, nam fundamentum proximum recipit denominationem relationis fundatæ immediatè, vt albedo, q̃ eſt ratio fundandi ſimilitudinē, dicitur ſimilis, approximatio verò non dicitur agens, vel patiens, ſed talis dicitur potētia actiua, vel paſſiua ex 5. meth. c. 15. falſum eſt etiam, quod aſſerunt, facta approximatione actiui, & paſſiui, ita neceſſariò ſequi relationem actionis, & paſſionis inter illa, ſicut ſequitur ſimilitudo poſitis duobus albis &c. Scotiſtæ .n. affirmant relationes intrinſecus aduenientes, poſitis extremis, ſequi fatali quadā neceſſitate, ita quod nec depotentia Dei abſoluta impediri poſſint, quod etiam multi ex Thomiſtis ſentiunt: actio verò, & paſſio, etiā extremis approximatis, poſſunt impediri, vt patet de miraculo facto à Deo de tribus pueris in fornace illa Babilonis &c. Quod deinde ſolæ relationes intrinſecus aduenientes hoc quartum cōſtituunt prędicam, alię verò ſex vltima predicamenta, deducit Scot. ex hoc, q̃ prędicamenta ſunt decem, & ſolùm tria sūt abſoluta, reliqua verò reſpectiua, vt infra dicem⁹; ſi ergo omnis relatio eſſet vnius rationis genericæ, prædicamenta tantùm quatuor forēt; igitur ad ſaluandum famoſum illū numerum denariū (inquit Scot) alia opportunior via non apparet, quàm diſtinguendo relationē prædicamentalem in communi in intrinſecus, & extrinſecus aduenientem, ita vt illa conſtituat quartum prædicamentum, iſta verò veluti maioris ambitus, per varias adhuc differentias contracta, alia ſuprema genera in ſuo ordine cōſtituat. Tùm quia Ariſt. recolendo relationes quarti prædicamenti, ſemper meminit earum, quæ reſultant ex ipſa extremorum poſitione; in diſtributione verò aliorum ſex prędicamentorum recolit ea, quæ prętet poſitionem extremorū aliquid extrinſecum exigunt, vt inſurgant, quod etiam Auctor ſex principiorum obſeruauit.

*Obiectiones.*

6. Ob. vel nomine termini actionis intelligitur terminus remotus .ſ. paſſum, V.g. aqua, in quo ſenſu ſumpto termino, etiam exiſtentib⁹ Petro, & Paulo, poteſt relatio ſimilitudinis nō reſultare, ſicut exiſtēte igne, & aqua poteſt nō eſſe relatio celefactionis; vel intelligitur terminus immediatus, & proximus, vt albedo Pauli eſt immediat⁹ termin⁹ ſimilitudinis Petri, ſed in hoc ſenſu, termino accepto, actio neceſſariò inſurgit, non minus, quàm ſimilitudo, poſita albedine in Paulo, terminus .n. calefactionis proxim⁹, & immediatus eſt calor inhærens aquæ; ſed calore inhærente ſubiecto, neceſſariò eſt actio, ita vt neque per potentiam Dei impediri poſſit, quin ſequatur in igne relatio actionis, & in aqua reſpectus paſſionis, ergo vana eſt diſtinctio hæc

hæc relationum intrinſecus, & extrinſecus aduenientium.

℞. quòd termin⁹ actionis propriè ſūptæ V. g. celefactionis, nō eſt calor, ſed pasſū ſ. aqua, calor. n. eſt termin⁹ ꝓductionis; q̃a productio reſpicit effectū ꝓductū, actio verò reſpicit ſubiectū, ꝙ patitur, & traſmutatur recipiēdo formā de nouo productā, quare nō dicimus calorē calefieri, & traſmutari, ſed produci, aquam verò calefieri, & traſmutari per calorem in ipſa receptum, quæ eſt doctrina Scoti in 4. d. 13. q. 1. ex hoc deducitur, quòd terminus proximus, & immediatus actionis non ſit calor, ſed aqua ſecundum ſuam potentiam paſſiuam proximam, ſicut terminus paſſionis eſt ignis ſecundum ſuam potentiam actiuam proximam; ad id aūt quòd calore recepto in aqua neceſſariò ſequitur actio, non minus, quā ſequatur ſimilitudo, recepta in Paulo albedine, ℞. cum Lych. quol. 11. inſolut. ad inſtantias cōtra 4. dictū, admittendo, quòd etiam relatio extrinſecus adueniens, aliquando neceſſariò reſultat poſitis aliquib⁹ præter fundamentum, & terminū: ſic v. g. poſitis abſolutè corpore, & loco naturali, nō neceſſariò ſequitur vbi, ſed poſito corpore in loco naturali, vt coextēſo, neceſſariò ſequitur vbi; ſic etiā poſita materia, & forma, non neceſſariò ſequitur vnio, ſed poſita forma in materia, naturaliter ſequitur vnio, & poſito igne, & aqua, nō neceſſariò ſequitur actio in igne, & paſſio in aqua, ſed inducto calore in aqua, neceſſariò ſequitur actio; ſed nō ideò ex hoc (ait Lychet.) hæ dici poſſūt relationes intrinſec⁹ aduenientes, & neceſſariò oriri, vt ſimilitudo; & ratio eſt, q̃a neceſſitas ſimilitudinis procedit ex natura termini, & fundamenti, & neceſſariò oritur ab extremis abſolutè inſpectis, non ſic præfati reſpectus Vbicationis, Vnionis, Actionis, & paſſionis, ſed eorum neceſſitas procedit ab aliquo extrinſeco, quod nō habet rationē fundamenti, & termini. Similitudo igitur dicitur reſpectus intrinſecus adueniens, quia acquiritur neceſſariò ad poſitionem albedinis in Paulo, quæ albedo habet rationē fundandi vnam ſimilitudinem, & aliam terminandi; & ideò nō poteſt eſſe noua ſine nouitate fundamenti, vel termini; in propoſito verò, licèt actio, & paſſio haberi non poſſint, niſi prius aliquo abſoluto producto in paſſo, tamen abſolutum illud nullo modo ſpectat ad rationem proximi fundamenti, neque ad terminum, quia nec fundat paſſionem, nec actionem terminat. hæc eggregiè Lych. qui reuera melius dicere non poterat.

Ob. 2. Dantur è contra aliquæ relationes, quæ adhoc quartum prædicamentum ſpectant, & tamē non oriuntur neceſſariò exiſtente vtroque extremo; ità ſe habet relatio cauſæ ad effectum, quia non poteſt ſuum effectum producere in quacumque diſtantia, ſed requiritur debita approximatio, ſic etiā

ſe

Digitized by Google

ſe habet relatio propinquitatis inter Petrum, & Paulum, quæ non ſtatim ſequitur ipſis poſitis in rerũ natura, ſed in illis eſt tantùm fundamẽtum quaſi remotum, & oportet aliud adiungere, quòd ſit proxima ratio fundandi, & quaſi excitandi relationem, ſic tandèm eſt de paternitate, quæ actionem expectat, vt reſultet in Petro Patre reſpectu filij, & ſic vniuerſaliter eſt de relationibus ſecundi modi, quæ vt inſurgant, extrinſecã aliquã conditionem expoſtulãt, & tamẽ ad hoc quartum prædicamentum ſpectãt.

℞. neg. añs, & ad primam probationem, diſtinguendum eſſe vt ſupra, inter actionem & productionem, & inter cauſam vt agentẽ, & vt producentẽ, nã ignis vt agẽs reſpicit paſſum V.g. aquam, vt pducens reſpicit effectum i. calorẽ in aqua productum; nõ requiritur igitur approximatio effectus ad cauſam producentem, ſed paſſi, ad cauſam agentem, vt relatio actionis reſultare poſſit, quæ approximatio reſpectu productionis ad effectum requiritur merè per accidens, quatenus paſſo debitè approximato poſſit agẽs ſuam formam producere, quo effectu poſito in eſſe, in quacũque diſtantia ad cauſam refertur, quòd dici non poteſt de paſſo. Ad ſecundam probationem, quicquid dicat Faber, q. vult relationes diſtantiæ & propinquitatis ſpectare ad prædicamentum vbi, concedimus, quòd ſuppoſitis duobus corporibus vbicatis in rerum natura, ità neceſſariò inſurgat relatio inter illa tantæ diſtantiæ, aut propinquitatis, ſicut ſuppoſitis duobus albis, ſequitur inter ea ſimilitudo; verum eſt etiam quòd tales relationes non ſequuntur abſolutas entitates Petri, & Pauli, q. a hæc ſunt fundamenta remota, ſequuntur tamẽ neceſſariò entitates Petri, & Pauli, vt vbicatas, atque ideò dici debent intrinſecus aduenientes, quia inter extrema proxima neceſſariò reſultant. Ad vltimam probationem, adhuc negatur paritas, nam relationes intrinſecus aduenientes interdum cõditionem expectant ad ſolùm hoc, vt ponatur terminus, vt de paternitate patet reſpectu filij, quo poſito, ſtatim neceſſariò cõſurgit relatio, ſed extrinſecus aduenientes, adhuc poſito termino, quæ eſt V.g. aqua calefactibilis, expectant aliam cõditionem prorſus aduentitiam, & extrinſecam rationi termini; An autem omnes relationes ſecundi modi ſint intrinſecus aduenĩẽtes, patebit infra. Et eſt hic valdè aduertendum, quòd relatio tàm intrinſecus, quàm extrinſecus aduenjens attendi debent in ordine ad fundamenta proxima, non remota, quia ſic omnes eſſent extrinſecus aduenientes.

Tertiò: Neceſſaria conſecutio, vel contingens non variat rei eſſẽtiã, vt patet de nigredine, quæ eſt eiuſdem ſpeciei in coruo, & in homine, licèt illi neceſſariò inhæreat, non aũt homini, ergo non benè di-

ſtin-

ſtinguuntur iſti duo ordines reſpectuum eſſentialiter, per conſequi extrema neceſſariò, vel contingenter. ℞. añs non ſemper eſſe verum, aliquando .n. ipſa conſecutio neceſſaria, vel contingens ab intrinſeco eſt, vel ſaltèm circumſcribit differentiam eſſentialem.

Dices, Et quando etiam ex neceſſitate, & contingẽtia conſequẽdi terminum variarentur eſſentialiter ſpecificè relationes, non tamẽ inde ſequitur, quòd differrent genere, imò cùm omnes conuenire debeât in communi ratione reſpectus, omnes quoque ad idem prædicamentum ſpectare debent. ℞. neg. ſequ. & ratio eſt, quia ſicut admittimus ſeptem vltima prædicamenta in conceptu generico relationis in communi conuenire, & nouê genera in conceptu generico accidẽtis, & omnia decẽ in cõceptu vniuoco entis finiti, quẽ etiã cõcedim⁹ eſſe genericum, & tamen hoc non obſtat quin poſtea per varias differentias valdè communes ſubdiuidendo ens finitum, plura prædicamenta conſtituantur in determinata ſerie rerum, ſic in propoſito aſſerendum erit &c.

Eſt tñ hic valdè not. quòd licèt potuerit Ariſ. omnes relationes in vno prædicamento reponere, ſicut fecit de qualitatib. quia tamẽ magna erat multitudo, & copia reſpectuum extrinſecus aduenientium, placuit Philoſophis ad cõmodiorẽ doctrinam, in ſex prædicamenta illos diſtribuere &c.

## ARTICVLVS TERTIVSDECIMVS.

*De Principio, vndè ſumenda ſit Vnitas, vel diſtinctio ſpecifica Relationum.*

1. SCot. cuius dicta per vniuersũ orbẽ clara celebrantur, hunc Art. reſoluit in 2. ſent. diſt. 1. q. 5. & .5. Meth. q. 12. in corpore, quẽ ſequuntur Ioannes de Magiſtr. hic q. 3. Zerbius 5. Meth. q. 15. & Scotiſtæ communiter, cum pluribus ex Recentioribus. Loquimur hic de vnitate, & diſtinctione ſpecifica, & eſſentiali relationum, nõ numerica, nam hæc ab illa pendet. Et 3. ſunt opiniones, duę extremæ, & vna media. Prima extrema affirmat relationes accipere hãc vnitatem, aut diſtinctionem à fundamentis, non à terminis; & ratio horum eſt, quia ad eumdem ſpecie, & numero terminum poſſunt plures relationes ſpecie diuerſæ tendere, vt ad eãdem albedinem relatio ſimilitudinis alterius albedinis, & alterius nigredinis diſſimilitudo, ſi igitur vn⁹ eſt terminus, & duplex ſpecie relatio, vtique vnitas, & diſtinctio ſpecifica earum, non ex terminis attendenda erit, ſed potius ex fundamẽtis, ità ſentire videtur D. Thom. 3. p. q. 35. art. 5. & quol. 1. art. 2. quem multi ex eius diſcipulis ſequuntur Caiet. ibi, & q. 13. art. 7. Bannez ibidem art. 3. dub. 2. ad 3. Flandra 5. Meth. q. 16. artic. 10. Nazarius, & alij. Altera extrema opinio è contra aſſerit, relationes ſumere vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam à terminis, non à

fun-

fundamentis, & ratio horum eſt, quia in eadem omnino entitate fũdantur relationes ſpecie differẽtes, vt in eadem albedine relatio ſimilitudinis cum alia albedine, & diſſimilitudinis cum nigredine, ergo cùm hic ſit duplex relationis ſpecies, & non duplex fundamentum, ſpecificatio relationis, à fundamẽto ſumi non poterit. Et hæc opinio communiter tribuitur Scotiſtis, aſſerentibus relationes ſpecificari à termino, & ſequitur Soncin. 5. Meth. q. 32. & alij. Tertia demum media, quæ communior eſt, docet relationem vnitatem, & diſtinctionem ab vtroque accipere.

2. Supponimus ex dictis pro reſolutione, duplicem eſſe relationum diſtinctionem, vnam intrinſecam, quæ circa aliquod intrinſecum attenditur, alteram extrinſecam, quæ attenditur penès aliqua, quę licet neceſſaria ſint ad relationis conſtitutionem, adhuc tamen ad eam concurrunt extrinſecè. Item quòd fundamentum, & terminus relationis poſſunt ſumi dupliciter, vel materialiter .ſ. pro entitatibus materialibus eorum, vel formaliter .ſ. pro rationib. formalibus fundandi, ac terminandi relationem, quo ſuppoſito.

*Concluſio.*

3. *Dicimus, diſtinctionem ſpecificam relationum intrinſecam deſumendam eſſe ex proprijs, & intrinſecis earum differentijs, extrinſecam verò ſumi poſſe, tàm à fundamento, quàm à termino, conſideratis tamen formaliter, non materialiter.* eſt Scoti loc. cit. & ſequūtur Scotiſtæ relati, Maſt. & Bellut. hic, & alij paſſim, & ex exteris Suar in Meth. diſp. 47. ſec. 17. num. 15. Ruu. hic q. 6. Didac. diſp. 14. p. 2. q. 2. Complut. diſp. 14. q. 7. Ioã. de S Thom. hic q. 17. art. 6. Sanc. Blanc. & alij. Et quoad primam partem ita facilè probatur: Rerum eſſentiæ diſtinguuntur ab alijs eſſentialiter per eadem principia, quibus conſtituuntur, eadem .n. ſunt principia conſtitutiua, & diſtinctiua, ſed relationes intrinſecè & eſſentialiter conſtituuntur per proprias differentias, quia .n. ſunt accidentia, non conſtant ex materia, & forma; & quia non ſunt entia omnino ſimplicia, neceſſariò petunt ſaltèm compoſitionem ex genere, & differentia. Neque hoc præſtare poſſunt fundamentum, & terminus, nam in noſtra ſententia hæc diſtinguuntur realiter à relatione, partes autem eſſentiales methaphyſicæ non diſtinguntur realiter à tali compoſito. Tùm quia genus, & differẽtia ſpectant ad idẽ prædicamentum, ad quod res ipſa pertinet; fundamentum autem, & terminus regulariter ad aliud prædicamentum ſpectant.

4. Probatur quo ad aliam partem, nam ſi terminus, & fundamẽtum accipiantur materialiter, non poteſt penès illa ſumi diſtinctio relatiua ſpecifica extrinſeca, quia ſuper idem fundamentum poſſunt vtiq; diſtinctę ſpecie relationes fundari, & ad eumdem terminum tẽdere,

dere, vt prima, & ſecunda oppinio probabāt. Verùm ſi formaliter ſpectentur; vtique in hoc ſenſu relationes ſpecie diuerſę, exigunt quoque fundamentum, & terminū ſpecie diuerſa; aut ſaltem alterū, eorum, quod euidenter patet exemplis pro prima, & ſecunda opinione adductis, nam albedo, vt dicit vnitatem fundat, vel terminat relationem ſimilitudinis, vt verò dicit pluralitatem, fundat, vel terminat diſſimilitudinem, ratio.n. formalis, & proxima fundandi, vel terminandi ſimilitudinem eſt vnitas, ratio autem fundandi diſſimilitudinem eſt pluralitas, vt infra patebit. Et ex defectu huius diſtinctionis orta eſt controuerſia inter primam, & ſecundam opinionem, loquuntur.n. de fundamento, & termino materialiter ſumptis, non formaliter. Et in hoc ſenſu loquebantur Scotiſtæ aſſerētes poſſe relationes p terminos diſtingui, vt de facto Ariſt. diſtinxit 5. meth. c. 15.

*Obiectiones.*

6. Ob. 1. quòd relatio nō poſſit ſpecificari à termino: ab eo relatio habet vnitatem, & diſtinctionem, à quo habet eſſe, quia eadem ſunt principia eſſendi, & diſtinguendi, ſed à ſolo fundamento habet eſſe, non à termino ex dictis, poſito .n. termino, vt conditione, efficiēter conſurgit à ſolo fundamento, ergo à ſolo fundamento, & non à termino vnitatem, & diſtinctionē habet. ℞. quoad entitatem eius vtique relationem nō ſpecificari niſi à fundamento ob allatam rationem, quia reuera ſolum fundamētum eſt cauſa eſſe relationis, verùm quia inter alia accidētia in relatione inuenitur hoc ſpeciale, quòd vltra habitudinem ad fundamentū, à quo accipit eſſe, & realitatem, ordinatur quoque ſuaptè natura ad terminum extrinſecum, ideò etiam inter alia accidētia hoc ſpeciale habet, vt diſtinctionem, & vnitatem accipiat, non ſolùm ab eo in quo, & à quo habet eſſe, ſed etiam ab eo ad quod eſt; & huius ratio eſt; quia non habet eſſe à fundamento vtcumque, ſed preciſè poſito termino; quæ doctrina exēplificari poteſt de potentijs, quę nō dimanant ab actibus, & tamen ab eis extrinſecè ſpecificantur, ſicut, & actus ſpecificantur ab obiectis, à quibus non ſemper accipiunt eſſe, vt in libris de anima patebit.

Sed Vrges, terminus reuera non eſt cauſa relationis, ergo non pōt ab eo ſpecificari, non.n. apparet in quo genere cauſæ ſpecificatio hæc fieri poſſit. ℞. quòd propriè loquendo in nullo genere cauſæ ab eo ſpecificari poſſit, ſed tantùm tamquam à conditione, & quodā addito ad eius eſſe, & intellectionē neceſſariò coexacto, qui mod' ſpecificandi ab Auctoribus reduci ſolet ad genus cauſę formalis extrinſecæ, in quo etiam genere (aiunt) potentias ſpecificari per actus, & actus per obiecta, aſſerentes, quòd ſpecificatio relationis ſumatur à fundamento initiatiuè, & radicaliter,

ter, cùm ſit cauſa, & radix relationis, à termino verò completiuè, & formaliter, quatenus eſt id, in quo vltimatè relatio ſiſtit.

Ob. 2. è contra, quòd non poſſit ſpecificari à fundamēto: relatio ſimilitudinis inter duas albedines, & relatio ſimilitudinis inter duas nigredines non diſtinguuntur ſpecie, & tamen fundamēta ſpecie diſtingũntur; ergo. Reſpondent aliqui negando aſſumptum, nã ſicut albedo eſt alterius ſpeciei à nigredinē, ſic & eãrũ relationes. Verùm, ſi illi admittunt vnitatem vnius albedinis, aut nigredinis cũ alia eſſe eiuſdem rationis vtrobique, & ex ſola diuerſitate entitatũ albedinis, & nigredinis intendunt ſaluare diuerſitatem ſpecificam illarum relationum, nec conſequenter loquũtur, neq; argumento ſatiſfaciunt; ad diſtinguendum enim ſpecificè relationes non attēdi debent fundamenta remota, vt ſunt albedo, & nigredo, ſed proxima, vt ſunt vnitates. Vndè alij affirmant etiam fundamēta proxima ſpecie diſtingui, ſcil. vnitates ipſas, atque ideò relationes proximè in ipſis fundatas, eſſe quoque ſpecie differentes, quæ ſolutio melior præcedenti videtur, nã cùm vnitas ſequatur naturam, velut eius propria paſſio, ad diuerſitatem naturarum veroſimile eſt etiam vnitates ipſas variari. Alij tamen defendunt ſimilitudinē duarum albedinũ eſſe eiuſdē ſpeciei cum ſimilitudine duarum nigredinum, quia licèt naturæ, q̃ ſũt extrema illarum relationum ſint alterius rationis, modus tamen vnitatis, qui eſt ratio proxima fundandi illas, eſt vtrobique eiuſdem rationis, eo modo, quo dicimus proportionem duplam inter duo, & quatuor eſſe eiuſdem rationis cum ea, quæ reperitur inter quinque, & decem, etiam ſi numeri, qui illas fundãt, ſpecie inter ſe differant; ſicut etiã dicere ſolemus in relationibus rationis, genereitatē in ſubſtantia fundatam, eſſe eiuſdem ſpeciei cum ea, quæ fundatur in quantitate, quatenus idem eſt modus prædicandi vtriuſque; quòd ſi inſtas, minus diſtingui duas relationes ſimilitudinis fundatas in albedinibus, quàm duas, quarum vna in albedine, alia in nigredine fundatur, ſed priores diſtinguũtur numero, ergo poſteriores ſpecie diſtingui debent. R. maiorem illam diſtinctionem non eſſe eſſentialem ſed accidentalem, quæ ſolutio eſt omnibus melior, & ſatis adæquatè ſaluat difficultatem illam de proceſſu in infinitum relationum, fundando vnam ſuper aliam. Et fuit Doctrina Scoti 5. meth. q. 12. in ſolut. ad 1. vbi ait, ſuper duo generaliſſima fundari poſſunt relationes eiuſdem ſpeciei, quia non oportet tantam diſtinctionem eſſe in relationibus, quantam in fundamentis, & præcipuè remotis.

Sequitur Didacus à Ieſu diſp. 14. 1. p. q. 2. cum alijs.

## ARTICVLVS QVARTO-DECIMVS.

*De Tribus Modis Relatiuorum ab Ariſt. aſsignatis.*

1. SCot, qui primam in literis celebritatem ſibi ſuo quodam iure vindicauit, de his diſertè agit 5. meth. q. 12. & in 1. d. 4. q. 5. & d. 30. q. 2. & quol. 13. lit. V. & ſæpe alibi. Ariſt. 5. meth. c. 15. tres modos relatiuorum aſſignauit, aſſerens, quædam relatiua dici ſecundum vnitatem, vel numerum, ſeu multitudinem, vt ſimile ad ſimile, æquale ad æquale, duplum ad dimidium. Quædam dici ſecundum potentiam actiuam, & paſſiuam, vt calefactiuum ad calefactibile, calefaciẽs ad calefactum, & actiuũ ad paſſiuum; quædam denique vt menſurabile ad menſuram, ſcibile ad ſciẽtiam, & ſenſibile ad ſenſum. ex quo triplici fundamento, tria diſtinxit genera relationum, quarũ primum eſt earum, quæ fundantur in vnitate, vel pluralitate, ſeù numero, vt æquale, ſimile, & Idem, quæ ſuper extremorum conueniẽtiam fundantur; duplum, & dimidium, quæ fundantur ſuper multitudinem, ſeù diſconuenientiam. Alterum eſt earum, quæ fundãtur in actione, vel paſſione, ſeù potentia actiua, & paſſiua, vt paternitas, & filiatio, & vniuerſaliter relatio cauſæ, & effectus. Tertium tãdem illarum eſt, quæ fundantur ſuper menſuram, & menſurabile, vt ſciẽtia, & ſcibile; ait autem Ariſt. relationes huius tertij generis non eſſe mutuas; nam ſcientia refertur ad ſcibile, & non è contra; relationes verò primi, & ſecundi modi eſſe mutuas.

*De Primo Modo Relatiuorum.*

2. Quoad Relationes primi generis, aduertimus philoſophum ibi non accipere vnitatem, & multitudinem, ſeù numerum prædicamentaliter, pro vnitate, ſ. quantitatis continuæ, & numero orto ex diuiſione continui, tunc. n. relationes huius generis, non niſi in prædicamento quantitatis eſſent, ſed ſumuntur traſcendentaliter, quatenus ſub modo in vnoquoque genere reperiri poſſunt, vt Scot. aduertit in 1. d. 19. q. 6. & D. Thom. q. 7. de potentia art. 9. Vnde poſtea ſubdit Ariſt. eadem eſſe, quorum ſubſtantia eſt vna; ſimilia, quorum qualitas eſt vna; æqualia, quorum quantitas eſt vna &c.

3. Aduertimus, quòd cùm Ariſt. ait relationes huius primi generis fundari in vnitate, vel multitudine, per vnitatem non intelligitur aliquid, quod realiter ſit vnũ in extremis relatis, nam natura hominis, & equi, aut Petri, & Pauli non dicitur vna in ambobus, ita vt ſit vna, & eadem entitas, ratione cuius inter illa extrema reſultet relatio identitatis genericæ, vel ſpecificæ, ſed pro vnitate intelligitur conuenientia in aliquo prædicato vtriſque communi; quòd proindè dicitur vnum non per inexiſtentiam, ſed per indifferentiam, vt diximus diſput. de Vniuerſali, in

quo

Digitized by Google

quo ſenſu duo indiuidua eiuſdem ſpeciei dicuntur vnius, & eiuſdem naturæ, quàm vnitatem Scot. in 2. d. 3. q. 6. vocat formalem, & eſſentialem, & à numerica diſtinguit, quæ materialis dici ſolet; ſicut, & per multitudinem intelligitur diſconueníentia extremorum in prædicato communi.

4. Quia igitur extrema poſſunt tripliciter conuenire, & vnam naturam hoc ſenſu participare, & è contra tripliciter diſconuenire, indè Ariſt. tres ſpecies aſſignauit ex parte vnitatis, & totidem ex parte multitudinis; nam ex eo, quòd duo extrema conuenire poſſunt in eſſentia, & ſubſtantia (quia per ſubſtantiam Ariſt. intellexit etiam eſſentiam, & quidditatem ſecundum expoſitores communiter) oritur Identitas, quæ fundatur ſuper vnitatem ſubſtantialem, ſeù eſſentialem in quo ſenſu omnia indiuidua tàm ſubſtantiæ inter ſe, quàm accidentis inter ſe dicuntur eiuſdẽ eſſentiæ, & naturæ; ex eo, quòd conuenire poſſunt in quantitate, prout quantitas vnius non excedit quantitatem alterius, neque exceditur, oritur æqualitas, quæ fundatur in quãtitatibus, non quatenus ſunt eiuſdem naturæ, & rationis eſſentialis, nam ſic fundant identitatem, ſed ratione actualis extenſionis, quatenus hæc in extenſione tanta eſt, quanta eſt illa; ex eo deníque quòd cõuenire poſſunt in qualitate; oritur ſimilitudo, q̃ fundatur in qualitatibus, non quia ſunt eiuſdem naturæ, & eſſentiæ, nã ſic fundant identitatem, ſed ratione eiuſdem intenſionis, ſic etiam & è contra, quia extrema tripliciter diſconuenire poſſunt, nimirum participando naturas alterius rationis, totidẽ etiam ſpecies oppoſitę ex parte multitudinis oriũtur, ex eo namq; quòd aliqua duo habent naturas alterius rationis, dicuntur diuerſa; ex eo, quòd habent diuerſas qualitates dicuntur diſſimilia; & denique ex eo, quòd improportionata ſunt in quantitate, inæqualia dicuntur. Aduertit tamen Scot. 5. meth. q. 12 & in 1. d. 19. q. 1. quòd ſi hæ ſpecies metaphyſicè ſumantur, per totum genus entis vagantur; omne .n. ens alteri comparatum eſt idem, vel diuerſũ in aliquo prædicato; eſt æquale, vel inæquale quantitate virtutis, & ſimile, vel diſſimile, quatenus quodlibet ens propriam habet differentiam, quàm Ariſt. 5. Meth. qualitatem appellat.

5. Sed dices, Vnitas, quæ eſt fundamentum relationis identitatis, debet eſſe vnitas pluriũ, aliter non fundaret relationem ad aliud, ſed omnis vnitas plurium à parte rei diſtinctorum eſt vnitas rationis, cũ in creaturis nulla vna, & eadem entitas realis in duabus rebus diſtinctis reperiatur, ergò nulla relatio ex parte vnitatis eſt realis. R. neg. min. de vnitate formali p in differentiam, quæ in præſenti ponitur fundamentum harum relationum primi generis, nam hęc vnitas

realis eſt, vndè argumentum tantùm currit de vnitate formali per inexiſtentiam.

6. Obijces de Multitudine, nã numerus, & multitudo conſtituitur pluralitate, ac diuiſione, quæ formaliter in negatione cõſiſtit, hinc inæqualitas V.g. fundatur in hoc, quòd hæc quantitas aliquid non habet, quòd habet alia, ergo cùm deficiat fundamentum reale, & poſitiuum, relatio ex parte multitudinis non erit realis. ℞. neg. aſsũptum, quãuis .n. multitudo aliquo modo negationẽ inuoluat, ſupponit tamẽ reales, & poſitiuas entitates, quarum vna eſt diuerſæ rationis ab alia; ſic V.g. relatio diuerſitatis fundatur in homine, & equo, non ratione illius negationis præcisè, ſed ratione propriæ eſſentiæ cuiuslibet, quatenus ſecũdum vnitates formales, ſunt plures eſſentialiter. Verum tamen eſt, quòd nõ omnes relationes adhuc primum modum ſpectantes, reales cenſentur, nam ſicut vnum eſt multiplex .ſ. vnum numero, ſpecie, genere, & proportione, ita Identitas fundata ſuper hoc, & illud vnum ad hũc primum modum pertinebit, ſaltem reductiuè, etiã idẽtitas numeralis, q̃ apud omnes eſt relatio rationis cũ ſit eiuſdem ad ſeipsũ; & proportiones ab Arithmeticis excogitatæ, quę reuera reales non ſunt, cùm numerus non ſit reuera vnum per ſe eus, ab Ariſt. in hoc genere relationum recenſetur.

*De ſecundo Modo Relatiuorum.*

6. De Illis magna eſt controuerſia inter Auctores de earũ fundamento proximo, ſeu ratione fundandi, an ſit actio, & paſſio; an potius potentia actiua & paſſiua proxima, & formalis, vel tandem ſubſtantia ipſa, quæ eſt principium radicale actionis, & paſſionis. Multi ex Thomiſtis cum D. Tho. 1. p. q. 28. art. 4. & 4. contra gentes c. 24. aſſerũt ipſam actionem, & paſſionem eſſe fundamentum proximum harum relationum. ita Caiet. 3. p. q. 35. art. 5. Iauel. Sot. Sanch. Complut. & alij; quam opinionem Scot. pluribus locis confutat, vt videre eſt 5. Meth. c. 15. & in 4. d. 6. q. 10. lit. I. & quol. 12. lit. C. & ſæpè alibi, & huius ratio eſt, quia fundamentum proximum, & ratio fundandi tandiu permanere debẽt, quandiu manet relatio, ſed manet paternitas, tranſacta actione generatiua, ergo &c.

7. Complut. Reſpondent concedẽdo relationes ſecundi generis eſſe poſſe ſine fundamento proximo, dummodo maneat fundamẽtum remotum, quod eſt ſubiectum inhæſionis eorum, & ratio eſt, quia ratio fundandi in his relationibus, ſolùm eſt neceſſaria in fieri, & in primo produci relationis, non autem in facto eſſe, & conſeruari; ad quod ſufficit perſeuerãtia fundamenti remoti, cui inhærent, & in hoc præſertim differunt relationes huius generis à primis, quòd illæ inhærent immediatè fundamento

pro-

Digitized by Google

proximo, vt ſimilitudo V. g. proximè inhæret albedini, & ipſa mediante parieti &c. quod non eſt de relationibus huius generis, nam paternitas proximè inhæret ſubſtantiæ hominis generantis, filiatio ſubſtantiæ geniti, non autem fundamento proximo.

Sed hæc doctrina facilè reijcitur à Doct. loc. cit. in 4. d. 6. q. 10. nã fundamentum proximum, & formale nõ tantùm eſt cauſa relationis in fieri, ſed etiam in eſſe, quod patet ex dictis de fundamento, & termino, nam relatio pendet, & ſpecificatur ab extremis, non vt cũque ſed ſub ratione formali fundãdi, ac terminandi conſtitutis; vnde ſicut Petrus, & Paulus non ſpecificant relationem ſimilitudinis, niſi vt ſtant ſub vnitate albedinis, quæ eſt ratio fundandi illam, ita Petrus pater, & Paulus filius non poſſunt ſpecificare relationes paternitatis, & filiationis, niſi vt ſtant ſub ratione formali illas fundandi. Tùm quia etiam falſum eſt huiuſmodi relationes nõ inhęrere immediatè fundamento proximo, ſicut relationes primi generis, quia ſi ignis medio calore calefacit, vt potẽtia actiua, quæ ſit illi ratio agẽdi, & ratio fundandi actionem, iam relatio actionis immediatè inhæret calori, vt ſimilitudo albedini, & calor ab igne ſeparatus diceretur agens, & patiens, ſicut albedo à ſubiecto ſeparata diceretur ſimilis; & idem dicendum eſſet de paternitate reſpectu potentiæ generatiuę, ſi hæc poneretur accidens realiter diſtinctũ à ſubſtantia generantis, vt Thomiſtæ affirmant, quòd deindè potentia generatiua non denominatur Pater, ſed ſubſtãtia ipſa patris, hoc parum obeſt; non enim oportet accidens ſemper denominare ſubiectum proximum, cui inhæret, quia intellectio proximè animæ noſtræ inhæret, & tamen denominatio toti homini competit, quod etiam in multis alijs accidẽtibus videmus. Ita Bell. & Maſt. hic.

8. Hinc Ioannes de S. Thoma volens reſponſionem Thomiſtarũ moderare, ait, quòd actiones non dicuntur fundare relationes ſecundum quod ſunt in fieri, ſed quatenus ſunt in facto eſſe, quod ſic declarat: licèt actio in ſe tranſeat, tamen in cauſa reliquit determinationem quamdam ad effectum iam poſitum, ſiuè per habitum, ſiuè per diſpoſitionem, aut ius, vel aliquid ſimile, ratione cuius poteſt fundare relationem ad illum. Sed hęc ſolutio nulla eſt, quia non apparet quænam diſpoſitio, vel habitus ex actione relinquatur, in quo fundari poſſit relatio ad effectum; & hoc etiam admiſſo, tunc relationes huius generis non amplius fundarentur immediatè in actione, vt Thomiſtæ contendunt, ſed ſuper qualitatem, quod ipſi negant.

9. Melius igitur dicendum eſt cum Scoto, quòd nõ actio, vel paſſio, ſed potentia actiua, & paſſiua ſunt fundamẽta proxima huius relationis; explicat autem id non intelli-

telligi debere de potẽtia nuda, ſed iam vt ad actum reducta p actionem, ità vt actio, & paſſio ſint ſolùm conditiones, ſiuè diſpoſitiones neceſſariò præ requiſitæ; fundamẽtum verò potentia iam ad actum reducta, & ſequũtur Scotiſtæ communiter Anton. Andr. 5. Meth. q. 14 Zerbius, Bonet. Faber, Maſtr. & Bell. & alij, & prçter Scotiſtas, multi etiã ex Thomiſt. ſequũtur Sonc. 5. Meth. q. 25. Flandra 5. Meth. q. 16. art. 4. Ruu. Moriſ. Didac. & alij; & colligitur ex Ariſt. 5. Met. vbi ait: *Actiua verò & paſsiua ſecundũ actiuam & paſsiuam potentiam, & potentiarum actiones*. Quibus verbis innuere voluit vtrumque ad fundamentum pertinere, potentia quidem, vt ꝓpriè fundamentum, actionem verò vt conditionem neceſſariam, & ꝑuiam diſpoſitionem, ſine qua non poteſt potentia eſſe proximum fundamentum.

10. Verùm cõtra noſtram opinionem Vrgent Suar. Hurtad. & alij ex Recentioribus, & eadem ratione, qua Doctor contra primam opinionem vrgebat, nam Petrus V. g. viuente filio, poteſt potentiam generatiuam amittere, vt ſi caſtretur, quia tunc præciditur ſeminis officina, vel ſaltẽ poteſt à Deo auferri, & tamen adhuc remanet Pater, ergo potentia generatiua non erit fundamentum proximum paternitatis. Quare Suar. cum Hurt. & alijs, vt melius huic obiectum prouiderent affirmant talem relationem neque in actione fundari neque in potentia proxima, ſed in radicali, ſ. in ipſa ſubſtãtia immediatè, quę ſẽper permanet, ſiuè actio tràſeat, ſiuè potẽtia generatiua deſtrueretur. Sed neq; hic mod⁹ dicẽdi placet, nã relationes hui⁹ generis ſũt relationes originis, vel proceſſionis vnius ab alio, ergo principiũ ꝓximũ huius proceſſionis eſt ratio fundandi tales relationes, quæ eſt potentia generatiua complete ſũpta, nõ ſubſtantia patris, patet cõſequentia, nam vt Petrus Pater referatur ad Paulum Filium, non ſufficit intelligere ſimpliciter ſubſtãtiam vtriuſque, ſed in ſubſtantia patris debet concipi aliquid pertinens ad rationem agendi, vt reſpiciat ſubſtantiam Pauli in ratione effectus; ergo nuda ſubſtantia Petri non poteſt eſſe ratio fundandi paternitatem, cùm ſine potẽtia generatiua non attingat effectum.

11. Idcircò pro reſolutione huius pulchri dubij, aduertimus eſſe aliquos effectus, qui à cauſa ſecunda non ſolùm eſſentialiter dependent in fieri; ſed etiam in conſeruari, vt patet de lumine, ſono &c. alios verò ab ea depẽdere ſolùm in illo inſtanti, quo ſunt, non verò amplius, vt domus ab ædificatore, filius à Patre &c. quomodo ſunt relationes hui⁹ ſecũdi modi. ſ. originis, & proceſſionis vnius ab alio; effectus primi generis, in primo inſtanti productionis eorum, ac etiam deinceps fundant ad cauſam relationem realem dependentiæ, ſicut, & cauſa oppoſitã relationem ad ipſos;

ſos; effectus verò ſecundi ordinis tantùm in primo inſtanti fundant relationem realem dependentiæ ad cauſam, non verò deinceps, ſed poſtea ex ipſo actu cauſalitatis tranſacto, remanet, tantùm denominatio extrinſeca, quòd hoc fecit, & illud factum eſt, quæ denominatio eſt vtique realis, non tamen relatio realis dependentiæ, & tales sũt denominationes patris, & filij, q .ſ. ille generauit, & hic genitus eſt, quæ doctrina manifeſtè colligitur ab Ariſt. 5. meth. c. 15. vbi ait iſte dicitur Pater quia fecit, ille filius, quia paſſus eſt; hinc dicere ſolem? Paulum eſſe filium Petri, etiam ipſo Petro mortuo, hac vtique ratione, quia ab ipſo genitus fuit, quod etiam clarè deducitur ex eo, quia tales relationes eſſent cauſalitatis, & dependentiæ, at poſtquam filius eſt genitus, non pendet amplius in eſſe à Patre &c.

11. Sed vrges, quia adhuc maneret ratio ſufficiens ad fundandã relationem, quia iam remanerent extrema, ad quorum poſitionem neceſſariò reſultat relatio intrinſecus adueniens. ℞. quòd ſi obiectio vrgeret, probaret etiam ipſam generationem manere, cùm maneat etiam extrema .ſ. generans, & genitum, cùm ipſa generatio ſit relatio intrinſecus adueniens; ſicut igitur ipſa non manet, quia generans, & genitum ſecundum ſuas entitates non ſunt extrema eius formalia, ſed materialia tantùm, idẽ de paternitate, & filiatione aſſerẽdum erit, & tantò magis, quia ex Scot. in 3. d. 8. q. vn. §. *ad queſtionem &c.* paternitas, & generatio actiua; filiatio, & generatio paſſiua, non differunt, cùm eas ibi eodem modo definiat, vt etiam in relationibus Diuinis pater.

12. Obijcies, in Diuinis Paternitas, & filiatio ſunt relationes reales, ergo ſimiliter in creatis. ℞. hanc obiectionem noſtram roborare ſententiam; ideò .n. in Diuinis hoc verum eſt, quia ibi generatio, & paternus influxus in filium perpetuò manet, ergo quia in creaturis talis actio, & influxus ſolùm ex parte cauſæ in primo inſtanti reperitur, & ſimiliter dependentia ex parte effectus, & deindè hæc omnia ceſſant, ſolùm remanentib' nudis entitatibus cauſæ, & effectus, concedendum eſt paternitatem, & filiationem non dicere relationes reales, niſi in primo inſtãti, quando paternitas fundabatur ſuper potentiam actiuam, vt ſtabat ſub actu ſecundo, poſtea autem nõ dicere, niſi denominationes extrinſecas ex hoc deſumptas, quòd ille genuit, & hic genitus eſt. Et licèt Scot. loc. cit. 3. lit. D. aſſerat talem relationem dici realem, ne à communi ſententia recedere videretur, illam tamen reſponſionem quòd .ſ. filiatio ſit ſola realis denominatio extrinſeca ex actu generationis præterito, non improbat. Et hæc reuera mihi videtur probabilior opinio, & ſatis accomodata ad plures difficultates eliminandas.

Ad.

Ad hoc ſecundum modum relatiuorum non ſolùm ſpectant relationes intrinſecus aduenientes, cauſæ ad effectum, & producentis ad productum, ſed etiam agentis ad paſſum, & actiui ad paſſiuum, vt calefacientis ad calefactum; imò etiam & omnes relationes extrinſecus aduenientes ad hunc modum reducuntur, quatenus in aliquo ſenſu omnes ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam fundantur, nam vbi paſſiuum V. g. fundatur in potentia paſſiua, quã habet Corpus contentũ ad locari, & Vbi actiuũ in potẽtia actiua, quàm habet Corpus cõtinens ad locare, & ſic de multis.

*De Tertio Modo Relatiuorum.*

13. Circa relationes huius tertij generis, communis opinio eſt, quòd diſtinguantur à relationibus primi, & ſecundi modi ex parte fũdamenti, quia .ſ. iſtæ fundantur ſuper menſuram, & menſurabile, non autem illæ. Sed licèt hæc opinio ſit communis, & ſatis Plauſibilis apud Auctores, non tamen videtur ad mentem Ariſt. qui 5. Met. text. 20. nõ dixit has relationes fũdari in ratione mẽſuræ, vel dici ſecundũ rationem menſuræ, vt ait de relationibus primi modi dici ſecũdũ vnũ, & multa; & relationes ſecũdi modi dici ſecundum potentiam actiuam, & paſſiuam, ſed ſolùm dixit, quædam relatiua dici, vt menſurabile ad menſuram, & ſcibile ad ſcientiam, & ſenſibile ad ſenſum, quæ potius appoſuit, vt exempla diſtincta, & non vt doceret ſcibile, & ſenſibile contineri ſub menſura, & menſurabili, vt benè Suar. aduertit diſp. 47. meth. ſec. 13. potius ergo dicendum eſt, quòd Ariſ. hæc relatiua ab illis diſtinxit, quòd in illis eſt relatio realis mutua in vtroque extremo, in hoc autem relatio non eſt mutua, quia non eſt realis, niſi ex parte vnius extremi, & ità ad hoc genus ſpectãt relationes non mutuæ. Et licèt Scot. 5. meth. q. 13. hunc modum relatiuorum à cæteris diſtinxerit non per mutuam dependentiam, vel nõ mutuã, ſed per fundamenta alia, & alia, vt quamplures Scotiſtæ defendunt; hoc tamen fecit ſecundum communiorem ſententiam, in primo verò ſententiarum d. 3. q. 5. lit. B. & d. 30. §. *Reſpondeo igitur &c.* Et quol. 13. lit. V. vbi maiorem habet auctoritatem, & ex propria ſententia loquitur, manifeſtè docet, hæc relatiua diſtingui præcisè à primis, & ſecundis generis, quia illa ſunt mutua, non verò iſta, vt accuratè Bell. & Maſtr. adnotarũt in log. diſp. 8. q. 10. art. 2.

14. Vt autẽ magis pateat qualis ſit diſtinctio huius tertij modi à duob. primis, an .ſ. ſit eſſentialis, an potius accidentalis, inquirendũ eſt, vndè procedat quòd relationes huius generis non ſint mutuæ, ſicut aliæ. Et relictis Thomiſtarum expoſitionibus, dicimus breuiter, rationem deſumẽdam eſſe ex diſformi extremorum aſſignatione, quæ eſt doctrina Scoti q. 12. Meth. in fine, vbi ſic inquit: Si in hoc tertio

mo-

modo extrema aſſignarentur vniformiter .ſ. vel ambo in actu, vel ambo in potentia, eſſet in eis mutua dependentia, ſicut in alijs modis, in quibus vniformiter aſſignatur, quæ expoſitio eſt ſatis verſata apud Ariſt. Expoſitores in hoc p̄dicamento, vt videri poterūt Ammon. Simpl. Boet. Caiet. Burl. Tolet. & alij, quòd Anton. Andr. 5. Meth. q. 16. amplius declarās, ait, quòd ſcibile, & ſcientia, ſicut & alia relatiua huius generis, poſſunt dupliciter accipi .ſ. vniformiter, ità vt ambo ſint in actu, vel ambo in potentia; vel difformiter .i. vnum in actu, alterum in potentia; primo modo habent mutuam dependentiam, & poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt, & ſic ſcibile eſt ad aliud eſſentialiter .ſ. ad ſcientiam in potentia, hoc autem non accidit ſcibili, quòd ſciatur in potentia, nam ſcibile non eſt ſcibile, niſi quia eius poteſt eſſe ſcientia, nam ſi eſſet ſcibile, & eius non eſſet ſcientia in potentia, eſſet ſcibile, & non ſcibile; & ita ſimiliter dicendum eſt de ſcientia in actu, & ſcibili in actu vt infra dicetur: ſecundo modo .ſ. difformiter non habent mutuam dependentiam, nam ſcibile non dependet à ſcientia in actu, poteſt .n. eſſe ſcibile in potentia, cuius non ſit ſcientia in actu; & ſenſibile in potentia, cuius non ſit sēſus in actu, & ità hoc modo non ſunt ſimul natura, nec poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt, vt Ariſt. docuit in hoc p̄dicamento; iuxta quem ſenſum explicandus eſt etiam in Meth. q. .ſ. aſſignādo relatiua vniformiter, habent mutuam dependentiam, & ad primum, vel ſecundum modum ſpectant; aſſignando autem difformiter, non habent mutuam dependentiam realem, & ideò ad tertiū modum pertinent, & huius rei euidentiſſimum ſignum eſt, quia Ariſt. aſſiignando relatiua primi, & ſecundi modi, ſemper vniformiter ea aſſignauit, ambo nimirum in potentia, vel in actu; quod p̄ſertim apparet in ſecundo modo, vbi refert calefactiuum ad calefactibile, ſectiuum ad ſecabile, & poſtea calefaciens ad calefactum, ſecans ad id, quod ſecatur; & denuò quod fecit, ad id, quod factum eſt, quomodo ambo extrema ſemper mutuam dependentiam præſeferunt; aſſignando autem difformiter non habent mutuam dependentiam, nam poteſt eſſe ſcibile ſine ſcientia in actu, calefactibile ſine calefactione in actu, menſurabile ſine menſura in actu, & ſic de alijs; & ità ipſa relatiua primi, & ſecundi modi hoc modo aſſignata .ſ. difformiter pertinēt ad tertium, ex quo manifeſte deducitur Ariſt. non conſtituere hunc modum à duobus primis eſſentialiter diſtinctum.

15. Sed vrges, etiam ſi extrema relationum tertij generis aſſignentur vniformiter, non tamen ob hoc ambo referuntur realiter, ergo harum relationum non mutuitas, nō

oritur ex difformitate aſſignationis horũ, ſed ex natura fundamenti hui' tertij modi eſſentialiter cõdiſtincti ab alijs, aſſumptum patet, nam aſſignata ſcientia in actu, & ſcibili in actu, ſcientia fundat equidem relationem realem ad obiectum, in obiecto autẽ nulla inſurgit relatio quatenus terminus eius eſt, ſed ſola extrinſeca denominatio ſciti, & intellecti. g. neg. conſequ. nam etiam in primo, & ſecundo modo dantur quædam relationes non mutuæ, vt cauſæ, & effectus inter Deum, & creaturam &c. Abſque præiudicio tamen mutuitatis, quæ illis deberetur ex ratione generica ſui fundamenti, licèt ex ratione ſpecifica talis peculiaris fundamenti, mutuitas deficiat, cũ Deus non ſit capax talis mutuę relationis, ſic in propoſito, relationibus tertij generis conuenit non mutuitas vniuerſaliter ex ſola difformitate aſſignationis extremorum, ità vt ſi vniformiter aſſignétur, reperitur in eis mutuitas, ſicut in relationibus aliorum modorũ, quòd ſi aliquando oppoſitum accidat, id non euenit ex ratione generica illorum, ſed ex ratione ſpecifica alicuius peculiaris fundamenti, quod non eſt ſufficiens indicium, vt conſtituatur tertium gen' eſſentialiter ab illis diſtinctum. Tũ quia, licèt aſſignando ſcientiam in actu, & ſcibile in actu, ſcibile non referatur realiter ad ſcientiam per relationem ipſi intrinſecam, aſſignando tamen ambo in potentia, tunc etiam ſcibile realiter ad ſciẽtiam referetur, intrinſecè, & à ſciẽtia in potentia dependet, vt ſupra diximus. ex his deducitur, quòd hic tertius modus nõ diſtinguitur eſſentialiter à duobus primis, ſicut illa diſtincta ſunt inter ſe ex eſſentiali diuerſitate fundamentorũ, quia relatiua aliorum modorũ ſpectant adhũc tertium quando nõ aſſignãtur vniformiter; & colligitur ex Philoſopho hic, qui non ponit aliã communem relationem huius generis, niſi quia denominantur ex relatione exiſtente in altero, ergo nõ aſſignatur aliqua noua relatio, quæ ſit intrinſeca ſubiecto denominato, ſed ſola extrinſeca denominatio deſumpta à relationibus aliorum generum, & hoc fecit Ariſt. ait Scot. in 4. d. 13. q. 1. V. quia non intendebat ibi explicare ſolùm naturam relationis prædicamentalis, ſed etiã varios modos, quibus res denominãtur relatiuæ.

16. Quia igitur ſcientia poteſt obiectũ ſuũ reſpicere, vel ſub ratione motiui, vel terminatiui, vel menſuratiui ex Scoto in. 4. d. 1. q. 1. lit. S. relatio, quam fundat ad illud in ratione motiui, ſpectat ad ſecundum modum, quia eſt relatio effectus ad cauſam, relatio, quam fundat ad illud in ratione terminatiui, quam Doctor quol. 13. lit. M. vocat relationem attingentiæ, ac tendentiæ in obiectum, pertinet ad tertium modũ, quia nõ eſt mutua, obiectum enim quatenus terminat, nullam fundat correlationem

nem ad actum, Si autem conſideratur, vt fundatur in intrinſeca cōuenientia, & proportione potentię ad obiectū, ad primū ſpectat modum; relatio tandem ad illud, vt ad menſuratiuum, poteſt eſſe duplex, ſicut obiectū poteſt dupliciter cōſtitui menſura ſcientiæ .ſ. vel quo ad veritatem, quatenus notitia in tantùm vera eſt, in quantum exprimit obiectum ſicut eſt, & propriè dici ſolet relatio conformitatis actus ad obiectum, quatenus actus debet eſſe expreſſa ſimilitudo obiecti vt verus ſit, non per cōmunicationem eiuſdem formæ, ſicut eſt albi ad album, ſed per imitationem, ſicut eſt Ideati ad Ideam; vel poteſt obiectum conſtitui menſura in perfectione, quatenus actus eò eſt perfectior, quò eſt perfectioris obiecti. & in vtroque ſenſu, relatio ſi vniformiter aſſignētur extrema, ad primum modum ſpectabit, qa relatiua illius modi dicuntur ſecūdum conuenientiam aliquam, vel diſconuenientiam, ſiuè per acceſſum quendam, vel receſſum &c, poteſt etiam reduci ad ſecundum modum relatiuorum, ſi ex parte ſcientię ſpectetur ratio mēſurę paſſiuæ, & ex parte obiecti ratio mēſuræ actiuæ. quando Scot. in 1. d. 3. q. 5. C. ait, quòd ſimilitudo imitationis ad tertium genus ſpectat, non ad primum, ad quòd ſolùm pertinet ſimilitudo vniuocationis, loquutus fuit de primo modo ſtrictè, & rigoroſè accepto.

17. Ex his deducitur, quòd licèt Ariſt. non exprimat omnes relatiuorū modos in particulari, ſed ſolùm manifeſtiores, illos tamen ità aſſignauit, vt omnes alij facilè ad eas reducantur per quamdam ſimilitudinem, & anologiam, vt euidenter oſtenditur recēſendo omnes illas relationes, quæ difficultatē facere videntur; Si .n. fundamēta primi, & ſecūdi modi amplè ſumantur, omnes relationes conſimiles ad illas reduci poterunt ratione fundamenti; & quando mutuæ non fuerint, ad tertiū; & ità ſi potentia actiua ſumatur pro potētia cauſatiua, quæ in omni cauſa reperitur ad ſuum effectum, ſic omnes relationes cauſarū ad ſecundum modum pertinebunt, & propria cauſalitas fundabitur in tali potentia; ſic etiam ſi fundamentū primi modi paulò latius ſumatur, vnitas .ſ. & multitudo pro cōueniētia duorum, aut diſconuenientia in aliquo prædicato eſſentiali, aut accidentali, propinquitas, diſtātia, coexiſtentia, & conſimiles relationes ad primum modum ſpectabunt; ſicut .n. ſimilitudo duorum alborum eſt conuenientia in qualitate, & æqualitas duorū palmorum in quantitate, ità propinquitas erit conuenientia, & acceſſus duorum in loco; diſtantia erit diſcōuenientia duorum in loco, & veluti receſſus ab inuicem in illo prædicato; coexiſtentia erit duorum conuenientia; quatenus exiſtunt in eadem duratione, & ſic de reliquis. Relatio dextri, & ſiniſtri

vel non eſt realis, ſed mera extrinſeca denominatio, ex poſitione animalis deſumpta, vel ſi eſt realis ex parte animalis; quatenus in ipſo ſunt quædam organa, à quibus dextra pars trahit robur, & vires, fundabitur in virtute motiua illius, potente corpus collocare in tali, vel tali ſitu in ordine ad colũnam; atque ideò in ratione fundamenti ad ſecundum modum attinebit, ratione verò non mutuitatis, quia ei ex parte columnæ non correſpondet correlatio realis, ad tertium modum attinebit. Relatio vnionis reducitur ad primum modum, ſi vnitas, quæ ibi ponitur fundamentum, extendatur ad vnitatem vnionis, per quam aliqua duo in vno tertio aſſociantur, vt materia, & forma in cõpoſito, duæ quãtitates in vno indiuiſibili, & poteſt etiam ad ſecũdum modum reduci, cum ſit relatio extrinſecus adueniens de prædicamento habitus, ad quem etiam omnia illa ſex vltima prædicamenta reduci poſſunt, illa generali ratione, qua vnumquodq; diuiditur in actiuum, & paſſiuum; & quamuis aliqua extrema nõ ſint mutua, vt conſtat de vnione humanitatis ad verbum, ratione non mutuitatis ad tertium modum attinebit. Relatio Amoris, ſi conſideretur vt eſt relatio attingentiæ ad obiectum, qui reſpectus ei conuenit, quatenus actus vitalis eſt, reducitur ad primum modum, in quantum fundatur in intrinſeca conuenientia, & proportione, quę exigitur neceſſariò inter potẽtiam, & obiectum, ſed defectu mutuitatis ex parte obiecti, ſpectat ad tertium modum; ſi referatur ad obiectum, vt effectus ad cauſam, attinet ad ſecundum, ſi deniq; vt menſurabile ad menſuram, non quidem in veritate, ſed in pfectione, ex eo quia etiam actus Amoris eò perfectior eſt, quò tendit in perfectius obiectum, ad primum modum ſpectabit; nam talis menſuratio in perfectione fit per acceſſum rei menſuratę ad mẽſuram in perfectione, acceſſus autem vnius rei ad aliã in aliquo attributo, eſt conuenientia aliqua huius cum illa, ſicut receſſus in eodem eſt aliqua diſconuenientia.

Hinc quæri ſolet; an omnes relationes huiꝰ tertij generis ſint traſcendentales, vt ratio ſcientiæ ad ſcibile, sẽſus ad sẽſibile &c. ℞. hoc non eſſe omnino certum nam Scot. quol. 13. loquendo de relatione attingentiæ, quam habet actus ad obiecta, remanſit dubius, licèt in 3. d. 15. q. vn. ad. 1. id affirmare videatur, pro modo ſcire ſufficit, quòd ſi huiuſmodi relationes ponãtur fundamento realiter identificatæ, erunt traſcendentes, ſi autẽ aliquæ ponantur realiter diſtinctę, erunt prædicamentales, de quibus in lib. de anima &c.

## ARTICVLVS QVINTODECIMVS.

*De Proprietatibus Relatiuorum.*

1. SCotus, cuius ſcripta, & quæſtionum varietate, & ma-

teria-

teriarum multitudine cæteris abũdantiora ſe præbent. de his diſſerit quæſt. 26. prædicam. & in 1. ſent. d. 3. q. 7. lit. T. & in 2. d. 25. q. vn. lit. L. ſupponimus pro reſolutione, Ariſt. 1. ad aliquid, quinq; attributa, ſeù proprietates Relatiuorum enumeraſſe .ſ. habere cõtrarium; ſuſcipere magis, & minus; dici ad conuertentiam; eſſe ſimul natura, & eſſe ſimul cognitione, & definitione. circa quas aliquæ difficultates examinandæ occurrunt, & quo ad primam dubitatur, an tantùm competat relatiuis ſecundum dici, & traſcendentalibus; an etiam relatiuis ſecundum eſſe, & prædicamentalibus, & ſi his competat, an ſolùm fundamentaliter, an potius etiam formaliter. Caiet. Suar. Complut. Didac. & alij cum Tatar. hic Not. 2. aſſerunt hanc proprietatem conuenire relatiuis tantùm ſecũdũ dici, & ſiñ eſſe abſolutũ, ꝙ important, contrariantur, nõ ratione relationis, non opponuntur contrariè, licèt poſſent opponi relatiuè, vt ſcientia ſecundum ſuũ eſſe abſolutum contrariatur ignorantiæ, ſed ſecundum relationem, quam importat ad ſcibile, non dicitur habere contrarium. Alij verò affirmant hoc attributum etiam ad aliqua relatiua ſecundum eſſe extendi debere, quod patet ex Ariſt. 10. Meth. 16. qui inter exempla contrariorum, non ſolùm vitium, & virtutem enumerauit, ſed etiam æqualitatem, & inæqualitatem, ſimilitudinem, & diſſimilitudinem, quæ ſunt relationes huius prædicamenti; fatentur tamen iſti contrarietatem his relatiuis accidere non formaliter, ſed tantùm ratione fundamenti, vt ſimile, & diſſimile dicuntur contraria, quia ſuper qualitates contrarias fundãtur, cui ſententiæ fauere videtur Doct. q. 26. prædicam. cit. & fuit antiqua opinio Ammon. Simplic. Boet. & aliorum, quos ex Recentioribus ſequuntur Tolet. Maſius, Amic. & eſt communior in ſcholis, & hanc ſententiam appoſuimus in inſtitutionibus, vt magis intelligibilem, & idoneam Tyronibus; probabile tamen etiam cenſemus, cõtrarietatem propriam competere quibuſdam relatiuis ſecundum eſſe, non ſolùm fundamentaliter, ſed etiam formaliter, & videtur expreſſa ſententia Scoti in primò, & ſecundò ſenten. cit. quem ſequitur Ocham. 1. p. ſuæ log. cap. 52. & Auerſa q. 19. log. ſec. 8.

2. Quæ ſententia patet manifeſtã Ariſt. Auctor. 10. Meth. cit. nã æqualitas, & inæqualitas fundantur in quãtitate, vbi non datur cõtrarietas; patet etiã ratione ex ipſa contrariorum definitione, ea enim ſunt contraria, quæ ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt, & illi viciſſim inſunt, tales autẽ ſunt paternitas, & filiatio reſpectu eiuſdẽ fundamenti, ſimilitudo, & diſſimilitudo reſpectu eiuſdem termini, q̃ ab inuicem ſe expellunt, & poſſunt eidem ſucceſſiuè in eſſe, nam quod erat alicui ſimile, poſtea fit diſſimile,

mile, ergo contrariãtur, nam contraria ſunt illa, quæ ab eodem ſubiecto mutuè ſe expellunt, & illi viciſſim inſunt; & quando contingit mediantibus formis abſolutis, non ſolũ in ipſis abſolutis erit contrarietas, ſed etiam formaliter in ipſis relationibus, ergo &c.

3. At Obijces, Ariſtot. cap. de quantitate negat relatiua habere contrarietatem, quod probat; nam ſi magnum, & paruum ſunt cõtraria, idem eſſet ſibi contrarium, q̃a idem ſimul eſt magnum, & paruum reſpectu diuerſorum. ℞. quòd ibi Ariſt. negat relatiua eſſe contraria ratione oppoſitionis relatiuæ præciſè, quod iam verum eſt, ex Scoto autem quædam relationes oppoſitæ poſsũt eſſe ſimul, vt relatio actiui, & paſſiui, mouentis, & moti.

Ob. 2. formæ contrariæ actiuæ ſe inuicem expellunt ab eodem ſubiecto, vt patet de calore, & frigore in aqua, ſed ſimilitudo, & diſſimilitudo etiam eiuſdem termini, non ità ſe expellunt ab eodem ſubiecto, ergo &c. ℞. non oportere formas contrarias actiuè, & efficienter ſe expellere ab eodem ſubiecto, nam etiam ſecundæ qualitates, vt albedo & nigredo, non ſe expellunt in genere cauſæ efficientis, ſed formalis, quòd ſufficit in caſu de oppoſitione relatiua.

Ob. 3. quia tunc ad relationem daretur per ſe motus, vbi .n. eſt contrarietas, ibi poteſt eſſe per ſe motus ex 5. phyſ. ℞. aliam eſſe cõtrarietatem, quæ ad motum exigitur, ab iſta, de qua loquimur, vt in phyſicis videbimus; hinc Ariſt. ad quantitatem ponit motum, & tamen negat contrarietatem, neque ipſe negauit motum ad relationẽ quomodocumque, ſed motum per ſe primò, quatenus non acquiritur propria acquiſitione, ſed ad poſitionem alterius reſultat.

4. Altera proprietas Relatiuorum eſt, quòd ſuſcipiat magis, & minus, quòd communiter explicari ſolet non formaliter, ſed tantùm ratione fundamenti, aliquis .n. dicitur magis, vel minus ſimilis alteri, ſecundùm quod magis, vel minus participat qualitatem illi conuenientem, vt etiam nos in inſtit. explicuimus. Si tamen res aptius conſideretur ſatis ꝓbabile eſt quaſdã relationes poſſe magis, vel minus ſuſcipere etiam in ſuis entitatibus, quòd ex profeſſo Mayr. docuit paſſu 31. in prædicam. & indè patet, quia eſtò quędam relationes conſiſtant in indiuiſibili, vt æqualitas, duplum, triplum, quæ fundãtur in quantitate determinata, quę in minima varietate, ſtatim relationes illæ concidunt; aliæ tamen non conſiſtunt in indiuiſibili, ſed habent latitudinem, vt benè adnotauit Tatar. ſciend. 2. cit. in fine, & tales ſunt præſertim inæqualitas, & diſſimilitudo, quæ talia dicuntur, cùm alterum extremum deficit ab illa indiuiſibili menſura, in qua fundatur æqualitas, & ſimilitudo; cùm igitur hic defectus non conſiſtat in indiuiſibili, ſed poſſit ma-

magis, & minus creſcere, idem pariter aſſerendum eſt de inęqualitate, & diſſimilitudine, quæ fundantur in eo; indè ait. Tatar. ſed inæqualitas fundatur in quantitate indeterminata, ad cuius variationem ſecundum maioritatem, vel minoritatem, oportet inæqualitatem variari. Reſpondent Auerſ. Amic. Complut. & alij ex Recentioribus, quòd omnes relationes conſiſtunt in indiuiſibili, ac proindè quando augetur, vel minuitur quãtitas, vel qualitas, non augentur, vel minuuntur relationes, ſed variantur, ità vt priores deperdãtur, & acquirantur aliæ; quæ tamen ſolutio facilè impugnatur, nam eſt differentia inter æqualitatem, & inæqualitatem, quòd illa fundatur in indiuiſibili, non autem iſta, hæc .n. fundatur in quantitate, vt deficit ab indiuiſibili menſura, in qua illa fundabatur, quæ quantitas habet latitudinem, quæcumque .n. deſignetur. eſt diuiſibilis, ac proinde ſufficiens ad inæqualitatem fundandam. Confirmatur; quia quando qualitas augetur, vel minuitur ſecundum intenſionem, etiã & ipſa relatio ſimilitudinis augetur, & dicitur magis, vel min' ſimilis, & conſequenter habet ſuo modo latitudinem gradualem, & non ſemper in indiuiſibili conſiſtet, vt Recentiores autumant. Ex hac tamen doctrina non ſequitur ad relationem dari motũ per ſe primò, quamuis .n. poſſit per ſe ſuſcipere magis, & minus, non tamen primò, ſed mediante ſuo fundamento, quia ſicut non acquiritur, niſi ad acquiſitionem alterius, ità non variatur in ſe per magis, & minus, niſi ad variationem alterius.

5. Tertia Relatiuorum affectio eſt, vt dicantur ad conuertentiam, vt Pater Filij Pater, & Filius Patris Filius &c. Et communis ſenſus eſt, quicquid alij dicant, quòd hæc proprietas omnibus relatiuis conuenit & mutuis, & non mutuis, ſecũdum eſſe, & ſecundum dici, & conſiſtere nõ in mutua relatione reali ſibi inuicem correſpondente, ſed tantùm in mutua denominatione, ſiuè ſumatur ex relatione reali, ſiuè rationis; quod totum euidenter deducitur ex ipſo Ariſt. progreſſu, qui inter alia exempla, adducit etiam illud de ſcientia, & ſcibili; vndè nõ benè ex hoc infert Gregorius in 1. diſt. 28. q. 1. omnes relationes eſſe mutuas, & omnia extrema eſſe realiter correlatiua, nã hæc proprietas magis ſpectat ad modũ loquendi de relationibus, quàm ad rem. Vt autem fiat conueniens, & idonea aſſignatio pro conuertentia extremorum, aſſignari debet vtrũque extremum ſub nomine relatiuo, & fingere nomina ſi non adsũt, quia ſic aſſignata, ſemper vtrumque extremũ dicetur mutuò ad aliud, vndè iſta non valet, ſeruus hominis ſeruus &c.

6. Sed ob. 1. dici ad conuertentiam, eſt eſſe ſimul natura, vel saltèm illud infert, Relatiua autem non mutua non ſunt ſimul natura, ergo

ergo hæc affectio non eſt communis omnibus relatiuis. ℞. neg. min. nam etiam relatiua non mutua sũt ſimul natura, vt denominationi relatiuæ ſubſtant, ſecundum quam àd conuertentiam dicuntur; & ità ſcientia, & ſcibile mutuò referuntur.

7. Ob. 2. ſubiectum, & paſſio, & quædam aliæ propoſitiones dici ſolent ad conuertentiam, ergo hæc proprietas non competit tantùm relatiuis. dignè reſpondent aliqui Scotiſtæ, diſtinguendo de conuertibilitate, Conuerſione, & Conuertentia; prima eſt proprietas rerum, vel terminorum inter ſe æqualis vniuerſalitatis, vt rationale, & riſibile; Secũda eſt propoſitionũ; qua vna vertitur in aliam, mutata, vel ſeruata quantitate, vel qualitate, vt in Summulis; tertia tandèm eſt mutua denominatio ratione alicuius habitudinis, & eſt relatiuis propria.

8. Quarta Relatiuorũ affectio eſt, quòd ſint ſimul natura .i. ſimul naturali exiſtentia, ità vt vno exiſtente, aliud etiam exiſtere oportet, Vndè Ariſt. ait, quòd poſita ſe ponũt, ac perempta ſe perimũt; nam ſi pater eſt, Filius eſt, & ſi Filius eſt, Pater eſt, ſumendo Patrẽ, & Filium, non pro denominato, & entitatibus abſolutis, ſed formaliter, quo ad ipſas denominationes relatiuas, in hoc enim ſenſu ſunt ſimul natura. Sed hic dubitari ſolet, quomodo explicanda ſit hęc naturalis relatiuorum ſimultas? & reſpondemus breuiter, explicandam eſſe, vt ſe mutuò inferant in exiſtẽdo, non vtcumque, ſed ex ratione formali propria, non ex ratione alicuius tertij, in quo vniuntur, vt eſt de duabus differentijs idem genus diuidentibus, quarum vna non exigit aliam ex propria ratione formali, ſed tantùm ex ratione generis, quod diuidunt, vt rationale, & irrationale, & eſt doctrina Scoti in 1. d. 28. q. 3. lit. F. vbi ait: relatiua eſſe ſimul natura, videl. quod vnum abſq; alio ab intrinſeco ſine contradictione exiſtere nõ poteſt, ſi .n. vnum abſque alio poſſet eſſe, iam diceretur ad ſe, & ità non eſſet relatiuum; ex quo deducitur hanc affectionem ſolis relatiuis competere poſſe.

9. Solet etiam dubitari, an hæc proprietas omnibus relatiuis conueniat etiã non mutuis? Ariſt. in tex. ſignificare videtur non mutuis conuenire non poſſe, nam ablato ſenſibili, & ſcibili, vtrique aufertur ſenſus, & ſcientia, ſed nõ è contra, multa ſunt enim obiecta ſcibilia, de quibus nulla datur ſcientia. Sed hoc adhuc non obſtante, aſſerimus hanc etiam affectionem omnibus relatiuis conuenire, ſi vniformiter accipiantur V. g. vtrũque in actu, vel vtrumque in potentia, ſic enim ſunt ſimul natura, & mutuò ſe inferunt. Et Ariſt. oppoſitum docuit, quia non aſſignauit extrema vniformiter; ità Auerſa, citans Simplicium, Ammonium, Boet. Porphyr. & alios Ariſt. expoſitores, & ſequun-

ſequuntur Caiet. Sot. Maſius, Tolet. & alij.

10. Quinta tandèm affectio eſt, quòd relatiua ſint ſimul cognitione, & definitione, circa quam dubitatur quomodo hoc intelligi debeat? Thomiſtæ communiter explicant, quòd ſicut ex vi præcedẽtis proprietatis extrema relationũ ſunt ſimul formaliter, quo ad denominationes relatiuas, ità per iſtã ſignificatur ſimultanea intelligentia quod ad eſſe relatiuum vtriuſque extremi; Vndè ſicut Pater non poteſt exiſtere, vt ſic, niſi Filius exiſtat, ità nec cognoſci poteſt in ratione patris, niſi cognoſcatur Filius in ratione filij, ex quo inferũt vnum relatiuum definiri debere per alterum, & colligitur ex Ariſt. qui in tex. ait, ſi definitè cognoſcitur vnum relatiuorum, definitè etiam debet cognoſci alterũ.

11. Verùm hæc explicatio non recipitur à Scotiſtis, & ratio eſt, quia relatio, vt relatio reſpicit terminũ; vnde relatiuũ, vt ſic explicatur ſufficienter, nam exprimitur ordo ei' ad ſuum terminum, relatio autem reſpicit terminum quo ad entitatẽ abſolutam, & hæc præciſè eſt ratio terminandi quãcumque relationẽ ex dictis, ergo vt cognoſcatur relatio, ſufficit cognitio abſoluti, in quod tendit, etiam ignorata relatione mutua in alio extremo, atq; ideò vt aliquid definiatur in eſſe relatiui, ſufficit aſſumere entitatẽ abſolutam correlatiui, non verò ipſum correlatiuum, vt ſic, nam exacta relationis cognitio dependet à fundamento, & termino, nec alterius cognitio videtur neceſſaria, quæ doctrina roboratur à Scot. in 1. d. 30. §. *Reſpondeo igitur ad quæſt.* vbi ait: Si pater definiretur per filium, dicendo Pater eſt, q habet filium, q̃a loco nominis poſiti in definitione licet ponere ſuã definitionem ex Topicis; dicendo Pater eſt, qui genuit eum, qui habet patrem, tunc in tali definitione præter nugationem, & ꝙ ignotum per æquè ignotum definiretur, committeretur etiam vitioſus circulus damnatus ab Ariſ. 5. Met. c. 15. per illa verba (nõ autẽ Intellectus ad illud, cuius intellect' eſt, idẽ .n. profectò bis eſſet dictum) &c.

12. Melius igitur explicanda eſt hæc affectio cum Scotiſtis, quia .ſ. fundamentum, & terminus cogniti neceſſariò cauſant cognitionem relationis, .i. extrema cuiuſcumque relationis cognita, neceſſariò pariunt cognitionem vtriuſque relationis mutuæ V. g. cognitio paternitatis dependet à cognitione fundamenti in patre, & à cognitione abſoluti in filio, ergo definitè cognoſcens patrem, definitè cognoſcit rem, quæ eſt Pater, & rem, quæ eſt filius; & quia fundamentum, & terminus ſunt cauſæ merè naturales, ſequitur, quòd res, quæ eſt Pater, & res quæ eſt filius, cauſant neceſſariò cognitionem relationum paternitatis .ſ. & filiationis; vndè Ariſt. rectè refert, ꝙ ſi indeterminatè, & in vniuerſali

cognoſcatur pater, indeterminatè etiam, & in vniuerſali cognoſcitur id, cuius eſt pater; & ſi determinatè cognoſcatur, quòd ſcilicèt, eſt talis pater, determinatè etiam cognoſci debebit terminus ſcilicèt, ꝙ talis filij eſt pater, quare Ariſt. reuera per ly definitè, intellexit determinatè, & idcircò malè ex hoc aliqui inferunt, quòd vnum relatiuum debeat per aliud definiri, vide Lich. in 1. d. 30. q. 1. in ſolut. ad 2. & quando etiam ſic philoſophus intellexerit, debet exponi in ſenſu materiali, ait Tatar. hic not. 4. quòd ſ. relatiuum definiri debet per correlatiuum. i. per fundamentum ſui correlatiui, vt fecit 5. met. cap. 15. vbi definiuit ſimilia, quorum qualitas eſt vna; æqualia quorum quantitas eſt vna.

13. Sed vrges Ariſt. 6. Topic. & Porphyr. cap. de ſpecie manifeſtè docent vnum relatiuum per aliud definiri debere, & quidem in perſonis Diuinis, quæ ſunt relatiuæ id non videtur negari poſſe, quia ibi relationes originis terminãtur ad correlatiuum, vt ſic, non ad abſolutum. Ad Auctoritatem philoſophi, & Porphyr. reſponſio patet ex dictis, ad id de relationibus Diuinis multa congerunt Recentiores, nos breuiter aſſerimus propter talem rationẽ poſſe probabiliter ſuſtineri relatiuum poſſe per ſuum correlatiuum definiri, & hoc Scot. affirmauit q. 15. Vniuerſalium in ſolut. ad penult. vbi Sarn. §. *ſextò arguitur ſic.* fol. mihi 237. & q. 28. prædicam. ad 1. princip. quod vt ſatis probabile defendunt Maurit. q. 1. vniuerſ. Zerb. 5. Meth. q. 19. Barg. & alij. Imò Doctor loc. citat. ſoluit rationem pro parte oppoſita adducta, dicens, non oportere in Relatiuis, vt quicquid ingreditur definitionem eſſe prius, & notius definito, ſed tantùm in abſolutis; & loco nominis in definitione poſiti, licèt definitionem eius ponere quãdo illud ponitur in definitione, tanquam pars definitionis intrinſeca, & non tamquam ab extrinſeco additum, vt eſt in propoſito. Et quando Doctor in 1. d. 30. ait, relatiuum non debere definiri per correlatiuum, ſed ꝑ fundamentum eius, debet exponi de definitione data per prius, & notius; non de definitione abſolutè, vt benè Barg. aduertit, & amplectuntur Bellut. & Maſtr.

DIS-

# DISPVTATIO XIV.

## DE VLTIMIS SEX PRÆDICAMENTIS.

ARIST. parum, aut nihil de his Cathegorijs egit, non quia res parui ſit momẽti, & quia facilè erat ex dictis naturas eorum cognoſcere, vt aliqui autumant, nam reuera hæc quoq; ſuis tribulis, & ſpinis non carent, vt patebit; ſed potius ea ratione motus, quia hæc magis ad phyſicum, quàm ad Logicum ſpectant; nam de Actione, & Paſſione, Vbi, & Quando fusè in tertio, & quarto phyſ. agitur; quare nos etiam hanc diſputationem breuibus abſoluemꝰ maiores difficultates in ꝓprijs locis ſeriò differentes.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Quid dicant formaliter vltima ſex Prædicamenta.*

1. SCot. de quo ſemper magna fuit Scholaſticorum opinio, de his ex profeſſo differit in 4. diſt. 13. q. 1. §. *Ad huius autem difficultatis intellectum &c.* lit. B. & Quol. 11. art. 4. §. *Videtur, quòd poſſet eſſe &c.* ſub H. & alibi ſæpè, vbi hæc ſex ꝓdicamenta relationes extrinſecus aduenientes vocat, iuxta doctrinã tempore ſuo communiter receptã, & à priſcis Ariſt. interpretibus traditam; Vndè Gilbertus Porretanꝰ Auctor horum ſex principiorum in eodem libro c. 1. de his vltimis prædicamentis agit, veluti de reſpectibus extriſecus aduenietibus, dicens:) ea verò q̃ extrinſecus contingunt, aut Actus, aut Pati, &c. Et Boet. de Trinit. ait, ſeptem eſſe prædicamenta relatiua, & tria abſoluta.

2. Supponimus pro reſolutione, in hoc omnes Auctores conuenire, quòd hæc prædicamenta cõſiſtunt in aliquo accepto ex adiacentia alicuius extrinſeci; in huius tamẽ aſſignatione non conueniũt; nam aliqui putant ea conſiſtere in mera extrinſeca denominatione, ita vt præter formas abſolutas, à quibus tales denominationes deſumuntur, nihil reale præſeferunt. Sic Vbi V. g. nihil aliud eſt, quàm denominatio illa extrinſeca, quæ prouenit ſubſtantiæ à ſuperficie continente, Quando à tempore menſurante, Habitus à veſte adiacente &c. Et tribuitur D. Thom. 3. phyſ. lec. 5. & ſequuntur Heru. quol. 1. q. 9. Iauell. 5. Meth. q. 23. Soto in hoc Capite, Soncin. in 5. Meth. q. 40. Maſius, Fonſeca, & alij. Quidam autem cõcedunt has formas prædicamentales reſultare in

in rebus ex adiacentia alicuius extrinſeci, non tamen ponere ſolas extrinſecas denominationes, ſed aliquid reale, in cuius tamē explicatione poſtea non conueniunt; q.dam.n. volunt eſſe modos abſolutos, vt Complut diſp. 16. q.1. Ioā. de S.Thom. q.19. art.1. & alij; alij verò conſtituunt puros reſpectus, quos extrinſecus aduenientes appellant, vt à relationibus quarti p̄dicamenti diſtinguuntur, quas intrinſecus aduenientes vocant. Ità Scot. loc. cit. & Scotiſtæ communiter. Alij tandèm vtrumque amplectuntur, affirmantes præſeferre abſolutum, cum reſpectu, vt Vbi V.g. dicere locum cum reſpectu ad locatum; ità Ruuius in q. generali p̄ vltimo prædicamento, cum alijs.

3. Sed in primis, quòd hæc ſex prædicamenta conſiſtere non poſſint in extrinſeca denominatione, facilè probatur; nam vel hoc intelligitur; vt vnumquodque eorum ſit pura denominatio extrinſeca deſumpta à forma reali; vel quòd ſit ipſa forma realis extrinſeca, aliquod ſubiectum denominans: nō primum, nam extrinſeca denominatio, vt ſic, nihil reale ponit in ſubiecto denominato, ex his autem prædicamentis, multæ ſunt formæ denominantes, ac immutantes intrinſecè ſubiectum, quod afficiunt, vt patet. Neque ſecundum, quia forma denominans, quę ſe tenet ex parte ſubiecti, quod intrinſecè denominat, iam ſupponitur eſſe in ſuo prædicamento, vt Viſio V.g. quatenus actus eſt oculi, eſt in prædicamento qualitatis, & ex hoc ꝙ aliud extrinſecè denominatur V.g. paries viſus, non ponitur in alio diſtincto prædicamento, ſicut de albedine, & albo, quæ in eodem ponuntur prędicamento, ergo &c.

4. Secundò, quòd neque ſaluari poſſunt per modos merè abſolutos, reſultantes ex adiacentia alicuius extrinſeci in rebus; patet, nā quantùm ad intrinſecā eorum rationem dicūt ordinem ad aliquod extrinſecum, quo ablato, deſtruūtur, vt V.g. ablato effectu, vel paſſo, tollitur actio, ablato loco, tollitur vbi, ablata veſte, tollitur habitus, ergo non ſunt formæ merè abſolutæ. Nec iuuat reſpondere cum aliquibus, quòd hæc prædicamenta depēdent ab aliquo extrinſeco, nō vt à termino, ſed vt à principio, vel forma, à qua ſumitur denominatio; nam Actio V.g. reſpicit effectum, vel paſſum, & ad illud intrinſecè ordinatur, non niſi tamquam ad terminum, ſicut paternitas ordinatur ad filium, nam actio alicuius eſt actio, & ad aliud tendere debet, vt ſit actio, vndè effectus apud philoſophos dicitur propriè terminus actionis. Sed de hoc fuſiùs in phyſica, vbi euidenter oſtendemus, Vbi non eſſe formam abſolutam, quod de alijs ſex prædicamentis militat.

5. Tertiò, quòd neque benè conſtituātur ex abſoluto, & reſpectu, indè patet, quia hæc duo non faciunt conceptum per ſe vnū, qua-

lis eſſe debet conceptus cuiuslibet prædicamenti. Nec valet, cum aliquibus Thomiſtis reſpondere, quod abſolutũ importatur in recto, reſpectum verò in obliquo, & ita non impedit vnitatem conceptus, non valet; abſolutum .n. & reſpectiuũ ſic coniuncta, non poſſunt vnum aliquod prædicamentum conſtituere, ſed neceſſariò in diuerſis sũt prædicamentis, vt patet de relatiuis ſecundum dici, vt ſcientia, & ſcibile &c.

5. Nec etiam ſatisfacit id, quod aliqui Recentiores contendunt .ſ. vtrumq; importare in recto, quatenus ordo, quẽ formæ horum prædicamentorum dicunt ad aliud, eſt de numero Relationum traſcendẽtalium, ac proindè ex eis fit vnum per ſe, quare aſſerunt modos horũ prædicamentorum eſſe eſſentialiter relatiuos in hoc ſenſu, non tamen merè relatiuos, cùm non ſint totaliter ordo ad aliud, vt modi quarti prędicamenti; ſed partim ad ſe, & partim ad aliud, in quo diſtinguitur relatio traſcendentalis à prædicamentali. Non valet, nam ex abſoluto, & reſpectiuo nõ poteſt coaleſcere conceptus per ſe vnus, etiam quòd reſpectus ſit traſcendens; relatio .n. traſcendens duo dicit, & rationem formalem relationis, & ipſam traſcendentiã; & licèt ratione traſcendentiæ opponatur intraſcendenti, & prædicamentali, ratione tamen relationis opponitur etiam eſſe abſoluto. Tùm quia falſum eſt hæc vltima prædicamenta relatiuà relationes traſcendentales importare, quia iam diuerſa conſtituunt prædicamenta, non minus, quàm relationes quarti prædicamenti; & non minus, quàm illæ accidunt rebus, ſicut .n. accidit Petro eſſe patrem &c. ita eſſe agentem, patientem, veſtitum &c.

6. Ex his colligitur iſta ſex vltima prædicamenta eſſe puros reſpectus prædicamentales, quòd indè patet, quia in omnibus iſtis reperitur aliquod pertinens ad alia prædicamenta, nec ab illis diſtinguuntur, niſi per ſuperadditos reſpectus, ergo reſpectus erit ratio formalis conſtitutiua; aſſumptum patet diſcurrẽdo per ſingula; nam Actio, & Paſſio dicunt eamdem formam fluentem, quæ eſt in alio genere, & diſtinguuntur ab ea, & à ſe inuicem per ſuperadditam relationem, vt Ariſt. docuit 3. phyſ. tex. 29. Vbi dicit ſuperficiem, quæ attinet ad quantitatem, & diſtinguitur ab ea per reſpectum ſuperadditum continentiæ; Situs dicit partes quantitatis, ſed vario modo ad locum ordinatas; Quãdo dicit tempus, vt menſuram rei temporaneæ; & tandèm Habitus dicit rem alterius prædicamenti, vt ab alio habitam. Sed quia huiuſmodi reſpectus non inſurgunt ex natura extremorum, ſed vltra illa requirunt aliquod extrinſecum pro eorum reſultantia .ſ. eorum approximationem, ideò appellantur relationes extrinſecus adueniętes, quæ ſen-

ſententiã præter Scotiſtas, ſequuntur, Louanienſis hic, Venet. 5. met. c. 36. & alij, eſt tamen hic aduertẽdum, quòd Quando; non poteſt dicere reſpectum realem, quia vt videbimus, formaliter, & completè non reſultat in rebus, niſi per opus Intellectus; poteſt tamen etiam eius formalitas conſtitui in reſpectu extrinſecus adueniente, quatenus ad inſtar eius poteſt ab Intellectu concipi.

*Obiectiones.*

7. Ob. 1. Auct. Giliberti Porrectani, qui cap. 1. in fine, hæc vltima ſex prædicamenta, appellat formas extrinſecas, ergo in extrinſeca denominatione conſiſtunt. ℞. hæc vocaſſe formas extrinſecas, quia ſunt relationes extrinſecus aduenientes, non quia ſolas denominationes extrinſecas important. poteſt etiam Reſponderi, quòd res horum prædicamentorum poſſunt denominari tàm intrinſecè, quàm extrinſecè, intrinſecè à modis ipſis inhærentibus, extrinſecè verò ab aliquo extrinſeco adiacente; & quia hoc extrinſecum adiacẽs notius eſt, quàm modus realis intrinſecè inhærens ſubiecto, hinc prædicamenta hæc per denominationes extrinſecas ſæpè explicantur.

Ob. 2. Suar, probans hæc vltima prædicamenta, non eſſe relationes extrinſecus aduenientes, nam Vnio ſecundum Scot. eſt relatio extrinſecus adueniens, & tamen non ſpectat ad aliquod ex ſex prædicamẽtis, neque conſtituit nouum prædicamentum, ſignum euidens tales relationes non eſſe de ratione prædicamentorum. ℞. neg. aſſumptũ, nam Doctor relationes omnes extrinſecus aduenientes in illis ſex prædicamentis includit; & loquens in 4. d. 12. q. 1. §. *Ad Quæſt. de vnione*, ait, quòd fortè ſpectat ad genus paſſionis, & vt ſic paſſio dicit non tantùm reſpectum paſſi ad agens, ſed ad formam; vel fortè ad genus actionis, & vt ſic actio dicit non tantùm reſpectum agentis ad patiens, ſed formæ informantis ad illud quod informat. Sed quia Scot. ibi loquitur dubitatiuè, Mayr. in 1. d. 29. q. 1. art. 3. docet attinere ad prædicamentum Vbi, propter intimam præſentialitatem. Baſſol. in 4. d. 12. q. 1. art. 1. ait ſpectare ad prædicamentum habitus, & videtur probabilius. Et plura prædicamenta ex relationibus extrinſecus aduenientibus ſunt conſtituta, quàm ex alijs, non ex natura rei, ſed ad commodiorem doctrinam, nam maior diuerſitas videtur in modo denominandi inter relationes extrinſecus aduenientes, quàm in alijs; ſicut poterat Ariſt. totum genus entis diuidere in ſubſtantiã, & Accidens; ſed non fecit, quia maior diuerſitas cernitur inter accidentia ex diuerſis eorum muneribus, quàm in ſubſtantia &c.

Ob. 3. Complut. quòd hæc ſex prædicam. non dicunt reſpectum, nam propria ratio relationis eſt eſſe Ad, ſeu referre vnum ad aliud, ſed hoc non conuenit his prædicamen-

mentis, vt patet diſcurrendo per ſingula, nam Vbi facit eſſe in loco, Quando in tempore, Situs diſponit partes in loco, Habitus reſultat ex eo, quod veſtis ſit in corpore, Actio dicitur eſſe ab agente, Paſſio verò in paſſo; Tùm quia actio, & paſſio non ſunt ſimul natura, illa .n. eſt actus actiui; hæc verò paſſiui, actiuum autem eſt cauſa paſſiui, & prius illo, vt patet. ℞. negan. min. & ad probationem dicimus, quòd Vbi facere rem in loco, aliud non eſt, quàm facere rem ordinari ad locum; & idem ſuo modo dicẽdum eſt de alijs; ſic etiam inhærentia facit accidens eſſe in ſubiecto, vnio facit formam eſſe in materia, & tamẽ adhuc quid relatiuum important etiam ſecundum Thomiſt. quare Vbi facere rẽ in loco, Quando in tempore &c. aliud non eſt, quàm reſpicere ipſum terminũ, licèt tali, vel tali modo. de Actione, dum dicitur eſſe Ab, hoc nõ intelligendum eſt de ipſa actione pro formali, vt hoc conſtituit prædicamentum, ſed pro materiali, & prorè acta, ſeu pro forma fluente, vt in phyſica videbimus. Concedim⁹ etiam actionem, & paſſionem pro formali eſſe mutuas relationes, & eſſe ſimul natura, ſicut actiuum, & paſſiuum, quia ſub denominatione relatiua, vnum non eſt cauſa alterius, nec prius alio, ſed tantum pro materiali.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Actione, & Paſſione.*

1. SCot. qui omnĩ cura, ſtudio, ac diligentia veritati inſudauit, de his agit in 4. d. 13. q. 1. vbi ſic Actionem definit: *Eſt reſpectus ipſius agentis ad paſſum, quo agens dicitur formaliter agens*. circa quam definitionem non immoramur, cùm fuerit ſufficienter explicata in inſtitutionibus, cum definitione Giliberti, ſolùm his inquirendum remanet, quænam Actiones ad hoc prędicamentum attinent. Et dubitatur 1. an Actio, quæ hoc cõſtituit prædicamẽtum debeat eſſe productiua ſui termini .i. reſpicit effectũ pro termino? Communis ſententia Thomiſtarum eſt affirmatiua, nemine diſcrepante, & ex noſtris tenet Bonetus in hoc prędicamento. Verùm ſi de actione propriè loquamur, vt hoc cõſtituit prædicamẽtum, non eſt productiua termini, ſed potius tranſmutatiua ſubiecti, ità vt pro termino non reſpiciat aliquod ſubiectum per ipſam tranſmutatum, hinc quando ignis calefacit aquam, actio huius prædicamenti non reſpicit pro termino calorem, ſed aquam per calorem trãſmutatũ ex Scot. in 4. d. 11. q. 3. §. *Ad huius autem difficultatem*. Vbi hos diſtinguit reſpectus; & relationem cauſæ producẽtis ad effectum productum ponit in 4. prædicamento, velut intrinſecus aduenientem, reſpectum autem cauſæ tranſmutãtis ad ſubiectum tranſmutatum in hoc prædicamento, vt extrinſecus aduenien-

uenientem, & ſequuntur Tatar.q. vlt. prædicam. dub. 3. Ant. Andr. Zerb. & Scotiſtæ communiter. Et probatur manifeſtè ex eius definitione à Giliberto edita .ſ. Actio eſt, ſecūdum quam in id, quod ſubijcitur, agere dicimur; id autē quod ſubijcitur actioni agentis, nō eſt effectus per ipſum productus, ſed materia, circa quam agit. patet etiam ex exēplis ab ipſo Ariſt. adductis in hoc Cap. de calefacere, & frigefacere, calefieri, & frigefieri, delectari, & triſtari; nam ignis dicitur calefacere aquam, non calorem, & aqua eſt, quæ calefit, non calor, & voluntas dicitur delectari, & triſtari. Tùm quia ſubiectum dicitur paſſum non effectus, & paſſio eſt in ſubiecto nō in effectu, ergo agens, vt reſpicit paſſum, non dicit relationem productiui, ſed potius tranſmutantis. Tùm tandem ex Doct. ibidem in 4. cit. lit. C. potentia actiua eſt principium traſmutandi aliud in quātum aliud ex 5. Meth. 16. Sed reſpectus productionis non eſt propriè tranſmutatio, quia non reſpicit aliud in quātum aliud, ſed potius facit aliud; quòd ſi aliquando Doctor actionē de genere actionis vocauerit productiuam, hoc fecit iuxta modum loquendi communem.

2. Dubitatur: An ſola actio tranſiens ſpectet ad hoc prædicamentum; an etiā Actio immanens? alij cum Soncin. & Maſio aſſerunt ſolùm actionem tranſeuntē ad hoc ſpectare prædicamentum. Verùm aſſerendum eſt, quòd eſtò accipiēdo actionem immanentē pro operatione vitali, vt Ariſt. accepit 9. meth. 16. non attineat ad hoc prędicamentum, quia in hoc ſenſu nō eſt vera actio, ſed tantùm æquiuocè, & gramaticaliter, quatenus ſignificatur per verbum actiuum, vt intelligere, velle &c. quod propriè ſpectat ad gen' qualitatis ex Doct. quol. 13. Dd. ſumendo tamē actionem immanentem pro ea, quæ eſt ad terminum in agente manētem, ſeu qua idem ſe ipſum immutat, vt actio, qua aqua calida ſe reducit ad priſtinam frigiditatē, ſic ad hoc pertinet prędicamentum; non quidem ea ratione, qua eſt productiua termini, ſed quatenus tranſmutatiua ſubiecti, & idem aſſerēdum eſt de actione tranſeūte, vt huius prædicamenti ſpecies eſt.

3. Sed dices, potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud in quantum aliud, ergo ſola actio tranſiens eſt ſpecies huius prędicamenti. ℞. ibi Ariſt. non definire tantùm potentiam factiuam, vt alij qui putant, ſed etiam actiuam, nā affert exemplum de medico ſe ipſū medente, non tamen abſolutè potentiam actiuam eſſe principium tranſmutationis in altero, ſed ſubdit, vel prout alterum eſt; medicus .n. ſanat ſeipſum, non in quātum medicus eſt, ſed in quantum infirmus eſt, & ità in quantum ſanans, eſt aliud à ſeipſo in quantū ſanatur, quia non ſanatur in quātum medicus.

4. Vt-

4. Vrges 2. quòd etiam actio immanens accepta pro operatione vitali ad hoc ſpectat prædicamentum, nam Ariſt. hic enumerat triſtari, & delectari, quæ ſunt operationes vitales. R. ideò Ariſt. hoc egiſſe quia in actib' vitalibus ſæpe interuenit actio etiam de genere actionis, quia obiectũ immutat potentiam, & potentia dicitur intentionaliter pati nõ autem intelligere eſt agere &c.

5. Dubitatur 3. an ſola Actio ſucceſſiua ſpectet ad hoc prædicamentum? affirmant aliqui cũ Soncin. 9. met. nam Ariſt. 3. phyſ. ait Actionem eſſe motum, qui vtique ſucceſſiuus eſt, & conſequenter ab hoc prædicamento excluduntur actiones inſtantaneæ. Dicendum eſt tamen etiam inſtantaneam in hoc prędicamẽto recludi; Nec Ariſtot. oppoſitum docuit, quia non ſumit ibi motum præciſè, pro eo, qui ſucceſſiuus eſt, ſed potius prout etiam mutationem includit; nec verum eſt motum eſſe eſſentialiter ſucceſſiuum; vt in phyſicis videbimus; hinc Scot. in 4. d. 43. q. 5. lit. G. & H. inquit animationem fieri in inſtanti, & tamẽ ibi cõcedit interuenire actionẽ hui' prædicamẽti &c.

6. Dubitatur 4. an ſola actio accidentalis ad hoc ſpectat prædicamentum, an etiam ſubſtantialis? Suar. diſp. 48. meth. ſec. 6. nu. 5. affirmat ſolas accidẽtales hoc prędicamentum conſtituere. Verùm in hoc ab omnibus reiicitur, nã etiã actionem ſubſtãtialem ad hoc prędicamentum ſpectare; & ratio eſt, quia tam actio terminata ad quantitatem, & qualitatem, quàm terminata ad ſubſtãtiam, accidens eſt apud omnes, quare generatio dicitur ſubſtãtialis ſolùm extrinſecè, ſumpta denominatione à termino, qui eſt ſubſtantia. Tùm quia aliæ relationes fundatæ in ſubſtantia, & ad ſubſtantiam terminatæ, ad prædicamentum relationis ſpectãt, nõ ſubſtãtiæ ex ipſomet Suar. diſp. 47. ſect. 7. nu. 4. ergo idem de Actione aſſerendum eſt.

7. Paſſio ſic à Gilibert. definitur: *eſt effectus, illatioque actionis*, & accipitur formaliter pro reſpectu oppoſito actionis, qui ſubiectiuè reſidet in paſſo, ſicut actio in agente, & à Scoto in 4. d. 13. q. 1. definitur, ꝙ ſit reſpectus paſſi ad agens, ſeu tranſmutati ad tranſmutans; & illa verba Giliberti non debent intelligi de ſola illatione conſecutionis, nam ſic non tantùm actio infert paſſionem, ſed etiam paſſio infert actionem, cùm ſint relationes mutuæ, ſed intelliguntur de illatione cauſationis, quo ſẽ ſu cauſa dicitur inferre effectum, & non è contra, quod etiam non in toto rigore intelligendum eſt, nam paſſio nõ eſt propriè effectus actionis, actio .n. huius prædicamenti non eſt productiua, vt diximus, ſed intelligendum eſt per quamdã Analogiam quatenus ſ. concipitur aliquo modo conſequi ad actionẽ, quia .n. agens agit, dicitur paſſum pati. Et quia paſſio prædicamenta-

lis adæquatur cum actione prædicamentali, eique opponitur, idcirco omnes illas diuiſiones, genera, ac ſpecies habebit, quas habet Actio, ac inſtar prædicamenti actionis, ſeruata proportione, coordinari debebit. De affectionibus horum prædicamentorum, patet in Inſtitutionibus.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *De Vbi, & Situ.*

1. SCot. in quo ſapientiæ radices proſpicere eſt, de Vbi diſſerit quol. 11. & in 2. ſent. diſt. 2. q. 6. & in 4. d. 10. q. 1. & ſæpè alibi, & quia nos de his fuſius (Deo dante) in phyſ. Agemus, hic tantùm aliqua dubia tangemus, ne logicus nimis anxius, & mendicus de his Cathegoricis remaneat. Et Primum dubium eſt, an præter locum extrinſecum, qui à Philoſopho ponitur ſuperficies ambiens Corp' ab extrinſeco, quod ab alijs vocatur ſpatium, ſeù vacuitas quædam ab ipſo corpore repleta, ſit admittendum Vbi intrinſecum, vt accidens ſuperadditum, quo res formaliter dicatur locata, & vbicata, ſpectans directè ad hoc prædicamentum? Negant Nominales, aſſerentes Vbi non eſſe, niſi denominationem extrinſecã à loco, in quo res eſſe dicitur, ſiuè eſſe ipſum locum realem extrinſecè denominantem, quos ſequuntur Coninch. de Sacram. ad q. 75. art. 4. d. 1. Maſius hic, & alij, quidam verò putãt eſſe ſimplicem indiſtantiã loci, & locati, quæ non eſt niſi negatio diſtantiæ.

2. Cæterũ tota Schola Scotiſt. & Thomiſt. oppoſitum docet, & ratio eſt à Scot. adducta quol. cit. art. 3. qua cæteri vtuntur. ſ. poteſt eſſe Petrus in rerum natura, & etiam hæc ſuperficies, ſeù ſpatium, & quòd Petrus non ſit hic, vel in iſto loco, ergo Petrum eſſe hic, ſeù habere hoc Vbi, eſt aliquid ſuperadditum entitatibus loci, & Petri.

Reſpondent Aduerſarij Vbicationem Petri hic eſſe ſolã indiſtantiam ipſius ab hoc loco. Non valet, nam noua negatio non datur, niſi per ablationẽ alicuius poſitiui præcedentis, at dum Petrus de nouo eſt in hoc loco, non amiſit niſi exiſtentiam in alio, & diſtantiã ab iſto, ſi ergo hæc sũt quid poſitiuum, poſitiua etiam erit realis indiſtantia, quam per motum acquirit in hoc loco, eadem. n. eſt ratio de diſtantia, & indiſtãtia ab hoc, & illo loco.

Reſpondent aliqui Vbicationẽ Petri hic eſſe nouam denominationem extrinſecam ab hoc loco deſumptam, non aliquod de nouo ſuper additum. Non ſoluit, nam terminus per motum acquiſitus debet eſſe in ipſo mobili, ſicut eſt ipſe motus, ſed locatum eſt quod mouetur, non locus, ergo per aliquid intrinſecus ſibi dicitur in loco, non tantùm per extrinſecam continentiam loci. Sed de hoc dubio erit famoſa cõtrouerſia in phyſica, & nobiſcum ſunt omnes, tam veteres, quam Recentiores nobiliores. Et

Arriag. diſp. 14. phyſ. nu. 7. Ioan. de Lugo diſp. 5. de Sacram. Euch. ſec. 4. & 5. & alij contra Coninh. d. 3. Dubitatur 2. quibus rebus conueniat Vbi huius Prædicamenti? ex quibus deinde facilè colligemus quæ ſint ſpecies huius prædicamenti: pro cuius reſolutione accipiendum eſt ex phyſicis, quæ nã res dicuntur eſſe propriè in loco, illa .n. quæ propriè ſunt in loco, habent etiam propriũ Vbi huius prædicamenti. Quidam cum Fõſecâ 5. Meth. c. 15. in loco reponunt res omnes tàm corporeas, quã incorporeas, imò & Deum ipſum, licèt non incerto ſpatio recluſum, ſed vbique in omni loco diffuſum, ac proindè affirmant, non ſolùm Vbi Creaturarum, ſed etiam Vbi Dei immẽſum ad hoc attinere prædicamentum. Alij ex oppoſito non ſolum Vbi Dei immenſum ab hoc prædicamento excludunt, ſed etiã Vbi Angelicum, non enim propriè ponunt Angelum in loco per intimam præſentiam ſuæ ſubſtantiæ in tali loco, vel ſpatio, ſed per operationem, & applicationem virtutis; quare talis denominatio eſſendi in loco potius ad prædicamẽtum Actionis ſpectare videtur; ita Thomiſtæ cum Diuo Thoma, qui opuſc. 48. cap. 1. docet Angelum æquiuocè eſſe in loco cũ Corpore, Angelus enim potius continet locum, quã à loco contineatur.

4. Melior Sententia eſt Scotiſt. quos ſequuntur Neuterici omnes, qui negant Deum eſſe propriè in loco, & fuit aperta ſententia D. Auguſt. libr. 83. qq. q. 20. Et D. Anſel. in Monol. c. 22. vbi docent melius dici Deum eſſe cum loco, quã in loco, nam contineri in loco limitationem innuit, ex alia autem parte affirmant nõ dũ Corporibus, ſed etiam Angelis propriè conuenire eſſe in loco per applicationem ſubſtãtiæ ad certum locum, & ſpatium; Et licèt corpora dicantur eſſe in loco circumſcriptiuè .i. cum extenſione partium, Spiritus verò definitiuè, ſiuè incircũſcriptiuè ſine tali commenſuratione, nihilominus in genere conuenire poſſunt in aliqua ratione communi vniuoca præciſa ab illis, & hæc erit continentia paſſiua, ſeù realis præſentia rei locatæ ad locum, à quo continentur, vt à definitiua, & circũſcriptiua abſtrahit; & ità Vbi Angelicum ad hoc quoque ſpectabit prædicamentum, cùm ſit forma inhærens Angelo, per quam formaliter conſtituitur in loco; & eodem fundamento ad hoc quoque Prædicamentum ſpectabit Vbi ſacramẽtale, quo Chriſtus dicitur eſſe indiuiſibiliter ſub ſpeciebus conſecratis ex Doct. in 4. d. 10. q. 1. lit. K. eſt .n. modus eiuſdem rationis cũ Angelico: & licèt Corp. Chriſti nõ contineatur ſub illis velut in loco, hoc parum refert, quia non tãtum reſpectus continentiæ actiuæ, vel paſſiuæ, qualis eſt præſentia localis, ad hoc ſpectat prædicamẽtum, ſed quilibet alius reſpectus præſẽtiam quomodocumque importãs,

Et parum refert, quòd Giliber. definierit tantum Vbi circumſcriptiuum, ipſe enim non aſſignauit rationes generales illorum prædicamentorum in tanta amplitudine, vt aſſignari poterant, & debebant ex Scot. loc. cit. hoc autem non poteſt conuenire Deo, cùm ſit in loco tantùm abuſiuè; & Vbi eius immenſiuum, ſi radicaliter ſumatur, pro aptitudine, quàm habet ad eſſendum in omni loco, eſt ipsũ attributum immenſitatis, ſi verò actualiter accipiatur, quatenus De' dicitur actu eſſe vbique eſt pura extrinſeca denominatio, atq; ideò vbi Immenſiuum eſt prorſus à prędicamento eliminandum.

5. Ad inueniendas igitur huius prædicamẽti ſpecies, modus eſſendi in loco ità diuidi debet, ſ. vnus indefinitè, & immenſiuè, qui eſt ſine limite, & ſoli Deo conuenit, & ad hoc prædicamentum non attinet; alter modus eſt eſſendi in loco definitè, ſ. in loco determinato, & intra certos limites, qui reb' creatis, & finitis cõpetit, & hoc vbi ſpectat directè ad hoc prædicam. vt genus ſupremum; & diuiditur in duo genera ſubalterna, ſ. in Vbi circumſcriptiuum, quod eſt præſentia rei extenſa in loco, ità vt ſit tota in toto, & pars in parte, & Vbi incircumſcriptiuũ, quod eſt pſentia rei inextenſa in loco, ità vt ſit tota in toto, & tota in qualibet parte totius, & dici etiã ſolet Vbi definitiuum. Poſtea Vbi circumſcriptiuum diuiditur in penetrabile ex natura ſua, & hoc conuenit omni ſubſtantiæ, & accidenti Corporeo, ſecluſa quantitate, tunc. n. manerent extenſa per locum, ſed poſſent ab alia re penetrari, & eius præſentiam in eodem loco admittere; & in impenetrabile ex ſua natura, & hoc ſoli quãtitati conuenit, quę eſt radix impenetrabilitatis, & omnibus alijs per ipſam; Denique Vbi incircumſcriptiuum, ſeù definitiuum aliud eſt naturale, & natura ſua ad certum ſpatium determinatum, & hoc cõuenit Spiritibus; aliud eſt ſupernaturale, quod ex natura ſua non eſt determinatum ad certum ſpatium, etiam ſi Immẽſum non ſit, & hoc Deus communicat Corpori Chriſti in Sacramẽto Altaris, vbi eſt totum in qualibet parte hoſtiæ, & in quibuſcumque hoſtijs conſecratis reperitur, & à Theologis Vbi Sacramentale appellatur. Solet etiam hic dubitari, quinam ſit proprius, & per ſe terminus in ordine ad quem attẽdi debet Vbi paſſiuum rei locatæ; circa quod dubium non deficiunt difficultates, quas enodandas in phyſicis, cum alijs difficultatibus de loco transferimus.

6. De Situ, qui & poſitio dicitur egit Scot. in 4. d. 10. q. 1. §. *Dico ergo*. vbi duplicem diſtinguit poſitionem, vnam, quæ formaliter dicit ordinem partium in toto, aliam quæ dicit ordinem partium in loco, & conſtituit hoc prædicamentum; & vtroque modo accepta tãtùm ad res corporeas ſpectat, res ... n. ſpi-

Digitized by Google

.n. ſpirituales, & incorporeæ nullas partes integrales habet, ratione quarum ſituatæ dicuntur. Solet hic dubitari, quomodo ſitus cõſtituat diuerſum prædicamentum ab Vbi, & Scotiſtæ cõmuniter diſtinguunt, quòd Vbi dicit habitudinẽ totius circumſcripti ad totum circumſcribens, ſitus verò, ſeu poſitio habitudinem partiũ circumſcripti ad partes circumſcribentis, quod fuit diſcrimen aſſignatum à Doct. loc. cit. quia igitur aliquando inuariato vbi mutatur ſitus, vt diximus in Inſtit. de aqua agitata in vaſe, vbi tota aqua ſemper eumdẽ retinet locum totalem, ſed partes variant locum partialem, quia ſucceſſiuè reſpondent diuerſis partib᷒ vaſis, ex hoc tanta deſumitur diſtinctio inter illa, quãta ſufficit ad diuerſa pdicamenta conſtituenda.

7. Aliquibus tamen hæc expoſitio non placet, & ratio eſt, quia per hoc Vbi ita ponitur Corpus in loco, vt totum Corpus ſit in toto loco, & partes locati in partibus loci, ergo iam in ratione formali illius vbi includitur ordo partium locati ad partes loci; & conſequẽter non poteſt ſitus in tali ordine conſiſtere, alioquin non conſtituet diſtinctum prædicamentum ab Vbi, vt ad eius integritatem ſpectat; hinc Bonet. in ſuis prædicamentis hanc viam Scotiſt. relinquens, explicat Situm, eſſe modum quemdã ipſius vbi, ſic quòd vbi dicat abſolutè præſentiam rei in loco, Situs verò ſpecificet modum præſentiæ ſui, vel ſic .ſ. iacendo, ſtando, vel ſedendo; & iuxta hanc viam Situs fundatur in vbi, & eſt accidẽs eius, & diuiditur in ſtationem, ſeſſionẽ &c. vt genus in ſpecies, quod etiã innuere videtur Scot. loc. cit. dum ait, quòd poſitio ſpecificat vbi, & hunc modum ſequuntur Recẽtiores; & reuera magnum habet fundamentum in Definitione Gilber. ait .n. quòd poſitio eſt quidam ſitus partium, & generationis ordinatio, ſecundum quàm dicuntur ſtantia, vel ſedentia &c. vterque modus dicendi eſt probabilis, & q. vult tenere primam viam, reſpondeat ad rationẽ in contrarium, non haberi pro inconueniente rẽ vnius prædicamenti concurrere interdũ ad integritatem alterius prædicamenti, nam etiam ſecundum communem ſententiam figura eſt de prædicamento qualitatis; & tamẽ pertinet ad integritatem quantitatis, vt etiã de multis alijs patet, ergo ſimiliter in propoſito poterit ſitus ad cõſtituendum vbi circumſcriptiuum concurrere, eſtò diuerſi ſit prædicamenti &c.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De Quando, & Habitu.*

1. SCotus toius ſcriptis nihil poſt eſſe neque doctius, neque lepidius, quol. 13. lit. N. docuit relationem menſurati ad menſuram non eſſe realem, ſed rationis, & ratio eſt, quia verſatur inter extrema non vt habentia eſſe reale, ſed cognitum, quare relatio menſuræ fundatur in obiecto, vt cognito, quatenus

tenus menſura concipitur vt medium ad cognoſcendum menſuratum, & relatio menſurati fundatur in re menſurata, vt notificata per menſuram ex qua doctrina deducitur, quòd tempus extrinſecum in ratione menſuræ non eſt quid reale, & conſequenter relatio importata per Quando, non erit realis, vt fuſiùs in phyſica probabimus. Supponendum eſt, duplicem durationem realem diſtingui, vnam extrinſecam, quæ ſcilicèt comparatur ad aliam rem, vt menſuram illius, qualis V.g. eſt duratio motus horologij reſpectu aliorũ motuũ, alteram intrinſecam, per quam res in ſe ipſa durat ablato quotũque alio extrinſeco menſurante.

2. Quidam cum Suar. diſp. 52. metb. ſec. 12. num. 8. conſtituunt hoc prædicamentum in duratione intrinſeca rerum, ſed immeritò quidem, nam duratio intrinſeca rei, non eſt niſi eiuſdem rei exiſtẽtia perſeuerans, ex eodem Suar. ſed exiſtẽtia non ponitur in diuerſo prædicamẽto à re cuius eſt exiſtentia, præſertim in ſententia Scoti, quem Suar. ſequitur, non diſtinguentis realiter eſſentiam ab exiſtentia, ergo &c. Rt. Suar. quòd licèt talis duratio nõ prædicetur, de re durante, vt accidens phyſicum, prædicatur tamen vt accidens logicũ, & hoc ſufficere, vt ſit diſtinctum prædicamentum; non valet, quia etiam exiſtentia prædicatur accidentaliter logicè de creaturis, & tamen non ponitur in diuerſo prædicamento; nec accidens prædicabile ſufficit ad conſtituendum accidens prædicamentale ex illis nouem generibus, ſubſtantia n. poteſt eſſe accidẽs prædicabile, nõ tamẽ prædicamẽtale. Tum quia hoc prædicamentum nec tempus importat nec rem temporalem, ſed quòd ex adiacentia temporis in re temporali relinquitur, vt ex definitione Gilb. patet; *Quando eſt id, quod ex adiacentia temporis in re temporali derelinquitur.* Vndè ſicut vbi non dicit formaliter locum, ſed quod ex applicatione loci reſultat in loco, ſic in propoſito, Quando non dicit tempus, ſed quod ex eius applicatione in re tẽporali reſultat. Tum tandèm, quia propriè loquẽdo rem durare, & eſſe in tempore non ſunt idem, nam eſſe in tempore eſt contineri, ac menſurari tempore, durare autem eſt perſeuerare in eſſe, Quando verò importat rem eſſe in tali, & tali tempore, vt heri, hodie, cras &c.

3. Quid autem ſit illud, quod ex adiacentia temporis relinquitur in rebus ſibi ſubiectis, non cõueniunt Auctores; nam Thomiſtæ putant eſſe accidens reale, vt videre eſt apud Complut. Sanch. & alios. Et idem quoque multi Scotiſtæ ſentire videntur; docent n. ex adiacentia temporis ad rem temporalem reſultare in tẽpore Quando actiuum, & in re temporali paſſiuum, quos ſignificant eſſe reſpectus reales extrinſecus aduenientes; & ratio præſertim deſumitur

mitur

mitur ex paritate Vbi, nam ſicut ex extrinſeca circumſcriptione loci reſultat in re locata Vbi, quod eſt accidens reale, per quod formaliter res dicitur eſſe in loco, ſic ex incidẽtia extrinſeca temporis mẽſurantis res temporales, reſultat in eis Quando, vt accidens reale, per quod formaliter dicuntur eſſe in tempore.

4. Cæterùm, licèt hæc ſententia ſit communis, ex Scoti tamen Doctrina initio Articuli citati potius colligitur, quando non importare in rebus tempore ſubiectis formam intrinſecam, & realem, ſed tantùm extrinſecam denominationem, deſumptam à tempore, cui res coexiſtunt, & denominantur eſſe hodie, heri &c. Et ratio ẽ, quia Quando non poteſt importare relationem ad tempus, ſeù ad motum primi Cæli, niſi menſurati ad menſuram, ſed hæc relatio nõ eſt realis per Scotum, ſed rationis, ergo &c.

5. Dices, ſaltèm relatio menſurabilis ad menſuram eſt realis, & ſi hęc tolli, relinquitur à tempore extrinſeco in re temporali. Nõ valet, hoc enim non conuenit rei ex vi temporis, ſed ab intrinſeco; nam etiam ſi per impoſſibile nullum eſſet tempus extrinſecum menſurãs, adhuc ex vi ſuæ intrinſecæ durationis diceretur menſurabilis. Dices, hanc relationem realem eſſe ipſam coexiſtentiam rei temporalis ad tempus; hinc pluuiam heri fuiſſe, eſt coexiſtiſſe circulationi heſternæ primi Cæli, eſſe hodie eſt coexiſtere hodiernæ; non ſatisfacit; nam vel iſta coexiſtentia ſolũ importat amborum exiſtentiam in rerum natura, & hoc non iuuat, quia non eſſet maior ratio, cur vnum ſit menſura, & aliud menſuratum; Si eſt relatio coexiſtentiæ, vt menſurati ad menſuram, iam patet realem non eſſe. Tùm etiam quia coexiſtentia accepta pro exiſtentia ſimultanea amborum eſt relatio intrinſecus aduenien, poſita .n. re temporali, & motu primi Cæli, neceſſariò talis coexiſtentia ſequitur, potius ergo tenendum eſt, quòd hoc prędicamentum cõſiſtat in extrinſeca denominatione, deſũpta à tempore, cui res coexiſtunt, & appellari reſpectũ extrinſecus aduenientem, quia ad ſimilitudinem talis reſpectus nata eſt cõcipi, motus enim primi Cæli non dicitur menſurare hæc inferiora, niſi prius facta per intellectum applicatione ipſius veluti menſuræ ad illa, quæ applicatio ſe habet veluti approximatio inter extrema, vt illa denominatio extrinſeca reſultet, quod vtique proprium eſt, reſpectus extrinſeci.

Nec fundamentum oppoſitæ ſẽtentiæ viget, negatur .n. paritas de Vbi, & Quando, nã Vbi eſt terminus motus, & actionis, ideò neceſſariò debet eſſe quid Reale; Quãdo verò nullius actionis realis, nulliuſq; motus eſt terminus. Tùm quia Vbi, & quando oppoſitas habent Conditiones, quia vt res di-

catur

Digitized by Google

catur ſucceſſiuè præſens alteri, & alteri ſpatio locali, locus debet cõtinuò mutari; vt autem dicatur ſucceſſiuè præſens alteri, & alteri ſpatio durationis, duratio ipſa debet eſſe tranſiens, & fluens, res verò concipitur vt immobilis, & eadem perſeuerans; idcirco Quãdo benè munus ſuum obire poteſt p ſolam extrinſecam denominationem, non verò Vbi.

6. Sed Vrges, pura denominatio extrinſeca non ſufficit ad conſtitutionem vnius prædicamenti, aliter debent conſtitui plura alia prædicamenta iuxta multitudinẽ harum denominationum, vnum ſ. ex denominationib', quibus obiecta denominantur ab actibus, aliud ex eis, quibus denominatur ab effectibus, vt Creator &c. Sicut igitur hę denominationes non conſtituunt prædicamẽta diuerſa, ſed reducuntur ad prædicamenta formarum, à quibus ſumuntur, vel ſubiectorum, quæ denominantur, ità de Quando aſſerendum erit, ſi eſſet pura extrinſeca denominatio. R. negando ſequelam, & ratio eſt, qa vt ſæpè diximus, hæc prædicamẽtorum diuiſio eſt arbitraria, & famoſa, non neceſſaria; & ideò non opportet omnia nouem genera eſſe vera, & phyſica accidentia, vt nonnulli cõtendunt; potius .n. hęc nouem genera diſtincta ſunt, ac enumerata ex ſpeciali modo denominandi primam ſubſtantiã, quàm inhærendi, vt S. Thom. aduertit opuſc. 48. quia ergo Denominatio Quando, neceſſaria eſt, & frequẽtiſſima inter homines, non minus, quàm denominatio Vbi, dicimus .n. res eſſe in loco, & in tempore; ſicut Vbi conſtituit vnum prędicamentum, ità ſapientibus viſum eſt aliud prædicamentum ex Quando conſtituere magis, quàm ex alijs denominationibus, quæ non videtur ità neceſſariæ.

17. *Habitus eſt Corporum, & eorum quæ circa Corpus ſunt adiacentia, vt tunicatum eſſe, loricatum eſſe &c.* Ideſt reſpectus ille extrinſecus eorum, quæ ſunt circa Corpus, ad ipſum Corp' terminatus &c. vt habuim' in Inſtitut. Et quidem mirum eſt ita quæ ſcurrilia Auctores tamen tantum impendunt circa hoc prędicamentum, multas ridiculas, & vanas dubitationes exiſtentes. Nos breuiter, ad ea tantùm attendentes, quæ neceſſaria ſunt, & Antiquiores noſtri docuerunt, dicimus, quòd per habitum, hic intelligitur habitio illa media, qua ſubiectum dici ſolet habere formam; atque ideo ad hoc prædicamentum attinet omnis vnio abſoluti ad abſolutum, omnis reſpectus ſubiecti ad formam, & è cõtra; & omnis realis connexio inter partes ad inuicem, ſiuè eſſentiales ſint, ſiuè integrales, vt Bonet. egregiè docuit in ſuis prædicamentis libel. 10. vbi ait per armatum eſſe, & calceatum eſſe nihil aliud Priſcos Auctores intellexiſſe, quàm vnionem, & connexionem inter arma, & Corpus, inter calciamenta, & pedes.

8. Hinc

Digitized by Google

8. Hinc notat Auerſa, quòd licèt denominatio habitus ſumatur à locali præſentia veſtis cum corpore, non tamen ſumi per meram concomitantiam localem, ſed ſumi potius per quemdam modum informationis, & ſuſtentationis; illa .n. denominatio, quæ ſumitur à præſentia per meram localem concomitantiam, potius ſpectat ad prædicamentum Vbi, & in fine ſectionis concludit, habitum dici penès illas res, quæ adiacent ſubiecto ad inſtar formæ, & ſubiectũ dicitur illas in ſe habere, & veluti ſuſtẽtare tãquã formas, hæc Auerſa.

Et probatur, adhuc quia Vnio, & præſertim informatiua equidẽ digna eſt, vt ei ſpeciale aſſignetur prędicamentum, ſed ſub nullo ita propriè contineri poteſt, ſicut ſub iſto, ergo &c. Reſpondent aliqui Vnionem attinere ad prædicam. formæ, quam vnit, & ideò non conſtituere nouum prædicamentũ, cùm ſit modus imperfectus. indigna ſolutio; nam vnio eſt perfectior, quàm ſit actio, cùm actio ſit via ad vnionẽ, & tamen Actio cõſtituit per ſe prædicamentum; Tùm quia ſi vnio poni debet in prędicamento formæ, quam vnit, ob connexionem, quã cum ea habet, eadem ratione, & Actio ſpeciale prædicamentum non conſtituet, ſed poni deberet in prędicamento formæ, cuius eſt productiua, ob neceſſariam connexionem, quam habet cum ea; Tùm qa ſicut omnes actiones quãtumcũq; ſint ad terminos diuerſos, adhuc talem inter ſe conuenientiam habent, vt omnes in vna Cathegoria reponãtur, idem ſimiliter de vnionibus dicendum erit, ſiuè termini ſint ſubſtantiales, ſiuè accidẽtales.

9. Probatur modo minor argumenti, non .n. vnio pertinere põt ad prædic. Subſt. Quant. & Qualit. nam hæ sũt abſoluta, vnio verò eſſentialiter relatiua, eſt .n. nexus duorum, & implicat conceptu abſoluto, & ad ſe intelligi: Nec ſpectare põt ad prędicamentum Relationis, cùm non oriatur ex natura extremorum, ſed petat eorum applicationem, vt inſurgat: nec poni debet in prædicam. Actionis, vel paſſionis, nam actio, quã agens vnit formam cum materia, & vnum extremũ cũ alio, eſt alia ab vnione formali, qua ipſa extrema vniũtur; nam hæc .ſ. vnio eſt terminus per illam productus: nec ad Prædicamentum paſſionis, ſpectare poteſt, quia à paſſione dicitur V. g. ſubiectum calefactum, ſed ab vnione caloris dicitur calidum, in qua denominatione exprimitur ſola receptio, & informatio, non aũt paſſio: Nec ad vbi reducitur, vt aliqui putant, propter intimam prękſentialitatem formæ ad ſubiectum; nam informatio aliquid ampli' addit ſupra præſentialitatem, & poſſet Deus facere animã intimè corpori pręſentẽ p ſimplicẽ aſſiſtẽtiã, abſque informatione, & animatione, Nec ad ſitũ ob eãdem rõnem, qa etiam ſitus eſt Corporũ ex Gilberto, habitus verò poteſt reperiri

etiam inter ea, quæ non ſunt corpora. remanet igitur, quòd vnio in prædicamento habitus reponatur, & rationabiliter quidem, nam vnio formæ ad ſubiectum, eſt derelicta aliquo modo ex adiacentia accidētis ad ſubiectum, vel eſt ipſamet talis adiacentia; & videtur innuiſſe Gilibert. dum recenſet in hoc prędicamento Album eſſe, quantum eſſe .i. reſpectum ſubiecti ad albedinem, & quātitatem. Et licèt philoſophi exempla adduxerint ſpecialiter de veſte, hoc fecerunt, qa nomen habitus illi appropriatur, veſtis .n. populariter dici ſolet habitus, reuera tamen ad corpus nihil prorſus reale addit ſupra intimam præſentialitatem, & contactum, quem habet ad membra; vnio autem eſt reuera modus ſuperaddit⁹ extremis. Et iſta pro modo ſufficiant, nam in phyſicis iterum redibit ſermo.

Vndecimum Prædicamentum non admittimus, quia cum ens rationis ſit illud, quod ad modum entis realis concipitur, in eo prædicamento reponi debet, ad cuius inſtar concipitur.

# DISPVTATIO XV.

## DE POST PRÆDICAMENTIS.

*De oppoſitis autem quot modis ſolent opponi dicendum eſt. Dicitur .n. alterum alteri opponi quadupliciter &c.*

POST exactā notitiā Prædicamētorum, quædā ſubiunxit Ariſt. quę multū ad ipſorū cognitionē cōducūt, qua ratione poſt prædicamēta dici cōſueuerūt; vndè poſt predicamentum eſt quoddā documentum, valens ad habendā à poſteriori prędicam. notitiam, & ſunt quinque .ſ. oppoſitio, Prius, Simul, Motus, & Habere. Conferunt ad prædicam. intelligentiam. de his .n. quinque, in illis mentionem fecit. de contrariè, & relatiuè, oppoſitis meminit in prædicam. ſubſtantiæ, & Quantitatis, dum ait: nihil contrariè illi opponi, & magnum, & paruum relatiuè tantùm opponi; & in Prædicam. Qualitatis docuit habere contrarium; de Priori, & ſimul meminit in prædicam. Relationis, cùm aſſeruit relatiua eſſe ſimul natura, & quod extrema ſunt prius relatione &c. de Motu mentionem fecit in prædicam. Actionis, & Paſſionis, quæ nō fiunt ſine motu; & tandem de habere mentionē fecit in vltimo prędicamento, explicando hic diuerſos habendi modos ad illud reducibiles, de quibus nos more noſtro breuiter diſſeremus.



Digitized by Google

## ARTICVLVS PRIMVS,

*De relatiua, contraria, priuatiua, & Contradictoria oppoſitione.*

1. SCotus in explicandis quæſtionum argutijs, omnibus argutior, in differendo omnibus ſubtilior, in confutando omnibus modeſtior, ſufficientiam horum oppoſitorum egregiè oſtendit quæſt. 38. prædicam. & 5. met. tex. com. 15. pro quorum notitia ſupponimus, hic non loqui de repugnātia, & oppoſitione complexorum, de quibus ſatis egimus in inſtut. ſed de oppoſit. incomplexorum, qualia ſunt illa, quæ in prædicamentis reponuntur, & prius indagare debemus quid ſit repugnantia in cōi, ſeù oppoſitio, & deindè quomodo ad ſuas ſpecies contrahatur. *Repugnantia igitur eſt relatio duorum extremorum ſimplicium, quatenus nequeunt habere idētitatem quamdam formalem, aut realem; vel quatenus eidem rei ſingulari, ſimul, ſecundum eamdem rationem, & reſpectu eiuſdem non poſſunt ineſſe.* Dicitur *relatio*, nam repugnātia eſt quædam diuerſitas, & diſtinctio, quæ formaliter eſt relatio; & ſi extrema erunt realia, & exiſtentia, relatio erit realis ſimpliciter; ſi verò vnum extremum erit non ens, vel non exiſtens, erit relatio realis ſecundum quid; item ſi extrema eſſe poſſunt ſine relatione, erit relatio prædicamentalis, ſin autem traſcendentalis ex dictis. Dicitur *duorum extremorum ſimplicium*, ad differentiam repugnantiæ propoſitionum. dicitur *quatenus nequeunt habere idētitatem &c.* vt comprehendamus repugnantia diſparata, & incompoſſibilia. Additur, *vel quatenus eidem rei ſingulari &c.* quia quædam ſunt, quæ non ſolùm non ſunt idem, ſed nequeunt eſſe in eodem ſubiecto, vndè habent etiam repugnantiam ſubiectiuam; & additur *rei ſingulari*, quia vniuerſali V.g. animali potentialiter conueniūt rationale, & irrationale. Dicitur *ſimul*, quia diuerſo tēpore cōtraria poſſunt eidē ineſſe. Dicitur *ſecūdū eamdē rationem*, quia res diuiſibilis in vna parte poteſt eſſe alba, in alia nigra; & indiuiſibilis ſecundū diuerſas rationes poteſt oppoſita ſuſcipere, vt Intellectus ſecundum quod producit ſpeciem dicitur agens, & vt eamdem recipit dicitur patiens; dicitur *reſpectu eiuſdem*, quia reſpectu diuerſorum, idem eſſe poteſt magnum, & paruum; licèt autem oppoſitio, ſeù repugnātia formaliter dicant relationem, fundamentaliter tamen, vt dicunt extrema relata per relationē repugnantiæ, diuiduntur in diſparata, & oppoſita propriè dicta.

2. *Diſparata ſunt illa, quæ inter ſe ſe expugnant, vt eadem ratione indeterminatè cum quolibet alio diuerſo repugnent, vt homo, & equus* &c. *oppoſita propriè dicta dicuntur illa, quæ ſpeciali modo, hoc eſt determinatè ſe reſpiciūt tamquam terminos illi⁹ repugnantiæ, vt calor, & frigus &c.* vt latiùs infra patebit. Horum autem oppoſitorum quatuor genera Ariſt. aſſignauit, aliqua .n. ſunt oppoſita re-

ſatiuè, alia contrariè, alia priuatiuè, alia Contradictoriè. huius diuiſionis ſufficientiam aſſignat Doctor loc. cit. nam oppoſitio alia eſt ſimpliciter realis, cuius extrema ſunt entia in eodem genere cōtenta; & horum, aut vnum reſpicit aliud, & ſic eſt oppoſitio relatiua, aut non, & ſic eſt oppoſitio contraria: alia oppoſitio eſt ſecūdum quid realis, quatenus vnum extremum eſt non ens, quod aut nullum ſubiectum ſibi determinat, & ſic eſt oppoſitio Contradictoria, aut determinat ſibi aliquod ſubiectum, & eſt oppoſitio priuatiua.

3. Ariſt. incipit à relatiuè oppoſitis, quia minus opponitur, & dicit eſſe *illa, quæ id, quod ſunt oppoſitorū eſſe, ſunt aliquid alio modo ad illa dicuntur*, i. illa dicuntur relatiuè oppoſita, quæ ſecundum id, quod opponuntur ad inuicē ſe reſpiciunt; hoc autem non conuenit alijs oppoſitis, nam eſtò vt vnum oppoſitum fundat oppoſitionis reſpectum, reſpiciat aliud oppoſitum, nam album dicitur opponi nigro, ſecūdum tamen propriam entitatem non reſpicit, nec dicitur ad aliud referri, vndè album non dicitur nigri album; oppoſita autem relatiuè etiam ſecundum proprias entitates, quæ fundāt oppoſitionem, ad inuicem ſe reſpiciunt, quia sūt relatiua; ita dimidium non ſolùm dicitur duplo oppoſitum, ſed dicitur etiam dimidium dupli dimidium, & oppoſitio conſiſtit, quòd idem nō poteſt reſpicere ſeipſum, quæ oppoſitio patet ex dictis diſp. de Relatione.

4. Oppoſita contrariè ſic definiri poſſunt ex Ariſtot. hic, & 10. Meth. c. 6. *ſunt formæ reales, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt, cui viciſſim ſucceſſiuè natæ ſunt in eſſe.* Dicitur, quòd ſint *formæ reales*, qua particula differunt à priuatiuis, & contradictorijs, quorum vnum eſt non ens, & aduertendum eſt, quòd hic oppoſitio cōtraria ſumitur ſtrictò modo prout ab alijs oppoſitionum generibus cōtradiſtinguitur.

Dicitur 2. *ſub eodem genere*; quod propriè intelligi debet de genere logico; vel proximo, vel remoto, nam Ariſt. hic recenſet tàm albedinem, quā nigredinē, quæ ſub eodē genere proximo continentur, quā etiam actus virtutis, & vitij, qui ſubalterno gaudent, ſcil. habitu.

Dicitur 3. *maximè diſtant*, vbi per diſtantiam hic non intelligitur diſconuenientia, quia minus conueniunt, homo, & album, quàm album, & nigrum, & tamen homo, & album non dicuntur contraria, ſed intelligitur repugnantia, & incompoſſibilitas ex Scot. in 1. d. 7. qu. vn. lit. L. & eſt quædā locutio methaphorica; ſicut enim in diſtantia locali datur principiū, mediū, & finis, & principium, & finis maximè inter ſe diſtant, quàm cum medio; ſic in formis ſub eodem genere repugnantibus, ſunt aliquæ, quæ maximè repugnant in illo genere, & ordine, vt in genere colorum albedo, & nigredo, in ordine ſaporum dulcedo, & amaritudo, ſe

ha-

Digitized by Google

habent vt principium, & finis, dantur quoq; colores, & ſapores medij, qui non tantùm diſtant, quantùm primi.

5. Item pro maiori intelligentia ſciendum eſt, quòd repugnantia eſt duplex; vna effectiua, altera formalis, prima eſt, qua vna res alteri repugnat, quatenus producere poteſt effectum illi contrarium, vt ſol dicitur contrarius frigori effectiuè, quia potens eſt producere calorem &c. repugnantia formalis eſt, qua duo inter ſe ex ſuis rationibus formalibus repugnant, & ſũt incompoſſibilia, vt calor in aqua, & frigus in eadem repugnant formaliter, non effectiuè, talis .n. repugnantia, & expulſio frigoris à calore prouenit media informatione, & per exibitionem propriæ entitatis, atq; ideò in genere cauſæ formalis; in præſenti loquimur de repugnantia pro formali; tùm quia albedo, & nigredo ſunt contraria, non tamen effectiuè, & eſt Doctrina Scoti in 4. d. 1. q. 5. lit. F.

6. Eſt etiam ſciendũ, quòd hæc repugnantia formalis, præſertim apud Scotiſtas multiplex eſt, primò namque dicuntur aliqua formaliter repugnare, quia ſimpliciter, & prorſus repugnant, ità quòd nullo modo per quamcumque potentiam ſimul eſſe poſſunt, non ſolùm in eodem ſubiecto, ſed nec etiam in eodem inſtanti; & hæc repugnantia reperitur inter contradictoria, cùm .n. eorum rationes formales conſiſtant in excluſione alterius oppoſiti, nunquam poterunt eſſe ſimul in eodem inſtanti, de quolibet .n. verificari debet eſt, vel non eſt. Secundò formaliter repugnant, quæ ex ſuis rationibus formalibus nequeunt in vnum per ſe conuenire, neque per ſe in compoſitionem alicuius tertij, etiam ſpectata quacumque potentia, vt homo, lapis, formæ diſparatæ &c. nam adhuc Intellectus Diuin᾽ cognoſcit in ipſis hãc imcõpoſſibilitaté; & hec repugnantia eſt in inor illa, nam quæ hoc modo repugnãt, poſſunt in eodem tempore eſſe, neque immediatè ità ſe habent, vt ſtatim ac vnum ab alio recedit, ſit ſub oppoſito, v.g. non ſtatim ac aliquid non eſt homo, eſt lapis, ſicut accidit in contradictorijs, vbi ſtatim ac aliqd ab eſſe ſecedit, ſtatim eſt ſub non eſſe oppoſito. de qua repugnãtia locutus fuit Scot. in 1. d. 43. E. vbi ait: aliqua entia ſunt in ſe ipſis poſſibilia, ſed formaliter incompoſſibilia, vt nõ poſſint eſſe ſimul vnũ, vel aliquod tertiũ ex eis. Vndè hæc imcõpoſſibilitas nõ eſt in ordine ad idem ſubiectum, ſed in ordine ad conſtitutionẽ vnius per ſe. Tertiò formaliter repugnant, quæ ex ſuis rationibus formalibus ſpeciali modo opponuntur, quatenus vnum natum eſt aliud expellere ab eodem ſubiecto, & de hac repugnantia loquimur in præſenti.

7. Hic dubitari ſolet, an de ratione contrariorum ſit maxima diſtantia, an verò ſufficiat minor; ꝙ

ſi pri-

ſi primum aſſeratur ſola extrema dicentur contraria, non media. R. diſtinguendo, alia .n. contraria ſunt perfecta, alia imperfecta, illa requirunt maximam diſtantiam, de quibus locutus fuit Philoſoph' 5. Meth. 15. dum per hanc maximam diſtantiam definiuit contraria; imperfecta autem non petunt hanc maximam diſtãtiam, ſed ſufficit minor, vt contraria dicantur; ſicut medium eſtò nō diſtet à principio ſicut finis, non ob id tamen abſolutè diſtare negatur.

Dicitur 4. *ab eodem ſubiecto &c.* quibus verbis explicatur effectus formalis contrariorũ, quę eſt expulſio ab eodem ſubiecto; & additur, *cui tamen viciſſim &c.* quia non ex hoc, quòd aliquæ formæ ſimul in eodē ſubiecto reperiri non poſſunt, inferre debemus cõtrarias eſſe, nam prouenire poterit ex incapacitate ſubiecti, vt ſunt V.g. intellectio, & albedo, quæ nec ſimul, nec ſucceſſiuè in eodem ſubiecto eſſe poſsũt, ideò requiritur expulſio formalis à ſubiecto, & quòd hoc ſit vtriuſq; capax. Aduertendum eſt tamen non ſufficere ad cõtrarietatem expulſionem numeralem, nam duæ intellectiones V.g. vel duæ albedines numero diſtinctæ ſunt in eodē ſubiecto incompoſſibiles ſimul, & ſemel, & tamen non dicuntur contrariæ, & idcirco requiritur expulſio, & incompoſſibilitas ſpecifica, ſcilicèt duarum formarum ſpecie diſtinctarum.

8. Quæres, an hæc expulſio ſumi debeat aptitudinaliter, quatenus ſcilicèt quodlibet contrarium natũ eſt oppoſitum à ſubiecto expellere, vel potius actualiter, prout actu expellit. Reſpondent aliqui intelligi debere de expulſione actuali; ſed quia vident contraria in gradibus remiſſis ſimul reperiri vt patet de aqua tepida, negãt hãc expulſionem formis contrarijs in gradibus remiſſis conuenire; ſed tantùm in gradibus intenſis, eſſe repugnantes aſſerunt, non ex ſuis rationibus formalibus, quòd docere videtur Scot. in 1. d. 17. q. 3. VV. Sed potius aſſerendum eſt, q cõtraria ex proprijs rationibus repugnant, & non per graduum intenſionem, album .n. vt vnum, verè nigro vt vno opponitur, & ideò dicendum eſt expulſionem aptitudinalem eſſe effectum contrarietatis, actualem verò eſſe accidens ſeparabile, vt eſt de riſibilitate & riſu; quæ ſeparatio prouenit ex aliquo extrinſeco impedimento, & eſt illimitatio ſubiecti, quia .n. tale ſubiectum eſt v.g. capax qualitatis vt octo, propter iſtam capacitatem, poſſunt in illo reperiri quatuor grad' caloris, & quatuor frigoris, atque ideò calor, & frigus in illo non repugnant actualiter, habent tamen aptitudinem ad repugnandum, quod eueniret, ſi reſtringeretur ſubiecti capacitas, & ità intelligẽdus eſt Scot. ſed fuſiùs in libr. de generatione.

9. Tandèm Ariſt. diuidit contraria in immediata, & mediata

prima ſunt, quæ medio carent, & quorum alterum neceſſariū eſt ſubiecto capaci, vt ſanum, & ægrum reſpectu animalis; ſecunda ſunt, q̃ habent medium, & quorũ alterū non neceſſariò ineſt ſubiecto capaci, vt album, & nigrum, hoc autē medium duplex eſſe poteſt, primū per negationem extremorum, vt inter amicum, & inimicum, quòd eſt non amicus; inter errorem, & ſcientiam, quòd eſt ignorantia; & infans dicitur nec temperatus, nec intemperatus; ſed non temperatus: ſecūdum dicitur medium per participationem vtriuſq; extremi, q̄ euenire poteſt, vel per meram mixtionem vtriuſq; extremi, vt tepidum dicitur medium inter calorē, & frigus, & qualitates contrariæ in gradibus remiſſis; vel per quamdā apparentiam, vt ſunt media ſpecie diſtincta ab extremis, quæ de extremis dicuntur participare, non quòd realiter ex eis componantur, ſed quia magis conueniunt cum extremis, quàm extrema inter ſe, vt colores medij inter albedinem, & nigredinem, & virtutes vitijs extremis oppoſitæ, vt liberalitas, quę eſt habit⁹ medius inter auaritiam, & prodigalitatem, nam vt prohibet ſumptus ſuperfluos aſſimilatur auaritiæ, vt præcipit neceſſaria aſſimilatur prodigalitati &c.

10. *Priuatiuè oppoſita ſunt illa, quorum vnum eſt priuatio alterius, & alterum eſt habitus, ſeu forma, & habēt fieri circa idem ſubiectum, tempore à natura determinato.* Et ità viſus, & ſurditas non opponuntur priuatiuè, quia vnū non eſt priuatio alterius, nec circa idem ſubiectum verſatur; Nec viſus, & eiuſdem negatio in lapide, quia & ſi vnum ſit alterius carentia, non tamen reſpiciunt cōmune ſubiectum, quòd ſit vtriuſq; capax; neque viſio, & negatio eiuſdem in catello ante nonum diem dicuntur priuatiuè oppoſita, nam & ſi ſubiectū ſit ex ſe capax viſionis, nō tamen adeſt tempus determinatum à natura, cùm ante nonū diem ei non debeatur viſio.

11. *Contradictoria ſunt illa, quorum vnum cùm ſit res, aliud eſt negatio eiuſdem, vel quæ ſecundum affirmationem, & negationē opponūtur.* vt homo, nō homo, ſedere non ſedere, ſolent hic quædā dubia à Doctorib⁹ excitari, ſed quia aliqua non videntur neceſſaria, cùm nulla ſit de eis cōtrouerſia, & aliqua inſtitutum logicum traſcendunt, ideò cōſultius pro modo ea relinquimus, & ſolū quęrimus, an ad ſaluandam contradictionem, ſufficiat diſtinctio virtualis, an verò requiratur diſtinctio ſaltē ex natura rei, & formalis, pauca dicemus, tùm quia res eſt merè Methaphyſica, tùm quia de hac etiam aliquando egimus diſp. Vniuerſalium inexplicatione graduum Methaphyſicaliū & art. diſt. formalis.

12. Thomiſtæ cōſtanter defendunt, diſtinctionem virtualem, ſeu rationis ratiocinatæ cum fundmēto in re, in eſſe obiectiuo conſideratā, ſufficere ad ſaluandam contradi-

tradi-

tradictionem, ſiuè vt de eodem prædicata contradictoria verificētur, quorum fundamentum eſt, qa tunc non ſe habent vt vnum ſubiectum, ſed vt duo, ob diuerſos conceptus obiectiuos inadęquatè rem illam exprimentes, & ſequuntur Recentiores omnes, præter Amicū tract. 21. diſp. 4. quæſt. 3. dub. 2. qui eſt cum Doct. in 1. d. 8. q. 3. & Scotiſtis omnibus, aſſerentibus ad prædicata contradictoria, quādo sūt realia à parte rei requiri diſtinctionem ex natura rei actualē, quando autem ſunt rationis, & ab opere Intellectus dependentia, ſufficere diſtinctionem rationis.

13. Probatur noſtra aſſertio: illa, quæ tantùm ratione ratiocinata differunt, licèt in eſſe obiectiuo ſint plura, tamen à parte rei ſunt omnino vnum actualiter, ergo de ipſis verificari non poſſunt contradictoria realia, conſequentia probatur: idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe, nec de eodem ſecundū idem poſſunt duo contradictoria verificari, ſed à parte rei illa diſtincta virtualiter ſunt vnum actuale, ergo &c. Reſpondent ſufficere, ꝙ ſint plura in eſſe obiectiuo, contradictio .n. nō eſt in rebus ante intellectus operationē, ſi ſumatur formaliter, quia conſiſtit in affirmatione, & negatione, quatenus ſunt enunciatiuæ, quòd eſt opus Intellectus ità Paſqual. tom. 2. Meth. diſp. 59. cum cæteris Thomiſtis.

Sed Contra, licèt .n. contradictoria complexa, ſeù propoſitiones contradicentes ſint opus Intellectus, incomplexa tamen dantur à parte rei independēter ab Intellectu, nullo .n. intellectu cogitante, dantur in rebus negationes, & priuationes reales, ergo ſicut non poteſt de eadem re affirmari forma, & priuatio formæ, eſtò multiplex ſit in eſſe obiectiuo, ità nec de eadem re à parte rei poterit affirmari forma, & negatio eiuſdem, ſi ſolùm ratione multiplicata ſit. conſequentia eſt clara, magis .n. incōpoſſibilia ſunt ex ſuis rationibus formalibus contradictoria incomplexa, quàm oppoſita relatiuè, priuatiuè, vel contrariè, ſed iſta non poſſunt de eodem à parte rei verificari, ſed reqri ſubiecta à parte rei multiplicata, cùm ſint in rebus independenter ab intellectu, ergo à fortiori prædicata cōtradictoria quando conueniunt rebus præter opus intellectus. Tùm quia veritas, vel falſitas propoſitionis non eſt conuenientia ipſarum cum re, vt habet eſſe obiectiuum in intellectu, ſed vt habet eſſe reale, res .n. ſicut ſe habet ad eſſe, ità ad cognoſci, ergo quamuis in eſſe obiectiuo res illa ſit multiplex, ſi in eſſe reali eſt vna, iam de eodem verificarentur contradictoria.

At Obijcient Thomiſtę. Diſtinctio rationis ratiocinatæ facit, vt id, ꝗ in ſe erat vnū, fiat in eſſe obiectiuo multiplex, & diuerſa, ergo ſufficit, vt de illis cōtradictoria ꝑdicentur, patet conſequentia, nā tūc ceſſant eſſe contradictoria, cū

non

non verificentur de eodem ſecundum idem, ſed ſecundum diuerſas formalitates obiectiuas ℞. negando conſequentiam, cum ſua probatione, quando prædicata oppoſita ſunt præter opus Intellect' &c. tunc enim requiritur multiplicitas, & diſtinctio à parte rei.

## ARTICVLVS SECVNDVS.
### *De Modis Prioris, & Prioritate naturæ.*

1. SCot. vndecumque reuera doctiſſimus, de prioritate naturæ benè diſſerit in 1. d. 7. q. vn. in fine, & in 2. d. 1. q. 2. A. & alibi. plures modos prioris, & poſterioris Ariſt. enumerat 5. Meth. 16. quos Doctores vſque ad ſexdecim multiplicant, nos potiores explicabimus, ex quibus etiam poſteriores patebunt. Primo modo aliquid dici poteſt prius dignitate, vel phyſica, vel morali; phyſica dicit quidditatem perfectiorē, vt homo inter animalia dicitur prior, præſtantior, & nobilior; prioritate morali aliquis dicitur prior propter gradum, & officium, quo alios antecedit, ſic Summus Pontifex dicitur cæteris dignitate prior.

2. Secundò, aliqd dicitur prius ordine. Sciendum eſt, quòd illa dicuntur priora, & poſteriora, quæ taliter ſunt inter ſe ordinata, vt vnum alterum aliquo modo præcedat, & quia ordo eſt relatio, ſequitur, quòd prioritas, & poſterioritas, ſint relationes in extremis fundatæ, non ità ſumitur ordo in præſenti, ſed per quamdam habitudinē in aliquibus reperta, non à parte rei, ſed arbitraria, vt eſt in rebus numeratis vel locatis, arbitrariè .n. ab aliquo incipit aliqua numeratio, eſtò aliqui aliter hūc modum explicent.

3. Tertiò, aliquid dicitur prius ſecundum locum naturalem vniuerſi; qui diuidi ſolet in ſuperiorē, & inferiorem, dextrum, & ſiniſtrū, ſic ignis eſt prior aere reſpectu loci ſuperioris, & poſterior reſpectu loci inferioris.

4. Quartò, aliqd dicitur prius tempore, vel duratione, quatenus alterū duratione præcedit, & hæc eſt præcipua prioritas, ad cui' cōparationem ceteræ deſumuntur; & quia mundus (relicta Ariſt. opinione) habuit determinatum principiū durationis, in ordine ad iſtud, prioritas, & poſterioritas accipi debet, & illud dicetur prius, ꝙ magis eſt propinquū principio durationis, poſteri' quod eſt remotius.

5. Quintò, addi poteſt modus prioris ſecundum rationem, quo illud dicitur prius altero, quòd eſtò re ipſa non ſit prius eo, concipitur tamen vt prius à nobis, vt in ſecundis intentionibus patet, in hac enim propoſitione, homo eſt homo, homo à parte ſubiecti dicitur prior ſe ipſo à parte prædicati. Et quia inter alios adſunt quoque alij duo modi prioris .ſ. naturæ, & originis, de quibus ſpeciales difficultates tanguntur, ideò de his ſerius agemus, tria dubia de pri-

prioritate naturæ in hoc articulo reſoluendo; primum, quid, & quotuplex ſit prioritas naturæ; Secundum an ſit realis, vel rationis; Tertium, an per ipſam poſſit ſaluari contradictio.

6. Quo ad primum dubiũ multa eſt altercatio inter Doctores, q̃ tamen contentio potius eſt de nomine, quàm de re. nos illa adducemus, quæ magis noſtro Doctori, & rationi conformia ſunt primo modo igitur prioritas naturæ accipitur pro prioritate inconuertibilitatis quando ſcilicèt non conuertitur ſubſiſtendi cõſequentia; quod vel intelligi poteſt, quoad exiſtentiam vt cùm arguitur ab eſt ſecundo adiacente, ad eſt ſecundum adiacens, vt V. g. fumus eſt, ergo ignis eſt, non tamen è contra. nam ignis non ſemper eſt cũ fumo coniunctus, ideò ignis dicitur prior natura fumo; vel intelligi poteſt quo ad eſſentiam, quando .ſ. aliqd non prærequirit aliud quo ad ſuã eſſentiam, licèt iſtud in ſua eſſentia præxigat illud, quomodo V. g. ſe habent rationalitas, & riſibilitas in ſententia Scotiſtarum, & ità rationalitas cenſetur prior natura riſibilitate, prior tamen explicatio eſt cõmunior, quàm tradidit Scot. in 1. d. 7. q. vn. & in 3. d. 2. q. 2. ad tertium, vbi aduertit, quòd hæc prioritas nõ neceſſariò infert cauſalitatem in priori naturæ reſpectu poſterioris. nam poteſt dari caſus, quòd cauſę exiſtentia inferat vtiq; exiſtentiam effectus, non tamen è contra, effectus inferat exiſtẽtiam cauſæ, & eſt cùm cauſa eſt neceſſariò productiua effectus, qui tamen effectus ab alia cauſa produci põt, vt ignis, qui neceſſariò producit calorem, calor autem non ſolùm ab igne, ſed à ſole, vel ab aliјs cauſis produci poteſt, ideò valet ignis eſt, ergo calor eſt, non tamen è cõtra, calor eſt, ergo ignis eſt; hinc aliqui nolunt hanc eſſe prioritatem naturæ, cùm non dat intelligere cauſalitatem in priori naturæ reſpectu poſterioris, vndè Ariſtot. hic eam diſtinxit à prioritate naturæ, & ſolùm appellauit prioritatem ſecundum inconuertentiam. Attamen quia Ariſtot. 5. Meth. 16. definiuit prioritatem naturæ, quòd ſit inter ea, quorum vnum eſſe poteſt ſine alio, & non è contra; ideò dici poteſt prioritas naturæ non rigorosè.

7. Secũdo modo prioritas naturæ accipitur pro prioritate independentiæ, ſeù naturalis præſuppoſitionis, quatenus vnum præſupponitur alteri, & non è contra, quæ prioritas multiplex eſt, nam vel eſt inter duo quo ad conuenire alicui tertio, quæ non ſemper eſt prioritas cauſalitatis, ſed naturalis præſuppoſitionis in eſſendo, quatenus vnum dicitur prius alicui tertio conuenire, quàm alterum, quia hoc præſupponit illud, vt Scot. loquitur in 2. d. 1. q. 2. A. quæ adhuc duplex eſt, ſicut duplex eſt ordo eſſendi, qui poteſt inter illa reperiri, vnus eſt ordo eſſendi poſitiuus, q

cadit

cadit inter duo poſitiua verè, & realiter alicui tertio côuenientia, vt ſunt genus, & differentia reſpectu ſpeciei, quæ ambo ſpeciei inſunt, ſed prius natura genus, quàm differentia, nam differentia præſupponit genus, & non è contra; alter eſt ordo priuatiuus, qui reperitur inter priuatiuè oppoſita, in quantum priuatio ordine naturæ dicitur præcedere formam in Materia, etiam ſi materia eſſet ſimul cum forma producta, non quòd verè ineſſet materiæ, ſed quia ex ſe ineſſet, ſi agens non impediret producendo in materia formam.

8. Vel hæc prioritas cadit inter duo in ordine ad proprias entitates, quatenus entitas vnius neceſſariò entitatem alterius exiſtentem præexigit, non è contra, quod tripliciter euenire poteſt; primò vt id, quod præſuppoſitur, dicatur cauſa illius, cui præſupponitur, per verum, & realem influxũ, quo ſenſu cauſa dicitur naturaliter prior effectu, nam in ſuo eſſe non præexigit effectum exiſtentem, ſicut effectus neceſſariò præexigit cauſam & vocatur à Scoto in 1. d. 7. q. vn. in fine, prioritas cauſalitatis; Secundò cùm preſuppoſitum non eſt vera, & phyſica cauſa, ſed vel Methaphyſica per ſimplicem emanationem, vt eſt ſubiectum reſpectu paſſionis; vel ſaltèm eſt radix, & fundamentum, quo aliquod dimanat ſine omni prorſus cauſalitate, & dependentia, vt eſt eſſentia Diuina reſpectu attributorum, vel vnum attributum reſpectu alterius, vt apud Theologos cômuniter Immutabilitas céſetur ratio Æternitatis Diuinæ, vndè ſe habet velut cauſa virtualis; & hac ratione dicitur prius natura, quia poteſt intelligi, non intellecto poſteriori. Tertiò denique ſi id, quod præſupponitur non ſe habet vt cauſa, neque phyſica, neque meth. neque virtualis, ſed vt neceſſariò prærequiſitum ad eſſe poſterioris, qua ratione intelligi poſſit, non intellecto poſteriori, non è contra, vt Intellectus dicitur naturaliter precedere voluntatem, & intellectio volitionem ex Doct. in 2. d. 25. q. vn. ad tertium; ſicut etiam ſe habet duo effectus ſubordinati ab eadem cauſa prouenientes.

Quò ad ſecundum dubium, aliq; negant hæc inſtantia abſolutè dari à parte rei: quidam verò negant dari inſtantia naturæ inter prædicata eſſentialia, ſed aſſerunt hæc eſſe inſtantia rationis, licèt cum fundamento in re, quomodo etiã volunt talia prædicata ſolùm rõne ratiocinata diſtingui.

9. Sed melius tenendum eſt cũ Scot. loc. cit. & in 2. d. 1. q. 1. H. q. hæc inſtantia naturę verè dentur à parte rei etiam inter eſſentialia p̃dicata, præſcindendo ab intellect. operatione, quę ſint in vnico inſtãti temporis, quem ſequuntur Scotiſtæ communiter, & Amicus trac. 19. q. 7. dub. 2. & patet, nam in eodem inſtanti tẽporis verè à parte rei, nullo operãte Intellectu, poſ-

ſunt dari duo cum naturali prçſuppoſitione, (de hac enim loquimur) ſiuè cum cauſalitate, ſiuè non, modo explicato, ergo in eodem inſtāti temporis dari poſſunt plura inſtantia naturæ, antecedens eſt clarum, nam eſſentialia à parte rei prius conueniunt, quàm accidentalia, quia prius res eſt in ſe, quàm extrinſeca recipiat; & inter eſſentialia, quæ ſunt communiora, prius conueniunt, quàm ſpecialiora, cū hæc illis accidant, inferiora .n. accidunt ſuperioribus, conſequentia patet, nam hęc inſtantia non dicūt, niſi ordinem præſuppoſitionis vnius ab alio; & quia talis ordo non tantùm reperitur in rebus realiter diſtinctis, ſed etiam in prædicatis eſſentialibus, ideò hæc inſtantia erunt etiam à parte rei.

10. Obijces, ergo indiuiſibile temporis, quod eſt inſtans, erit diuiſibile per inſtantia naturæ, & ità haberet partes, quod eſt falſum. Tùm ſecundò, quia in tantùm vnū dicitur prius natura altero, quia poteſt concipi abſq; illo, ergo hæc inſtātia ſunt per intellectum, & idcircò rationis. Tùm tertiò, quando cauſa dicitur prior natura effectu, vel eſt ſermo de cauſa, & effectu formaliter acceptis, & eſt falſum, nam ſic ſunt relatiua, & ſimul natura; vel quo ad proprias entitates, & ità quia non ſolùm cauſa V. g. ignis poteſt concipi ſine calore, ſed etiam calor ſine igne, vterque diceretur prius natura.

℞. ad primum neg. conſequ. illa .n. non ſunt inſtantia durationis ſed tantùm naturalis præſuppoſitionis, quatenus vnum poteſt concipi, altero non intellecto, & non è contra; vndè non recipimus Amicum quantum ad hoc, qui ait, hęc inſtantia eſſe à quo, nō in quo, nam prioritas à quo dicit originationem vnius ab alio, & diſtinguitur à prioritate naturæ, & poteſt ſine illa eſſe, vt patet de cauſa, & effectu, quæ cùm relatiua ſint, dicūtur ſimul natura, & tamen cauſa eſt prior origine effectu, quia eſt à quo aliud; quare inſtantia naturæ dicuntur inſtantia in quibus, non quod in vno detur prius, in quó nō ſit poſterius, ſed quatenus in vno inſtanti præſupponitur aliquod eſſe, nō neceſſariò præſuppoſito poſteriori, ſed non è contra; quod nō euenit in relatiuis, in quibus eſt ſimultas naturæ.

Ad 2. ℞. inſtantia hæc dicere in recto entitatem cauſæ independentem quo ad exiſtentiam à poſteriori, in obliquo verò noſtrum concipiendi modum; quare non ideò cauſa dicitur prior natura q a indepēdens concipitur, ſed potius quia talis eſt in ſe, vndè fundamētum, & occaſionem præbet intellectui noſtro ſic concipiēdi, res .n. ſicut ſe habet ad eſſe, ità ad cognoſci, ità Amic. & Hurtad. cum aliquibus Scotiſtis.

Ad 3. ℞. Arriaga 7. phyſ. ſec. 7. quod cauſa ſecundum entitatem, non ſecundum relationem dicitur prior effectu phyſico, ſine quo eſſe

po-

poteſt, at effectus, licèt inadæquatè conceptus, poſſet concipi, non intellecta cauſa, adæquatè tamen neceſſariò dat intelligere cauſam, quam præſupponit in eſſe; bona reſponſio, ſed procedit de prioritate ſecūdum veram cauſalitatem, vbi cauſa poteſt eſſe ſine effectu propter diſtinctionem realem, nō in alijs, vbi cauſa identificatur realiter cum effectu; atque ideò dicimus ad prioritatem naturę ſufficere præſuppoſitionem in entitate, quo fundamento non ità neceſſitatur intellectus ad intellectionem poſterioris, ſicut neceſſitatur intelligendo poſterius, intelligere etiā id, quod præſupponitur; & ſi aliquando prius natura concipi nequeat diuiſiuè ſine poſteriori, pōt ſaltèm præciſiuè, & ſi aliunde non impediretur, ſcilicèt ab identitate reali, vel neceſſaria connexione, poſſet etiam ſine illo eſſe; hoc autem non militat de effectu, qui cū concipitur exiſtens, neceſſariò etiā cauſam exiſtentem præſupponit.

11 Quò ad tertium Dubium, Trōb. in formalitatibus art. 4. cum aliquibus Scotiſtis, aſſerit in eodem inſtanti temporis, ſi ſunt duo inſtantia naturæ, poſſe de eodem duo p̄dicata contradictoria verificari, licèt non contradictorio modo, in primo enim inſtanti naturę conueniet vnum contradictorium, in quo non conueniet alterum, ſed in 2. inſtanti; hinc affirmāt per inſtantia naturæ, menſurari rerum exiſtentias, ità vt hoc eſſe prius natura illo, non ſit tantùm hoc præſupponi ab illo, ſed hoc eſſe in aliquo priori, in quo nō ſit poſterius. Et videtur ſequi Faber in 1. diſput. 25. num. 21.

Cæterùm, aſſerimus non poſſe ſaluari contradictionem per inſtātia naturæ, quatenus explicantur per eſſe in vno inſtanti, in quo non ſit aliud, ſed ſolùm, quòd in vno inſtanti intelligatur prius, in quo non intelligitur poſterius, & colligitur expreſsè à Doct. in 2. d. 1. q. 2. A. & in 3. d. 3. q. 1. ad 3. vbi aſſignando duplicem illum ordinem naturę poſitiuū, & priuatiuum, ait: priuationem dici priorem forma in materia, non quia verè in priori naturæ inſit materiæ, ſed quia ineſſet, niſi per aduentū formæ impediretur; quod verum non eſſet ſi inſtantia naturæ menſurarent exiſtētias, nam dici poſſet verè priuationem in eſſe materiæ in primo inſtanti, & in ſecundo inſtanti expelli à forma, & hoc probatur, q̃a quod eſt poſterius natura, vel coexiſtit toti inſtāti temporis, vel parti, ſi ſecundum, ergo indiuiſibile haberet partes, ſi primum, ergo quia prius natura coexiſtit in eodem inſtanti, prius, & poſterius natura iam ſimul exiſtēt, ità vt dici non poſſit in aliquo ſigno eſſe prius, in quo non ſit poſterius, & ità defendunt de mente Scoti Canon. 1. phyſ. q. 4. art. 2. Rada p.p. controu. 5. Lichet. Tatar. Maſtr. & Bellut. hic & alij, & ſequuntur Recentiores communiter.

AR-

Digitized by Google

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De Prioritate Originis.*

1. SCot. vir pari doctrina, & probitate præditus in 1. d. 5. q. 2. lit. O. & d. 12. q. 2. & alibi frequenter, docet, illa, quæ ſunt ordinata ſecundum ordinem originis abſque vllo incõuenienti dici poſſe priora, & poſteriora. Supponimus pro intelligentia, Ariſt. non aſſignaſſe hũc modum prioritatis, & ratio eſt, quia in creatis non inuenitur abſque cauſalitate, quod .n. eſt altero prius origine, eſt etiã illius cauſa, & conſequenter prius natura: At quia ſecundum veritatem datur productio abſque imperfectione, & dependentia, idcircò Theologi præter ordinem naturæ, alium ponũt prius origine appellatum, qui modus in hoc conſiſtit formaliter, quòd plura dẽtur inter ſe ordinata, quorum vnum eſt ab alio tamquam à principio producente, & dici ſolet principium à quo aliud; & quia filius in Diuinis eſt à Patre, ideò dicitur à Patre originatus & hic eſt propriè, & rigorosè ordo originis, dantur etiam alij ordines originis, qui tantùm ſecundum quid tales dici poſſunt, quia non ſunt inter originans, & originatum, ſed inter origines ipſas, ſed de his in Theologia.

2. Solet hic controuerti à Doctoribus, an hæc, quæ ſic ordinata intelliguntur, poſſint dici priora, & poſteriora. D. Thom. 1. p. q. 42. art. 3. quem ſequuntur Thomiſtæ negat, & ratio eſt, quia putat prioritatem, & poſterioritatem inuoluere ſemper inæqualitatem, cauſalitatem, & imperfectionem, quæ omnia à Deo remouẽda ſunt. Scot. è contra loc. cit. & in 1. d. 1. q. 1. H. affirmat, quem præter Scotiſtas, ſequuntur Recẽtiores ferè omnes, Suar. diſput. 12. Meth. ſec. 1. nu. 8. & 9. Vaſq. 1. p. diſput. 168. Hurtad. diſput. 8. phyſ. ſec. 6. Arriag. diſp. 7. phyſ. ſec. 7. Amic. tract. 19. q. 3. dub. 7. & alij, & lis reuera eſt de ſolo nomine, nam per eſſe vnum prius origine alio tãtùm intelligimus, hoc ab illo originari, & produci, & per eſſe poſterius intelligimus eſſe ab alio productum, nõ à ſe, modo filius verè in Diuinis eſt à Patre, & Pater producit Filiũ, & ſolùm eſt diſcrepantia in modo loquẽdi, an Pater poſſit dici prior, & Filius poſterior, quod autem hic ordo originis inferat prius, & poſterius, ità facilè probatur: vbi ponitur aliquis ordo, ibi ponitur prius, & poſterius, quia ordo eſt inter ea, que non ſunt ſimul, qua ratione ordinata ſecundum ordinem naturæ nõ dicuntur ſimul natura; nec ordinata ordine originis ſunt ſimul origine; ſed in Diuinis eſt ordo originis, non ſimultas originis, ergo in Diuinis infert prius, & poſterius in tali ordine; ità Franciſcus de Mayr. in 1. d. 12. q. 2. art. 1. & 2. Tùm quia & ſi principium non dicat habitudinem cauſę, ſemper tamen eſt prius termino, ea ratione, qua eſt principium; hinc priuatio, eſtò non dicatur cauſa

gę

generationis, eſt tamẽ prior generatione, ergo principiũ originans, etiam à cauſalitate præſcindens, erit prius originato. Poteſt etiam dari hæc prioritas originis in creatis, cum cauſalitate, & dependentia; vnde cauſa efficiens non ſolùm dicetur prior prioritate naturæ, & in quo, ſed etiam prioritate originis, & à quo; Hinc generatio viuentis definitur, quòd ſit origo viuentis à viuente, & effectus dicitur originatus, & poſterior tã natura, quàm origine ſua cauſa, in Diuinis autem principium productiuum, ſicut non dicitur cauſa, ità neque prius prioritate naturæ, nam Pater, & Filius ſunt ſimul natura, & ſolùm eſt prioritas originis, & à quo; vndè tantùm prioritatem temporis, & naturæ à Diuinis Perſonis excludere debemus.

3. Et quòd Scot. formalitatem huius prioritatis originis ꝑpetuò explicuerit per à quo, & fortè nũquam per in quo, quicquid Faber contendat, clarè deducitur ex 1.d. 12.q.2. Vbi Doctor ait: Patrẽ prius origine filio ſpirare, & Filium poſterius, quia Pater a ſe, Filius ab alio ſpirat. Et in 2.d. 1.q. 1. ait: Patrem prius origine filio intelligere lapidem, quia Pater à ſe, Filius ab alio intelligit, & quol. 8. O. ait prius origine cauſare eſt cauſare à ſe, poſteriꝰ eſt cauſare ab alio, & quol. 4. §. *De primo*, ait: ordo autem originis non requirit, niſi quòd hoc ſit ab hoc, & alibi ſæpè. Non poteſt tamen negari, vt benè Rada aduertit p. p. contr. 5. Scot. aliquandò per ſigna originis intelligere ſigna naturæ, & hoc ſenſu inquit intellectum origine pręcedere voluntatẽ, & ideò bene aliqui Scotiſtæ diſtinxerunt ſigna originis à quibꝰ, & in quibus, & prioritas in quo, nõ eſt inexiſtentiæ, ſed intelligentiæ.

4. Sed Vrges, ſi Filius in Diuinis eſt origine poſterior Patre, non erit in primo ſigno originis, ſed in ſecundo, & conſequenter non erit ab æterno. ℞. negando conſequentiam, & ratio eſt, quia cùm filius dicitur eſſe in 2. ſigno originis, non in primo, non intelligendum eſt, ꝙ non habet exiſtẽtiam etiam in primo ſigno, ſed tantùm, quòd non habet eſſe à ſe. Cæterùm, vt omnis æquiuocatio tollatur, melius erit inſtantia naturæ explicare per verbum intelligi cũ pręciſione, & inſtantia originis per eſſe à ſe, vel ab alio, vt bene hic aduertunt Maſtr. & Bellut. cum Vulpio. Ex his deducitur, quòd ſolùm prius tempore reſpiciat durationẽ, alia verò præſcindunt, & præcipuè prius natura, & origine, nam in eodem inſtanti tẽporis poſsũt aliqua eſſe priora, & poſteriora natura, ꝗa cauſa, vt cauſa non neceſſariò debet tẽpore pręcedere effectum, ſed ſufficit, vt ſit in eodem inſtanti temporis, quomodo adhuc dicitur prior natura effectu; vnde iſti ordines ſunt ſubordinati; cum ſimultate temporis ſtat prioritas naturæ, & non è cõtra; cum ſimultate naturę ſtat prioritas originis, & non è contra &c.

AR-

## ARTICVLVS QVARTVS.
*De modis ſimul, de Motu, & habitu.*

1. SCot. ingenio vndequaq; clariſſimus, de his agit in prædicam. q. 43. & in 1. diſt. 28. q. 3. E. Ariſt. poſtquam egit de modis prioris, tres modos ſimultatis explicuit, quibus aliqua ſimul eſſe dicuntur, non quòd non ſint plures tribus, quia cùm ſimultas opponatur priori, & quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot dicatur, & reliquum, tot erunt modi ſimul, quot modi prioris; ſed hoc fecit Ariſt. quia iſti tres modi ſuffi ciebant ad propoſitum, & vt prædicamentis inſeruiunt, vt Doct. aduertit in prædicam. cit.

Primo modo igitur aliqua dicũtur ſimul tẽpore, qa fiũt in eodẽ tẽpore, & dicũtur ſimul inceptione; ꝗ ſi ſint in eodẽ tẽpore exiſtẽtia, licèt vnũ prius tẽpore altero inceperit, poſſunt tamẽ adhuc ſimul tempore in duratione, & cõſeruatione dici.

Secundo modo, quædam dicũtur ſimul natura, ad quæ duas cõditiones Ariſt. poſtulat, prima eſt vt dicantur ad conuertentiam, ſecunda vt vnũ non ſit cauſa alterius, vt ſe habent relatiua mutua, quę vt talia formaliter ſumpta ſunt ſimul natura.

Tertiò Modo, quædam dicuntur ſimul diuiſione, vt ſunt duę differentiæ ex æquo diuidentes idem genus; hoc autem intelligi debet de differentijs immediatis, vt rationale, & irrationale reſpectu animalis, non vt vna differentia alteri præſupponitur.

Motus ſpecies ſunt ſex, .ſ. generatio, corruptio, augumentatio, diminutio, alteratio, & ſecundũ locum mutatio &c. Exacta eorũ cognitio, quę in hoc capite cõtinẽtur prorſus phyſica eſt, & ſi faſcit Deus ſatis abundè ibi trademus, pro modo ad ſatisfactionem logici adnotamus, quòd res antequam ſit, dicitur eſſe in potẽtia alicuius materiæ, quod nihil aliud eſt, quàm dicere vnũ ex aliquo alio fieri V. g. planta antequam ſit, dicitur eſſe in potẽtia ſeminis, ex quo fieri poteſt; Et corona antequam fiat, dicitur eſſe in potentia auri: ex quo fieri põt; vndè quando aliquod agens aliquid facit ex aliquo, V. g. ignis ignem alium ex ligno, & artifex coronam ex auro, dicitur tale agens educere rem ex potentia in actum. Motus igitur in communi & lato ſumpto vocabulo, eſt ille tranſitus rei ex potentia In actũ, vt tranſitus plantæ ex potentia ſeminis in actum plantæ, dicitur motus plantæ; diximus lato ſumpto vocabulo, quia hic Ariſt. communiter loquitur de trãſitu tàm ſubſtantiæ, quàm accidentis, & vtrumque motum appellat.

Generatio igitur eſt productio compoſiti ſubſtantialis, vt productio ignis, hominis, plantæ &c. corruptio eſt deſtructio huius ſubſtantiæ, vt extinctio ignis, mors hominis &c. Augmentatio eſt acquiſitio maioris quantitatis, præ-

ſer-

ſertim in viuentibus, vt cùm creſcit animal, planta &c. Diminutio eſt amiſſio habitæ quantitatis, vt quando homo decreſcit ſenectute &c. Alteratio eſt qualitatis motus, vt productio caloris in aqua, & vniuerſaliter motus ſecundum qualitates, alterationes dicuntur. Latio eſt motus ſecundum locum, vt progreſſus, volatus, natatio &c.

Quo ſuppoſito, Ariſt. probat differentiam inter motus, vt corũ diſtinctio notior fiat: & primò dubitat de alteratione, an ſit diſtinctus motus ab alijs, & probat eſſe motum diſtinctum, quia ſtat eſſe alterationem, quando nullus ex alijs motibus eſt, quod patet quando V. g. aliquod calefit, tunc enim alteratur, & tamen non augetur, nec minuitur in ſua quantitate, nec mouetur ſecundum locum, nec generatur, nec corrumpitur ſubſtantialiter, ergo alteratio eſt ab omnibus diſtincta. Sed quia de augmẽtatione, & diminutione eſt maius dubium, quia res naturales nõ augentur nec minuuntur, niſi ſimul à qualitatibus alterentur; nõ enim viuens creſcit, niſi calore naturali alterante cibum, & conuertente in ſubſtantiam ipſius viuentis, vnde procedit augmentum, idcirco Ariſt. egregiè oſtẽdit exemplo Geometrico de quadrato cũ Gnomone compoſito, augmentum fieri ſine alteratione, ex quo patet non eſſe idem, ſi .n. eſſent idem, nullibi eſſet vnum, vbi alterum nõ eſſet, ex qua doctrina deducitur pulchra Ariſt. via inquirẽdi diſtinctionem realem duorum, quæ ſimul ſunt, ſi enim alibi vnum abſque altero inueniatur, vnũ idem non erant V. g. videtur ferè ſimul color cũ quantitate, poſſem dubitare, an ſint idẽ, tunc aduertam, an alicubi vnum ſine altero inueniatur, & quia in Cælis, & elementis quantitatẽ ſine colore inuenimus, ideo vbicumq; illa duo ſunt, diſtincta indicamus; hinc bene Scot. ex ſeparabilitate diſtinctionem realem infert &c. & hæc pro modo ſufficiant de motu.

*Habere ſecundum plures modos dicitur*, &c. Tandem vltimum poſt prædicamentum eſt habere, quod vocabulum ſatis æquiuocũ eſt, varia prædicamenta, & varias res diuerſorum prædicamẽtorum complectens. Primò igitur dicitur habere ſecundum habitum, vel diſpoſitionem, vt non ſit aliud habere, quàm diſpoſitum, vel habituatum eſſe, quo pacto dicimur habere colorem, ſcientiam, odium, frigiditatem &c. quæ aliud non ſunt, quã eſſe frigidum, calidum, ſcientem &c. Secundò habere eſt ſecundum quãtitatem, vt habere tres palmos, tres vlnas &c. quod aliud non eſt, quàm eſſe menſurabile ſecundum tres palmos, vel vlnas &c. Tertiò ſecundum veſtimentum, vel ornatũ, vt habere veſtem, anulum &c. ꝙ non eſt aliud, quàm eſſe veſtitum, ornatum anulo &c. Quartò habere ſecundum partem, habere caput, pedem, animam, ꝙ non eſt aliud, quàm eſſe capitatum, ani-

matum &c. Quintò habere p modum vaſis, vt amphora habet vinũ, oleum &c. in ſumma habere, ſignificat concretum aliquod nomẽ ad ea quæ habentur, quod aliquando eſt impoſitum; vt habere calorem, calidum eſſe, aliquando nõ eſt impoſitum, vt amphora habet vinum, non poteſt reſolui in concreto, ſed ſuppletur per illud verbum, habere, Sextò habere ſecundum poſſeſſionem, vt habere agrum, domũ, diuitias &c. Septimò, & vltimò dicitur vir habere vxorem, & vxor, virum, ſed iſtud dicitur eſſe improprium, quia vir non dicitur habere vxorem, niſi quia cohabitat, ſcilicet legitimè in legitimo matrimonio. reliqui ad hos reduci poſſunt, ſed quia parui ſunt momenti, iſta ſufficiant.

# DISPVTATIO XVI.

## IN PERIHERMENIAS ARIS. SEV DE INTERPRETATIONE.

### TEXTVS.

*Primum oportet conſtituere quid ſit Nomen, Quid Verbum; deinde quid eſt negatio, & affirmatio, & oratio &c.*

POST quam Ariſt. de principijs remotis ſyllog. ſcilicet de terminis in Prædicam. egit, modò ad libros de Interpretatione accedit, in quibus de eius principijs propinquis, quæ ſunt enunciationes differit, vt poſſit deinde ordinatim ad ſtructuram totius ſyllogiſmi peruenire in l. Priorũ. Inſcribitur autem hic lib. de interprætatione, quod græcè perihermenias ſonat, non vtique prout interprætatio ſignificat vocem articulatam, prolatam cum intentione aliquid ſignificandi, nam etiã ſic terminis incomplexis cõuenit, ſed quatenus dicit vocem articulatam ſignificantem aliquod eſſe, vel non eſſe, ſeu ſignificantem verum, vel falſum, quomodo cum enunciatione vocali coincidit; non ità tamen, quòd ipſa vocalis enunciatio hic per ſe conſideretur, logica .n. non eſt per ſe de vocibus, ſed ſolùm quatenus expræſſiuæ ſunt conceptuum mentalium ad quos voces, & ſigna ordinantur. Et ipſa interprætatio, ſeu Enunciatio ponitur ſubiectum huius libri, & agitur de nomine, & verbo, vt de partibus eius integralibus; de propoſitione Cathegorica, & Hipotetica, vt de eius ſpeciebus; & tandẽ de oppoſitione, æquipolentia, Cõuer-

uerſione &c. vt de eius proprietatibus; Et quia de his omnibus fusè in inſtitut. egims, ſolùm nonnulla hic tangemus, qui logico neceſſaria censētur. Et quia in hoc tex. p. ponit neceſſarium eſſe conſtituere quid ſit Nomen, quid Verbum, opere prætium duximus aliquid hic de Nominibus, ſeù vocibus addere.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An voces ſignificent res, vel conceptus, & num naturaliter, vel ad placitum.*

SCot. quem nō video cui ſit nomine literarum cōferendus 1. Perhiermenias q. 2. ait, quòd licèt attendendo auctoritatem philoſophorum aſſerendum eſt voces immediatè ſignificare conceptus formales, & res ipſas mediantibus illis, tamen attendendo rationem, fatendum eſſe per voces res ipſas principaliter, & immediatè ſignificari. in primo deindè ſent. diſtin. 27. quæſt. tertia ad 2. Prin. lit. H. fo. 287. vbi maiorē habet auctoritatē, abſolutè docuit res ipſas, non verò earum conceptus per voces immediatè, & principaliter ſignificari.

1. Supponimus tamquam certum apud omnes, quòd cùm aliqd ſignificare volumus, duo in mente loquentis præſupponūtur, ſcil. res cognita de qua loquitur, & illius rei Cognitio, quæ cognitio conceptus formalis dici ſolet, ſicut res ipſa cognita cōceptus obiectiuus. modò controuertitur, quid eſt, ꝙ per vocem primò, & principaliter ſignificatur, res, an conceptus rei? D. Thom. 1. periherm. lec. 1. & p. p. q. 13. art. 1. aſſerit voces immediatè ſignificare conceptus ipſos formales, & ipſis mediantibus res ipſas, & videtur fuiſſe communem ſententiam expoſitorum Ariſt. Auerr. Boet. Ammonij, Alexand. Porphyr. & aliorum, volunt tamē aliqui Auctores huius ſententiæ, ꝙ eſtò voces immediatius ſignificent conceptus, quàm res, principalius tamen ſignificant res, quàm conceptus, cùm ipſi conceptus vltimatè, & principaliter ordinentur ad repræſentandam ipſam rem, cuius ſunt ſimilitudines, & imagines intentionales. Et fuit opinio Baſſolij in p. d. 22. q. 1. art. 1. Et ſequitur Ioannes de S. Thoma p. p. log. q. 1. art. 5. Alij verò ex oppoſito defendūt per voces ſignificari res ipſas; non ſolùm primariò, & principaliter, verùm etiam proximè, immediatè, & directè, eſtque communis Nominalium, quam docuit Ocham in p. d. 22. q. vn. & ſequuntur Neutherici ferè omnes, Suar. p. p. tract. 1. lib. 2. c. 31. num. 6. Vaſq. p. p. diſp. 57. num. 8. Fonſe. Hurt. Arriag. Auerſa Ruu. Murcia Amic. & alij, & apertis verbis docuit Scot. loc. cit. in p. d. 27. aſſerens res tantùm propriè loquendo ſignificari per voces, & nullo modo conceptus, nec mediatè, nec immediatè, quia literæ, voces, & conceptus ſunt ſigna immediata vnius tantùm ſignificati .ſ. rei, cōcludens Doctor, ꝙ litteræ, voces, & con-

& conceptus ad inuicem ſubordinantur in ratione ſigni prioris, & poſterioris, veluti ſubordinantur plures effectus ab eadem cauſa immediatè producti; non autem in ratione ſigni, & ſignati, quia propriè loquendo literæ non ſignificant voces, nec voces conceptus, ſed hæc omnia ſunt immediata ſigna eiuſdem rei.

Quo ad aliam quęſiti partem de modo ſignificandi vocum, aliqui referũt fuiſſe opinionem quorumdam antiquorum philoſophorum, vt Cratylli, Heracliti, & Pythagoricorum apud Ammonium 1. Periherm. c. 2. qui aſſerebant non eſſe munus ſapientis rebus nomina imponere, ſed nomina rebus impoſita à natura ipſa adinuenire; at Peripatetici vnanimi conſenſu docẽt voces articulatas de quibus hic loquimur, nõ ſignificare naturaliter, ſed ad placitum. ſ. voces ex ſua naturali virtute nullam vim habere ſignificandi, ſed ex ſola hominum impoſitione.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Voces ſignificare res ipſas non ſolùm primariò, & principaliter, ſed etiam proximè, & immediatè, nõ quidem naturaliter, ſed ad placitum.* eſt Scoti loc. cit. quem ſequuntur communiter Scotiſtæ, & ferè oẽs Recentiores, Et probatur quo ad ſingulas partes. Et primò quòd ſignificẽt res ipſas principaliter, admittunt etiam Auctores primæ opinionis, & fuit manifeſta ſententia Ariſt. 1. Elench. c. 1. vbi ait: in diſputatione pro rebus vtimur nominibus, quia res ad diſputationẽ afferre non poſſumus, ſicut in ludo vtimur fabis pro nũmis, & 4. met. tex. 28. ait: ratio, quam ſignificat nomen eſt definitio, at definitio ſignificat veram eſſentiam rei, ergo &c. Tùm quia id principaliter ſignificatur, ad quod ſignificandum primariò nomen imponitur, & ꝙ repræſentatur intellectui audientis ad prolationem nominis, ſed intentio imponentis nomẽ principaliter eſt, vt ſignificentur res, ergo &c. Tùm quia ſi voces primariò ſignificarent conceptus, omnes propoſitiones de ſecundo adiacẽte eſſent verè, vt iſtæ Antichriſtus eſt, Chymera eſt, quia intellectio antichriſti, ſicut & chymeræ reuera eſt; & è contra omnes propoſitiones de tertio adiacente, in qua vnum de alio enunciatur eſſent falſæ, nam dum dicerem, homo eſt animal, ſenſus eſſet, ꝙ intellectio hominis eſſet intellectio animalis.

3. Pr. 2. quòd nomina non ſolũ principaliter, ſed etiam immediatè, & directè res ipſas ſignificant, nam poteſt, vt Tatar. aduertit, res audienti repræſentari, nihil cogitanti de cognitione loquẽtis, ergo per voces res immediatè repręſentãtur, & non eius cognitio, antecedens patet experientia, nam audito nomine V. g. lapidis, ſtatim lapidem ipſum concipimus, non autem cognitionem, quam de lapide habemus, imò illam non niſi per reflexionem attingimus & c.

Quod

Quod autem diximus de vocibus in ordine ad conceptus, hoc idem aſſerimus de littera, & ſcriptura, in ordine ad voces, literas .ſ. principaliter & immediate ſignificare res ipſas, non autem voces, vt aliqui contendunt, nam ſi ſcriptura immediate ſignificat vocem, hæc ꝓpoſitio ſcripta, homo eſt animal, eſſet falſa, nam ſenſus eſſet, quòd hæc vox homo, eſt iſta vox animal, qua ratione conuictus Arriaga, nu. 36. fatetur ſcripturam immediatè ſupponere pro rebus, licèt eas non ità ſignificet.

4. Poſſet tamē in hoc ſenſu oppoſita ſententia ſuſtineri, quòd voces proximè, & immediatè ſignificent conceptus, & litteræ, voces, quatenus ob impedimentum Corporis, non poſſumus cauſare immediatè notitiam rei in intellectu audientis, & ideò ſub rogamus voces, quæ excitando mentem audiētis ingerunt illi notitiam rei ſignificatæ; Et quia non poſſumus rōne diſtantiæ abſentem alloqui, ſubſtituimus loco vocum litteras, & epiſtolas, atque ideò voces gerunt immediatè vices conceptuum, & literæ vocum; & ità dicere poſſumus litteras immediatè ſignificare voces, & voces cōceptus in animo audientis, neq; aliquid amplius Aduerſarij probare poſſunt.

5. Probatur tandē vltima pars, ſcilicèt quòd voces ſignificant res ex volūtaria hominum impoſitione, non ex earum naturali virtute, quia ità docuit Ariſt. Periherm. c. 2. & 4. & Scot. ibidem q. 4. & in 2. ſent. d. 42. ad 2. & probatur facilitèr, nam aliter ſequeretur, ꝙ omnes linguæ ab omnib⁹ nationibus intelligerētur, ſicut alia ſigna, quæ naturaliter ſignificant, & eædē voces apud omnes idem ſignificarent. Tùm quia ſignum naturale ſignificat tantùm rem aliquam determinatam, ſed eadem vox ſæpè multa ſignificat, & interdum oppoſita, ergo &c. patet etiam Auctoritate Scripturæ Sacræ 2. Gen. vbi habetur Adam impoſuiſſe nomina rebus, & idem ſimiliter de litteris aſſerendum eſt, non .n. eſt aliqua naturalis vis inſita characteribus ad vnam, vel alteram literam denotandam, ſed totum hoc ex hominum placito factum eſt, vndè ſicut non apud omnes extant eædem voces, ità nec eædem litteræ.

*Obiectiones.*

6. Ob. 1. quòd voces immediatè, & primario ſignificent conceptus, Auctoritate Ariſt. 1. perhier. c. 1. vbi ait: voces eſſe ſigna eorum, quæ ſunt in animo paſſionum, & D. Auguſ. 15. de Trinit. c. 11. ait: Verbum quòd foris ſonat, eſſe ſignum verbi, quod intus latet. Tùm quia omnes fatentur res ſignificari per voces, quatenus cognitæ, nō.n. poteſt quis externo ſermone quidpiam ſignificare, niſi prius actu interno intellectus illud agnouerit, ergo voces immediatè, & primariò ſignificant conceptus, & illis mediantibus res extra manifeſtant. ℞. diuerſimodè Ariſtot. ab Au-

Auctoribus explicari, ſed magis recepta expoſitio eſt illa, quã Scot. tradidit in 1.d.27. cit. quòd .ſ. voces ſignificant conceptus, non vt rem ſignificatã directè, ſed vt principale ſignificatiuum, itá vt ſubordinentur non in ratione ſigni, & ſignati, ſed in ratione ſigni prioris, & poſterioris; Intellectus .n. prius p cognitionem res apprehendit, deindè illas immediatè per nomina ſignificat, in quo etiam ſenſu Doc. explicat D.Aug. & res dicuntur ſignificari, vt cognitæ, & medijs cõceptibus, non reduplicatiuè, quaſi cognitio mediet, vt obiectum q, ſed ſpecificatiuè, itá vt ſolùm mediet veluti cõditio neceſſariò præ-requiſita ad rem extra ſignificandam, nam ſignificare præſupponit intelligere, ſicut illud ſine quo non prius ore proferretur.

Ob.2. voces ſunt inuentæ, vt homines ſuos exprimant conceptus, ergo ſunt immediata ſigna illorũ. ℞. aſſumptum eſſe verum quo ad conceptus obiectiuos, non formales; admittimus tamen aliquando euenire poſſe, vt principalis intentio loquentis, ſit alteri exprimere non res, ſed quid ipſe ſentiat de notitia rerum, an benè percipiat.

Ob.3. per voces interdum ſignificamus res in eodem ſtatu, quem in intellectu noſtro habent, vt cùm ſignificamus albedinem, vel aliquid aliud in abſtracto, quod tamen in re non eſt abſtractum, ergo ſaltèm tunc immediatè voces ſignificant conceptus. ℞. neg. conſequ. nam etiam in eo caſu voces ſignificant ipſam albedinem, vel aliam rem in abſtracto, non abſtractionem ipſam loquentis.

Ob.4. Cùm vnum ſignum ſubſtituitur loco alterius, oportet, vt prius indicet ſignum, pro quo ſubſtituitur, quàm rem ab illo ſignificatam, ſed voces ſubſtituuntur pro conceptibus, ergo immediatius ſignificant conceptus, quàm res. ℞. min. eſſe verã in ratione ſigni principalis, cui voces ſubordinantur, vt ſignum minus principale, non in ratione rei ſignificatæ &c.

Ob. vlt. ſi voces non ſignificarent, & exprimerẽt conceptus, non daretur mẽdacium, nam mẽtiri eſt contra mentem ire, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. ℞. neg. ſequ. nam ad mendacium, ſufficit, quòd tenemur per voces noſtros conceptus obiectiuos exprimere &c.

Contra vltimam partem obijcitur, quòd voces ſignificant naturaliter, primò quia dantur quædam nomina, quæ tantam affinitatem cum rebus habent, vt à natura indita eſſe videãtur, talia sũt V.g. ferrũ, cõturbatio, cõtritio &c. ℞. phęc ſolùm probare eſſe quaſdam voces quæ non temerè, & fortuitò reb. impoſitæ fuerunt, ſed rationabili occaſione, & ſpectatis earum proprietatibus, vt Scot. docuit in 1.d. 22. q. vnic. §. *poteſt dici breuiter*. ex quo tamen inferri nõ debet, quòd talem ſignificationem habẽt à natura, nam ſic ab omnibus nationibus intelligerentur.

Ob, 2.

Ob. 2. Multi periti in idiomatū varietate teſtantur hanc vocē Saccus, idē apud omnes nationes repſentare, ſignum euidens fuiſſe à natura inſtitutam, & hominibus inditam, & qua vteretur infans ſi in ſiluis eſſet nutritus, & ab omni hominum loquentium conſortio ſegregatus, ſecundum aliquos. ℞. illam vocem propriè dici poſſe naturaliter ſignificare, quæ apud omnes nationes idem repræſentare nata eſt, etiam circumſcripta quacumque impoſitione imponentis; vnde ſequitur, quòd etiam ſi illa vox Saccus idem per totum orbem ſignificaret, non ob id aſſerendum eſt naturaliter ſignificare, ſed ex hominum impoſitione, qua circūſcripta, nihil ſignificaret. Hinc aliqui affirmant illam vocem Saccus eſſe vocem origine hebræam, & habere vim ſignificandi ex inſtituto Dei, à quo prima illa lingua inſtituta eſt, & retentam fuiſſe in diſperſione ædificātiū turrim Babylonis; qui in deſcenſu, ſinguli ſaccos ſuos quærebant, in quibus res eorum condebantur, vtentes eodem vocabulo. Neque illa exiſtimatio de infāte in ſiluis nutrito vera eſt, dato .n. caſu, puer ille nullo idiomate loqueretur, vt patet ex illa celebri hiſtoria, relata ab Herodoto lib. 20. de infantibus enutritis in ſiluis cum pecoribus, qui poſt biēnium dimiſſi, ſolam hanc vocem emittebant .ſ. becor, quam à capris didicerant, cum quibus enutriti erant.

Ob. 3. Si omnis vox ad placitum ſignificaret, hæ quoq; propoſitiones eſſent veræ, homo eſt aſinus, lapis eſt rationalis &c. Nā quilibet terminus illarum inſtitui poteſt ad quodlibet ſignificandum. ℞. negādo ſequelam, & ratio eſt, quia vox non dicitur ſignificatiua ad placitum, quia ad placitum huius, vel illius ſignificat, ſed quia ſignificat ad placitum alicuius totius communitatis, vel alicuius habentis in eo auctoritatem, vt Doctor aduertit in 4. diſt. 1. q. 5. iuxta quam doctrinam propoſitiones illę verificari non poſſunt.

7. Dubitari hic ſolet, an Enūciatio ſit ens reale, vel rationis. Et quia enunciatio ex dictis, triplex eſt .ſ. mentalis, vocalis, & ſcripta; ſi vocalis, & ſcripta materialiter ſumantur, vt dicunt voces illas articulatas, & characteres efformatas, nulli dubium eſt eſſe entia realia, ſed dubium eſt ſi accipiantur formaliter, quatenus .ſ. dicunt ſignificationem ex libero hominum beneplacito illis conuenientem; & dimiſſis aliorum ſententijs, dicimus breuiter enunciationem vocalem, & ſcriptam formaliter acceptas, non eſſe entia realia, ſed entia rationis materialia, vt ſic .n. ſolam dicunt relationem ſigni, nō naturaliter ſignificātis, ſed ad placitum, quę relatio eſt mera extrinſeca denominatio ab humana voluntate proueniens; denominatio autem extrinſeca, quamuis realis dicatur, non rectè tamen dicitur

ens

ens reale, vt aliqui volunt, ſed potius ens rationis materiale, fundamentale. Oratio mentalis eſt duplex, vna formalis, alia obiectiua: formalis eſt actus ipſius Intellect', quo vnum de altero affirmat, vel negat, & conſequenter eſt ens reale, realiter ab intellectu productũ, obiectum naturaliter repræſentãs, & fundãs relationem veritatis, aut falſitatis: Oratio obiectiua adhuc dupliciter accipi poteſt, vel in actu exercitio, & ſic dicit obiecta cognita ab intellectu, & adinuicem vnita per affirmationem, aut ab inuicem diſiuncta per negationem; & quoniam hæc obiecta poſſunt eſſe vel realia, vel rationis, quia propoſitiones fieri poſſunt, tam in Entibus realibus, quam rationis, ideo oratio mentalis obiectiua erit ens reale, vel rationis, quæ entia conſiderata vt cognita, illa paſſiua cognitio erit quædam extrinſeca denominatio ab actu intellectus coaleſcens: vel oratio mentalis obiectiua accipitur in actu ſignato, & in hoc ſenſu erit ſecunda Intentio enunciationis, quomodo eam definiuimus in inſtitut. vt ſic .n. dicit ordinationem terminorũ adinuicẽ in ratione ſubiecti, prædicati, & copulæ, per comparationem in aliquo attributo rationis, rem extra ſuum ordinem exprimentem.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*An veritas ſit in Conceptu formali, vel obiectiuo.*

1. SCot. cuius eruditioni ſingulari, ac penè cæleſti ſcholaſtici multum tribuunt, hunc articulum reſoluit. 6. Meth. quæſt. 3. in fine, & in 1. diſt. 3. qu. 3. C. & alibi. Supponimus pro intelligentia, quòd triplex ſit veritas: prima in eſſendo, & traſcendentalis, quæ eſt paſſio entis, & omnibus rebus cõuenit, etiam cognitioni falſæ, nam & ipſa eſt ens reale, & hęc veritas ſpectat ad Meth. ſecũda veritas dicitur in ſignificando, & conuenit propriè vocibus, & ſignis, de qua egimus in Inſtitut. vbi declarauimus, quo pacto propoſitio vocalis dici poſſit vera, vel falſa. Tertia dicitur in repreſentando, ſeu in cognoſcendo, & conuenit conceptui Intellectus, quando verè exprimit, & repræſentat rem ſicuti eſt, & de hac loquimur in præſenti; & præcipuè de veritate, quæ in ſecunda intellectus operatione reperitur, nam iudicium eſt, cui tamquam principaliori analogato tribuitur veritas, aut falſitas.

Circa hoc dubium multæ ſunt Doctorum opiniones, aliqui .n. ſuſtinent veritatem fundari in cõceptu obiectiuo ad rem in ſe, ità Durand. Heruæus Vaſq. Blanc. & ex noſtris Bonet. 5. Meth. c. 2. & Vulpes tom. 2. p. p. diſp. 32. art. 4. Aliqui ex oppoſito ſuſtinent veritatẽ conuenire conceptui formali, ità Suar. diſput. 8. Meth. ſec. 1. Fonſeca 4. Meth. cap. 2. q. 6. ſec. 7. Mol. Conimb. Hurt. Arriag. Amic. & alij, & ex noſtratibus Anton. Andr. 5. Meth. q. 6. Tatar. 1. Periher. q. 1. dub. 2. Faber de pænit. diſp. 9. num.

Digitized by Google

num. 38. qui aſſerit, inter has opiniones nullum eſſe diſcrimen, niſi in modo loquendi; Maſt. & Bellut. in log. diſp. 10. q. 2. art. 1. & alij.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Veritatem formaliter, propriè, ac denominatione intrinſeca eſſe in conceptu formali, in obiectiuo verò ſolùm dependenter à formali, & denominatione extrinſeca.* eſt Scot. loc. cit. & ferè omnium Recentiorum, & probatur, nam ſicut ſe habet oratio vocalis ad res p illam ſignificatas, ità conceptus formalis ad obiectum; ſicut .n. oratio eſt ſignum ad placitum ſignificans res, ità cõceptus eſt ſignum naturaliter repſentans, ſed veritas orationis non conſiſtit in conformitate rei, vt ſignificatæ per orationem, ſed in cõformitate ipſius orationis ad rem in ſe, ergo idem de veritate cõceptus formalis aſſerendum erit, probatur minor, nam de ratione ſigni eſt in ſe fundare relationem ſigni ad ſignatum ex Doct. in 4. d. 1. qu. 2. D. ſed oratio vocalis eſt ſignum rei, & ſi eſt vera dicitur ſignum verum, ſi eſt falſa dicitur ſignum falſum, ergo &c. Tùm quia Cognitio denominatur vera, non res cognita, ergo veritas in cognitione conſiſtit.

Rt. Blanc. veritatem eſſe in obiecto cognito, vt in ſubiecto inhęſionis, in cognitione, vt in ſubiecto denominarionis, ſicut viſio eſt in oculo, & denominat parietem viſum; ſed vana ſolutio, nã potius res è cõtra ſe habet, ſicut enim hęc cauſalis eſt vera, vt benè aduertit Auerſa, ideò res cognita repræſentatur, quia cognitio ipſam repræſentat, & eſſe repræſentatum in re dependet à repræſentatione actiua cognitionis, ità iſta alia eſt vera, ideò res cognita repræſentatur conformiter, & verè, quia cognitio illam verè, & conformiter repræſentat, ergo potius denominatio veritatis in cognitione erit intrinſeca à veritate in ipſa exiſtẽte, quàm extrinſeca a veritate exiſtẽte in re cognita. Tùm quia creaturæ in mente Diuina habẽt eſſe obiectiuum verum, & tamen Diuina veritas eſt in Cognitione Dei, non in creaturis cognitis, ergo pariter idem de cognitione creata, & obiecto eius aſſerendum erit. Secũda pars probatur, nam conceptus obiectiuus dicitur cõformis rei in ſe, dependenter tamen à conceptu formali, qui ſi non rectè repræſentat rem, neque rectè in conceptu obiectiuo res repræſentatur, ergo in iſto hæc ſecunda veritas pendet à conceptu formali, vt à prima veritate.

*Obiectiones.*

3. Ob. 1. φ veritas primariò, & principaliter ſit in re, Auct. Ariſt. in prædicam. c. de ſubſtantia, vbi ait: ex eo, quòd res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa .ſ. eo, quòd res eſt in intellectu cõformis ſibi, vt in ſe exiſtit, vel non, oratio dicitur vera, vel falſa, ergo veritas conceptus obiectiui eſt radix veritatis

tatis cognitionis. ℞. neg. conſeq. & malè explicatur illa Auctoritas ab aduerſarijs, cuius ſenſus eſt, ꝙ tunc oratio eſt vera, quando conformis eſt rei in ſe exiſtenti, falſa, cùm non eſt conformis

Ob. 2. quòd eſt tale repræſentatiuè, repræſentatum dicitur formaliter tale, at imago dicitur ſima repræſentatiuè, ergo homo repræſentatus erit formaliter ſimus, ſed Cognitio dicitur vera repræſentatiuè, quatenus ræpræſentat verum ens, ergo res repræſentata erit vera formaliter. ℞. maiorem eſſe veram de prædicatis ab ipſa repræſentatione diuerſis, vt in exemplo adducto de ſimitate, non autem de ipſa repræſentatione, nam non ſequitur imago eſt repræſentatiua Cæſaris, ergo Cæſar eſt repræſentatiuus formaliter, in caſu, veritas cognitionis eſt ipſamet repræſentatio conformis rei, & idem eſt dicere cognitio dicitur vera repræſentatiuè, ac Cognitio verè repræſentat, eſt n. conſtructio intranſitiua; indè ſicut Imago abſolutè dicitur repræſentatiua, non repræſentatione, quæ fit in obiecto, ſed repræſentatione in ipſa formaliter exiſtēte, ità de cognitione dicendum erit.

Ob. 3. concepta conformitate rei cognitæ ſibi ipſi in re exiſtenti, concipitur intellectus verus, ergo veritas in tali conformitate conſiſtit; antecedens patet, quia tunc nequit concipi intellectus falſus, ergo concipitur intellectus verus, ℞. diſtinguendo antecedens, concepta tali conformitate, concipitur intellectus verus primariò, negatur antecedens, dicitur enim verus primariò à conformitate conceptus formalis, ſicut per talem conceptum dicitur primariò rem exprimi; ſecundariò, & conſequenter quatenus ad conformitatem conceptus formalis cõſequitur cõformitas conceptus obiectiui, concedimus, & nihil contra nos.

Ob. 4. In hoc conſiſtit veritas, ꝙ res intellectui repræſentetur ſicuti eſt, in quo conſiſtit ratio concept⁹ obiectiui, ſed veritas eſt conformitas in repræſentando, ergo in tali conceptu veritas fundatur. ℞. ma. eſſe veram de conformitate conceptus obiectiui, quæ non eſt veritas, & conformitas primaria, nam res ideò repræſentatur intellectui ſicuti eſt, quia cognitio ſic illam exprimit, & repræſentat, quæ repræſentatio eſt veritas primaria.

Ob. 5. Vrina, quia eſt ſignum ſanitatis animalis, dicitur ſana ſanitate animalis, non propria; ergo quia cognitio eſt ſignum veritatis rei, non habet veritatem in ſe, ſed dicitur talis à veritate in re exiſtēte. ℞. paritatem conſiſtere in hoc, quòd ſicut vrina ſolùm extrinſecè denominatur ſana à ſanitate animalis, quæ dicitur ſanitas in eſſendo, ità cognitio extrinſecè dicitur vera à veritate rei in eſſendo, q̄ eſt cauſa, & radix veritatis cognitionis; cum hoc tamen ſtat, quòd formaliter, & intrinſecè dicitur ve-

ra propria veritate in repræſentando, de qua in præſenti loquimur, & in hoc ſenſu etiā vrina dici poſſet intrinſecè, & formaliter ſana ſanitate in repręſētādo, & argumē tum vrget etiam cōtra conceptum obiectiuum, qui verus dicitur quatenus dicit ordinem ad veritatem rei in eſſendo.

Ob. vlt. oratio vocalis eſt ſignū rei veræ, & rei conceptæ, non cognitionis, ergo in re, & non in cognitione conſiſtit veritas. ℞. Orationem eſſe ſignum rei verę veritate in eſſendo, non in repræſentando, de qua in præſenti loquimur. aliæ ſolent hic adduci rationes, quæ cùm potius ad animaſticum ſpectent, quàm ad logicum, idcircò in libris de anima eximanandas tranſmittimus,

## ARTICVLVS TERTIVS.

### *Quid ſit formaliter veritas Cognitionis.*

1. SCot. quarum laudum, & ſi nō idoneus, ſemper tamen ero beneuolus bucinator, de hoc diſſerit in 1. d. 3. q. 4. art. 2. C. & in 4. d. 8. q. 2. lit. V. & quol. 13. art. 2. F. & alibi. Supponimus ex Theologia aliter eſſe loquendum de veritate cognitionis Diuinæ, aliter de veritate cognitionis creatæ. Diuina Cognitio, quia perfectiſſima eſt, & ſolùm ab eſſentia Diuina, vt ab obiecto mouetur, eique perfectiſſimè adæquatur, tàm in eſſēdo, quàm in repræſentando, cùm non poſſit à creaturis moueri ex Scoto pluribus in locis, & præcipuè in 1. d. 35. H. ſequitur, quòd nullam relationem realem ad obiecta ſcibilia fundat, nam non ad eſſentiam Diuinam, cùm ſit cum ipſa realiter identificata, neque ad creaturas, cùm nulla Dei ad creaturas ſit relatio realis, aliter enim ſequeretur, ꝙ in Deo eſſet formaliter aliquod non neceſſe eſſe, nempè hæc relatio, quia non poteſt relatio perfecti' eſſe habere ſuo termino, qui eſt creatura, at non ita Cognitio, quia eſt limitata, & finita, & ab obiectis dependet, fundat relationem ad ipſum obiectum, vel realiter diſtinctum, vel realiter idētificatum; vndè dimiſſa veritate Diuina, aliqua de veritate creata tangemus, totalem deciſionem ad Methaphyſicam traſferētes, in diſput. de paſſionibus entis &c.

2. Multa ſunt Doctorum placita, & opiniones circa hanc rem. Hurt. vult veritatē formaliter importare eamdem entitatem actus intellectus, quamuis non de primo conceptu ipſius, ſed de ſecundo, eſt .n. veritas attributum actus; cùm pendeat ab affirmatione, vel negatione, & obiecto. Cauell. diſp. 3. de anima ſec. 8. Bann. 1. p. q. 16. art. 3. Smiſinch. tract. 3. de Deo vno diſp. 1. nu. 31. idem affirmant, licèt ab vno explicetur per relationem rationis, vt Bānes; vel traſcendentalem, vt Cauell. & Smiſinc. eamdem viam ſequitur Auerſa qu. 3. log. addens etiam connotationem obiecti, quæ fuit opinio Och.

1. Periher. c. 1. aſſerentis veritatem dicere formaliter entitatem actus, non vt ſic, ſed vt connotat obiectum, cui conformatur, & ſequitur. Suar. 8. Meth. ſec. 2. cum alijs. Arriag. acerrimus hoſtis cōtra relationes, & connotata, diſp. 14. log. ſec. 1. cōtendit veritatē formaliter dicere denominationem partim intrinſecam propoſitioni mentali ſeu cognitioni, partim extrinſecam; intrinſecam, vt dicit ꝓpoſitionem V. g. affirmantem curſum Petri, extrinſecam, vt dicit ipſum curſum Petri, illam dicit in recto, hanc in obliquo, vtrumque tamen formaliter, & quidditatiuè. Inter illos verò qui defendunt, veritatem importare formaliter relationem, adhuc eſt diſcrepantia, nam alij volunt, quòd ſit relatio realis cōformationis, vel ſimilitudinis dicta, vt Tatar. 1. Periherm. q. 1. dub. 3. Meuriſ. lib. 2. Meth. c. 3. q. 2. concl. 4. Durad. verò, Vaſq. & Blanc. aſſerunt conformitatem hanc, in qua conſiſtit veritas, dicere ſolùm relationem rationis, non realem. Faber diſput. 9. de pænit. affirmat huiuſmodi relationē non ſēper eſſe cū omnibus conditionibus requiſitis ad veram relationē realem. Vulpes to. 2. p. 1. diſp. 32. art. 1. vult, quòd ſit relatio realis, præſcindens ab actuali, aptitudinali, & potentiali, nam in cognitione intuitiua ponit realē actualē, in abſtractiua realem aptitudinalem, etiam quando obiectum eſt exiſtens. Alij quòd conſiſtat in relatione præſcindente à reali, & rationis, nam in aliquibus actibus eſt realis, in quibuſdam verò rationis, ità Conimbr. de interprætatione c. 1. q. 5. artic. 1. Iauell. Flandra, Amic. & alij, & tādèm concedunt alij veritatem eſſe relationem cōformitatis ad obiectum in ſe, vt ad menſuram, in cognitione ſpeculatiua, negant tamen in cognitione practica, quæ potius eſt regula, & menſura obiecti, quàm è contra, ità Moriſan. diſp. 10. log. q. 8.

*Concluſio Prima.*

3. *Dicimus 1. Veritatem cognitionis non dicere entitatem actus, neque actum vt obiectum connotat, ſed relationem realem.* Et relictis alijs rationibus ꝓ prouectioribus in Met. ità facilè pro modo probatur quo ad primam partem: Nullus reſpectus ſiuè prædicamentalis, ſiuè traſcendentalis poteſt eſſe de eſſentia abſoluti, ſed veritas formaliter dicit reſpectum ad obiectum, vt dicemus, & multi ex aduerſarijs cōcedūt, ergo &c. Tùm quia ſi actus eſſet eſſentialiter veritas, non poſſet propriè dici verus; ſed hoc eſt falſum, ergo, patet ſequela à ſimili, albedo enim non dicitur alba, nec calor dicitur calidus &c.

4. Secundò, quòd veritas non dicat actum in recto, & obiectum in obliquo, ſiuè vt partem conſtituentem, ſiuè vt connotatum, patet ijſdem rationibus, quibus probauimus dari à parte rei relationes

rea-

Digitized by Google

reales à fundaméntis diſtinctis, quæ præcipuè vrgent contra Suarez tales relationes admittétem; ſi enim hæc opinio eſſet vera, nullam prorſus rationem habere poſſemus ad oſtendendas relationes ſimilitudinis, æqualitatis, &c. eſſe reales, qa aduerſarius diceret poſſet eſſe tantũ denominationes reales ex coexiſtentia extremorum ad inuicem ortas, vt benè hic aduertit Auerſa. Et præcipuè contra Arriag. eſt, qa ponit formalitatem, & eſſentiam veritatis, quæ per ſe eſt vna, eſſe vnam per accidens, ex rebus diuerſorum generum, imò & conſtitutã ex ente reali, & rationis, ſi obiectũ aliquod ens rationis eſſet.

Tertiò, quòd dicat relationem, eſt Scoti loc. cit. & ex eo patet, qa conformitas, ſeu ſimilitudo ſigni ad ſignatum eſt relatio, ſed veritas formaliter eſt conformitas cum re ex Ariſt. 1. de Subſtantia, ex co, q res eſt, vel non eſt oratio dicitur vera, vel falſa, ergo &c. Et tãdem, quòd ſit relatio realis, & non rationis, ex inde patet, quia hæc pẽdet à fictione intellectus, ſed veritas propoſitionis eſt à qualibet fictione independens, ergo &c. Tùm quia impertinens omnino videtur quòd propoſitio vera formaliter à falſitate intellectus depẽdeat, qualis illa fictio eſſet.

*Concluſio Secunda.*

5. *Dicimus 2. hanc relationem cõformitatis, quam veritas dicit, non eſſe determinatè prædicamentalem, aut traſcendentalem, neque determinatè realẽ perfectam .ſ. cum omnibus requiſitis cõditionibus ad veram relationem realẽ, vt benè Faber aſſerebat; ſed indifferenter ſe habere, nam in vno actu eſt prædicamentalis, in alio traſcendentalis, in vno realis perfecta, in altero realis imperfecta, quæ aliquando à Scoto appellatur relatio rationis, vt à reali contradiſtinguitur, quæ cum omnibus conditionibus requiſitis inuenitur*, quæ concluſio primò explicatur, deindè probatur. Et clarius exemplum, quod afferri ſolet, eſt Imago materialis, in qua tria reperiuntur .ſ. entitas abſoluta V.g. colores, deindè eſt reſpectus repræſentantis ad repræſentatum, ratione cuius conſtituitur in eſſe imaginis V.g. Diui Franciſci, tandèm eſt alius reſpectus cõformitatis inter Imaginem repræſentantem, & Diuum Franciſcum repræſentatum, ratione cuius illa pictura cõſtituitur in ratione imaginis veræ, quæ tria ſunt inter ſe prorſus diſtincta, nam poſſunt reperiri colores, abſque relatione imaginis ad D. Franc. poſſunt etiam cum tali relatione imaginis reperiri, ſed ſine tertia, quatenus, ſi eſſet ipſius repræſentatiua, non tamen adamuſſim ipſum repræſentaret, vt à parte rei erat. Sic in caſu de cognitione dicendum erit, quæ eſt quædam Imago ſpiritualis obiecti, quòd .ſ. tria in ipſa reperiuntur, entitas nimirum abſoluta actus, deindè eſt relatio repræſentantis fundata in entitate actus, & terminata ad obiectum, quod ræpræſentat, per quam conſtitui-

ſtituitur in eſſe repræſentationis, & notitiæ, quæ à Doctore appellatur relatio attingentiæ, & tendentiæ in obiectum, vt terminum; demum eſt alius reſpectus conformitatis actus repræſentantis verè ad repræſentatum, ſicuti eſt, per quē conſtituitur in ratione notitiæ veræ, quæ aliquando eſt realiter ab actu diſtincta, quādoq; identificata, quandoque perfectè realis, aliquando imperfectè, & omnia probantur.

6. Primò, quo ad actus neceſſarios, qui cùm ex natura ſua ſemper ſint veri, habent veritatem realiter identificatam, ergo veritas in ipſis erit relatio traſcendentalis, ex dictis, aſſumptum patet, nam illa eſt relatio realiter identificata cum fundamento, ſine qua fundamentum eſſe non poteſt, etiam ab intrinſeco ex Doct. in 2. d. 1. q. 5. ſed hujuſmodi actus eſſe non poſſunt ſine conformitate cum proprijs obiectis, abſque contradictione ab intrinſeco prouenien te, ſunt .n. inuariabiles, ſicut eſſentiæ rerū, quas repræſentant, immutabiles, & inuariabiles ſunt, ergo &c. Et idem aſſerendum eſt de actibus intuitiuis, qui neceſſariò dependent ab obiectis, vt hic, & nunc exiſtentibus, vndè licèt exiſtētia obiecti ſit variabilis, actus tamen quia ab obiecto, vt exiſtente reduplicatiuè dependent, ità neceſſariò illud taliter repræſentant, vt aliter repræſentare nequeant. Hinc differentia inter actus neceſſarios intuitiuos, & abſtractiuos eſt, quòd illi neceſſariò dicūt ordinem ad obiectum exiſtēs, & actuale, vt tale eſt, vndè ſemp. talis ordo eſt inter extrema realia actu. iſti verò neceſſariò abſtrahunt ab exiſtentia obiecti; & licèt obiectum eſſet exiſtens, hoc eſſet illis de per accidens, quia illud reſpiciunt, nō vt exiſtens, ſed vt abſtrahit ab exiſtētia per ſpecies intelligibiles; vndè de ratione formali conformitatis iſtorum actuū abſtractiuorum eſt, quòd non ſit inter extrema realia, & actu exiſtentia, imò poſſunt ad non entia terminari.

7. Quo ad Propoſitiones contingentes; ſiuè de præterito, ſiuè de futuro, ſiuè de præſenti, determinatam, vel indeterminatam partē temporis ſignificantes; veritas eſt ab ipſis realiter diſtincta, vt Scot. docuit in 4. d. 8. q. 2. poſſunt enim iſtæ propoſitiones amittere veritatem ſucceſſiuè, vel ſaltèm ab initio poterant eſſe falſæ, vndè ait Doct. loc. cit. veritatem eſſe propoſitioni contingenti accidentalem, vt poſſit adeſſe, & abeſſe, eſtque communis tā apud veteres, quàm apud Recētiores, vt videre eſt apud Suar. diſp. 8. Meth. ſec. 2. Ruu. 1. Periher. & alios, ergo talis veritas eſt ab illis propoſitionibus diſtincta.

7. Cauellus diſp. 3. de an. ſec. 8. diſtinctionem tantùm formalem vniuerſaliter ponit inter actum cognitionis & veritatē; vndè vult, quòd actus amittat veritatem, non quia aliquid reale deperdat, ſed ſolùm

for-

formalitatem illam aptam conformari obiecto, quæ cùm ab obiecto dependeat, mutatur ad mutationē ipſius: ſed vana euaſio, nā ſi veritas tantùm formaliter diſtinguitur ab actu, vt ipſe fatetur, ſemper neceſſariò cum actu manebit, quamdiù actus manet, quæ .n. realiter identificantur, per nullam circuſtātiam ſeparari poſſunt; quare licèt inſeparabilitas non ſit adæquatum ſignum identitatis realis, ſeparabilitas tamen ſemper eſt adæquatum ſignum diſtinctionis realis. Tùm, quia, vel veritas dicit formaliter quid reale, vel nihil, non ſecundū, vt patet, ſi primū, ergo actus amittendo veritatem, amittit aliquod reale, Et hoc probatur exemplo adducto pro Cauello de hac voce hominis impoſita ad ſignificandū hominem, & deindè mutata ad ſignificandum bouem, homo .n. dicit relationem ſigni ad naturā humanam, & quia eſt ad placitum, eſt relatio rationis, quod ſi imponeretur ad ſignificandum bouem, deperderet relationem illam rationis, at quia cognitio eſt ſignum naturale, ratio ſigni in ipſa, non eſt rationis, ſed realis, ergo quia ad mutationem obiecti amittit rationem ſigni veri, aliquid reale amittit.

8. Si tandèm obiectum iſtarum propoſitionum nō eſt aliquid exiſtens, vt ſunt propoſitiones de preterito, & de futuro, & quæ non entia reſpiciunt, talis relatio non erit perfectè realis, nā deficit prima conditio, quòd ſit inter extrema realia, ſi verò eſt aliq; exiſtens, & poſitiuum, licèt actus eſſet abſtractiuus, ideſt per ſpecies intelligibiles, erit tamen perfectè realis, & ratio eſt, quia eſtò cognitio abſtractiua non poſtulet, vt cognitio eſt, terminari ad rem, vt exiſtentē, attamen vt vera eſt, reſpicit obiectum, vt exiſtēs à parte rei ſi eſt de præſenti, vel vt fuit exiſtens, ſi eſt de præterito, vel vt aliquando exiſtens erit, ſi eſt de futuro, veritates enim propoſitionum de preterito, & de futuro dependent à veritate propoſitionis de præſenti, nam in tantum hæc propoſitio Antichriſtus erit, nunc eſt vera, quia aliquando erit verū dicere Antichriſtus eſt; quia igitur iſtæ propoſitiones reſpiciunt obiectum ſecūdum exiſtentiam quatenus veræ, ſequitur, quòd quando propoſitio de præſenti etiam abſtractiuè formatur, & obiectum eſt exiſtens, relatio inter ipſa erit perfectè realis, quia tunc adſunt omnes conditiones requiſitæ, nec verbum in iſtis propoſitionibus à temporis differentia abſoluitur, vt in propoſitionibus neceſſarijs euenit, ita Bell. & Maſtr. diſ. 10. log. q. 2. artic. 3. contra Vulp. 1. p. diſput. 32. ar. 1. nu. 8. aſſerentem nunquam in cognitione abſtractiua relationem eſſe realem actualem. Indè patet, quomodò veritas non ſit determinatè relatio prædicamentalis, vel traſcendentalis perfectè, vel imperfectè realis, ſed indifferenter, &

inde-

indeterminatè ſe habeat.

*Obiectiones.*

9. Ob. 1. quòd hæc veritas non dicat relationem Conformitatis: Cognitio qua cognoſcitur ens rationis fictum eſt vera, & tamen nō habet cū illo conformitatem, ergo &c. patet ſequela, quia non pōt ad illud referri, vt menſuratū ad menſuram ex Doctore quol. 13. lit. M. cùm regula, & menſura debeat eſſe prior menſurato, ens verò rationis ſit poſteri' cognitione à qua reſultat. ℞. duplicem eſſe cognitionem entis rationis, ex dictis in propria diſput. vnā practicam, qua primò fit, & fingitur ad modum entis, aliā ſpeculatiuam, & quaſi reflexā, qua conſideratur iam factum, ſecūdum ſuum proprium eſſe; in prima cognitione non eſt veritas, ſed potius fictio, in ſecunda eſt veritas, tunc n. conſideratur ſicuti eſt, reſpectu cuius dici poteſt menſura, non quidem quoad perfectionem, quomodo locut' fuit Scot. ſed quo ad veritatem, quatenus eſſe poteſt terminus illius conformitatis. ita colligitur ex Doct. in 2. diſt. 1. q. 5. lit. B. & in 1. d. vlt. in fine.

Ob. 2. Veritas ſumitur in ordine ad rem, vt in ſe eſt, at de multis habemus cognitionem, quæ à parte rei non ſunt, vt patet de entibus rationis, de negationibus, poſſibilib' &c. ergò ſaltem in his veritas cognitionis non dicit relationem cōformitatis. ℞. quòd cùm dicimus, veritatem eſſe conformitatem ad rem, ſicuti eſt in ſe, res non accipitur propriè, rigoroſè, & poſitiuè, & prout venit à ratus rata ratum, ſed accipitur p obiecto, quod cognoſcitur, & prout venit à reor reris qualecūq; illud ſit, idēſt ab ente putato; neque per ly ſicuti eſt, ſignificatur ſemper exiſtentia à parte rei, ſed potius eſſentia, & conditio illius, q cognoſcitur, quam ſuo modo etiam habēt entia rationis, negationes, & poſſibilia.

Tertiò: Cognitio eſt accidens, obiectum ſæpè eſt ſubſtantia, ens rationis, vel alterius ſpeciei ab ipſa cognitione, ergo hæc nō erit obiecto conformis. ℞. Conformitatem inter actū, & obiectū nō eſſe entitatiuā, & in modo eſsēdi, ſed in repræſentando, & intentionaliter; ſicut imago eſt ſimilis Franciſco; nō in eſſendo, ſed in repræſentando.

Quartò: Cognitio practica eſt vera, & tamen non habet talē conformitatem ad obiectum, tamquā ad menſuram, cum potius ipſa cognitio ſit menſura, & regula in practicis, vt V. g. cognitio hæc practica, eſt caſtè viuendum, eſt regula, & cauſa caſtitatis in homine. ℞. q obiectum dupliciter cōſiderari poteſt, vno modo ſecundum eſſentiā, & in ratione obiecti, & vt ſic eſt menſura cognitionis practicæ, & cauſa veritatis ipſius, vt benè hic adnotant Maſtr. & Bell. ideò n. cognitio dictans eſſe caſtè viuēdum, eſt vera, & recta, quia caſtitas eſt obiectum eligibile, quia habet ſuā bonitatem præponderantem, & obiectiuam, & eſt conformis legi Superio-

perioris, à qua proximè obiectum dicitur bonum, & eligibile in moralibus; alio modo conſideratur, vt producibile ad extra, vt effectus, & ſecundum exercitium exiſtentiæ, & ſic obiectum dicitur menſuratum, & cognitio menſura actionis, quà obiectum producitur à parte rei. ità Suar. cum Recentioribus communiter.

Quintò: Non tantùm Cognitio eſt obiecto conformis, ſed etiam obiectum eſt cognitioni cōforme, ergo vtrumque verum denominabitur. ℞. obiectum dici poſſe etiā verū cauſaliter, & radicaliter, formaliter verò, & propriè talis dicitur Cognitio, nam veritas, de qua loquimur, nō eſt quælibet conformitas, ſed tantùm illa, quæ repræſentat iuxta menſuram repræſentati, quæ menſura, & regula eſt obiectum, hinc cognitio dicitur vera formaliter veritate in repræſentando, obiectum autem dici poteſt formaliter verum in eſſendo.

Deindè probant, quòd hæc cōformitas ſit eſſētialiter ipſe actus, non aliquid diſtinctum, & vtuntur illis eiſdem rationibus, quibus defendebant relationes non diſtingui ab extremis, & adhuc contra Scotiſtas, quia per Scot. quol. 5. relatio nō eſt perfectio ſimpliciter, ſed veritas eſt perfectio ſimpliciter, cùm ſit Dei attributum, ergo veritas nō eſt relatio, ſed abſolutum actus, ℞. Scot. loc. cit. locutum fuiſſe in Diuinis de relationibus originis; vel dicendum eſt, veritatem dicere perfectionem ratione fundamenti, & ſubſtantiæ actus, qui natus eſt ex ſe talem relationem fundare, quam actus falſus fundare non poteſt.

Ob. 2. vel actus ſecundum eſſentiam ſuam aſſimilatur obiecto, vel nō; ſi primum, ergo per ſolā ſuam eſſentiam eſt ſimilitudo obiecti vera, non per ſuperadditam relationem; ſi ſecundum, ergo per ſuam Eſſētiam eſt formaliter falſus, falſitas .n. in non ſimilitudine conſiſtit. ℞. actum per ſuam eſſentiam eſſe aſſimilabilem fundamētaliter, eſtò per impoſſibile non reſultaret relatio conformitatis, non autem formaliter, vt ſupra diximus de relatione, & hoc ſufficit, ne per eſſentiam falſus dicatur.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### *De Falſitate Cognitionis.*

1. SCotus, cuius ingenium Scientiarum limites ſuperauit, 2. meth. q. 2. loquendo de radice, vndè proueniat in nobis falſitas, & error, redigit in imperfectionem noſtri Intellectus, qui in cognitione dependet à ſenſu, & per ſpecies à ſenſibus mēdicatas; ſed vndè hæc dependentia proueniat, ait Doct. quol. 14. P. oriri præcipuè non ex natura potentiæ, ſed ratione ſtat°, qui vtiq; non eſt naturalis, ſed pœnalis, in pœnam peccati Originalis à noſtro primo parente inducti.

2. Supponimus pro reſolutione, duobus modis poſſe Intellectū obiecto non conformari, vno mo-

do negatiuè, vt cùm totaliter illud ignorat; & hæc propriè non dicitur falſitas, ſed ignorantia, ſeù neſcientia; alio modo poſitiuè, quãdo .ſ. rem percipit, aliter ac in ſe ſit, vt ſi conciperet Petrum currentem, quando ſedet, & dicitur falſitas, error, & ignorantia poſitiua ex Ariſt. 1. poſt. 109. in præſenti loquimur de falſitate ſecũdo modo, nempè de cognitione, & propoſitione falſa. Et quòd reuera iſtę propoſitiones falſæ in nobis dētur, probat Philoſophus 4. Meth. 19. 21. & 28. contra aliquos aſſerentes omnem noſtram Cognitionem eſſe veram, ex eo, quia res qualibet talis eſt, ſicut à quocumque putatur eſſe, quod dictum efficaciter impugnat, nam ex eo ſequeretur, contradictoria eſſe ſimul vera, ſi vnum Contradictorium ab vno falſum, alterum vt verum ab alio apprehenderetur. Tùm quia eſſe rerum pēderet à noſtra Cognitione, quod eſt falſum, cùm potius ab illis noſtra cognitio originetur. Tũ tandèm, quia experimur aliquando nos non explicare res, vt ſunt in ſeipſis, vndè re melius conſiderata, in aliam vertimur ſententiam.

3. Datur itaque falſitas in repræſentãdo, quæ veritati in repræſentando opponitur, & fundatur primariò, & immediatè in conceptu formali, ſecundariò, & dependenter in conceptu obiectiuo; & eſt cũ conceptus formalis attingit rem aliter ac ſit, vt de veritate ex oppoſito diximus; vndè autem oriatur difficultas in aſſequenda rerum veritate, & cur tã ſæpè in errores labimur, ſpectat ad libros de anima, pro modo dicimus aliquando euenire à cauſis extrinſecis, & impedimentis occurentibus .ſ. vel ex defectu noſtrorum ſenſuum, quibus ſæpè repręſentatur res, aliter ac ſit; vel ex indebita obiectorum diſtantia; vel ex imperfectione intellectus noſtri pro ſtatu iſto, qui in cognoſcendo depēdet à ſenſu, vt Doctor aiebat &c. de hac igitur falſitate quæritur, quid dicat formaliter, & quidem, quòd non dicat præcisè entitatem actus, vel actum cum obiecto, ſed aliquid addat ſupra actum, patet ex dictis de veritate; modò difficultas eſt, an falſitas ſit quid priuatiuũ, ità vt ſit ſimplex carentia cõformitatis, an verò addat ſupra actum relationem poſitiuam difformitatis, & quænã ſit, & quomodo diſtincta. D. Thom. 1. p. q. 17. art. 4. vbi Caiet. & Thomiſtæ communiter, cum Molina ibidem diſp. vn. propè finem, Valen. Smiſinch. & alijs, volunt falſitatem opponi veritati contrariè, & per conſequēs dicere formaliter quid poſitiuum. Paſqual. verò p. 2. meth. diſp. 71. defendit importare ſolùm quid negatiuum formaliter.

*Concluſio.*

4. *Dicimus, falſitatem addere ſupra actum Intellectus relationem realem poſitiuam diſconuenientiæ, & difformitatis, & idem iudicium faciendum eſt de ea quoad diſtinctionem, & realitatem, quod de veritate diximus*. eſt Scoti 9. meth.

meth. tex. 22 & 6. meth. q. 3 § *Dico ergo ad Quæſtionem*. & ſequuntur Tatar. 1. Perihier. q. 1. dub. 3, lit. F. fol. mihi 98. Ant. Andr. ibidem q. 3. Bellut. & Maſtr. cum Scotiſtis Recentioribus, & ità facilè demõſtratur: relationes primi modi fundantur ſuper vnum, & multa, ità vt vbi eſt vnitas naturæ, ibi eſt relatio identitatis; vbi eſt vnitas, & conuenientia in quantitate, ibi eſt æqualitas; vbi eſt Conuenientia in qualitate, ibi eſt ſimilitudo; & è contra, vbi eſt multitudo naturarũ in ſpecie, ibi eſt relatio diuerſitatis, & diſtinctionis; vbi eſt multitudo, & diſconuenientia quantitatis, ibi eſt relatio inæqualitatis; & tandèm vbi eſt diſcõuenientia in qualitatibus, ibi eſt relatio diſſimilitudinis, quæ relationes non ſunt puræ negationes oppoſitarum, nam diſſimilitudo non eſt præcisè carẽtia ſimilitudinis, ſed eſt relatio poſitiua oppoſita contrariè ſimilitudini, ergo ſicut cognitio eſt vera, quia habens quamdam conformitatem, & conuenientiam cum obiecto in eſſe repræſentatiuo, fundat relationem cõformitatis ad obiectum, quæ eſt quædam ſimilitudo intentionalis; ſic cognitio falſa, quia habet diſconuenientiam cum obiecto, cùm illud non exprimat, vt in ſe eſt, dicit relationem difformitatis poſitiuam ad obiectum, quæ eſt quędam diſſimilitudo intentionalis, in qua formaliter falſitas conſiſtit.

5. Sed dices; talis relatio per accidens ſe habet ad denominationẽ falſi, ſi .n. per impoſſibile rõ reſultaret, adhuc Cognitio per ſimplicem carẽtiam ſimilitudinis repræſentatiuę cũ obiecto diceretur formaliter falſa. Sed ſi hæc euaſio valeret, idem dici poſſet de relatione diuerſitatis, inæqualitatis, & diſſimilitudinis, & ità nulla eſſet ratio oſtendẽs dari debere tales relationes. Tũ quia ex hac doctrina poſſet aliquis oppoſitum ſuſtinere, quòd .ſ. falſitas ſit quid poſitiuum, veritas autem carentia illius difformitatis; eo .n. ipſo, quòd non adeſt difformitas in cognitione, adeſt conformitas; & ſi per impoſſibile non reſultaret relatio conformitatis, illa cognitio eſſet vera; quia non falſa.

6. Quo autem ad realitatem, & diſtinctionem à propoſitione, de hac relatione idem aſſerendum eſt, quod de veritate diximus, hæc .n. relatio non eſt rationis, ſed realis, & ab opere intellectus independẽs, nec ſemper eſt ſimpliciter realis; quod patet; nam ſi propoſitio eſt contingens de præſenti, quãdo eſt negatiua, vt ſi quis currente Petro, diceret, Petrus non currit, hęc propoſitio dicit relationem realẽ actualem difformitatis ad curſum Petri exiſtentem, quem reſpicit; ac ſi ꝓpoſitio fiat in materia impoſſibili, quæ abſtrahit ab obiecto exiſtente, & eius copula ab omni differentia temporis, cùm ſit ſempiternæ falſitatis, vt homo eſt lapis, & illa, quæ eſt de præterito, & fu-

turo,& quæ eſt de præſenti, ſed reſpicit quid negatiuum, cui diſformatur propter affirmationem oppoſiti, vt ſi non currente Petro, dicatur Petrus currit, omnes iſtæ propoſitiones dicent relationem realē ſecūdum quid, quia non ſunt inter extrema realia; Sic etiam propoſitiones illæ, quæ in veras mutari non poſſunt, vel ſaltē ab initio non poterunt eſſe veræ, habent falſitatem realiter identificatam, reliquę verò diſtinctam realiter.

*Obiectiones.*

7. Ob. 1. ſicut ſe habet malitia ad bonitatem, ità falſitas ad veritatem, nam ſicut malum eſt quidam voluntatis defectus; ità falsū eſt quidam defectus intellectus ex 6. Eth. cap. 2. ergo ſicut malitia formaliter dicit priuationem bonitatis ex Doct. in 2. d. 37. qu. vn. ità falſitas erit priuatio veritatis. ℞. paritatem valere de falſitate oppoſita veritati in eſſendo; non de oppoſita veritati complexæ. Tū quia malitia eſt defectus voluntatis, qui defectus ex ſua ratione formali dicit nō ens, vndè in omiſſione poteſt etiam reperiri, at falſitas eſt deceptio, quæ ſemper dat intelligere actum poſitiuum intellect⁹. Tùm quia bonitas, quæ dicit formaliter conformitatem ad legem, à parte rei eſt ſola extrinſeca denominatio, & malitia eſt carentia talis denominationis; ſed veritas, & falſitas conueniunt intellectioni à parte rei, ex natura extremorum inſurgentes.

Ob. 2. Si falſitas diceret ąd poſitiuum, ergo Deus concurreret, & eſſet cauſa falſitatis in intellectu noſtro, & ità poſſet aliquem decipere, quod eius ſummæ veritati repugnat. ℞. admittendo Deum cōcurrere ad illam entitatem falſitatis, non tamen quòd poſſit nos decipere; concurrit .n. cum cauſis ſecundis tāquam cauſa vniuerſalis, vt ſuos motus agere ſinat, non tamē quòd ſit Author, & totalis cauſa erroris; ſic etiam concurrit ad entitatem actus peccaminoſi, non tamē ad malitiam formalem peccati; imò in ſententia Caiet. ponētis peccatum in poſitiua entitate, Deus cōcurrit ad ipſam entitatem formalem peccati, non indè tamē dici poteſt cauſa peccati per ſe, ſed per accidens, cùm præter intentionem ipſius Dei peccata eueniant. Concurrit etiam Deus ad monſtra, & alios naturales defectus, non tamen per hoc, cauſa imperfectionis dici debet, quia hęc proueniunt ob imperfectionem cauſæ ſecundæ, cū qua Deus, vt Auctor naturæ concurrere tenetur.

Ob. 3. Sicut carentia potētiæ videndi eſt cæcitas, quamuis nullus humor noxius oculo eueniret, ità carentia conformitatis ad obiectū erit præcisè falſitas, eſtò nullum poſitiuum ſequatur in actu. ℞. negando paritatem. & ratio eſt, quia humor noxi⁹ in oculo eſt materiale priuationis, neque cęcitas in ſuo conceptu formali includit habitudinem ad aliud, ſicut falſitas, quæ

eſt

Digitized by Google

eſt relatio; atque ideò ſi actus conciperetur præciſè, vt habet carentiam conformitatis, diceretur falſus eo modo, quo actus verus diceretur talis, ſi præciſè cum carentia difformitatis conciperetur, ſcilicèt fundamentaliter tantùm, non formaliter.

Ob. 4. Paſqual. Ens communiſſimè ſumptum dicit rationem veri, tamquam paſſionem, cui falſitas opponitur, ergo falſitas non poteſt eſſe ens poſitiuum, quia extra ens communiſſimè acceptum, non datur aliquod ens poſitiuum. ℞. Argumentum æquiuocare de veritate in eſſendo ad veritatem in repræſentãdo, & à falſitate illi oppoſita ad falſitatem huic contrariam; concedimus vtique ens communiſſimè ſumptum dicere rationem veritatis in eſſendo, & falſitatem illi oppoſitam eſſe quid negatiuum, ſed hoc negamus de falſitate in repræſentãdo; neque hæc falſitas eſt inferior ad illam, nam ſunt alterius rationis, & ſolùm æquiuocè analogicè falſitatem in communi participare poſſunt, vt Scot. ſignificauit 6. Meth. quæſt. 3. in ſimili de veritate communi ad veritatẽ in eſſendo, & repræſentando.

Ob. 5. Si Falſitas dicit entitatem poſitiuam, iam haberet, vndè poſſet ſe manifeſtare cuicumq, Intellectui, ergo haberet veritatem, & ita non eſſet oppoſita veritati. ℞. falſitatem in repræſentando opponi veritati in repræſentando, nõ veritati in eſſendo, quam includit, vt paſſionem, cùm etiam ipſa falſitas ſit ens, rectè .n. poteſt intellectus reflectere ſupra cognitionem falſam, & intelligere falſitatem eſſe ens in illa repertum, cui falſitati, vt obiecto, eſſet talis cognitio reflexa conformis.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*An Propoſitio de futuro contingenti abſoluto ſit determinatè vera, vel falſa.*

1. SCot. qui Theologorum abdita perſpexit, hunc articulum reſoluit in 1. d. 39. §. *Viſo de contingẽtia rerum &c.* ſub M. & §. *ad Argumenta principalia* ſupra P. Pro cuius ſitu adnotamus primò ex Tatar. hic quæſt. vlt. primò ſciendum ſol. mihi 114. quòd futurũ eſt duplex .ſ. neceſſarium, & contingens; futurum neceſſarium eſt, quod impoſſibile eſt non fore, vt Antichriſtus erit homo; contingens verò triplex eſt .ſ. rerum quod in paucioribus accidit, & magis determinatum eſt ad non eſſe, quàm ad eſſe, vt inuentio theſauri ex foſſione &c. & ſecundum contingens eſt, vt in pluribus, quòd magis determinatum eſt ad aſſe, quàm ad non eſſe, vt hominem naſci cum quinq; digitis in vna mano, cum duobus oculis in vno capite &c. tertium eſt contingẽs ad vtrumlibet, quod ſecundum ſe eſt indeterminatum ad eſſe, & ad non eſſe, vt Socratem curſurum cras; de quo fieri poteſt propoſitio Vniuerſalis, vt omnes homines cras current; vel particularis,

laris, vt aliquis homo cras curret, vel ſingularis, vt Sortes cras curret. Et quælibet iſtarum propoſitionũ poteſt adhuc eſſe duplex, vel abſoluta, vel conditionata: abſoluta illa dicitur, quæ futuram exiſtentiã enunciat de re, abſque alia conditione, vt Sortes leget: conditionata verò eſt in qua per conditionalem hypoteticam affirmatur, vel negatur futura exiſtentia rei à cõditione dependenter, quæ conditio ſi non ponatur in eſſe, neque illa res erit, vt ſi ſol erit ſuper terram, dies erit.

2. Adnotamus 2. altercari Doctores, quid per determinatam veritatem, & falſitatem intelligatur. Recẽtiores cõmuniter diſtinguũt, poteſt .n. propoſitio de futuro cõparari ad duo, vel ad ſignificatum formale, ꝙ ſignificat; vel ad cauſas talis effectus, & formalis ſignificati; conformitatem cum ſignificato formali, veritatem ſimpliciter appellant, conformitatem verò cum cauſis, veritatem determinatè vocant, & hæ veritates poſſunt ab inuicem ſeparari, nam eſſe poteſt, quòd aliquid in ſe ſit verum, ſed cum ſuis cauſis hic, & nunc comparatum, non ſit certitudinaliter, & determinatè verum; quia Cauſę non ſunt hic, & nunc determinatæ ad illud producendum; & è contra, eſſe poteſt, quòd illud ſit determinatè verũ, ſed ſimpliciter falſum, & afferri ſolet hoc exemplum: Si inſtante Principis electione, quis diceret Petrus erit dux, ex eo quia attendit ad animos electorum benè diſpoſitos erga Petrum, ſi Petr' erit dux, dicet verum ſimpliciter, quia illa propoſitio conformatur cum ſignificato formali futuro, & dicet etiam determinatè verum, quia conformatur cum cauſis hic, & nũc ad talem electionem diſpoſitis; ſi tamen Petrus non euaderet Dux, dicet falſum ſimpliciter, ſed determinatè verum, quia cauſas talis electionis conſiderando, illud iudicium conformitatem habet cũ illis cauſis, & propoſitio illa pronunciatur iuxta verum motiuum. Sed lic. hæc expoſitio admitti poſſet, quãdo verè attingitur cõnexio cauſę cum effectu, quando tamen ex coniecturis tantùm infertur, tũc talis habitudo potius denominare debebit illud iudicium prudens, vel temerarium, quàm verum, vel falſum, qui .n. ex ſufficienti motiuo mouetur, vel ex leui ad aliquid affirmandum, vel negandum, non dicitur propriè verè, vel falſò iudicare, ſed prudenter, vel inſipienter ſe gerere, Vndè potius per determinatam veritatem intelligitur ſimplex veritas, & conformitas ꝓpoſitionis cum ſuo ſignificato; ità vt tunc propoſitio dicatur determinatè vera, quando in ſe veritatem fundat, non falſitatem, ſiuè talis veritas ſit nobis nota, ſiuè occulta, hoc .n. accidit. ꝓpoſitioni.

3. Adnotamus 3. Propoſitionẽ dupliciter dici poſſe determinatè veram. ſ. vel determinatione de in eſſe, vel de poſſibili; in prima ac-

cep-

ceptione, illa eſt propoſitiò determinatè vera, quæ ſolùm ſignificat prædicatum in eſſe ſubiecto, non excludendo potentiam ad oppoſitum, vt in hac, Antichriſtus erit, quæ propoſitio dicit exiſtentiã futuram conuenire ſubiecto, cũ quo tamen ſtat, quod habeat potentiã ad non eſſendum; tunc verò propoſitio dicitur determinatè vera determinatione de poſſibili, quando etiam excludit potentiã ad oppoſitum, vt homo eſt animal, quibus duabus determinationib⁹, duæ indeterminationes opponuntur, vna de ineſſe, alia de poſſibili; illa dicit indifferentiam ad eſſendum, vel nõ eſſendum, hæc dicit indifferentiam ad poſſe eſſe, & poſſe non eſſe: indeterminatione de in eſſe, nulla res dici poteſt indifferens, & indeterminata, quælibet.n.determinata eſt determinatione de in eſſe, nam vel eſt, vel non eſt; cum hac tamen determinatione ſtare poteſt indeterminatio de poſſibili, nã res cõtingens cùm eſt, poteſt non eſſe, & cùm non eſt, poteſt eſſe. Loquimur in præſenti de propoſitione de futuro, nam quæ de præſenti eſt, vel de præterito, patet, ꝙ ſit determinatè vera, vel falſa, & de futuro cõtingenti, & abſoluto, quia neceſſarium ſemper eſt determinatè verũ, nam copula in his propoſitionibus à differentijs temporis abſoluitur, cõditionatũ verò ſpectat ad Theologos, apud quos magna eſt altercatio; vndè ſenſus quæſiti eſt, an cum enunciantur iſtæ propoſitiones, ſi ſint contradictoriæ, vt Petr⁹ cras curret, Petrus cras non curret, vna iſtarum ſit determinatè vera, altera falſa, vel ſi vna tantùm proferatur, Petrus cras curret, iſta ſit determinatè vera, vel falſa, an verò præſcindat, ità vt neque vera ſit, neque falſa; & relictis aliorum placitis, ità reſpondemus.

*Concluſio.*

*Dicimus, Propoſitiones de futuro cõtingenti abſoluto eſſe, vel determinatè veras, vel determinatè falſas, ità quod propoſitio hæc Petrus curret cras, erit determinatè, vel vera, vel falſa.* Eſt Scoti loc. cit. & cõmuniſſima tàm apud Theologos, quàm apud Philoſophos, tàm priſcos, quàm Recentiores, & manifeſtè colligitur ex Sacra Scriptura, vt in Dan. 3. de Deo dicitur: qui noſti omnia, antequã fiant. & Apocal. 21. & abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, quæ propoſitio eſt de futuro contingenti ſingulari, & ibidem aſſeritur eſſe veram, quia Ioãni dicitur ſcribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt, & vera. Tùm quia ſæpè tales propoſitiones pronunciatæ fuerũt à Prophetis, imò multa ſub iuramento tamquã veræ ꝓmulgatæ, & impium eſſet aſſerere Deum mentiri, & nos decipere; & ipſe Chriſtus proprio ore prædixit Petro trinam negationẽ &c. Tùm quia ab æterno Deus præſciuit oĩa futura, non ſub diſiunctione, quòd forent, vel non forent, quomodo à nobis præſciuntur, nam nec propriè eſſet præſcientia, ſed cognitio

quæ-

quædam imperfecta, & confuſa, ergo determinatè præſciuit iuxta illud pſal. 138. intellexiſti omnes cogitationes meas de longe, & ōnes vias meas præuidiſti, ergo ab æterno propoſitiones fuerunt determinatæ veræ, vel falſæ, quare cùm illas pronunciamus, ſi erunt conformes illis in mente Diuina ab æterno exiſtentibus, erunt veræ, ſi difformes falſæ. Et licèt nos non cognoſcamus determinatè, & certè tales propoſitiones, non ob id tamen illis negari debet determinata veritas, vel falſitas, qa multas etiam de præſenti, & neceſſarias certò non cognoſcimus, & tamen in ſe ipſis determinatam veritatē, vel falſitatem habent.

Probatur 2. tales propoſitiones ſunt determinatè conformes, vel determinatè difformes proprio obiecto, cùm proferuntur, ergo ſūt determinatè veræ, vel falſæ, patet conſequentia ex definitione veritatis, & falſitatis, antecedens probatur, nam hæc propoſitio Antichriſtus erit, ſignificat Antichriſtū fore in certo tempore futuro, in quo neceſſariò vel erit, vel nō erit, & medium dari non poteſt, ſi erit, hæc propoſitio eſt conformis, ſi nō erit, eſt difformis. Nec officit abſentia obiecti, aliter nec propoſitiones de præſenti, neque de præterito erunt determinatæ veræ, vel falſæ, ſi obiectum ignoretur à nobis, vel ſit abſens, vt in illis de præterito. Si vrges, quòd vt effectus ſit futurus, requiritur determinatio cauſæ liberæ ad illum producēdū, aliter ſi eſſet ſuſpenſa, & indeterminata, effectus quoque dici debet indeterminatus, ad eſſe, vel non eſſe, & per conſequens propoſitio erit indeterminatè vera, vel falſa, quod non euenit in propoſitionibus de præſenti, & de præterito, quæ in ſua ſignificatione determinationem cauſæ inuoluunt.

Non valet, nam licèt propoſitio de futuro proferatur nunc, in quo cauſa eſt indeterminata, non ſignificat tamen obiectum pro nūc, ſed pro tempore futuro, in quo neceſſariò cauſa eſt determinata ad producendum, vel non producendū, & effectus ad eſſe, vel non eſſe, ergo nunc propoſitio erit determinatè conformis, vel difformis.

*Obiectiones.*

Ob. 1. auct. Script. Sacræ, vt eſt illud Iſaiæ 38. qui prædixit Ezechiæ, diſpone domui tuæ, quia morieris, & Ion. 3, adhuc & quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur, quę propoſitiones non fuerunt verificatæ, ergo propoſitiones de futuro contingenti non habent determinatam veritatem, aliter Deus in Prophetis falleretur, & nos deciperet. ℞. relatas propoſitiones nō eſſe de futuro abſoluto, ſed cōditionato, & ſenſus eſt, quòd Ezechiel mori debebat in ſpecto ordine naturæ, & Niniue deſtrui, niſi egiſſet pœnitentiam; quia igitur tales effectus à conditione pendebant, iſta ſublata, ipſi etiam auferuntur, atque ideò negatur conſequentia.

Ob. 2.

Ob. 2. Si hæc opinio eſſet vera, ſequeretur futura neceſſariò euenire, ſi .n. poſſent non euenire, illa propoſitio poſſet fieri falſa. ℞. diſtinguendo de duplici neceſſitate, nam vna dicitur abſoluta, ſimpliciter, antecedens, & conſequentis, & eſt illa, quæ reperitur inter duo extrema ex proprijs eorum naturis, vt quod homo ſit animal; alia dicitur ex ſuppoſitione, ſecundum quid, & conſequentiæ, & conuenit aliquibus, facta ſuppoſitione alterius, vt ſi Petrus currit, neceſſariò mouetur; vnde ad argumentum concedimus futura neceſſariò euenire neceſſitate conſequentiæ, & ſuppoſita ſcilicet determinatione cauſæ ad agendum, non neceſſitate abſoluta, Conſequentis, & in ſenſu diuiſo.

Ob. 3. futurum, vt Contingens, eſt de ſua ratione formali indifferens ad vtrumlibet, ergo de ſua ratione formali eſt indeterminatum, non determinatum. ℞. futurum, vt contingens, eſſe indeterminatũ indeterminatione de poſſibili, in quantum poni poteſt, & non poni in eſſe, in qua indeterminatione formalitas contingentiæ conſiſtit, dicitur tamen determinatum determinatione de in eſſe, que ſtat cũ indeterminatione de poſſibili, ſicut contingens, quando exiſtit, eſt determinatũ de ineſſe, dicitur tamen contingens, quia poteſt non eſſe, ſaltem in ſenſu diuiſo &c.

Ob. 4. ex hac ſententia ſequeretur, nullam eſſe differentiam inter propoſitionem neceſſariam, & cõtingentem, nam ambæ eſſent ſempiternæ veritatis. ℞. negando ſequelam, & ratio eſt, quia propoſitiones neceſſariæ dicuntur ſempiternæ veritatis ſimpliciter, & abſolutè, quia non ſolùm ſunt ab æterno veræ, ſed neque poterant nõ eſſe veræ, at contingentes fuerunt veræ ab æterno ex ſuppoſitione, atque ideò ſi cauſa ſe determinaſſet ad oppoſitum, poterant reddi falſæ, ſeù poterant non ita eſſe.

Ob. 5. Omnia euenirent immutabiliter, & per conſequens fruſtra eſſent conſultationes de rebus futuris, quæ fuit ratio Ariſt. ℞. negando ſequelam, hæc .n. eueniunt immutabiliter, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, & ideò, benè admittuntur conſultationes, cũ poſſit ſimpliciter altera pars contingere, ex Scoto loc. cit.

Ob, tandẽ expreſſa Ariſt. Auct. negantis hic de futuris contingentibus dari poſſe determinatam veritatem, vel falſitatem. Reſpondẽt Suar. Vaſq. Conimbr. Amic. Hurt. Arriag. & Recentiores communiter, Ariſtot. hic aberraſſe, & ideo relinquendum, vt à fide, imò à naturali ratione alienũ. Quidam tamen nituntur ipſum ad bonũ ſenſũ reducere, aſſerentes, non negaſſe abſolutè dari de propoſitionibus contingentibus determinatam veritatem, vel falſitatem, ſed negaſſe veritatem neceſſariam, vel quod negauit determinatam veritatem, vel falſitatem quo ad nos, non ſim-

pliciter, & abſolutè; vel tandèm, quòd ipſas propoſitiones futuras conſiderauit non in ſe ipſis, ſed in cauſis, quæ ante productionem indeterminatæ concipiuntur ad producendos effectus, vel non producendos. quo ſenſu determinatam veritatem non habent.

## ARTICVLVS SEXTVS,

*An Concreta poſsint de alijs Concretis, & de abſtractis prædicari.*

1. SCot. cuius doctrinarum vbertas, & ſpeculationum ſubtilitas Philoſophorum, ac Theologorum affectus in ſe rapuit, de his diſertè differit in 1. d. 5. q. 1. lit. A. & E. in 3. d. 7. q. 1. ad 2. & alibi. Pro cuius intelligentia ſupponim', terminum concretum eſſe, qui formam ſignificat nō per ſe ſtantem, ſed vt alteri adiacentem, quod ex modo ſignificandi concernit; abſtractum verò eſſe, qui ab illo abſtrahit, & ſolā formam in ſe ſignificat, non vt alteri adiacentem; & q2 termini poſſunt vnum, & plura cōcernere præter proprium formale ſignificatum, hinc multiplex abſtractio fieri poteſt.

2. Vndè Scot. loc. cit. in 1. docuit, quòd aliter fit abſtractio in ſubſtantijs, aliter in accidentibus abſolutis, aliter in relatiuis; in ſubſtantialibus concretis, quia dāt intelligere ſuppoſita, in quibus ſignificata formalia reperiūtur, vna abſtractio in illis fieri poteſt .ſ. à ſuppoſitis, vt homo ſignificat formaliter naturam humanam in ſuppoſitis .ſ. in Petro, Paulo &c. pro quibus aliquando ſupponit, humanitas abſtrahit ab illis, & ſolùm ſignificat hominis quidditatem, & dicitur termin' vltima abſtractione abſtractus, & vocatur a Recentioribus abſtractum Methaphyſicum. Accidentia abſoluta poſſunt duo concernere, nempè ſubiectū, cui inhærent, & propria indiuidua, ideò duplex abſtractio fit, vna a ſubiecto, cui inherēt, alia a proprijs indiuiduis, vt albedo quæ præſcindit à concretione ad ſubiectum, & ſolùm dicit qualitatem illius coloris, dicitur abſtractum, & ſecundū Recētiores appellatur abſtractum phyſicum, ſed quia adhuc reſpicit propria indiuidua, nempè hanc, & illam albedinem, poteſt fieri vlterior abſtractio, dicendo ratio albedinis, vel albedineitas, & eſt terminus vltimatè abſtractus, & vocatur abſtractum methaphyſicum. Reſpectiua tandē poſſunt pro pluribus ſupponere, nam cauſa quia concernit ſubiectum .ſ. ignem, poteſt dari termin' à ſubiecto abſtrahens, quæ ſit potentia cauſandi, q̄ licèt non ſupponat pro ſubiecto, poteſt tamen connotare fundamētum .ſ. calorem, quo ignis calefacit aquam; ſed adhuc poteſt dari terminus ab iſto abſtrahens, qualis eſt cauſalitas, nā calor non eſt cauſalitas; & tandem, quia cauſalitas reſpicit hanc, & illam cauſalitatē, poteſt ab illis fieri vltima abſtractio, dicendo ratio cauſalitatis.

3. Eſt tamen hic valdè aduer-

tendum, quòd licèt Doct. loc. cit. vnam tantùm abſtractionem poſuerit in ſubſtantijs, reuera tamen plures ſunt admittendæ, ſicut in accidentibus abſolutis, vt ipſemet Scot. docuit in 1. cit. d. 5. lit. E. & in 3. cit. vt aduertit Bargius in 1. d. 5. q. 1. nam non ſolùm dantur in ſubſtantijs concreta ad ſuppoſita, ſed dantur etiam concreta ad ſingularia, ſingulare enim eſt realiter à ſuppoſito diſtinctum; vt in Chriſto patet, in quo eſt natura humana cum ſigularitate, abſque proprio ſuppoſito, & ideò licèt homo ſit cõcretum ad ſuppoſitum, & humanitas præſcindat ab illo, non ob id tamẽ dici debet vltimatè abſtracta rigorosè loquendo, nam reſpicit ſingularia .ſ. hanc, & illã humanitatem, & ideò fieri poteſt vlterior abſtractio, concipiendo humanitatem præcisè ſecundum propriam rationem formalem, & talis cõceptus erit vltimatè abſtractus, & appellari poteſt ratio qdditatiua humanitatis; nec vlterius ꝓgredi debet intellectus in abſtractionibus, eſtò .n. poſſet ab humanitate abſtrahere rationẽ generis, vel differentiæ, nil refert, nam in tali abſtractione non concipitur amplius humanitas, ſed animalitas, vel rationalitas, ideoque conceptus quidditatis humanitatis ꝑcisè, rectè dicitur vltimatè abſtractus in ordine ad humanitatem.

Ratio autem cur Doct. loc. cit. in 1. d. 5. docuerit in ſubſtantijs vnicam tantùm fieri abſtractionem, eſt, quia ſubſtantia non abſtrahit à ſuppoſito alieno, vt faciunt accidentia, quorum ſuppoſita, & fundamenta ſunt alterius prædicamẽti, ſed à proprio eiuſdem prædicamenti, accipiendo tamen ſuppoſitum largè, prout cum ſingulari cõcreto conuertitur, vt benè hic Bargi' aduertit; & licèt in Chriſto humanitas abſtrahat à ſuppoſito Diuino, tale tamẽ ſuppoſitum ibi gerit vicẽ ſuppoſiti creati, vt ibi benè adnotauit Lychet. quòd ſufficit ad intentum. ex his ergo terminis cõcretis, & abſtractis, multæ cõficiũtur prædicationes, & relictis illis, quæ in inſtit. habuimus, Thomiſtæ communiter diuidunt prædicationem in Identicam, diſparatam, & mediam; prima eſt, in quã idem prædicatur de ſeipſo; Secunda, in qua prædicatum nullam habet cum ſubiecto connexionem, vt homo eſt lapis, homo non eſt aſinus; media, in qua extrema habẽt aliqualem connexionem, ſed non totalem identitatem.

Sed melius, & ſubtilius cũ Scot. plurib. in locis, & Formaliſtis noſtris diſtinguendum cenſeo, quòd .ſ. prædicatio eſt duplex, alia formalis, alia Identica; formalis eſt illa, in qua prædicatum dicitur conuenire ſubiecto, per quamdam adiacentiam, & inhæſionem, & eſt duplex, vel eſſentialis, vel accidentalis, & denominatiua; prima eſt, in qua prædicatum adiacet ſubiecto quidditatiuè, & eſſentialiter, vt homo eſt animal; Secunda in qua præ-

prædicatum adiacet ſubiecto accidentaliter, vt homo eſt albus, &c. quæ peculiari modo dicitur denominatiua; & hæc adhuc duplex eſt, alia intrinſeca, in qua prædicatum intrinſecè adiacet, & afficit ſubiectum, vt homo intelligit; eſt albus &c. quæ prædicata ipſi homini inhærent, alia extrinſeca, in qua prædicatum non inhæret ſubiecto, ſed alteri, ad illud tamen habitudinem habet, vt paries dicitur viſus, viſione in oculo exiſtente, & ad ipſum parietem terminata, quæ dicitur extrinſeca denominatio.

Prædicatio Identica eſt, in qua prædicatum enunciatur eſſe idem realiter cum ſubiecto, non tamen per modũ formæ adiacẽtis; & hæc eſt duplex; alia eſt omnimodè idẽtitas, & vocatur à Scoto prima idẽtitas prædicationis, & eſt illa, in qua idem prædicatur de ſe ipſo, vt homo eſt homo, & ab aliquib. dicitur identica formaliter; quaten⁹ ex vi ſignificationis terminorum idem ſignificat vnus, ac alter; alia eſt non omnimodè identica, vt cũ duo, licèt proprijs rationibus formalibus ſint diuerſa, identificantur tamen realiter, & poſſunt adinuicem prædicari, quæ identificatio ex duplici capite oriri poteſt, vel quia ſunt eadem realiter alicui tertio, qua ratione inter ſe poſtea identificatur, vt ſunt genus, & differentia in ſpecie, animal.n. & rationale ſunt idem realiter ratione tertij.ſ. hominis, cui identificantur, vndè ſi ab illa vnione præſcinderetur, vnum non eſſet idem realiter alteri, vt animalitas, & rationalitas &c. vel poſſunt aliqua inter ſe realiter identificari, etiam vt à tertio præſcindunt, quia ambo, vel vnum eorum eſt infinitum, infinitas .n. eſt ratio idẽtificationis realis, quia cùm implicet dari plura infinita realiter diſtincta, vt dignè probat Scot. in 1.d.2. q.3. & quol. 5. quicquid conuenit alicui infinito, tranſit in eius perfectam identitatem realem, vndè quantumcũque duo à tertio abſtrahantur, ſi ſaltèm vnum illorum ſit infinitum habebit in ſe vndè pfectè realiter ſibi identificari poſſit, quicquid ſibi compoſſibile eſt, & ita in Diuinis, hæc propoſitio Sapientia eſt iuſtitia, eſt vera identicè propter infinitatem. Et tandèm prædicatio quædam dicitur cauſalis, vt cùm cauſa dicitur de effectu, vel in recto, vt ira eſt accẽſio ſanguinis circa Cor, vel in obliquo, vt homo cõſtat ex anima, & Corpore. Quia igitur omnis prædicatio fit in terminis Cõcretis, vel abſtractis, qua quadrupliciter poſſunt inter ſe combinari, primò quòd concretum prædicetur de Cõcreto, ſecundò quòd Concretum prædicetur de abſtracto, tertiò quòd abſtractum enuncietur de concreto, quartò quòd abſtractum de abſtracto dicatur.

Et quo ad primum .ſ. quòd Cõcreta tàm ſubſtantialia, quàm accidentalia poſſunt de ſe inuicem affirmatiuè prædicari dummodo habeant quamdam habitudinem

iden-

Digitized by Google

identitatis inter ſe, cõcedunt omnes, & ratio eſt, quia in tantùm aliqua prædicatio affirmatiua eſt vera, in quantũ extrema ſunt aliquo pacto idem inter ſe, & non accipiũtur in propoſitione, vt à tali identitate præſcindunt, imo potius, vt illam habitudinem cõſignificant; ſed Concreta ex modo ſignificãdi, imbibunt habitudinem identitatis quatenus ſuppoſita concernũt, ergo in ipſis vera eſt prædicatio affirmatiua; patet minor, quia hæc eſt vera homo eſt animal, homo eſt rationalis &c. quia hæc dicuntur de homine, vt habente, & includẽte illa eſſentialiter; ſicut hæc etiam eſt vera homo eſt albus, eſt doctus &c. ob eamdem rationem; homo .n. cum albedine, Doctrina &c. facit vnum accidentaliter. Et hac ratione in Christo duæ naturæ ad inuicem in concreto prædicantur, Deus eſt homo, homo eſt Deus, qa in concreto acceptæ identitatem ſuppoſiti concernunt, quæ prædicatiò eſt vera identicè, & formaliter, in creatis .n. omnis prædicatio identica eſt etiã formalis, ex Doct. cùm debeat fieri in concreto, hinc cùm dicitur album eſt dulce reſpectu lactis, ſenſus eſt, id quod habet albedinem, habet quoque dulcedinem &c.

Quo ad ſecundam partem, an. ſ. poſſint concreta de abſtractis p̃dicari, aſſeritur communiter nullum concretum poſſe formaliter p̃dicari de proprio abſtracto, quare non benè dicitur humanitas eſt homo, albedo eſt alba &c. cuiꝰ ratio eſt, quia cùm abſtractum ſignificet formã in ſe, & abſolutè, ſe habet vt quo, & vt formalis ratio conſtituendi, at concretum, quia ſignificat formam in ſubiecto, ſe habet, vt quod, & conſtitutum, ergo non poteſt Concretum de abſtracto enunciari, aliter Quo, mutaretur in Quod.

Sed Vrges, iſtæ propoſitiones ſunt veræ: Deitas eſt Deus, entitas eſt ens, exiſtentia eſt exiſtens, quãtitas eſt quanta, linea eſt longa, ergo Concretum poteſt de proprio abſtracto prædicari. ℞. quòd prima propoſitio non eſt vera formaliter, quaſi quòd Deitas ſit habens Deum, ſed ſolùm identicè, & ſignificat, quòd Deitas, & Deus ſunt vna res a parte rei, & hoc ob infinitatem formalem, quam habẽt. Secunda, & tertia ſunt falſæ formaliter de rigore ſermonis, quia ſunt Quo, non Quod, ſolent tamen admitti, vel ex vſu, vel quia ly ens, & ly exiſtens non ſignificant propriè cõcreta illorum abſtractorum, ſed vt quid à nihilo diſtinctum, & faciunt quaſi prædicationem identicam ſcil. entitas eſt aliquid, vel entitas eſt entitas: quarta, & quinta propoſitio, ſi ly quanta. & longa ſumantur ſtrictè, & verè concreta, ſunt falſæ de rigore ſermonis, ſed admittuntur, quatenus ſignificant quamdam extenſionem; vel quod hoc ſit peculiare quantitatis, quatenus non ſolùm habet, quòd ſit alterius menſura, & Quo, ſed ꝙ ſit

etiã

etiã per aliã mẽſurabilis, & Quod.

Sed Maior difficultas eſt, an aliqua alia concreta poſſint de abſtractis pdicari, an poſſit dici V. g. humanitas eſt ens, humanitas eſt animal, eſt rationalis, eſt alba, albedo eſt colorata &c. Et in Diuinis ſint iſtę admittendæ, Deitas eſt bona, eſt pater, &c. Circa quam magna congerũt Doctores, & magna eſt inter eos altercatio, nos breuiter ea, quæ magis Scoticę doctrinæ conformia ſunt, afferemus.

*Conclusio Prima.*

*Dicimus 1. Concreta prædicari poſſe de his, quę non ſunt vltimatè abſtractis, quorum ſignificata formalia in illis abſtractis ſubiectantur, & connectuntur, dummodo ex vi ſignificandi non concernant ſubiecta, à quibus abſtracta illa abſtrahunt.* Recipitur communiter, & fundamentum eſt, quia cùm ratio veritatis alicuius propoſitionis ſit identitas, vel connexio extremorũ à parte rei, ſequitur quòd non vltimatè abſtracta, qa poſſunt à parte rei eſſe ſubiecta aliorum accidẽtium, & illa includere, & cùm illis connecti à quibus per abſtractionem iam factam non præſcindunt, poſſunt etiam in propoſitione pro ſubiectis inſeruire, & ita hę propoſitiones ſunt veræ .ſ. albedo eſt color, eſt ſimilis, quantitas eſt æqualis &c. qa color, & ſimilitudo ſunt in albedine etiam, vt à ſubiecto pſcindũt, ſicut æqualitas in quãtitate: hæc verò propoſitio eſt falſa, albedo eſt quãta, & ratio eſt, qa hæc denominatio prouenit à quantitate quatenus, eſt ſubiectum albedinis, ſed albedo præſcindit à ſubiecto, cùm ſit à ſubiecto abſtracta, ergo illa propoſitio non eſt vera de rigore ſermonis.

*Concluſio Secunda.*

*Dicimus 2. de terminis vltimatè abſtractis ſolùm illa concreta poſſunt formaliter prædicari, quæ in primo modo conueniunt; hinc quia concreta adiectiua tantùm formaliter nata ſunt prędicari, ſi non ſunt in primo modo, non rectè enunciantur; concreta autem ſubſtantiua, quia poſſunt identicè prædicari, etiam ſi primo modo non conueniant, ſi adeſt infinitas ſaltèm ex parte vni' extremi, veram propoſitionem identicam efficiẽt.* eſt Scoti loc. cit. & ita ſimul explicatur, & probatur: abſtractum vltimatè præſcindit ab oñi eo, quòd eſt extra quidditatem eius; concipitur enim in tali abſtractione abſque habitudine ad quodcumque, quod eſt poſterius, & extra propriam rationem eius, vnde Auic. 5. Meth. c. 1. & 2. rationabiliter ait: equinitas eſt tantùm æquinitas. Si igitur vt ſic præſcindit ab oñi extrinſeco, præſcindit etiam ab habitudine; quæ eſt cauſa veritatis propoſitionis, ergo licèt in re multa prædicata illi naturæ conueniant, tamen de ipſa, vt ſic conſiderata non poſſunt in propoſitione verificari, nam veritas propoſitionis non ſolùm pendet ab eſſentia rei p terminos ſignificata; ſed à modis ſignificandi, qua ratione, hæc propoſitio humanitas eſt alba, eſt falſa, qa humanitas præſcindit ab habi-

bi-

bitudine quàm dicit album ad ſubiectum; quia igitur adiectiua ſolùm formaliter prædicari poſſunt, eo quia ſignificant per modum inhærentis, & adiacentis, & quidditas vt vltimatè abſtracta nō includit ſignificatum adiectiui, quòd nō eſt in primo modo, ideo nō poteſt in eis recta prædicatio fieri: Subſtantiua autem quia poſſunt identicè prædicari, quorum prædicata non conſiderantur, vt adiacentia ſubiecto, ſed tantùm, vt eadem ſunt cum illis, ſic poterunt de vltimato abſtracto prædicari, quāuis in primo modo non conueniāt, & hoc ſolùm in Diuinis euenit propter infinitatem formalē extremorum, quæ eſt cauſa perfectæ identitatis, non autem in creatis, in quibus nō poteſt dari prædicatio idētica, niſi ſit etiā formalis, ita Doc. in 1. d. 8. q. 4. ad 1.

Ex his deducitur primò contra Neuthericos, quòd hæ propoſitiones ſint falſæ de rigore ſermonis .ſ. humanitas currit, eſt riſibilis, eſt alba &c. Eſſentia Diuina eſt bona, ſapiens, ſumma, quia omnia iſta prædicata ſunt adiectiua, & non cōueniunt in primo modo. Verùm tamen eſt, quòd multæ ex his propoſitionibus concedūtur, vt Vallo docet in formalitatibus. Et Lych. in 1. d. 5. q. 1. vel ex vſu loquentiū, vel ob carētiam exprimendi Conceptus; quare iſtæ propoſitiones, Eſſentia Diuina eſt communicabilis, eſt obiectum fruitionis &c. debent ſic exponi, Deus, ſub ratione eſſentiæ eſt communicabilis, eſt obiectum fruitionis, &c. Et hoc rectius videtur aſſeri, quàm cùm alijs Scotiſtis traditam regulam limitare de vltimatè abſtractis ad aliqua tantùm prædicata, nam ratio probans de vno prædicato, de omnibus concludit; tales igitur ꝓpoſitiones ſcil. eſſentia Diuina eſt bona, eſt ſapiens, eſt Pater, eſt Paternitas &c. ſūt veræ identicè ꝓpter infinitatē formalem extremorum, vel alterius extremi &c.

Deducitur 2. quòd hæ propoſitiones, humanitas eſt ens, eſt ſubſtantia, eſt Corpus, animal, rationalis, ſint formaliter veræ ex Lyc. loc. cit. quicquid Vallo cum alijs Scotiſtis aſſerat; & ratio eſt clara, quia humanitas non præſcindit ab iſtis prędicatis, ſed illa includit, ergo de ipſa cum veritate prædicari poſſunt, patet conſequentia, nam radix veritatis in propoſitione eſt idētitas extremorum; & fauet manifeſtus Doctoris text⁹, qui ſic ait: *Quandocumque eſt ſubiectum abſtractū vltimata abſtractione, & prædicatum ex ſua ratione non poteſt prædicari, niſi formaliter, non poteſt propoſitio eſſe vera, niſi ſit per ſe primo modo*. Sed hæc prædicata prædicātur formaliter, & in primo modo, ergo rectè, & verè enunciantur.

Reſpondent aliqui Scotiſtæ has propoſitiones non eſſe veras, quia humanitas, & animal non ſunt infinita, nec vniuntur in tertio. Scot. autem loc. cit. d. 8. docuit extrema debere habere vnitatem in tertio; vel

Digitized by Google

vel dicunt non eſſe veras, quia humanitas non integratur ex animali, ſed reſultat: ſed pace iſtorum, nulla ſolutio ſoluit; nō prima, quæ ſi eſſet vera, hæc propoſitio Petrus eſt homo, eſt albus &c. eſſet falſa, quia non vniuntur in tertio; quare ſufficit, quòd extrema vniantur vel in tertio ſi ſunt diſparata, vt animal, & rationale; de quibus loquebatur Scot. loc. cit. vel inter ſe per incluſionem, communicationem, aut informationem, quas p̄dicationes implicitè in aſſignata regula Doctor tradidit: neque ſecunda, nam verè humanitas ex animali, & rationali integratur, & ideo ab illis reſultat, ſicut totum ex ſuis partib⁹ reſultat, & integratur, à quibus abſtrahere nequit, cū ſint de illius cōceptu, & quidditate.

*Obiectiones.*

Ob. 1. præcipuè contra illam regulam, quòd de vltimatè abſtractis ſolùm illa concreta prædicantur, quæ illis in primo modo conueniunt, & 1. Auct. Scoti in 1. d. 3. q. 1. lit. E. Vbi exponēs illud Auic. loc. cit. quòd equinitas eſt tantùm equinitas, inquit, quòd ſecundum prioritatem naturalem, quam habet natura ad vnitatem, pluralitatem, particularitatem, & vniuerſalitatem, non eſt de ſe aliquid iſtorū, licèt nunquam ſit realiter ſine aliquo iſtorum, vt ſic tamen eſt, quod quid eſt per ſe obiectum Intellectus & à methaphyſico conſiderabile & per definitionem exprimitur; & alia ei Doct. attribuit, q̄ in primo modo non dicuntur de natura abſtracta. R. Maurit. q. 13. vniuer. quod aliud eſt dicere naturæ à parte rei, vt à ſingularitate præſcindit, conuenire eſſe obiectum intellectus, & à Methaph. conſiderabile &c. aliud eſt dicere hæc omnia prædicari poſſe de natura vltimatè abſtracta; primum eſt verum, quia verè attributa illa .ſ. eſſe obiectum intellectus, eſſe à methaphyſica conſiderabile &c. à parte rei ſunt cum natura realiter indentificata; ſecundum eſt falſum, quia ad veritatem propoſitionis non ſufficit veritas rei ſignificatæ, ſed requiritur etiā veritas modorum ſignificandi; & quia natura, vt abſtracta, licèt in ſe contineat illa prædicata, abſtrahit tamen ab illa cōtinentia, & ſolùm reſpicit prædicata primi modi propter ſincathegorema incluſum per ſe primo, idcirò illæ propoſitiones in rigore ſunt falſæ, ità Maurit. quàm reſponſionem recipiunt cōiter Recentiores Scotiſtę.

Ob. 2. hæc propoſitio, Intellectus intelligit, eſt vera, & tamen intellectus eſt vltimatè abſtractus, & intelligere non conuenit ipſi in primo modo, ergo &c. R. neg. intellectum eſſe vltimatè abſtractum nam ex Scoto aliud eſt loq. de ſubſtantijs, aliud de perfectionib. ſubſtantialibus; in illis fit vna abſtractio, in illis, quia habent modum prædicandi in quale, duplex ſit abſtractio ſicut in accidentibus abſolutis, vndè intellectiuum concernit ſuppoſitum, ſicut album, & intel-

intellectus abſtrahit à ſupppoſito, non ab indiuiduis .ſ. ab hoc, & illo intellectu &c.

Ob.3.Humanitas in Chriſto dicitur vnita, aſſumpta, corrupta in triduo, in quo ſenſu nō cōcernit ſuppoſitum humanum,quia nō adeſt, nec concernit ſuppoſitum Diuinum, cui nō conuenit aſſumi, ſed aſſumere,ergo in ſubſtantijs de termino abſtracto à ſuppoſitis,qui ſecūdum Scot. eſt vltimatè abſtractus poſſunt prædicari prædicata, quæ non ſunt in primo modo dicendi per ſe. ℞. neg.conſeq. & ratio eſt,qa humanitas in Chriſto nō eſt vltimatè abſtracta, imò eſt natura humana ſingularizata, at nos loquimur de humanitate, prout præciſè dicit quidditatē hominis, abſtractam ab omni eo, quod eſt extra eſſentiam.

Ob.4.Iſte Syllogiſm⁹ expoſitorius cōcludit in Diuinis,Pater generat, Deitas eſt pater, ergo Deitas generat, & tamen generare nō conuenit Deitati in primo modo dicendi per ſe. Rt. Scot. in 1. d. 5. cit. cōmitti fallaciam, quia variatur ſuppoſitio,maior .n. eſt vera formaliter, minor eſt vera identicè, &c.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

*An Abſtracta poſſint de Concretis, & de alijs Abſtractis prædicari.*

Scot. de quo omnes honorificè loquuntur,hunc articulum reſoluit loc.cit. in 1.d.5.q.1 per totum,& quo ad primam partem.℞. cōmuniter negatiuè,vndè iſtę ſunt falſæ homo eſt humanitas; album eſt color &c. Et ratio eſt, quia abſtracta pręſcindunt à ſubiectis,cōcreta verò illa cōcernunt, hinc qa in modo ſignificandi ſubiectum,& prædicatum non communicāt interſe,ideò tollitur radix omnis veritatis propoſitionis. Tùm quia abſtractū ſignificat partē concreti, quòd habet rationē totius,pars autem vt pars, ſiuè phyſica, ſiuè methaphyſica nòn poteſt de tòto prædicari. In Diuinis tamen, quia abſtracta, & ſi à communicatione cum ſuppoſitis præſcindant, in ſe tamen habent, vndè poſſint realiter identificari .ſ.infinitatem,ideò propoſitiones, in quibus abſtracta dicuntur de concretis in Diuinis, ſunt veræ identicè.

Quantùm ad ſecundam partem dubij communiter admittūtur hæ prædicationes in abſtractis accidētalibus media abſtractione, quādo ſe habent vt ſuperius,& inferius, vt albedo eſt color, eſt qualitas &c. ratio eſt, quia cùm nō ſint vltimatè abſtracta, ſuperiora in ordine ad inferiora ſe habēt vt concreta, & illa concernunt, per modum totius. Cōcedunt etiam ferè omnes, quòd propoſitiones, in quibus abſtractum genericum prędicatur de abſtracto differentiali,vel è contra ſint falſæ; vt rationalitas eſt animalitas, & è conuerſo, & ratio eſt, quia in tantùm vnum prædicatur de altero, in quantum in ſpecie vniuntur, quam vnionem concernunt per nomina concreta, à qua

per abſtractionem præſcindunt, ergo vt abſtracta non poſſunt prædicari ad inuicem.

Vaſq. p.p. diſp. 130. limitat hãc veritatem, quòd ſ. quando per prædicatum abſtractum denotatur officium, & actus ſubiecti abſtracti, tunc eſt vera prædicatio, vt rationalitas eſt differentia, riſibilitas eſt proprietas. Eſt etiam magna difficultas de abſtracto generico, & ſpecifico, an illud poſſit de iſto prædicari, & præcipuè in ſubſtantijs, vt humanitas eſt animalitas; item an abſtractum differentiale poſſit de ſpecifico enunciari, vt humanitas eſt rationalitas; etiam in accidentibus loquẽdo de vltimatè abſtractis, vt albedineitas eſt coloreitas. Et quidẽ mirũ eſt quot ſẽtẽtiæ, & opiniones exortæ ſint circa hæc inter Recentiores Thomiſtas. Scotiſtæ communiter defendunt traſcẽdentia poſſe de alijs abſtractis prædicari, vt humanitas eſt entitas, eſt bonitas &c. Et ratio eſt, quia ad veritatem propoſitionis ſaltèm identicam (aiunt) ſufficere infinitatem permiſſiuam, at traſcendentia talem habent infinitatem cùm ſint communia Deo, & creaturis, ideòque de alijs abſtractis prædicari poterunt: Sed his ſẽtentijs dimiſſis.

*Concluſio.*

*Dicimus, nullam propoſitionem, in qua vltimatè abſtractum prædicatur de altero vltimatè abſtracto, vel de ſuis immediatis inferioribus, in creatis eſſe veram ſiuè accidentaliter, & denominatiuè enuncietur, ſiuè eſſentialiter, ſiuè traſcendentaliter;* eſt Scoti loc. cit. & præter Scotiſtas ſequuntur Ruu. tractat. de modo prædicat. Moril. diſp. 1. log. q. 17. & alij. & præcipuum fundamentum huius eſt, quia per terminum vltimatè abſtractũ, intelligimus cum Scoto loc. cit. lit. C. quidditatem abſolutiſſimè ſũptam, & præciſiſſimè ab omni eo, quod eſt quocumque modo extra rationem quidditatis, ergo vt ſic præſcindit à qualibet habitudine ad quodcumque extrinſecum, ſiuè eſſentialiter, ſiuè accidentaliter cum illo abſtracto communicationem habeat, & conſequenter de nullo alio valet prædicari, cùm radix veritatis cuiuslibet prædicationis ſit identitas, connexio, & communicatio extremorum, non ſolùm vt à parte rei ſunt, ſed vt talibus nominibus ſignificantur.

Pr. deindè quo ad ſingulas partes: & primò, quòd nullum abſtractum poſſit de alio denominatiuè prædicari, quamuis officium, & actum eius dicat; indè patet, quia vel eſt ſermo de officio, & actu ſecundo, vt eſt riſus, reſpectu riſibilitatis, intellectio reſpectu intellectus &c. Et hoc non eſt verum, quia nec intellect' eſt intellectio, nec riſus eſt riſibilitas; vel eſt ſermo de officio, & actu primo, & quia hic eſt intrinſecus ſubiecto, non poterit prædicari accidentaliter, & denominatiuè, vt Vaſq. aſſerebat; ſed eſſentialiter, nam rationalitas formaliter eſt differentia, & riſibilitas

litas formaliter eſt paſſio, ſed hæc non ſunt vltimatè abſtracta, nam rationalitas concernit hanc, & illã rationalitatem; & differentia hanc, & illam differentiam, & riſibilitas hanc, & illam riſibilitatem &c.

Deindè probatur, quòd iſtæ ꝓpoſitiones ſint falſæ humanitas eſt rationalitas, eſt animalitas, & eſt cõtra Hurtadum directè, & ad hominem, quia negat hanc, Petrus eſt humanitas, & ratio, quàm aſſignat eſt, quia licèt Petrus in ſe humanitatem includat, habet tamen vltra illam, ſubſiſtentiam, prædicatum autem debet ſaltèm confusè ſignificare quicquid ſubiectum dicit; inſurgimus, ſed humanitas vltra rationalitatem, includit etiã animalitatem, quam rationalitas, vt ſic abſtracta nec confusè ſignificat, ergo non poteſt verè de humanitate prædicari, quòd etiam de animalitate reſpectu rõnalitatis militat, per hæc patet, quòd vltimatè abſtracta nõ poſſunt etiam de ſuis ſingularibus prædicari, quia ab illis nõ abſtraherẽt. Tùm quia etiã albedo dici poſſet vltimatè abſtracta, quia ſolùm concretionem habet ad ꝓpria indiuidua, quòd falſum eſt, nec implicat rationem cõmunem præſcindere à ſuis inferioribus, aliter inter vniuerſalia nulla daretur abſtractio.

Quod tandèm Concluſio verificetur etiam in traſcendentibus, defendunt Maurit. quæſt. 13. vniuer. cit. & Vallo art. 3. formal. quos ſequuntur Maſtr. & Bellut. diſp. 10. log. quæſ. 3. art. 2. & ita probatur: Infinitas illa permiſſiua, nõ eſt niſi quædam indifferentia, & communitas ad creatã, & increata, ſed quando traſcendentia ſumuntur, vt vltimatè abſtracta, præſcindunt à tali indifferentia, quæ ſe habet vt paſſio, & extra rationem formalẽ entitatis, ergo nõ poteſt eſſe ratio identicæ veritatis, vt eſt infinitas formalis, & poſitiua in diuinis; cõſequentia eſt clara, nam ideò animalitas non poteſt de humanitate prædicari, quia abſtrahit à potentialitate, & habitudine ad inferiora, ergo idem de entitate aſſerendum &c.

*Obiectiones.*

Ob. contra prædicta, quòd ſaltèm prædicata eſſentialia poſſint in abſtracto de inferioribus dici, nam ſuperiora verè eſſẽtialiter includũtur in inferioribus, ergo poterunt de illis enunciari. R. neg. conſequ. & ratio ſæpius aſſignata eſt, nam ad veritatem propoſitionis non ſufficit veritas ſignificatorum, ſed requiritur etiam veritas modorum ſignificandi; quando. n. res ſignificatur, vt præſcindens ab alia, & poſtea de illa prædicatur, illa propoſitio non conformatur rei, vt eſt in ſe, nam licèt res illa denotetur, non tamen vt alteri cõmunicata, quomodo verè à parte rei eſt, aliter iſtæ eſſent veræ, Petrus eſt humanitas, eſt albedo, cum verè à parte rei in Petro ſit humanitas, & albedo &c.

Secundò, Sicut homo definitur

per animal, & rationale, ita humanitas per animalitatē, & rationalitatē definiri debebit, ſed partes definitionis poſſunt de definito ꝑdicari, vt homo eſt animal, eſt rationalis, ergo erit verū dicere humanitas eſt animalitas, eſt rationalitas. ℞. neg. paritatem, animalitas .n. & rationalitas præſcindunt ab humanitate, ꝙ non eſt de animali, & rationali reſpectu hominis; vndè ſolùm poſſunt de ea prædicari in obliquò dicendo, humanitas conſtat ex animalitate, & rationalitate, ſicut in definitione phyſica, homo non dicitur anima, & Corpus, ſed ex anima, & Corpore.

Tertiò, Scot. 1. d. 5. cit. lit. E. manifeſtis verbis cōcedit iſtas, hęc humanitas eſt humanitas, hæc albedineitas eſt albedineitas, ergo &c. Rñt. Maſtr. & Bell. illam Authoritatem non vrgere, quia eſt vnum extra, & ex tota illa quæſtione oppoſitū deducitur; & illa ꝓpoſitio, hęc humanitas eſt humanitas, nō eſt de vltimatè abſtracto, ſed de non vltimo; neque hæc eſt vera, hæc albedineitas eſt albedineitas, nam hæc albedineitas dicit quidditatem albedinis cum differētia indiuiduali, & vt ſic non differret ab hac albedine, neque erit vltimatè abſtracta; vndè abſolutè negamus, vltimatè abſtractum neceſſariò reſpicere ſingularia, ſic .n. non diceretur abſtractum ab illis, ſed Concretum ad illa.

Quartò, à Concretis ad abſtracta tenet conſequentia, etiam in vltimatè abſtractis, nam valet dicere in Diuinis, ſapiens eſt iuſtus, ergo ſapientia eſt iuſtitia. Neque ſuffragatur recurſus ad infinitatē, quia cū infinitas ſit modus intrinſecus, & per conſequens extra qdditatem ſapientiæ, & iuſtitiæ, & vltimatè abſtractum præſcindat ab omni eo, quod aliquo modo eſt extra rationem formalem, iam illa extrema pręſcindunt ab infinitate, & cōſequēter nō poterit eſſe ratio veritatis talis propoſitionis. ℞. à Concretis ad abſtracta valere conſequentiam, quando non ſunt vltimatè abſtracta; vt Scot. docuit q. 16. Vniuerſ. ad tertium princip. & allatas propoſitiones, & ſimiles eſſe veras in Diuinis, in ſenſu identico, propter infinitatem; & ad impugnationem dicere poſſumus, ꝙ ſapientia, bonitas &c. non ſunt vltimatè abſtracta, & ideò ab infinitate non pręſcindunt, & conſequēter in ſenſu identico adinuicem ꝑdicari poſſunt, quod in creatis nō euenit; vndè potius in Diuinis vltimatè abſtractum ſapientiæ erit quidditas Diuinæ Sapientiæ, quo ſenſu fortè (aiunt relati Scotiſtæ) hæc nō eſt vera in Deo, ratio Sap. Diuinæ, eſt ratio Diuinæ Iuſtitiæ, eſtò hæc ſit vera, ratio Deitatis identicè eſt ratio ſapientiæ, ob radicalem infinitatem, quæ eſt in eſſentia, vt etiam ab infinitate formali præſcindit. Vel tandèm reſpōderi poteſt, quòd modus intrinſecus prædicatur in primo modo,

& con-

& conſequenter, quod ab ipſo vltimatè abſtractum non præſcindat iuxta id quod Scot. habet quol. 5. lit. G. vbi ait, quòd abſtrahendo ſapientiam, & bonitatem à quocumque, quod eſt extra rationem eius formalem, vtraque adhuc remanet formaliter infinita.

Quintò, hæc propoſitio eſt vera; anima rationalis eſt anima, & tamẽ eſt inter abſtracta. ℞. Animam in communi nũ eſſe vltimatè abſtractam, & ideò eſt bona prædicatio. Et de his quę dixim᷒ de abſtractis, & concretis quo ad primas intentiones, verificantur etiam de terminis ſecundarum intentionũ &c.

# DISPVTATIO XVII.

## IN LIBROS PRIORVM ANALYTICORVM ARIST.

### T E X T V S.

*Primum oportet dicere circa quid, & de quo eſt intentio. Quoniam circa demonſtrationem, & demonſtratiua diſciplina. Deinde determinare quid eſt propoſitio, & quid terminus, & quid ſyllogiſmus, & quis perfectus, & quis imperfectus &c.*

POSTQVAM Ariſt. de enũciatione, & eius ſpeciebus egit, ſubdit libros Priorum, in quibus de Syllogiſmo ſimpliciter dicto agit, prout ab omni materia præſcindit ſiuè neceſſaria, ſiuè probabili, ei᷒ principia, & paſſiones indagando, vt in inſtitut. vidimus; hinc deducitur, ſubiectum huius libri ſecundum virtualem continentiam eſſe Syllogiſmum in ſe, vt Scot. docuit 1. Priorum q. 2. Nec vrget, quòd Ariſt. hic dicat ſe velle de demonſtratione agere, & conſequenter, quod obiectum horum librorum ſit demonſtratio, nã tractatus horum librorũ eſt diſtinctus à libris poſt. vt communis opinio aſſert, ſicut obiectum totale, vt eſt Syllog. diſtinguitur ab obiecto partiali, vt eſt Demonſtratio, & Ariſt. tantùm ſignificare voluit, cognitionem Syllogiſmi in cõmuni deſeruire Demonſtrationi, ſicut cognitio ſuperioris præſupponitur diſtinctæ cognitioni inferioris. Hi libri inſcribũtur Analytici, à Græco vocabulo Analipſis, quòd reſolutionem ſignificat, & ſonat libri reſolutorij, reſolutio autem nihil eſt, quàm regreſſus quidam rei in ea principia, ex quibus cõſtat: hæc autem reſolutio duplex eſt, vna realis, qua aliqua res phyſicè, &

realiter in ſuas partes reales, & phyſicas, quibus conſtabat, diuiditur; altera rationis, quæ fit per Intellectũ, vnũ totũ in ſuas partes diuidentem. Titulus horum librorum intelligitur non de prima, ſed de ſecunda reſolut. .ſ. per intellectum, finis .n. & intentum Ariſt. in his libris fuit tradere regulas pfectè ſciendi; & quia tunc iudicamus nos ſcire, cùm principia, & cauſas cognoſcimus, ex eodem, ideò procedit reſolutoriè, conſiderando principia, & cauſas demonſtrationis, cur autem hi libri de Analypſi priores intitulantur, eſt, qà comparat hos duos libros ad alios duos libros poſt. qui etiam modo reſolutorio procedunt, & in ordine ad illos, libri Iſti appellantur libri Priorum, tractant de Syllog. in communi quãtum ad formam ipſum reſoluendo in figuras, & modos, & in illa duo principia regulatiua, dici de omni, & dici de nullo. libri poſt. tractant de materia Syllogiſmi neceſſaria, in quibus inquiruntur principia neceſſaria, & præmiſſæ, quæ cauſæ ſunt per quas Concluſio eſt demonſtranda, & in eas reſoluenda: Nos igitur veſtigijs Ariſt. inhærentes de hoc Syllogiſmo in communi in præſenti diſputatione agemus, & quia ferè omnia, quæ ad formam ipſius pertinent in Inſtit. fusè egimus, ideò tantùm pauca, & breuiter aliqua, quæ diſputatiuè agitari ſolent, tangemus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An aſſenſus Concluſionis debeat eſſe diſtinctus ab aſſenſu præmiſſarum.*

Scot. qui ampliſſimis laudib. eſt honeſtandus, hunc Articulum diſertè reſoluit q. 3. Prol. in 4. Collat. aſſerens, quòd ſcientia, quæ eſt cognitio Cõcluſionis, cauſatur à cognitione principiorum, & eſt diuerſus actus, & in 3. d. 24. q. vn. B. ponit eſſentialem dependentiam euidentiæ concluſionis à principijs. Pro vberiori doctrina ſupponimus, diſcurſum eſſe tertiam intellectus operationem, qua ex vno noto aliud ignotum deducim᷒, vndè dicitur diſcurſus quaſi quidã curſus & motus, quo ex noto tamquam à termino à quo intellectus pergit ad ignotum tãquam ad terminum ad quem, ex quo deducitur, non ſufficere ad diſcurſum, q intellectus duo cognoſcat vnum poſt aliud, nam ſic potius ſunt apprehenſiones, vel iudicia ſibi inuicem ſuccedentia; ſed requiritur, q vnum per aliud cognoſcatur; hoc autẽ dupliciter contingere poteſt, vel pro vt ly per, dicit ordinem, & habitudinem obiectiuam, vt ſi qs cognoſceret ſolem eſſe, & diem eſſe, & diem à ſole, vt à cauſa depẽdere, hoc non ſufficeret ad diſcurſum, nam hoc potius ad ſecundam intellectus operationem attinet, & eſſet vnum, vel plura iudicia illorum obiectorum ad inuicem dependentium cognoſcere; ſecundò euenire poteſt, q ly Per, dicat habitudinem inter aſſenſus illorum obie-

biectorum, ità vt intellectus aſſentiatur vni, quia habuit aſſenſum ad aliud, & ex vi illius eliciat aſſenſum alterius, & ità intelligi debet diſcurſus deſcriptio, quòd ſcilicèt ſit tertia Intellectus operatio, qua ex vno noto, aliud ignotum intellectus deducit.

2. Supponimus 2. tria ad diſcurſum interuenire .ſ. Cognitionem noti, cognitionem ignoti, & illationem, ſeu deductionem ignoti ex noto, primum dicitur antecedens, ſecundum conſequens, tertium conſequentia, quæ eſt nexus vtriuſque, & explicari ſolet exemplo ſecundæ operationis, quia ſicut in iudicio adeſt apprehēſio ſubiecti, & apprehenſio prædicati, ſic in diſcurſu adeſt iudicium antecedentis noti, & cōſequentis ignoti, & ſicut in iudicio adeſt connexio terminorum per Copulam eſt, ſignificata, in qua formaliter conſiſtit iudicium, ità in diſcurſu adeſt cōnexio propoſitionum per ly ergo ſignificata, in qua connexione, & illatione cōſiſtit formaliter diſcurſus, vt hic Bellut. & Maſtr. aduertunt ex Lych. q. 3. prol. in Collat. cit. Et cùm dicitur conſequens debere eſſe ignotum, non intelligitur in ipſo actuali diſcurſu, quia tunc iam adeſt cognitio, & aſſenſus illius, ſed ante, non tamen ꝙ ſemper debet eſſe neceſſariò totaliter ignotum, nam ſæpè diſcurrimus de ijs, quæ ſunt nobis nota, ſed vel quòd ſit ignotum quoad illationem, & dependentiam ab antecedenti, vel ſaltèm quoad cognitionem actualem, licèt habitualiter cognoſcatur.

Quantùm igitur ad quæſitum articuli eſt opinio Ocham queſt. 3. prol. q. 8. Collat. Concl. 3. & plurium Nominalium aſſerentium vnico actu præmiſſas, & concluſionem attingi. Aliqui aſſerunt, quòd licèt præmiſſæ cognoſcātur diuerſo actu, aſſenſus concluſionis deindè non ſolùm attingit concluſionē ſed etiam præmiſſas, ità vt Intellectus attingat principia primo aſſenſu principiorum, deindè aſſenſu Concluſionis, per quamdam repetitionem iterū cognoſcit principia; ità Caiet. Rou. Amic. Arriag. & alij, ſed his omiſſis.

*Concluſio.*

3. *Dicimus diuerſo actu intellectum attingere principia, & Concluſionem, nec attingendo concluſionem, eodem actu attingit principia, quamuis dependenter à principijs, concluſionis aſſenſus eliciatur.* Eſt Scoti loc. cit. & ſequūtur Scotiſtæ communiter Barg. ſuper Prol. cit. Lychet. Tatar. Maſt. & Bellut. hic, & amplectitur Auerſa q. 25. ſect. 2. cum alijs, & quo ad primam partē, quòd .ſ. ſint diſtincti actus, patet ex Ariſt. 1. poſt. c. 1. aſſerente omnem notitiam diſcurſiuam fieri ex præexiſtenti cognitione, ergo non ſunt vnum, & idē, nā idē nō gignit ſeipſum. Tùm quia principia ſunt notiora, priora, & cauſæ; cōcluſio eſt minus nota, poſterior, & effectus; illa quādoque ſunt vniuerſalia, & affirmatiua;



Digitized by Google

tiua, hæc quandoque particularis, & negatiua, quæ omnia actuū diſtinctionem inferunt. Tū quia habitus ſpecie diſtincti ſolū ab actibus diuerſæ ſpeciei producuntur, non eiuſdem ſpeciei, ſicut habitus iſti ad actus ſpecificè diuerſos inclinant, ſed habitus principiorum, quo dicitur intellectus, eſt ſpecie diſtinctus ab habitu concluſionis, qui eſt ſcientia, ergo, &c. Secunda pars probatur eiſdem rationibus, quæ ſi concludunt diuerſis actibus cognoſci debere principia, & concluſionē, probāt etiā aſſenſum Cōcluſionis non attingere formaliter principia, aliter idē actus produceret habitus principiorū, & Concluſionis; & vt terminaretur ad principia eſſet cauſa ſui ipſius, &c.

*Obiectiones.*

4. Ob. 1. quòd vnus, & idē actus eſſe poſſit reſpectu præmiſſarum, & Concluſionū: Sapientia eſt habitus principij, & Concluſionis ſimul, ergo idem actus erit vtriuſq; patet conſeq. nā vnus habitus ab vnico actu ſpecie cauſatur, antecedens probatur, per hoc .n. ſapiētia differt ab intellectu, & ſcientia, q̄a ille eſt habitus principiorum, hæc autē habitus Concluſionis, ſapientia autem eſt vtriuſq; vndè 6. Eth. c. 7. dicitur ſapiētiam eſſe ſcientiā, & intellectum. ſ. eminenter, ergo &c. R. q̄ ſapientia dupliciter accipi poteſt, vel pro qualibet facultate intellectiua, prout cum ſophia conuertitur, & ſic non eſt determinatus habitus diſtinct⁹ ab alijs; vel pro notitia primorum principiorum, & vniuerſalium cauſarum; Similiter etiā ſcientia dupliciter ſumi poteſt, vel pro qualibet cognitione demonſtratiua, & vt ſic non diſtinguitur à ſapientia, vel pro illa ſcientia, quæ ſpecialia ſubiecta, & principia ſpeculatur, & in hoc ſenſu diſtinguitur à ſapientia, quæ prima principia, & vniuerſaliſſimas cauſas cōtemplatur; qualis eſt Methaphyſica, cui⁹ munus eſt principia aliarum ſcientiarum probare, in quo ſenſu poteſt dici intellectus, & ſcientia eminenter, & virtualiter, vnde ad argum. negamus antec. ſ. ſapientiam eſſe vnum habitum principiorum, & concluſionis ſimul, ſed eſſe habitum concluſionū ex principijs primis, & vniuerſaliſſimis cauſis cauſatū, & per hoc à ſcientia, & intellectu differt; per quod patet, & quomodo intelligendus ſit Ariſt. loc. cit.

Secundò, eodem actu potentia tendit in obiectum formale, & materiale. ſ. in obiectū Quod, & Quo, vt patet exemplo lucis, & coloris, nam lux eſt ratio, qua videtur color, & ſine luce, non videtur, & tamen attingitur, vt Quo eadem viſione, ſed præmiſſæ sūt rationes aſſentiēdi, cōcluſio eſt, quæ concipitur ab intellectu, ergo vno, eodéq; actu attingi poſſunt concluſio, & præmiſſæ. R. duplicem eſſe rationem, aliā in qua, ſeù per quam, & hæc eodem actu cognoſcitur cum obiecto Quod, vt patet de lumine, & colore, aliam ex qua aliud co-

gno-

gnoſcitur, vt ſunt præmiſſæ reſpectu concluſionis, & hæc ſufficit, vt cognoſcantur ſimul tempore, non tamen eodem actu, ita Auerſ.

Tertiò, eodē actu voluntas fertur in media, & in finem, media .n. ſunt volita propter finem, ergo eodem actu intellectus tendit in concluſionē, & in præmiſſas, cùm illam ꝑpter iſtas cognoſcat. R. ex Scot. in 3. d. 28. ad 3. negando paritatē, & ratio eſt, quia in fine, & medijs eſt vnica bonitas, & ideò admitti poteſt vnicus actus circa finem, & media, ſed in principijs, & concluſione eſt duplex veritas alteri⁹ rationis, nam illa eſt immediata, iſta mediata, atq; ideò debet eſſe duplex aſſenſus alterius rationis, cū non poterit idem aſſenſus ad vtrumque terminari.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*An præmiſſæ ſint cauſæ Concluſionis, & in quo genere cauſæ.*

SCot. qui nunquam ſpeculationū arcana reliquit, de hoc dubio diſſerit 1. poſt. q. 8. & 9. & q. 1. Prologi ad 2. pro Philoſophis, & alibi. Pro cuius intelligentia. Supponimus tamquā certū apud omnes, præmiſſas non eſſe cauſas Cōcluſionis in genere materialis, vel formalis cauſæ intrinſecę, ita vt ex ipſis fiat vnum per ſe phyſica compoſitione ex perſe actu, & ex perſe potentia; neq; præmiſſas eſſe Concluſionis cauſas in genere cauſę finalis, cū potius præmiſſæ aſſumantur propter Concluſionem, quàm è conuerſo. Certum eſt etiam Concluſionem reſpicere præmiſſas, vt cauſas, & ideò dicitur cōmuniter Concluſionem fieri ex principijs, ly .n. ex, vel dicit habitudinē termini à quo, vel habitudinē cauſæ; hic non poteſt rigoroſè accipi in primo ſenſu, quia terminus à quo recedit in aduētu termini ad quē, at præmiſſę non recedunt, ſed ſunt ſimul cū Concluſione, ergo habitudinem aliquam cauſalitatis dicūt. Neq; hoc vniuerſaliter dici poteſt de præmiſſis obiectiuè ſumptis, ſeù de rebus in ſe ipſis, quia diſcurſus non ſemper eſt à cauſa ad effectum, ſed etiam aliquando ab effectu, vel ab alio medio extrinſeco; quare tota difficultas reducitur ad præmiſſas, & Concluſiones formaliter ſumptas, ſcil. an aſſenſus, ſeù cognitio præmiſſarū ſit aliquo modo cauſa aſſenſus Concluſionis.

Negāt aliqui inter hos actus veram cauſalitatem, ſed ſi aliqua reperitur, inquiunt reduci debere in genere cauſæ materialis extrinſecæ, quatenus termini, ex quibus Concluſio conſtat, accipiuntur à præmiſſis, quæ dici poſſunt ſubminiſtrare materiā Concluſionis; ita Durand. in 2. diſt. 2. q. 2. Rubion. q. 8. Prol. art. 4. & alij. Quidam verò hanc cauſalitatem reducunt ad genus cauſæ formalis, quatenus aſſenſus principiorum informando, & illuminando intellectum, determinant illum per repræſentationē obiecti, & medij ad hanc, & non illam concluſionem eliciendam,

ità Moriſ. Hurt. & Arriag. Cōmunis tamen opinio defendit hanc cauſalitatem reduci ad genus cauſæ efficientis; cum hac tamen differentia, quòd aliqui volunt non eſſe veram efficientiam, ſed aſſenſum præmiſſarum potius ſe habere, vt Conditionem agentis, & veluti inſtrumentum; ità Auerſa, & Amic. reliqui verò concedunt veram, & partialem cauſalitatem effectiuam, ità Nominales omnes, & maior pars Thomiſt. vt Tolet. Cōplut. Ioannes de S. Thoma Didacus, & alij.

*Concluſio.*

*Dicimus cum Communi, probabilius eſſe aſſenſum Præmiſſarū effectiuè partialiter concurrere ad aſſenſum Concluſionis.* eſt Scoti loc. cit. ſequitur Tatar. 2. Prior. quæſt. 1. ad 1. princ. & alij Scotiſtæ, & ità facilè probatur. In præmiſſis omnia ſigna reperiuntur, quibus à poſteriori arguitur aliquid eſſe alterius cauſam effectiuam, ergo &c. patet aſſ. nam primò continent virtualiter concluſionem, vt Ariſt. docuit 1. poſt. cap. 1. & 2. deinde Concluſio aliquo pacto præmiſſis aſſimilatur, quia ex certitudine, veritate, & euidētia præmiſſarum metimur certitudinem, veritatem, & euidentiam Concluſionis &c. Et tandem eſt eſſentialis dependentia, ità quòd ſi præmiſſæ nō eſſent in intellectu, impoſſibile erit intellectū concluſionem elicere; nam concluſio, vt Concluſio dicit ordinem ad præmiſſas, à quibus ſuam ſumit veritatem, & ſi intellectus abſq; præmiſſis propoſitionem illam eliceret, illa non eſſet Concluſio, ſed ab ea differret eſſentialiter, nam hæc eſt ſeſentia, & tertia operatio, illa autem eſſet ſimplex propoſitio, & ſecunda operatio, quæ omnia actiuitatem in præmiſſis arguunt reſpectu Concluſionis. Verùm non negamus, præmiſſas ſaltem obiectiuè dici poſſe aliquo pacto cauſam materialem, & formalem Cōcluſionis, materialē quidem, quatenus termini cōcluſionis ſunt termini præmiſſarum; formalem verò quatenus præmiſſæ ſpecificant concluſionem; ſpecificatio autem ad genus cauſæ formalis extrinſecæ pertinere videtur.

*Obiectiones.*

Ob. 1. Non poteſt intellectus elicere ſecundam operationem, niſi prius habuerit apprehenſiones terminorum, & tamen ex tali indigētia non arguimus cauſalitatem in prima operatione erga ſecundā, ergo quamuis concluſio pendeat à præmiſſis, & tertia operatio à ſecunda, non ob id debet cauſa; ſi̇milis etiam dependentia eſt inter actum intellectus, & voluntatis, vt non poſſit eſſe volitio obiecti in voluntate, quin præceſſerit eiuſdē intellectio in intellectu, & tamen actus intellectus non eſt cauſa actus voluntatis, ſecundum probabiliorem ſententiam, quam ſequitur Scot. R. ex Doct. in 3. d. 23. §. *Aliter poteſt poni &c.* negando Cōſequentiam, magis .n. pendet tertia

operatio à ſecunda, quã ſecunda à prima, præmiſſæ, n. per vim illatiuam, & impulſiuam concluſionẽ inferunt, non ſic apprehenſio terminorum, licèt admittamus cum Scot. terminos quando euidenter cognoſcuntur, cauſare notitiam principiorum, non ſic autem quãdo ſunt ineuidentes; Actus autem Intellectus nõ eſt cauſa volitionis, eſtò neceſſariò prærequiſitus, quia volitio non ſequitur neceſſariò ad intellectionem obiecti, nec ab ipſa eſſentialiter ſpecificatur, ſicut tertia operatio per ſecũdam eſſentialiter determinatur. Et licèt voluntas ſit cauſa totalis ſuæ volitionis, eſt tamen potentia naturaliter poſterior intellectu, & ideò neq; in actum exire abſq; intellectus operatione; intellectus autem non præſupponit actum alterius potẽtiæ, quia tamen abſque præmiſſis nunquam Concluſionem elicit ſignũ euidens eſt, quòd non habeat totalem vim, ſed à præmiſſis neceſſariò completur.

Secundò, In hoc Enthymemate: omne animal rationale eſt homo, ergo Chriſtus eſt homo, conſequẽs eſt verum, & tamen non cauſatur ab antec. cùm conſeq. ſit de fide, & antec. naturale, at ſupernaturale nõ cauſatur à naturali, quod eſt imperfectius, ergo &c. ℞. in allato Enthymemate ſub intelligi hæc minor, Chriſtus eſt animal rationale, eſtò ore non proferatur, quę propoſitio eſt de fide, atque ideò poteſt tale conſequens cauſare, & propriè non eſt de fide, ſed potiùs Concluſio Theologica.

Tertiò, Aliquando recordamur actus Concluſionis, & non præmiſſarum, ergo poteſt eſſe Concluſio ſine præmiſſis. ℞. neg. actum illum eſſe eiuſdem ſpeciei cum concluſione. Sed probant, nam ille actus cauſatur à ſpecie derelicta ab actu Concluſionis in memoria, ergo cũ ſpecies nõ concurrat, niſi ad ſimiles actus, ex quibus fuit producta, illa Concluſio erit eiuſdem ſpeciei ſiuè cũ præmiſſis, ſiuè ſine pręmiſſis producatur. ℞. neg. ꝙ illa ſit ſpecies Cõcluſionis, ſed potiùs ſimplicis propoſitionis, licèt de eodem obiecto materiali, quatenus intellectus quandoque illam propoſitionem formauit.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An præmiſſæ debeant prius cognoſci, quàm Concluſio.*

1. SCot. in literaria veterum monimẽta fama celebratus, hũc Art. reſoluit 1. poſt. q. 8. & 9. vbi pro reſolutione notat, quòd præmiſſæ poſſunt dupliciter conſiderari, ſ. vel vt ſunt quædam ſimplices propoſitiones, non applicatæ ad inuicem, nec in Syllogiſmo ordinatæ, & diſpoſitæ; vel vt in Syllogiſmo diſpoſitæ, & hoc modo adhuc dupliciter, vel vt ſubſunt relationi cauſæ in ordine ad Concluſionem, vt effectũ, vel vt ſunt fundamentaliter Concluſionis cauſæ, quomodò à relatione cauſæ præſcindunt, & ſecũdum proprias na-

turas conſiderantur. difficultas nō mouetur de pręmiſſis in primo ſenſu, ſ. quatenus non ſunt applicatę, nam ſic poteſt eſſe maior ſine minori, & Concluſione, & è contra; quia quando non ſunt applicatæ, & ordinatæ in Syllogiſmo, non habent rationē pręmiſſarum; quare inquirimus de præmiſſis applicatis, non quòd neceſſariò pręmiſſæ ſimul debeant ab Intellectu elici, nam ſæpè euenit, & maximè propter imperfectionem intellect⁹ noſtri, quòd maior pri⁹ quàm minor eliciatur, vt Ariſt. 1. poſt. c. 1. aduertit; ſed dubium eſt, an aſſenſus illi præmiſſarum prius tempore eliciti, permanere adhuc debeant in eodem inſtanti cum aſſenſu Concluſionis.

Quamplures aſſerunt aſſenſum præmiſſarum neceſſariò tempore pręcedere debere Concluſionis aſſenſum; ità Capreol. in 2. d. 3. q. 2. ad 1. cum alijs; Quidam hoc ſuſtinent de maiori propoſitione, minorem verò eſſe ſimul cū aſſenſu Concluſionis; Alij admittunt in eodem inſtanti neceſſariò debere eſſe ſimul aſſenſus Concluſionis, & principiorum, ſed volunt, quod præmiſſæ ſimul ſint cum concluſione per habitus ex aſſenſib⁹ derelictos; Conimbr. ſatis eſſe aiunt, aſſenſū præmiſſarum ſimul exiſtere cum Concluſione, per actum recordationis, quo memoretur Intellectus circa tales præmiſſas ſe aſſenſum habuiſſe: Communis tamen opinio tùm apud Veteres, tùm apud Recentiores eſt, quòd ſimul tempore cognoſcantur præmiſſæ, & Concluſio, per aſſenſus formales vtrarumque.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, Præmiſſas formaliter vt cauſas Concluſionis ſumptas, eſſe ſimul cum Concluſione, non ſolùm tempore, ſed etiam natura; at fundamentaliter acceptas ſimul eſſe in eodem inſtanti temporis, non minorem tantùm propoſitionem, neque habitualiter, aut per actum recordationis, ſed quo ad proprias entitates, cùm qua tamen ſimultate ſtat prioritas naturæ.* Eſt Scoti loc. citat. & q. 3. Prol. in q. 4. Collat. & ſequuntur omnes cum Ariſt. 1. poſt. c. 1. Et quo ad ſingulas partes probatur. Et 1. quod vt formaliter cauſæ ſint ſimul natura cum Concluſione, inde patet, quia vt ſic ſūt relatiuæ, quæ ſunt ſimul tempore, naturæ, & cognitione ex dictis.

Secundò, quòd vt fundamentaliter ſumuntur, debent etiam ſimul exiſtere, ex eo patet, quia præmiſſæ ſunt cauſæ Concluſionis, cauſa autem quando actu cauſat, debet actu exiſtere; & q. ambæ præmiſſæ ſunt cauſæ Concluſionis, & vna ſine altera non ſufficit, cùm quælibet argumētatio vim inferendi habeat ex forma Syllogiſtica, & medium vt extrema coniungat debet cum ambobus illis coniungi, virtute illius principij: Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; idcircò ambæ præmiſſæ debent ſimul cum Concluſione exiſtere, & non tantùm minor.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò, præſentes eſſe debent, nō per habitus, ſed ſecundū proprias, & formales entitates, & ratio eſt, quia habitus solùm eſt cauſa actuū eiuſdem ſpeciei cum illis, à quibus eſt genitus; at aſſenſus principiorum, & aſſenſus Concluſionis differunt ſpecie, ergo habitus principiorum non poteſt concurrere ad actus ſcientificos cōcluſionum, ſed ad aſſenſum tantùm præmiſſarum. Tùm quia habitus non datur potentijs ad ſimpliciter operandum, ſed ad promtè, expeditè, & faciliter operandum ex Scot. in 1. d. 17. q. 2. lit. E. ſed præmiſſæ ponuntur in intellectu ad ſimpliciter operādum, ſine quibus non poteſt intellectus concluſionem producere, ergo ipſarum Cōcurſus non poteſt per habitus ſuppleri.

Quartò, Nec ſufficit, vt præmiſſæ ſint præſentes per actum recordationis, nam tertia operatio eſſētialiter à ſecunda dependet, & intellectus ex ſe non eſt ſufficiens ad Concluſionem eliciendam, ſed cōplectur, & determinatur à præmiſſis, ergo præmiſſæ ex ſe cōcurrere debent; nec ſufficit concurrere in eſſe obiectiuo, quia vt ſic habent eſſe ſecūdum quid, cauſa verò realis eſſe ſimpliciter poſtulat.

Tandèm, quòd dicantur priores in prioritate naturæ, ex eo patet, qa eſſentialis depēdentia infert prioritatem naturæ ex dictis; at Concluſio dependet eſſentialiter à præmiſſis, ergo &c.

*Obiectiones.*

3. Ob. 1. quòd aſſenſus præmiſſarū præcedat tempore aſſenſum Cōcluſionis: de ratione motus eſt, vt ſit ſucceſſiuus, ſed diſcurſus eſt quiddam motus, ergo eſt ſucceſſiuus, & conſequenter aſſenſus præmiſſarum eſt prior aſſenſu concluſionis. R. ex Doctore darı in diſcurſu quandā ſucceſſionem, quatenus regulariter prius cognoſcitur maior, ſed cum hoc ſtat, quòd quando cognoſcitur Concluſio, adhuc permaneat cognitio præmiſſarum.

Secundò, Certum eſt, quòd Intellectus determinatus eſt ad cognoſcendum ſimul plura, cùm non poſſit in quemcumque numerum intelligibilium tendere ſimul, ppter ſuam finitatem, & limitationē; modò ſic, ſit V. g. talis determinatio ad ſex, & habeat intellectus de quatuor obiectis cognitionem, vtique ſi aliquem Syllog. tunc eliceret, poſſet pro illo inſtanti habere cognitionem maioris, & minoris, quia habet ad duo capacitatem, non tñ Cognitionem Concluſionis, quia intellectū excederet. Rñt aliqui cum Ruuio aſſenſus præmiſſarum, & Cōcluſionis propter mutuam connexionem ſe habere vt vnum, atque ideò non excedunt Intellectus capacitatē; alij, vt Amic. & Conimbr. Rñt non ſequi aſſenſum propter impedimentum, concluſio autem intelligitur de Intellectu non impedito, vtraq; ſolutio ſaluat.

Ob. 3.

Ob. 3. Cauſa Materialis tempore præcedit effectum, hinc Ariſtot. docuit ſubſtantiam præcedere accidens tempore, natura, & definitione, at p̃miſſæ ſunt cauſæ materiales cõcluſionis, ergo &c. Rẽt. Scot. præmiſſas eſſe quoque cauſas efficientes, atque ideò quando ſunt applicatæ, & naturales ſtatim cauſant concluſionem, & præmiſſę dicuntur cauſæ materiales tantùm ſecundum quid.

Ob. 4. Ariſt. 2. Prior. c. 26. inquit, contingere poteſt cogoſcere omnem mulam eſſe ſterilem, & hanc eſſe mulam, & dubitare, an aliquid in ventre habeat, ergo cum aſſenſu præmiſſarum, non remanet aſſenſus Concluſionis. Rt. Scot. Ariſt. intelligi debere de illis præmiſſis, vt ſolutis, non vt ad inuicem applicatis, vt ſic enim neceſſariò ſequitur Concluſio: Vel illa maior nõ fuit neceſſaria, ſed dubia, & contingens, & ideò dubius remanſit aſſenſus concluſionis.

Ob. 5. quòd ſufficiat præſentia habitualis præmiſſarum; Habitus eſt quædam virtus, & ſemen principiorum, ergo continet in ſe actiuitatem illorum, & conſequenter poterit ſicut principia ad Concluſionem concurrere. ℞. neg. conſeq. & ratio eſt, quia habitus non continet totaliter actum, quia ſe ſolo nõ poteſt illum producere, & ideò non poteſt illum efficere; & habemus exemplum in primis qualitatibus, quæ ſunt cauſæ æquiuocæ perfectæ, & ſunt cauſæ grauitatis, & leuitatis, quæ principiant motus, & tamen talis motus non põt à primis qualitatibus prouenire.

Ob. 6. quòd ſufficiat cum Concluſione actus recordationis; nam experimur, ſæpè alicui concluſioni aſſentiri ex aſſenſu præmiſſarum multo tempore antea præhabito, & maximè cùm ob nimiam diſtractionem, non poteſt intellectus p̃miſſis aduertere, ergo tunc ſaltèm ſufficiet preſentia per actum rememoratiuum, nam verè tunc eſſent effectus, & cauſa in actu. ℞. neg. conſeq. actus .n. ille rememoratiuus non eſt ſufficiens cauſa concluſionis, cùm ſit imperfectus, nec eminenter aſſenſum præmiſſarum cõtineat; imò quia tunc adeſt maxima Intellectus diſtractio, non ſufficit ille actus rememoratiuus, ſed requiritur noui aſſenſus productio, ad hoc vt cauſa ſit in actuali exiſtentia; vel quòd tunc concluſio ſcitur, vt propoſitio eſt, non vt concluſio eſt.

Ob. tandèm, quòd præmiſſæ nõ ſint priores natura, ſed ſimul cum concluſione, etiam fundamentaliter acceptæ; Si præmiſſæ, vt priores cognoſcũtur, ergo tunc ignoratur concluſio, quæ eſt cauſatum, ſed ignorato cauſato, ignoratur etiam cauſa, ergo ℞. aliud eſt præmiſſas eſſe priores natura .i. independentes à concluſione, aliud eſſe cognitas, non cognita Concluſione, primum aſſerimus, ſecundum negamus.

AR-

ARTICVLVS QVARTVS.

*An aſſenſus præmiſſarum neceſſitet Intellectum ad aſſenſum Concluſionis.*

1. SCot. qui immortalem laudẽ ſibi peperit, egregiè de hoc dubio diſſerit 1. poſt. q. 8. & in 1. ſent. d. 1. q. 4. §. *ad Argumenta*, & alibi. Supponimus dubium procedere, quando intellectus euidenter apprehendit præmiſſas vt veras, ex illis ſequi Concluſionem, an poſſit diſſentiri, vel neceſſariò debeat circa Concluſionem elicere actum. Pro cuius reſolutione notandum eſt primò ex Doctore quol. 16. art. 1. quòd duplex eſt determinatio potentiæ, vna dicitur contrarietatis, ſeù ſpecificationis, alia Cõtradictionis, ſeù exercitij; Sicut indeterminatio, ſeù indifferentia oppoſita eſt duplex, contrarietatis. ſ. & Contradictionis: Determinatio contrarietatis eſt, quâ potentia determinata eſt in elicitione ad vnum actum, non ad oppoſitum, vt Volũtas circa bonum in ſe, dicitur ſic determinata, qã nõ poteſt elicere ad libitũ quẽcũq; actũ vel volitionis, vel nolitionis, ſed neceſſariò ſi aliquẽ actum eliciet, hic erit volitio; Indeterminatio Contrarietatis eſt, quando potentia poteſt circa obiectum oppoſitos actus elicere. ſ. Amorem, vel odium, quomodo ſe habet voluntas circa obiectũ oſtẽſum ſub ratione boni, & mali: Determinatio Contradictionis eſt, quando potẽtia eſt ità determinata ad vnum ſpecie actum circa aliquod obiectum, vt nõ poſſit illum non elicere, veluti eſt quælibet potentia naturalis ex ſe circa obiectũ debitè pſens; Indeterminatio Cõtradictionis eſt, cum potentia poteſt in oppoſita Contradictoriè, vt ſunt velle, & non velle, nolle, & nõ nolle, quomodò ſe habet voluntas creata etiam circa bonum præciſè, cùm ſit eſſentialiter libera.

2. Adnotamus 2. tãquam certum apud omnes, quòd in præmiſſis neceſſarijs, vel taliter apprehenſis, aſſenſus ipſarum neceſſitet Intellectum ad aſſenſum Concluſionis neceſſitate contrarietatis, etiã vt ſubeſt voluntatis imperio, ità vt circa illam concluſionem non poſſit diſſenſum elicere ex ſe, neq; imperari à voluntate ad diſſenſum producendum; & fundamentũ eſt, quia ſicut ſe habet bonũ ad velle, & malum ad nolle, ità verum ad aſſenſum, & falſum ad diſſenſum; ſed bonum non poteſt eſſe nolitionis obiectum, vt bonum eſt, neque malum, vt malum obiectum volitionis, ergo neque verum eſſe põt obiectum diſſenſus, & falſum obiectum aſſenſus, aliter potentia extra proprium obiectum tenderet. Admittunt etiam omnes Intellectum circa has neceſſarias veritates in ſe conſideratum, eſſe determinatum determinatione exercitij ad aſſenſũ, ità vt non poſſit non aſſentire, quia cùm ſit ex ſe cauſa naturalis, ſi non eſt impedita, neceſſariò agit, nec ſuſpendendi actionem potẽtiam habet. Dubium eſt de Intellectu, vt voluntati ſubij-

bij-

bijcitur, quo ſenſu habet quamdā libertatē participatam, an .ſ. poſſit voluntas, ſtante aſſenſu vero, & euidenti præmiſſarum neceſſariarum ſuſpendere aſſenſum intellectus circa Concluſionem, vel ipsū ad alia obiecta diſtrahere. Auerſa, Murcia, Ruu. & alij affirmant, quidam verò ex oppoſito negant, ità Sanch. Didacus, Hurtad. Arriag. Ioann. de S.Thom. Complut. Conimbr. Amic. & alij.

Quantū verò ad præmiſſas probabiles, communiter ſuſtinent intellectum eſſe quoq; determinatū determinatione cōtrarietatis, quādo præmiſſæ probabiles iudicātur, ità quod nulla ratio falſitatis appareat, & ratio eſt eadem, quia cū præmiſſæ iudicantur veræ, poſſunt recta ratione inferre cōcluſionem probabilem veram, non falſam, nā ex antecedenti vero, non ſequitur falſum, & conſequenter nō poteſt Intellectus diſſentire, dubium tamen eſt de determinatione exercitij, nam quidam volunt intellectū etiam vt à voluntate præſcindentem, indeterminatum eſſe indeterminatione exercitij, & Contradictionis, vt poſſit elicere, vel ſuſpēdere aſſenſum circa Cōcluſionem probabilem, ità Moriſan. Conim. Blanc. & aliqui, alij verò oppoſitum docent.

*Concluſio Prima.*

3. *Dicimus 1. poſito aſſenſu præmiſſarum in materia neceſſaria, neceſſitari intellectum determinatione exercitij ad aſſenſum Concluſionis, ita vt non poſſit à voluntate impediri.* Eſt Scoti loc. cit. & communior, quæ ità facilè probatur: Intellectus, & præmiſſæ debitæ approximatæ, & non impeditę ſunt cauſæ naturales cōcluſionis, ergo neceſſariò aſſenſum Concluſionis producunt. Dices impediri à voluntate non conſentiente, nec cōcurrente, imò ſuſpendente concurſum Intellectus, q cùm ſit magis connexus cum voluntate, quem aliæ potentiæ, maiorem participat libertatem. Non valet, & ratio eſt, quia voluntas nō concurrit tamquam cauſa phyſica ad actus intellectus, qui vt concipitur voluntati præuius, exit in proprios actus; Vndè negatio cōcurſus, imò diſſenſus voluntatis non eſt ſufficiens impedimentum, ſtante aſſenſu præmiſſarum; quòd patet exemplo, ſit viſibile præſens proportionatū, & illuminatum, & oculus non clauſus, non impeditus, contradicente voluntate, adhuc oculus videbit, ergo à ſimili, diſſenſus voluntatis nō poteſt impedire aſſenſum Concluſionis, qui aſſenſus ſe habet vt viſio, concluſio vt obiectum, aſſenſus præmiſſarum vt lumen, & cognitio bonę illationis, vt applicatio luminis. Tū quia in actibus intuitiuis, etiam ſi voluntas formaliter diſſentiat, non pōteſt apprehenſiones impedire, vt cùm vehemens vrget tentatio, ergo neque in diſcurſu voluntas tale dominium, & poteſtatem habebit.

Con-

*Concluſio Secunda.*

4. *Dicimus 2. cùm præmiſſæ ſunt probabiles, ità quòd nulla ratio falſi appareat in contrarium, non requiritur neceſſariò conſenſus voluntatis ad aſſẽſum Concluſionis, ſed ſufficit, vt indifferenter voluntas ſe habeat, in quo caſu intellectus neceſsitatur etiam neceſsitate exercitij ad concluſionem inferendam.* Eſt Scoti loc.cit.in 3.vbi aſſerit ad aſſenſum fidei non requiri neceſſariò voluntatis actum determinantem, & imperatiuum, patet iiſdem rationibus præcedentis concluſionis, & hęc ſola differentia eſt, quod præmiſſę neceſſariæ ſunt euidẽtes, probabiles verò ineuidentes, ſed hoc non obſtat, nam obiectum vt probabile oſtẽſum intellectui, ſufficiens eſt, vt poſſit Intellectus elicere aſſẽſum circa illas præmiſſas, qui aſſenſus præmiſſarum eſt ſufficiens cauſa, vt probabilis cõcluſio eliciatur, ergo etiam voluntate non contradicente, intellectus neceſſitatur ad aſſenſum illum, quia cauſa naturalis non impedita ſtatim agit.

*Obiectiones Contra Primam.*

5. Ob. 1. Poteſt voluntas cauſare ceſſationẽ, & impedire cõtinuationem cuiuslibet aſſenſus concluſionis, ergo poterit etiam cauſare ſuſpenſionẽ. ℞. admittendo, quòd voluntas poſſit cauſare ceſſationẽ, ſed ſolùm euertendo intellectũ ab aſſenſu principiorum, & vt ſic poteſt etiam impedire aſſenſum Concluſionis; at ſtante aſſenſu principiorum, non poteſt impedire continuationem aſſenſus Cõcluſionis.

Secundò, Nullum bonũ poteſt quo ad exercitium neceſſitare voluntatem, ergo nullum verum pariter poterit intellectum determinare. ℞. negando paritatem, & ratio eſt, quia voluntas eſt potentia formaliter libera, intellectus verò potentia naturalis formaliter, & determinata.

Tertiò, Intellectus, vt voluntatis imperio ſubijcitur, participat libertatem, & indifferentiã circa quodcumque obiectũ, ergo etiam circa aſſenſum Concluſionis neceſſariæ, ſed non poteſt eſſe indeterminatus contrariè, ergo ſaltẽ quoad exercitium, & Contradictoriè. ℞. quòd vt voluntati ſubijcitur, tantùm habet poteſtatem eliciendi, & nõ eliciendi aſſenſum præmiſſarum, at hoc elicito, neceſſariò neceſſitate ex ſuppoſitione, infert deinde aſſenſum Cõcluſionis, vt in alijs potentijs patet, poteſt enim voluntas impedire ne comedam, at poſito cibo in ventre, non poteſt digeſtionem impedire, &c.

6. Contra ſecundam obijcitur: in probabilibus non determinatur Intellectus ad aſſenſum, quia opinio ſemper eſt cum formidine de oppoſito, ergo nulla neceſſitas cauſatur in intellectu ex præmiſſis probabilibus. ℞. diſtinguẽdo anteced. nõ determinatur intellectus ad aſſensũ certum, & euidens, concedimus, nõ determinatur ad aſſenſum verũ, ſicut veræ ſunt præmiſſæ, negamus; nec formido de oppoſito vrget

urget, nam ſolùm tollit firmitatem aſſenſus, non determinationem.

Ob. Si aſſenſus in probabilibus præcederet conſenſum voluntatis, nullum iudicium temerarium eſſet peccatum, nam peccatum in tantũ eſt peccatum, quia voluntariũ, ſed hoc eſt falſum ergo, &c. ℞. admittendo iudicia conſenſum voluntatis præcedentia, non eſſe peccata, tunc. n. voluntati imputatur, & temeraria cenſentur, quatenus voluntas tenetur impedire illud iudicium, & nõ impedit, ad quod tenetur; & ratio eſt, quia prudentia dictat in omni re nõ euidenti poſſe decipi in iudicando, atq; ideò nõ temerè, & certitudinaliter eſt aſsẽtiẽdum, ſed cum formidine de oppoſito, qua formidine poſita, ceſſat ratio iudicij temerarij, & euadit ſuſpectus; poteſt itaq; volũtas impedire, non vtiq; ſuſpendendo aſſenſum Concluſionis, ſed potius aſsẽſum præmiſſarum, intellectum ad alia obiecta diuertendo, &c.

# DISPVTATIO XVIII.

## ANALYTICORVM POSTERIORVM ARISTOT.

### TEXTVS.

*Omnis Doctrina, & omnis diſciplina ex præexiſtente fit Cognitione, manifeſtum autem hoc ſpeculationibus in omnibus, Mathematicæ namque ſcientiarum per hunc modum, &c.*

MVLTI fuerunt philoſophi, qui demonſtrationes negantes, aſſeruerũt non poſſe de rebus ſciẽtiam haberi, cùm omnes caducæ, & mutabiles ſint; ità Heraclitus, Democritus, & alij; quidam verò ex oppoſito affirmarunt nihil de nouo ſciri poſſe, ſed ſcientiam noſtram nihil aliud eſſe, quàm quoddam reminiſci, quæ opinio attribuitur Platoni in Menone, quos errores Ariſt. euellere cupiens, hanc poſuit Concluſionẽ: Omnis Doctrina, & omnis diſciplina, &c. quã probat inductiuè, tàm in ſcientijs ſpeculatiuis, quàm practicis. Et quia naturam demonſtrationis aptius venari non poſſumus, quàm ex notitia quidditatis, & Conditionum ſciẽtiæ, quæ effectus eſt demonſtrationis, ad quam ipſa demonſtratio, vt ad finem ordinatur; idcirco iure meritò diſputationem de ſcientia præmittimus, ordinem doctrinæ ipſius Ariſt. imitantes, qui hic c. 1.

docet

docet dari ſcientiam, deinde cap. 2. ipſam ſcientiam definiuit, ex cuius definitione poſtea naturã demonſtrationis, eiuſdemque conditiones declarauit, duas aſſignans demonſtrationis definitiones. Et quòd de nouo datur de rebus ſciẽtia contra antiquos, patet ex dictis in Inſtit. quare ad eius eſſentiam, & quidditatem explicandam inuigilabimus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De Scientia quo ad ſuam Eſſentiam, & quidditatem.*

SCot. qui ab excellentiam virtutum, & doctrinarum argutiem celeberrimis encomijs à Doctis viris commendatur, de hoc articulo diſertè agit q. 3. Prol. in 4. q. Collat. & in 1. d. 3. q. 4 art. 2. lit. C. & in 3. d. 24. q. vn. §. *Ad quæſtionem, &c.* Supponimus ſcientiam primò diuidi in habitualem, & actualem, & habitualis eſt quidam habitus de prima ſpecie qualitatis, permanẽs, intellectualis, diſponens intellectum, non ad ſimpliciter operandum, ſed ad promptè faciliter, & expeditè operandum, ex frequentatis actibus ſciẽtificis acquiſitus, quæ definitio inſinuatur à Doctore in 4. d. 6. q. 10. lit. O. ex definitione habitus in communi; nam ſicut quilibet habitus eſt quædam qualitas diſponens ſubiectum, non quidem ad ſimpliciter operãdum, quia ſine habitu poteſt potentia elicere aliquos actus, ſed ad promptè, & faciliter agendum, acquiſita ex vſu, & frequentatione illorum actuum, ad quorum productionẽ habitus inclinat, ità ſcientia habitualis diſponit intellectum ad facilius, & promptius actus ſcientificos eliciendos, ex quibus fuit genita; quia igitur habitus generatur, & ſpecificatur ex actibus, ex declaratione ſciẽtiæ actualis, pfectè patebit, qd ſit habitualis, & ad quos act' eliciendos intellectũ inclinet; quare tota difficultas cõſiſtet in explicatione ſciẽtię actualis.

Ariſt. 1. poſt. c. 2. ſcientiã definiuit in concreto, dicens: *Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, propter quam res eſt, quod illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe habere.* Vbi definiuit ſcientiam perfectiſſimam à priori, & per cauſam, non ſolũ in cognoſcendo, ſed etiã in eſſendo, ex qua definitione, varias colligunt Doctores ſcientiæ conditiones, quarũ prima eſt, quòd ſit vera, nã error, & falſitas ſcientia non ſunt.

2. Secunda Conditio eſt, quòd ſit certa; certitudo autem eſt firma intellectus adhæſio alteri determinatæ parti abſq; formidine de oppoſito, ſi .n. aliqua adeſſet formido, non eſſet in intellectu certitudo, ſed aliqua dubietas, nec eſſet ſciẽtia, ſed opinio; hæc autẽ certitudo, vel puenit ex ipſomet obiecto, quatenus ità ſe habet, vt ſimpliciter, & de potẽtia Dei nõ poſſit aliter ſe habere, quales sũt veritates ppoſitionũ neceſſariarũ, q̃ ab alijs dicitur certitudo intrinſeca, ab alijs obiectiua, ab alijs metha-

phyſica; vel prouenit ab alio capite, & dicitur extrinſeca, quod poteſt accidere multipliciter .ſ. vel quia voluntas imperat intellectui, vt taliter iudicet, & nō aliter, quatenus ex aliquo affectu mouetur; vel apparenti, ſed vana ratione, vt infideles, & hæretici, qui pertinaciter erroribus adhæreat; vel quia quod iudicatur, affirmatur ab aliquibus maximæ authoritatis, vel ab omnibus, vel plurimis, vt certitudinaliter creditur Romam eſſe, Neapolim, Venetias, &c. Et quo maioris authoritatis ſunt viri, qui hoc aſſerunt, eo firmius intellectus adhæret, & hæc dici ſolet certitudo moralis; & quia Deus eſt ſupremæ Authoritatis, hinc res fidei ſunt maximæ certitudinis, ſunt .n. teſtimonio Diuino innixæ; vel tandem mouetur Intellectus ad iudicandū certitudinaliter ità eſſe, quia naturaliter non poteſt aliter euenire, licèt ſimpliciter poſſit aliter fieri, vt videndo accidēs in Euchariſtia, ſtatim iudicaret intellectus, ibi ſub ſtare ſubiectum, ex eo quia natura accidentis ſic poſtulat, cùm tamē Deus poſſet accidēs à ſubiecto ſeparare; & hæc dicitur certitudo phyſica, ad ſcientiam verò perfectiſſimā requiritur certitudo methaphyſica.

Tertia Cōditio eſt, quod ſit euidens. Et per euidentiā intelligitur claritas cognitionis, qua intellect. clarè videt obiecti veritatem, & connexionem prædicati cū ſubiecto, vnde dicitur euidentia, quaſi clara obiecti videntia, & luci materiali comparatur, qua illuſtratū obiectū, clarè, & diſtinctè ab oculo percipitur; q̄ euidentia pōt à certitudine ſeparari, articuli .n. fidei ſunt certi, nō tamen euidentes, nā pro ſtatu iſto nō poteſt Intellectus noſter percipere rationem connexionis huius prædicati cum ſubiecto, q͂ ſcil. Deus ſit trinus, & vnus, cui veritati ſolùm aſſentitur Intellectus ex teſtimonio Dei reuelantis, qua ratione, fides non dicitur cognitio euidens, ſed obſcura.

3. Quæ euidentia duplex eſt, vna ex parte potentiæ, alia ex parte obiecti; prima eſt claritas cognitionis percipientis rationem connexionis terminorum; ſecunda eſt aptitudo illa in obiecto manifeſtādi ſe clarè, & diſtinctè intellectui, ità vt ſtatim ac intellectui obijcitur, mouet illum ad ſui Cognitionem; & hæc duplex eſt, vna immediata, cùm Intellectus ex ſimplici apprehenſione terminorum ſtatim aſſentitur illi propoſitioni, & hæc euidentia eſt principiorum, quæ immediata dicuntur; alia mediata ex eo quia non ex ſimplici apprehenſione terminorum intellectus mouetur, ſed propter aliud principium diſtinctum, quod eſt cauſa cognitionis illius, quæ ſpectat ad Concluſionem, quæ euidenter ſcitur propter præmiſſas, à quibus ꝓpriam euidentiam accipit; quare euidentia immediata nō conuenit ſcientiæ, nam ſcientia eſt concluſionis, non principiorum, ſed com-

petit

petit ei euidentia mediata, ex euidentia principiorum. Modò dubiũ eſt de euidentia potentiæ, an ſit requiratur, quòd Intellectus clarè, & diſtinctè percipiat dependentiam illam euidentiæ Concluſionis ab euidentia principiorum, an verò ſufficiat, ꝙ cōcluſio ſit euidēs in ſe, abſq; eo, ꝙ intellectus euidentiam illam principiorũ percipiat, ſed ex teſtimonio fide digno apprehendens principia, vel vnũ ipſorum, vt verum, concluſionem deducat.

Negant Thomiſtæ hanc euidentiam ex parte intellectus, ſed ſufficere inquiunt, ꝙ ſit cognitio concluſionis aptitudinaliter ex ſe euidenter cognoſcibilis, quia ratione moti aſſerunt noſtram Theologiã eſſe propriè ſcientiã, quia verè deducit concluſiones ex articulis fidei, qui ſaltē euidentes ſunt in intellectu beatorũ; ſicuti etiam affirmant ſcientiã ſubalternatã eſſe veram ſcientiam in intellectu carēte ſcientia ſubalternante, ſi principia ſubalternantis à fide digno, tãquã vera, & certa reciperetur; ita Caiet. 1. p. q. 1. art. 2. Complut. diſput. 19. log. q. 3. Ioan. de S. Thom. in log. q. 26. art. 3. & alij.

Quidē alij diſtinguunt de ſcientia, nam vel accipitur in toto rigore, & prout eam diſcribit Philoſophus in libr. poſt. & ita neceſſaria eſt euidentia, vel accipitur ꝑ ſciētia in genere, & magis latè, & hãc aiunt abſtrahere ab euidentia, & ſolùm dicere cognitionem veram, & certam de aliquo obiecto; & in hoc ſenſu admittunt Theologiam eſſe ſcientiam, ita Blanc. tractat. de ſcientia quæſt. 2. Auerſa q. 26. log. ſec. 2. Moriſan. & alij.

Scot. loc. cit. defendit de ratione propriæ ſcientiæ eſſe, vt ſit euidens, & tantùm impropriè accommodari poteſt nomen ſcientiæ notitiæ obſcuræ, & non euidenti, quamuis certiſſimæ, quem ſequuntur communiter Scotiſtæ, & ex Recentioribus Blanc. in log. diſp. 1. ſec. 1. Amic. tract. 27. de ſcientia q. 1. dub. 9. Didacus diſput. 18. q. 1. & alij; & hoc manifeſtè apparet, quia in omnium ſententia fides, & ſcientia differunt ſpecie, imò opponuntur, quia illa eſt obſcura, iſta clara, & euidens; ergo euidentia eſt conditio neceſſaria ad ſcientiam. Quòd ſi dicas rationem valere de ſcientia, vt ab Ariſt. traditur, non de ſcientia in ſua generalitate accepta, non valet; nam ſicut ex hoc quòd ſciētia per certitudinem differt ab opinione, non rectè aliquis aſſereret opinionem eſſe ſcientiam ſecundum rationem genericam, vt dicit, cognitionem veram, communem certè, & opinabili, ita in propoſito de ſcientia reſpectu fidei aſſerendum erit.

Quarta Conditio eſt, quòd ſit neceſſaria; neceſſitas autem duplex eſt, alia ſimpliciter, qua res ita exiſtit, vt non poſſit nō exiſtere, quomodo ſolus Deus dicitur neceſſarius; alia eſt neceſſitas ſecundum quid, ſeu complexa, & eſt qua res aliqua talem habeat inter ſe conne-

nexionem, & habitudinem, vt neceſſariò vna alterã includat, quatenus intellectus concipiens terminos illarum, neceſſariò componit vnum de altero affirmando, propter quã neceſſariam habitudinem terminorum, ſemper propoſitio de illis enunciata erit nececeſſariò conformis, atque ideò neceſſariò vera, ità quòd non poſſit falſificari pro quacumque temporis differentia, propoſitiones .n. neceſſariæ abſtrahunt à tempore ex dictis; Ad ſcientiam perfectiſſimè ſumptam nõ requiritur prima neceſſitas, nam præter Deum, omnia corruptibibilia ſunt etiam ipſa ſcientia, ſed ſecunda, quatenus talem habet veritatem, vt nunquã mutari poſſit in falſam, ſpectata quacumque potentia, & temporis differentia, in quo ſenſu de corruptibilibus datur ſcientia, ſic .n. habent quædam prædicata taliter illis conuenientia, vt non poſſint non conuenire; quæ cõditio includitur in ſecunda, cùm dicitur vt nõ contingat aliter ſe habere, quod intelligitur de certitudine methaphyſ.

Quinta Conditio eſt, quòd ſit de obiecto vniuerſali, nam de ſingularibus non datur ſcientia, & ratio eſt, quia ſcientia oſtendit paſſionem de proprio, & adæquato obiecto, hoc autem non poteſt eſſe ſingulare, aliter non competeret alijs indiuiduis, nam riſibilitas non poteſt Paulo adæquatè cõuenire, ſed homini, cum quo eſt conuertibilis.

Sexta Conditio, quòd ſit cauſata per diſcurſum Syllogiſticum, cuius ratio eſt, quia ſcientia non eſt quælibet rei cognitio, ſed eſt cognitio rei per cauſam diſcurſiuam, & illatiuã; & quia Intellectus circa illationem poteſt errare, ideò requiritur, vt ſit per demonſtrationem rectè diſpoſitam in modo, & figura; vndè aliqui dicunt ad ſcientiam requiri euidentiã conſequentiæ, hæc tamen conditio non conuenit ſcientiæ, vt ſic, ſed ſolùm ſcientiæ creatæ, nam hoc modo dicit imperfectionem, tàm reſpectu ſui ipſius, cùm cauſatio dicat dependentiam, quàm reſpectu intellectus, in quo præſupponitur potentialitas ad recipiendam de nouo ſcientiam, & vnum poſt aliud ſcire; & ideò ſcientiæ Diuinæ non conuenit, cùm Intellectus Diuinus vnico actu omnia ſimul; & diſtinctè perfectè attingat.

*Obiectiones.*

5. Ob. 1. præcipuè cõtra definitionẽ ſcientiæ, & primò ſic: ſi ſciẽtia eſt per cauſam, daretur proceſſus in infinitũ, nam hæc cauſa deberet per aliam cauſam ſciri, & illa per aliam &c. ergo &c. R. neg. ſeq. non .n. oportet cauſas ſciri p aliam ſcientiam, ſed per apprehenſionem terminorum, & per habitũ, qui intellectus dicitur.

Secũdò, Non rectè dicitur quòd non contingat aliter ſe habere, nã de corruptibilib. vt ſic datur ſciẽtia, vt in phyſicis patet, & Ariſtot. probat Eclypſim de luna, quæ non ſem-

ſemper ei competit, & de effectib. fortuitis, & per accidens philoſophia diſſerit, ergo &c. Reſponſio patet ex dictis, non .n. ad ſcientiã requiritur incorruptibilitas ſimpliciter, ſeù incomplexa, ſed complexa, & ſic de corruptibilib. quatenus talia datur ſcientia, ſic enim ſunt incorruptibilia incorruptibilitate complexa, propter neceſſariam habitudinem, quàm habent inter ſe; de luna demonſtratur Eclypſis quo ad aptitudinem, effectus etiam per accidẽs habent ſuã prædicata eſſentialia, & paſſiones de ipſis demõſtrabiles, & vt ſic dici poſſunt entia neceſſaria, & ad ſcientiam pertinentia.

Tertiò, Quòd eſt mutabile, & contingens, non poteſt cauſare aliquod immutabile, & neceſſariũ, ſed omnia entia creata ſunt contingentia, & mutabilia, ergo cauſare nequeunt ſcientiam neceſſariã, & perpetuam. R. quòd obiectum non cauſat notitiam immutabilẽ ſui, vt mutabile eſt, ſed potius quatenus natura, & quia natura obiecti mutabilis habet immutabilem habitudinem ad aliud, ideò poterit notitiam ſuipſius immutabilem producere, ità Scot. in 1. d 3. q. 4. lit. I.

Quartò, Euidentia non aſſignatur ab Ariſt. inter cõditiones ſciẽtiæ, qua ratione Theologia noſtra eſtò euidens non ſit, ſcientia tamẽ à Sanctis Patribus appellatur, talis .n. habit⁹ inter omnes habitus intellectuales, non niſi ad habitum ſcientiæ reduci videtur: R. quòd per euidentiam intelligitur ab Ariſt. vel certitudo, vel ly, quoniam illius eſt cauſa, ſi .n. Intellectus percipit habitudinem cauſæ ad effectum, & neceſſitatem illationis vnius ex altero, habebit de illo euidentiam; etiam manifeſtè colligitur ex definitione Demonſtrationis, dum ait conſtare ex notiorib⁹, & immediatis; Et Theologia noſtra impropriè, & largo vocabulo dicitur ſcientia, neque propriè reducitur ad vnum ex quinque habitibus intellectus, ſed ad alium alterius ordinis, vel aliquo modo ad Sapientiam in ſententia Doctoris, quatenus de perfectiſſimo, & ſummo Ente eſt.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Subiecto Scientiæ.*

1. SCot. ob cuius genij ſolertiam recta ſtudia triumpharunt, diffuse de hoc articulo diſſerit quæſt. 3. Vniuerſal. & in 1. & 6. Meth. & q. 3. Prol. & alibi. Pro cuius deciſione adnotamus, ſcientiã ſiuè actualem, ſiuè habitualẽ diſtingui in partialem, & totalem; ſcientia actualis partialis eſt Cognitio vni⁹ concluſionis demonſtratæ in vna demonſtratione, vt Cognitio huius Cõcluſionis, homo eſt riſibilis, dicitur ſcientia actualis partialis de homine: ſciẽtia habitualis partialis eſt habitus cuiuslibet Concluſionis, genitus ex frequentatis actibus circa illam concluſionem, qui actus ſunt ſciẽtiæ actualis partia-

tialis; vt ſi quis ſæpius conficeret hanc demonſtrationem, omne animal rationale eſt riſibile, homo eſt animal rationale, ergo homo eſt riſibilis, acquireret habitum quẽdam in intellectu inclinantem ad formationem huius concluſionis tantũ, & non alterius, quia ex iſtis actibus, & nõ ex alijs eſſet genitus. Scientia actualis totalis eſt conflata ex partialib⁹ actualibus, vt V. g. cognitio omnium paſſionum demonſtratarum de aliquo ſubiecto .ſ. de Corpore naturali, vel de homine, erit ſcientia totalis actualis de corpore naturali, vel de homine: Scientia totalis habitualis eſt habitus ex ſcientia totali ſæpius iterata genitus, inclinãs ad Concluſiones ſciẽtiæ actualis totalis, quomodo autẽ hæc ſcientia totalis dicatur vna, patebit infra.

2. Item non accipimus hic ſubiectum pro ſubiecto informationis, ſeu inhęſionis, quo ſenſu paries dicitur ſubiectum albedinis, & intellectus ſubiectum ſciẽtiæ, in quo ſcientia ſubiectatur, neq; pro ſubiecto in propoſitione, de quo aliud prædicatur, &c. Sed pro ſubiecto circa quod quælibet ſcientia verſatur, quomodo Ariſt. accepit 1. poſt. 149. cũ ait: vnam ſcientiã vnius eſſe generis ſubiecti. Et dicitur ſubiectum, vel in ordine ad paſſiones, quæ de ipſo demonſtrãtur; vel quia quaſi totam ſcientiã ſuſtentat, & fundamentum, & baſis ipſius eſt. Dicitur etiam obiectum, deſumpta metaphora ab obiecto potentiæ, quod ſicut ex eo, quia obijcitur potentiæ dicitur obiectum, ità quia ſubiectum quaſi ſciẽtiæ obijcitur, vt ab ipſa cognoſcatur, & conſideretur, obiectũ appellatur. Dicitur etiam materia circa quam, ab arte ſumpta ſimilitudine, ſicut .n. ars circa propriam materiam ità verſatur, vt non tendat extra illam, ità ſcientia circa proprium ſubiectum ſe habet, quæ nomina idem ſignificant.

Item ſubiectũ primò diſtingui ſolet in complexum, & in incõplexum; incomplexum eſt illud, ꝙ in concluſione eſt ſubiectum, de quo paſſio demonſtratur, & de hoc cõmuniter intelligitur cũ de ſubiecto quæſtiones inſtituuntur; complexum eſt ipſa concluſio demonſtrationis cognita, & à quibuſdam appellatur obiectum, nã ꝙ ſcitur eſt connexio prædicati cum ſubiecto in demonſtratione, per cauſam demonſtrata; ſubiectum autem incõplexum dupliciter accipi poteſt ex Doctore q. 3. Prol. lit. S. vel cõmuniter, quomodo omne id, quod à ſcientia conſideratur, ſiuè propter ſe, ſiuè in gratiam alterius; ſiuè ſit principium, ſiuè paſſio, poteſt dici ſubiectum; ad ꝙ reduci poteſt ſubiectum prædicationis, & dicitur id, quod de omni in ſcientia conſiderato prædicatur, vt V. g. eſt ens naturale in philoſophia, quòd p̃dicatur tàm de corpore, quàm de materia, & forma, cauſis, & elementis, &c. Et ens rationis, vel ſecunda Intentio in Ariſt. logica;

alio

Digitized by Google

alio modo accipitur magis ꝓpriè; & formaliter, & eſt illud, quòd vt finis ſciẽtiæ ſe habet, in cuius gratiam cætera conſiderantur, Et appellatur ſubiectum attributionis.

3. Item Subiectũ incomplexũ propriè ſumptum diſtinguitur in totale, ſeù adæquatum; & in partiale; primum eſt finis totius ſciẽtiæ, in cuius explicatione tota ſcientia inuigilat, & omnia, quæ in ea contenplantur, in gratiam ipſi' conſiderantur, vndè ſubiectum attributionis vocari ſolet, quatenus omnia in ſcientia cõſiderata attributionem ad ipſum habent, ſaltem in eſſe ſcibili, vel .n. ſunt ſpecies eius, vel principia, vel paſſiones, vel principia paſſionum inferiorũ, vel alia conſimili ratione; dicitur totale in ordine ad totalem ſcientiam à qua reſpicitur, & dicitur etiam adæquatum, quia totalem ſcientiam taliter adæquat, vt non excedat, neque excedatur ab ipſa, .ſ. vt quicquid ad perfectam Cognitionem talis ſubiecti pertinet, à ſcientia conſideretur, & nihil conſideret ſcientia quod ad ipſum non reducatur. Subiectũ partiale propriè eſt ſpecies ſub ſubiecto totali contenta; quare neque principiũ, neq; paſſio aliqua verè dici poteſt in ſcientia partiale ſubiectum, licèt de illis peculiares tractatus in ſciẽtia inſtituantur; nam ex Ariſt. 1. poſt 25. hec tria .ſ. ſubiectum, paſſio, & principium differunt in ſciẽtia, ità vt quod habet tantùm rationem principij, vel paſſionis, nõ poteſt pro ſubiecto partiali aſſignari. V.g. Deus in 8. phyſ. conſideratur vt principium motus æterni, Materia, forma, & cauſæ cõſiderantur, vt principia corporis naturalis, idcirco non poſſunt dici ſubiecta partialia philoſophiæ, niſi tantùm ſubiectum accipiatur, vt communitatis, & prædicationis; at elementa, quia non ſolũ ſunt principia mixtorum, ſed etiam ſpecies Corporis naturalis in communi, ideò erunt ſubiecta partialia philoſophiæ; ꝙ ſubiectũ deinde diuiditur in principale, ꝙ erit dignior ſpecies obiecti adæquati, & in minus principale, ꝙ erit ſpecies min' digna contenta ſub obiecto totali.

4. Aliqui Recentiores cũ Hurt. & Arriag. licèt admittant obiectũ attributionis eſſe illud, ad ꝙ õnia reducuntur, negant tamen hoc obiectum totale, & adæquatum vocari poſſe, ſed hoc eſſe aggregationem omnium, quæ in ſcientia cognoſcuntur V. g. ſi in philoſophia ſolum hæ propoſitiones conſiderarentur, Cælum eſt incorruptibile, homo eſt riſibilis, materia eſt potentialis, Cælum, homo, & materia eſſent adæquatum ſubiectũ, & totale phyloſophiæ, incorruptibile, riſibile, & potentiale prædicatum totale, vnio adæquata eſſet tres connexiones iſtarum propoſitionũ, & iſta tria ſubiecta, tria prædicata, & tres vniones eſsẽt obiectũ adæquatũ, quia ſecundũ Doct. iſtos differunt ſubiectũ, & obiectũ, ità vt ſubiectum ſit id quod, in Co-

cluſione ſubijcitur, obiectum verò ſit tota Concluſio, & quodlibet ſeorſim ſumptum erit ſubiectum partiale. Sed hæc opinio vocabulis abutitur, ab omnibus .n. Doctoribus obiectum totale, & adæquatum confunditur cum obiecto attributionis, & de quo conditiones aſſignantur, & quia hęc eſt quæſtio de nomine, à communi recedere non debemus; nã vt aduertit Bart. in l. de minore §. *Plurimum*, ff. de quæſt. circa finem, in quæſtionib' de nomine, communis opinio facit veritatem. Tùm quia opinio hæc negat obiectum adæquatum, & totale, à quo ſcientia ſpecificatur, nam hæc.ſ. Cælum, homo, Materia &c. ſunt partes obiecti, vel ſpecies contentæ ſub totali.

5. Item obiectũ diuidi ſolet in materiale, & formale; circa quam diuiſionem, mirũ quidem eſt quot ſunt Recentiorum ſententiæ, & opiniones, quibus omnibus breuitatis cauſa relictis expeditius dicẽdũ putamus cum Scoto q. 3. Prol. §. *ex his*, vt ibi Lych. exponit, & cũ D. Tho. 2.2.q.1.art.1. vt Cõplut. amplectuntur diſp.1. proæm. q.2. quòd.ſ. obiectum materiale ſit res in ſcientia conſiderata, & dicitur materiale obiectum propter indifferentiam, quam habet, vt à diuerſis ſciẽtijs cõſideretur, quæ à Thomiſtis vocatur ratio formalis quæ; obiectum verò formale eſt ratio illa, ſub qua à ſcientia conſideratur, quæ modus conſiderandi dicitur, & ſe habet vt differentia cõtrahens rem conſideratam, per quem modum vna ſcientia ab alcera diſtinguitur, licèt eamdem rem conſideret, vt patet de homine, qui vt ens naturale eſt, ſpectat ad phyloſophiam, vt ſanabilis ad medicinam, vt dirigibilis in moribus ad moralem; quibus modis homo ſpecificatur, & determinatur ad hanc, vel illam ſcientiam, & appellari ſolet ratio formalis quæ.

5. Sed quia modus conſiderandi eſt ille, qui conſtituit obiectum in eſſe obiecti talis ſcientiæ, & cõſequenter eſt ratio, cur paſſio de re cõſiderata demonſtretur, vt naturalitas, quæ eſt modus conſiderandi corpus naturale in phyloſophia, eſt etiam mediũ demoſtrãdi paſſiones de ipſo Corpore; hinc ſequitur, quòd res conſiderata, & modus conſiderandi debeant eſſe æqualiter communia, ità vt de quo dicitur res cõſiderata, dicatur etiam modus conſiderandi, vt ſe habet naturalitas reſpectu corporis naturalis; atq; ideo ſubiectum perfectum, & adæquatum ſpecificans ſciẽtiam, & ipſam ab alijs diſtinguens, non eſt materiale ſolùm, vel formale tantùm, ſed ex vtroq; conſtitutum, nam neque ſanabilitas, vt ſic medicinam conſtituit, neque naturalitas phyloſophiam, ſed homo quatenus ſanabilis, & Corpus quatenus naturale, & per vtrumque coniunctum ad interrogationem factam de ſubiecto alicuius ſcientiæ reſpondere debem'; ſi .n. quæratur quod eſt ſubiectum

in philoſophia? reſpondem⁹, Corpus naturale, in quantum naturale, &c. eſt tamen hic valde aduertendum, quòd ly in quantum, non ſe tenet reduplicatiuè, vt aliq; Doctores autumant, tunc. n. ly in quãtum facit ſenſum reduplicatiuum, quãdo talis particula, cui additur, eſt cauſa, vel conditio; cur prædicatũ ſubiecto conuenit, modo naturalitas nõ eſt cauſa, cur hoc prædicatum .ſ. eſſe ſubiectum phyloſophiæ conueniat corpori, non enim valet inferri, Corpus naturale eſt habens naturam, ſeu habet naturalitatem, ergo eſt ſubiectum phyloſophiæ, ſed potiùs cauſa erit, quia habet omnes conditiones ſubiecti, quare ly in quantum ſe tenet ſpecificatiuè, quatenus ſpecificat rationem, qua mediante eſſe ſubiectum conuenit corpori.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*An de Subiecto præcognoſci debeat Quia eſt ſeu exiſtentia.*

1. SCot. cuius ſententiæ, & dicta, tàm mihi grata ſunt, vt nihil vltra. Articulum hunc reſoluit q. 3. Elench. & 1. meth. q. 1. & q. 3. Prol. lit. V. & in 4. ſent. d. 1. q. 2. K. & alibi. Vt clarius pateat quænam conſtituendum ſit pro ſubiecto adęquato attributionis in ſciẽtia, conditiones eius neceſſariò requiſitas venari debemus, quæ licèt à varijs Doctoribus variæ, & plures aſſignentur, tres tamen à Doctore noſtro q. 3. vniuerſalium enumerantur, quem cõmuniter ſequuntur, quarum prima eſt, quòd de ſubiecto præſupponatur Quia eſt; & Duo quærimus in præſenti; vnum eſt, an de ſubiecto ſcientiæ præſupponi debeat, quòd habeat exiſtentiam; ità vt nullo modo in ſcientia demonſtrari poſſit; alterũ eſt dato; quòd debeat præſupponi, qualis eſſe debeat, an exiſtentia actualis, vel aptitudinalis, an ſaltẽ obiectiua.

Et quantùm ad primum, communior ſententia eſt, exiſtentiam ſubiecti non poſſe demõſtrari in ſcientia à priori, ſed bene à poſteriori. Ità ex noſtris Lychet. qu. 3. Prol. Barg. ibidẽ. Tromb. 2. Meth. q. 2. Anton. Andr. 1. Meth. q. 1. Faber. theor. 2. & ſequũtur Didacus, Moriſ. Ioann. de S. Thom. & alij; Tatar, autem 2. poſt. q. 1. dub. 3. admitiit poſſe etiam à priori demonſtrari, & ſequitur Amicus cũ alijs; alij admittunt de partiali, negant de totali, alij abſolutè negãt ſubiectum in ſcientia demonſtrari poſſe quoad quia eſt, neq; à priori, neque à poſteriori.

2. Quo ad ſecundum illi, qui concedunt de ente rationis dari poſſe ſcientiam, aſſerunt ſufficere, vt de ſubiecto præcognoſcatur exiſtentia obiectiua, qui negant ſciẽtiam de ente rationis, affirmant requiri exiſtentiam realem, ſed iſti deindè diſſident, nam aliqui volũt præſupponi debere exiſtentiam actualem realem, non quam ſemper habeat, ſed ſaltèm ſtatutis tẽporibus à natura, vt quòd V. g. roſa

in vere exiſtat, vel quòd aliquando extiterit, ſiuè in ſe, ſiuè in ſuo continente virtualiter; alij aſſerũt hoc non eſſe de ratione ſcientiæ, ad quam ſufficit exiſtentia ſubiecti aptitudinalis, ratione tamen noſtri intellectus ſenſibus alligati requiritur, vt ſaltèm ſemel exiſtentiam actualem habuerit.

*Conluſio Prima.*

3. *Dicimus 1. Si ſcientia accipiatur, pro toto proceſſu cognoſcendorum in aliqua facultate, poterit probari exiſtentia ſubiecti, tùm partialis, quàm totalis à poſteriori, non autem à priori pro ſtatu iſto.* Eſt Scoti loc. cit. & amplectitur communiter, & quòd poſſit à poſteriori exiſtentiam ſubiecti probari, ſiuè partialis ſit, ſiuè totalis, exindè patet, quia Deus eſt totale ſubiectum in Theologia; quæ tamen oſtendit Deum eſſe. Et Philoſophus per media phyſica probat exiſtentiam ſubiectorum partialiũ philoſophiæ, vt ex ferri ſurſum ad extremum, exiſtentiam ignis, ex motu circulari exiſtentiam Cœli. Tùm quia Methaphyſica eſt prima & ſuprema ſcientia omnium naturalium, ergo ad ipsã probare ſpectabit dari primum ſubiectum, & non ad ſuperiorem, quam non habet, nec ad inferiorem, quia hæc ſcientia eſſet prior methaphyſica, ergo tantùm à poſteriori vt Scot. arguit in prol. cit. ergo ſi ipſa Methaphyſica hoc efficiet de ſuo ſubiecto, conſequenter & aliæ ſcientiæ hoc de ſuis præſtare poterunt, ſi propria media habebunt.

4. Quoad aliam partem, quòd non poſſit demonſtrari à priori, probatur; nam vel ſenſus erit de exiſtentia actuali, & hoc non, quia cùm ſit creaturis prædicatũ contingẽs, à cauſis contingenter exiſtentibus cauſatum, fieri non poterit demõſtratio rigoroſa, quæ ex neceſſarijs eſt. Tùm quia ſcientia abſtrahit ab exiſtentia actuali ſubiecti; vel ſenſus erit de exiſtentia aptitudinali, quà ſubiectum eſt ens quoddam poſſibibile in rerum natura non prohibitum, nec repugnans, & hæc licèt neceſſario ſubiecto conueniat, non poterit tamen oſtendi, niſi cõcipiendo ſaltèm rationem explicantem nomen ſubiecti nullam includere falſitatem, nec vnam particulam alteri repugnare, vt Scotus docuit de Sacramentis in 4. d. 1. q. 2. art. 2. oſtendendo Sacramentum non eſſe aliquod impoſſibile, quia ait, nulla particula deſcriptionis Sacramẽti repugnat alteri, & ità nullam includit falſitatem, nam ex 5. meth. c. de falſo, nulla ratio eſt in ſe falſa, niſi partes inter ſe contradicant, & ꝑ conſequens Sacramẽtum non erit purum non ens, & impoſſibile, quia illud eſt purum impoſſibile, cuius ratio eſt in ſe falſa; ſic in propoſito poterit oſtendi poſſibilis exiſtentia ſubiecti ex hoc, quòd ratio ipſius nulla in ſe falſitatem includit; ſed hoc eſt procedere à poſteriori, non à priori, vt benè Maſtr. & Bell. aduertunt in log. diſp. 12. q. 2. art. 2. quia veritas, & falſitas ſunt effectus poſſibilitatis, vel impoſſibilitatis entis, ex eo enim ꝙ

res

rès eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, & non è contra.

*Concluſio Secunda.*

5. *Dicimus 2. Scientiam ad realem & rationalem communiter ſumptam, nõ præſupponere neceſſario realẽ exiſtentiam obiecti; ſed ſufficere obiectiuã; Scientiam verò realem præſupponere ex ſe exiſtentiam realem aptitudinalem, actualem verò requiri ex parte noſtri Intellectus.* Prima pars patet ex his, quæ habuimus diſp. 2. de Ente rationis vbi oſtendimus ens rationis habere ſuo modo entitatem, exiſtentiam, paſſiones; & de ipſo poſſe dari ſcientiam, & propoſitiones neceſſarias efformari. Secunda pars, ſ. quòd non requiratur actualis exiſtentia ſubiecti in ſciẽtia reali, ex eo patet, quia ſcientia abſtrahit ab exiſtentia actuali obiecti, aliter poſſet quandoque eſſe, & aliquando non eſſe, quare ſufficit, quòd habeat verum eſſe reale potentiale. Tum quia Deus poſſet ſpecies rerum infundere, quamuis rès non exiſtant. Et tandem quòd ex parte intellectus noſtri requiratur, quod aliquando ſubiectum extiterit, patet, quia ad Cognitionẽ ſcientificam requiritur ſpecies obiecti cõcurrẽs ad pductionẽ illi⁹ ſcientiæ, ſpecies autẽ ab obiecto, & intellectu agente producitur, niſi infundatur à Deo, ergo requiritur, quòd obiectum extitet, & maximè pro ſtatu iſto, in quo omnis noſtra Cognitio à ſenſibus trahit originẽ.

*Obiectiones Contra Primam.*

6. Ob. quòd nullo modo poſſit in ſcientia demonſtrari ſubiecti exiſtentia, & primò Auct. Ariſt. 1. poſt. c. 2. docente ſubiectum præſupponi in ſcientia, vt finem, ergo &c. ℞. Auct. intelligendam eſſe in demonſtrationibus à priori, & etiam à poſteriori in illis, in quibus concluditur aliquod prædicatum, ſupponens exiſtentiam ſubiecti, nõ tamen oportet ſupponi in toto proceſſu ſciẽtiæ, in quo pri⁹ inueſtigari debet, an ſubiectum ſit, ſi ignoratur, vt poſſint deindè paſſiones de ipſo demonſtrare; & ſubiectum, quia habet rationem finis, eſt primum primitate intentionis, non primitate executionis; & ideò poterit in ſcientia prius tractari de aliquib⁹, tamquam medijs ad exiſtentiam ipſius indagandam.

Ob. 2. Ad Meth. ſpectat exiſtentiam rerum cõſiderare, ſicut & earum eſſentias, & quidditates, ergo non poterunt eam aliæ ſcientiæ oſtendere. ℞. antecedens eſſe verum in communi, quidditas autem, & exiſtentia in particulari, ad particulares ſpectat ſcientias, aliter nulla alia ſcientia daretur, niſi Methaphyſica, quòd eſt falſum.

Tertiò, Subiectum eſt maximè notum omnium, quæ ſunt in ſciẽtia, ergo non poteſt eius exiſtentia demonſtrari; nam demonſtratio procedit ex notioribus. ℞. negan. conſeq. quamuis enim ſubiecta ſcientiarum modò ſint maximè nota, & rarò probatur eorum exiſtentia, poterit tamen propter obſtinationem proteruorum probari

bari

bari à poſteriori, per aliquem effectum nobis notiorem.

Quartò, Quæſtio ſi eſt, ab Ariſt. 2. poſt. c. 1. appellatur quæſtio totius, quia quęrit totum ſubiectum, vt an homo ſit vbi quæſtio qualis ſit dicitur quæſtio partis, vt an homo riſibilis, vbi non quæritur totus homo, ſed aliquid de homine, ergo ſi quis ſubiectum ſcientiæ negauerit, omnia quæ in ipſo ſunt auferuntur, nec aliquod remanebit ad eius exiſtentiam demonſtrandam. Dicitur etiam ab Ariſt. ibidem quæſtio ſimplex, & incomplexa, ſed demonſtratio eſt complexorum, ergo &c. ℞. negãdo conſequ. & ratio eſt, quia licèt de toto ſubiecto dubitetur, adhuc remanebit aliquod medium à poſteriori ad ipſius exiſtentiam oſtẽdendam, nec vocatur quæſtio ſimplex, & incomplexa, quaſi ſit apprehenſio ſimplicis termini, ſed qa ſit per propoſitionem de ſecundo adiacente, in qua ſolùm verbum eſt, de ſubiecto prædicatur, in quęſtione verò qualis ſit, ſit propoſitio de tertio adiacente, & prædicatum à ſubiecto, & copula diſtinguitur, imò ratio eſt pro nobis, quia ſi an ſit, eſt q̃ſtio, erit ꝓpoſitio dubitabilis, & conſequenter poterit per Syllogiſmum probari, & ita non erit quid incomplexum, vt benè Faber arguit.

Deindè è cõtra obijcitur, quòd poſſit demonſtrari à priori; nam poteſt ſcientia à priori ſua principia demonſtrari, vt cum ex definitione in vno genere cauſę, oſtenditur definitio in altero genere, vt hic Ariſt. fecit, qui definitionem formalem demonſtrationis probauit per definitionem materialẽ; igitur poterit ſimiliter ſubiectum proprium à priori demonſtrari. ℞. negando paritatem, & ratio eſt, q̃a cauſæ poſſunt eſſe ſibi inuicẽ cauſę, & ideò vnum prædicatum poteſt per aliud notius demonſtrari, exiſtentia aũt aptitudinalis, cùm ſit modus intrinſecus rei, non poteſt oſtendi à priori, niſi per quidditatem, quæ pro ſtatu iſto non poteſt perfectè concipi, niſi in ordine ad compoſſibilitatem conceptuum, & conſequenter à poſteriori.

Contra ſecundam concluſionẽ ob. Probando, quòd requiratur actualis exiſtẽtia Auct. Ariſt. 1. poſt. 5. vbi ait, quod non eſt, non poteſt ſciri; nec ſuffragatur dicere, intelligi de eo, quod non eſt, nec eſſe poteſt, quia prædicata non affirmantur de ſubiecto potentia, ſed actu, non n. dicitur homo poteſt eſſe viſibilis, ſed eſt viſibilis. ℞. reſponſione data ad impugnationẽ dicimus, quòd in propoſitionibus neceſſarijs verbum eſt abſtrahit à quacumque temporis differentia, & ſolùm dicit realem connexionẽ prædicati cum ſubiecto, non realẽ inhærentiam, ita vt ſi illa res exiſteret, neceſſariò tale prædicatum haberet.

Ob. Scientia cauſatur realiter ab obiecto, vel à ſpecie ab obiecto elicita, igitur neceſſariò requiritur

exi-

exiſtentia. ℞. Scientiam cauſariã ſpecie immediatè, non ab obiecto, cùm ſit abſtractiua, atque ideò probat vltimã partẽ concluſionis.

Ob: ab eo, quòd res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, igitur res debet eſſe actu. ℞. neg. conſequentiam, nam per ly, eſſe, & non eſſe non intelligitur actualis exiſtentia rei, & negatio eiuſdem, ſed vel potentialis, vel neceſſaria connexio, vel diſconuenientia prædicati cum eſſentia rei.

Ob: tandem, quòd nulla requiratur exiſtentia obiecti, in reali ſcientia, neque actualis, neque aptitudinalis, nam philoſophia eſt ſcientia realis, & tamen multa demõſtrat de infinito, de vacuo, de priuatione, quæ exiſtentiam non habent. ℞. illas non eſſe veras demõſtrationes, nec de illis dari veram ſcientiam poſitiuam, ſed negatiuã, non .n. habent veras eſſentias; vel quod habent exiſtentiam conditionalem, nã phyloſophus diſcurrit conditionatè, data .ſ. hypoteſi, q detur infinitũ, vel vacuũ, quæ cõpetãt eis talis, vel talis paſſio, &c.

## ARTICVLVS QVARTVS

*An ſubiectum habere debeat quid rei, & de quibus datur propriè ſcientia.*

1. SCot. cuius clariſſimum ingenium facit, vt doctiſſimi viri eum chariſſimum habeant, de his differit in 2. ſent. d. 3. q. 4. Sup. E. & in 3. d. 7. q. 1. D. & quol. 13. A. A. & alibi. Pro cuius intelligentia ſupponimus, Præcognitionem quid ſit, diuidi in quid nominis, & quid rei; & quòd ſubiectum habere debeat, quid nominis, admittũt omnes, nam hæc eſt prima cognitio, quã de re aliqua habere poſſumus; quare ſolùm dubium remanet, an habeat quid rei, ſeù definitionem, & loquẽdo de definitione propriè, & rigoroſè dicta, diximus ſupra competere ſolùm ẽti poſitiuo, per ſe, vno, reali, compoſito realiter, vel ſaltẽ quoad Conceptus, & de Vniuerſali; vndè ſi p q d rei definitionem hoc modo ſumptam intelligere volumus, nec entia rationis, nec ens reale in communi eſſe poterunt ſubiecta ſcientiarum; quare per quid rei intelligimus hic, non definitionem rigoroſam, ſed conceptum aliquem quidditatiuum, etiã ſimpliciter ſimplicem, qualis eſt conceptus entis, qui ſufficit, vt paſſiones de ſubiecto demonſtrentur.

2. Ex hac doctrina deducitur, quòd entia rationis poſſunt habere rationẽ ſubiecti ſcientiæ; Et rationes, quæ in contrarium afferũtur, concludunt de ſcientia rigoroſa; Similiter, & ens in communi, quod habet proprium conceptum quidditatiuum, per quem paſſiones de ipſo demonſtrantur. Sic etiã Deus, qui licèt realiter ſimpliciſſimus ſit, eſt tamẽ in conceptu cõpoſitus, qui Conceptus vt medium valere poteſt ad demonſtranda varia attributa de ipſo Deo, quæ ſe habent quaſi paſſiones, & conceptus ille quaſi cauſa, quod ſufficit ad ſcientiam; Subſtantia etiam ex

hac

hac conditione rationem ſubiecti habebit; hinc plures ſpecies ſubſtantiæ in varijs ſcientijs, vt ſubiecta ponuntur. Imò nec Accidens poſſumus ex hoc capite excludere à ſubiecto ſcientifico, nam habet propriam definitionem eſſentialē, (licèt non purè quidditatiuam ex 7. meth. c. 12.) quá mediante poſſunt de ipſo propriæ paſſiones demonſtrari, vt patet in ſcientijs Mathematicis, vbi quædam accidentia pro ſubiectis inſtituūtur, & accidens in communi à methaphyſico cōſideratur tāquā pars ſubiectiua obiecti adæquati, quòd eſt ens.

3. Dices, ex 6. meth. 6. habetur accidentis non eſſe ſcientiā. R. ibi Ariſt. non loqui de accidente in communi, vt contradiſtinguitur à ſubſtantia, ſed de effectibus per accidens, quæ contingenter, & rarò eueniunt, non à determinata cauſa, hinc ſubiungit ſcientiam eſſe de eo, quod ſemper, aut plurimum euenit, nam ex his arguere poſſumus virtutem in cauſis producendi effectus illos, & conſequenter de illis cauſis, & effectibus propoſitiones neceſſarias conficere. q. rimus igitur in præſenti, an quę nō habent quid rei, ſeù conceptum quidditatiuum, poſſit de ipſis eſſe ſcientia, & talia ſunt duo .ſ. ens per accidens, & ſingulare.

4. Scot. 6. meth. q. 2. duplex diſtinguit ens per accidens, vnum accidentalitate rei, quod dicit rē non per ſe vnam, ſed ex pluribus aggregatum, vel ſine ordine, vt cumulus lapidum; vel cū aliquo ordine, vt exercitus; vel cum aliquà accidentali informatione, vt homo albus, & primum eſt magis ens per accidens quàm ſecundum, & ſecūdum quàm tertium, quia minorem dicunt entitatem &c. Aliud eſt ens per accidens accidētalitate cauſæ, & eſt illud, quod licèt vnam per ſe entitatem dicat, non eſt tamen à determinata cauſa, ſed euenit præter intentionem agentis principalis, & rarò, vt ſunt effectus fortuiti, & caſuales, V. g. inuentio theſauri ex foſſione terræ &c. Vtrumque verò dupliciter accipi poteſt; vno modo in actu ſignato; ſeù vt alij dicunt, formaliter, & ità dicit conceptum iſtum accidentalitatis vel rei, vel cauſæ; alio modo in actu exercito, & pro ſubſtrato, quomodo dicit res illas, quæ entia per accidens denominantur. De ente per accidens in actu ſignato, concedunt omnes cum Alenſe 6. Meth. tex. 4. dari ſcientiam, ſic enim dicit conceptum vnum per ſe plures habens paſſiones demonſtrabiles .ſ. quòd non habeat determinatam cauſam, non habet vnam paſſionē &c. ſic de infinito, de vacuo, & ſimilibus datur ſcientia, quæ ab alijs dicitur ſcientia ſecūdū quid, & negatiua.

De ente per accidens materialiter ſumpto, & in actu exercito, admittunt omnes non dari ſcientiam cum Ariſt. 6. meth. 4. Si reduplicatiuè ſumatur .ſ. vt ens per accidens eſt, & ratio eſt, quia vt ſic non habet

bet vnam cauſam per ſe determinatam, ſed indeterminatam, & contingenter ab illa cauſatur; ergo nō erit de ipſo ſcientia, quæ de propoſitionibus per ſe, & neceſſarijs eſt, ſe debet.

5. Quantùm ad ſingularia, fatentur omnes de ſingularibus in actu exercito p ſe ſecundò dari ſcientiam, quia paſſiones, quæ per ſe primò demonſtrantur de ſpecie, per ſe ſecundò demonſtrantur de indiuiduis, patet de Chriſto, de quo in Theolog. vt homo eſt, demonſtrātur paſſiones humanæ naturæ; vndè dubium eſt an de ipſis, vt ſingularia ſunt, poſſit dari per ſe primò ſcientia; & magis communis ſententia eſt negatiua, Deo excepto, de quo datur perfectiſſima ſcientia, licèt ſit ſingulariſſimus.

*Concluſio Prima.*

5. *Dicimus 1. de ente per accidens materialiter ſumpto, & in actu exercito nullo modo dari ſcientiam*. colligitur ex Doct. loc. cit. vbi aſſerit, quod quando aliquid eſt vnum per accicidens in ſe, non poteſt de aliquo dici per ſe, nec de ipſo poterit aliq prędicatum per ſe enunciari, ſed quælibet ſcientia eſt de propoſitionibus per ſe, ergo nulla propoſitio ſcientifica poterit de Ente per accidens dari in ſententia Scoti. pbatur etiā ratione: Scientia vna eſt cognitio inhærentię paſſionis cum ſubiecto per cauſam, tanquam p medium vnicum, quod eſt Definitio ſubiecti per ſe, ſed ens per accidens, ſiuè in ſe ſpectetur, ſiuè in eſſe ſcibili, ſiuè in ordine ad paſſionem demonſtrabilem &c. non habet vnam eſſentiam, ſeù definitionem per ſe rigoroſam, nec eſt vnū per ſe, nec vnam habere poteſt paſſionem, ergo &c. patet maior, minor probatur: quòd intrinſecè, & formaliter conuenit alicui, ſemper illi conueniet, cuicumque comparetur, comparatio .n. non tollit, quòd formaliter, & per ſe comparato competit, ſed eſſe vnum per accidens, non poteſt per ſe conceptū vnū intrinſecè habere, ergo quocumque modo conſideretur, nunquam erit vnum ſubiectum, ſed duo, nec habebit vnam per ſe rationem, ſed duas, neque vnam paſſionem, ſed duas, nam vna paſſio ab vnica eſſentia nata eſt dimanare, & vni per ſe ſubiecto conuenire. Tùm quia, vt vnum ſit per ſe ex aliquibus conſtitutum, requiritur vt partes ſe habeant per modum per ſe potentiæ, & per ſe act°, ſed inter partes componentes per accidens, nunquam talis habitudo reperiri poteſt, aliter eſſet ens per ſe, ergo ſēper duo erit, & duas habens quidditates, nec ab ipſo ſubiecto vna paſſio ipſi inhærens fluere poteſt, aliter idem accidens in duobus ſubiectis naturaliter reperiretur.

*Cōncluſio Secunda.*

7. *Dicimus 2. de ſingularibus, Deo excepto, nō dari ſcientiam per ſe primò.* Eſt Scoti q. 3. Prol. R. & in 2. diſt. 3. q. 6. M. quē ſequuntur Scotiſtæ omnes, & ex Exteris Auerſa, Ruu, Amic,

Amic. & alij. probatur primò Auc. Ariſt. 1. poſt. 43. & 3. meth. 53. & alibi, vbi manifeſtè negat ſcientiā de ſingularibus; & ratio huius potiſſima eſt, quàm tangit Doct. loc. cit. in 2. quia ſingularia, vt ſic, nō habent definitionem, vt inſeruire poſſit, vt medium ad paſſiones demonſtrādas, neque peculiares paſſiones ipſis, vt ſingularibus conuenientes, ergo nō poteſt de illis haberi ſcientia, conſiderando etiam intellectum ex natura potētiæ, antecedens patet ex dictis, oſtendim' n. proprietatem cōuenire ſpeciei, non indiuiduis. Tùm quia propriæ paſſiones ſunt quædam aptitudines ad operandum, cognitæ à poſteriori ex operationib', ſed nulla operatio in aliquo indiuiduo reperitur, quæ non poſſit eſſe in alio eiuſdem ſpeciei, ergo nulla proprietas, ſeù aptitudo fluit à differentia indiuiduali, ſed omnes pullulant ab eſſentia. & conſequenter omnibus indiuiduis ſunt communes. Ex hoc patet. cur de Deo ſingulariſſimo dari poſſit ſcientia, ratio. n. eſt, quia Dei eſſentia eſt de ſe hæc, & nō pluribus communicabilis cum ſui diuiſione, ideò paſſiones; vel quaſi paſſiones de ipſo per ſe primò, & immediatè demonſtrātur, q̄ ratio militat etiam de intelligētijs in ſententia Ariſtot. qui poſuit illas de ſe hæc, & neceſſe eſſe ſicut Deum.

*Obiectiones.*

8. Ob. contra primam Concluſionem: res naturales poſſunt integrè vnam cauſam totalem per ſe alicuius effectus conſtituere, quæ licèt in genere entis ſit q d per accidens aggregatum; in genere tamen cauſæ eſt quid per ſe vnum, ergo de iſto aggregato, vt cauſa, poterit demonſtrari effectus ab ipſo proueniens, & ità illud aggregatum erit ſubiectum ſciētiæ; quo ſenſu habebit quædam prædicata, & paſſiones, quæ nulli parti ſeorſim ſumptæ cōuenire poſſunt, quomodo etiam tale aggregatum vnū actum intellectus terminabit; vnicum habitum producentem. ℞. ex Scot. in 1. d. 3. q. 7. M. & N. quòd cùm vniuntur plures cauſæ partiales ad vnum effectum producēdū, non conſtituitur ex ipſis vna cauſa, nec in entitate, neque in ratione cauſandi; & ratio eſt, quia quælibet ſeorſim accepta habet ſuam propriam rationem causādi; & ſolùm dicitur vna cauſa per ſe vnitate ordinis, vndè negatur de illo aggregato demonſtrari effectum, vt de vna ſimpliciter cauſa, ſed vt de plurib. vnitis; hinc cùm ſol, & homo generāt hominem, tàm homo, quàm ſol proprias retinent rationes cauſandi, & vna cauſa integratur ſolùm vnitate ordinis, & ſicut vna cauſa dicitur hac vnitate, ſic ratio cauſandi, prædicata, & paſſiones, quæ de illo aggregato demonſtrātur, non ſunt vnum, ſed plura; & in ſingulari demōſtrantur de illo aggregato, quia etiam illa habent ordinis vnitatem, atq; ideò non eſt vna demonſtratio, ſed plures

res ſimul ordinatæ, & vnitæ, & falſum eſt illud aggregatũ vnico actu intelligi, cùm ſint plura obiecta ſpecie diſtincta, & ſi vnus actus eſſet in re, virtualiter tamen multiplex eſſet, & plures habitus cauſaret, non vnum. Sed de his fuſius in libr. de anima.

Dices, Scot. in 6. meth. & q. 3. Prol. L manifeſtè docet ſcientiam ſubalternatam eſſe de ente per accidens. ℞. Authorit. ex meth. non vrgere, cùm oppoſitum ex Doct. habeamus in lib. ſent. ad Auct. ex Prol. reſpondet Barg. ibi Scot. loqui conditionatè, quia ait: *Ideo ſi ſcientia ſubalternata ſit de aliquo vno per accidẽs, præſupponit duas tractantes de partibus illius totius ſeparatim.*

Ob. contra Secundam: Multæ demonſtrationes de facto cõficiũtur de ſingularibus, vt ſingularia ſunt, vt patet de eclypſi ſolis, & lunæ, vt ſingularia ſunt, quia oſtenditur hic, & nunc, & in tali tempore, quæ ſunt conditiones indiuiduantes. ℞. quòd eſtò illæ demõſtrationes in numero ſingulari cõficiantur, reuera tamen ſunt de ſpeciebus ſolis, & lunę, nam ſi alius ſol, & alia luna numero diſtincti in illis ſitibus eſſent, & cũ illis aſpectibus, eædem eclypſes, & effectus prouenirent.

Ob. collectio accidentium conuenit indiuiduo ex Porph. c. de ſpecie, ergo poterit de ipſo demõſtrari, & ita de ſingulari datur ſcientia. ℞. q̃ illa collectio non eſt propriè paſſio, cùm non ſit cũ omnibus indiuiduis conuertibilis, ſed eſt plura prædicata, dicitur tamen paſſio largè, quatenus per ipſam à poſteriori circumſcribimus hecceitatem & in alio indiuiduo reperiri poteſt.

Ob. de ſingulari in ſo demonſtratur vnitas, diſtinctio &c. quæ non niſi ab indiuiduali differentia proueniunt, ergo de ſingulari datur ſcientia. ℞. quòd vnitas numerica, diſtinctio &c. demonſtrantur in vniuerſali de ſingulari in actu ſignato, quo ſenſu induit rationem ſpeciei, ſed de hoc alibi diſſerem'. ex his deducitur, quòd habere q̃d rei, ſit vna ex præcipuis conditionibus ſubiecti ſcientiæ, & illud nõ habens, à ratione ſubiecti excluditur.

## ARTICVLVS QVINTVS.

*An Subiectum primò virtualiter continere debeat omnes veritates ſcientiæ.*

1\. SCot. qui in Philoſophorum Lyceis, dignam docendi aſcẽdit cathedram, de hoc art. diſſerit præſertim q. 3. Prol. q. 1. Lateral. B. vbi definiens adæquatũ ſubiectum ſcientiæ, docuit, illud eſſe, quod continet in ſe primò virtualiter omnes veritates illius habit', cuius eſt ſubiectũ. Ocham in Prol. ſent. quẽ ſui Nominales ſequũtur, negat ſubiectũ cõtinere virtualiter paſſiones tã in eſſe cognito, quã in eſſe reali, cuius error procedit, ex eo quia agens phyſicũ cũ methaphyſico agente confundit, imaginatur. n. quòd ad quamlibet con-

tinctiam requiritur diſtinctio realis, quod eſt falſum: Communior ſententia eſt cum Scoto, licet ſit aliquod diſſidium inter Scotiſtas; nam aliqui volunt, ꝙ hæc conditio debeat conuenire ſolùm ſubiecto ſpecifico, quæ eſt ſpecies ſpecialiſſima; alij verò indiſtinctè loquentes, videntur vniuerſaliter loqui, tàm de ſpecifico, quam de generico, vt videre eſt apud Tat. q. 3. proœm. log. Canon. 1. phyſ. q. 1. Orbell. in princ. phyſ. & alij. At Scotiſtæ communiter volunt hanc definitionem, ſeu conditionem eſſe ſubiecti ſpecifici, non generici, niſi ſubiectum genericum conſideretur in ordine ad ſuas proprias paſſiones, quas virtute continet, paſſiones verò ſuorum inferiorũ, non niſi potentialiter; ita Barg. q. 3. Prol. Faber Theol. 5. Zerb. 1. meth. & ſequuntur etiam Aureoli in Prol. q. de ſubiecto Theol. art. 1. & Amic. tract. 27. diſp. 4. q. 2. dub. 7.

Supponimus pro reſolut. cũ Scotiſtis, ꝙ ly primò idẽ ſignificat ꝙ adæquatè, & id adequatè continet, ꝙ in continendo nõ dependet ab alijs, ſed alia ab ipſo, ita vt circumſcripto per impoſſibile omni alio, adhuc contineret. Item ſupponimus, quòd multiplex ſit continentia, nam alia eſt eſſentialis, qua, ſ. vnum continet alterum in primo modo dicendi per ſe; alia eſt potentialis, qua ſuperior continet inferiora, alia virtualis, qua vnum continet aliud in eſſe producibili ab ipſo; hinc quia eſſe duplex eſt, ſ. reale, & cognitum; duplex etiam eſt virtualis continentia, vna qua aliquid poteſt aliud in eſſe reali producere; altera, qua in eſſe cognito producere poteſt; & quia eſſe reale eſt duplex, phyſicum, ſ. & met. primum eſt res à ſua cauſa realiter diſtincta, ſecundũ eſt quædam formalitas ab alia dimanans; ita etiam duplex eſt continentia virtualis in eſſe reali, ſ. phyſica, & methaphyſica, ſubiectum nõ poteſt continere proprias paſſiones continentia virtuali in eſſe reali phyſico, quia paſſio, ex dictis in proprio art. non diſtinguitur realiter à ſuo ſubiecto, ſed illam continet continentia methaphyſica, cùm verè ab eſſentia ſubiecti pullulet. Quærimus igitur, an ſubiectũ debeat continere virtualiter in eſſe cognito omnes paſſiones de ipſo in ſcientia demonſtrabiles; & loquimur de ſubiecto ex materiali, & formali compoſito, quomodo vnum completum ſubiectum ſcientiæ integratur.

*Concluſio.*

3. *Dicimus ſubiectũ propriè loquẽdo continere virtualiter in eſſe cognito tantùm paſſiones primò, & immediatè de ipſo in ſcientia demonſtrabiles, ſiue ſpecificum ſit, ſiue genericum, & conſequenter omnes veritates illius ſcientiæ, paſſiones verò inferiorum, non niſi potentialiter.* Eſt Scot. loc. cit. in prol. quo ad primam partem, à quo ita probatur: propoſitiones, quæ in demonſtratione aſſumuntur, aliæ

fiunt

Digitized by Google

ſunt immediatæ, vt principia, aliæ mediatæ, vt concluſiones; in illis cõtinetur cauſa inherẽtię paſſionis in ſubiecto, q̃ eſt definitio ſubiecti, in iſta cõtinetur ipſa paſſio demõſtrata, ergo ſubiectum eſt cauſa, cur illæ veritates ab intellectu cognoſcantur, patet ſequela, quia ſubiectum per ſuam ſpeciẽ repræſentat definitionem, quam eſſentialiter continet, hæc eſt cauſa, cur paſſio cognoſcatur, ergo virtualiter in eſſe cognito continet omnes veritates ſcientiæ, definitio .n. nõ eſt ratio quæ continendi, ſed ratio qua ſubiectum continet. Quo ad ſecundam partem .ſ. quòd ſubiectũ genericum contineat tantùm potentialiter paſſiones inferiorum, eſt Scoti 6. meth. q. 1. & ſequuntur Scotiſtæ communiter, & ità facilè probatur: Continere virtualiter primò veritates in ſcientia eſt poſſe ſubiectum per quod q̃d eſt cauſare notitiam veritatis concluſionis, & habitudinis paſſionis ad ꝓprium ſubiectum, at ſubiectum genericum non poteſt eſſe cauſa, cur paſſiones inferiorum de ipſo demonſtrentur, ergo ſubiectum genericum non continet virtualiter paſſiones inferiorum; maior eſt Scot. loc. cit. prol. vbi ait: continere primò virtualiter eſt ità independens eſſe in continendo, vt circũſcripto omni alio adhuc cõtineat, & nihil aliud continet, niſi per rationem eius; patet de corpore naturali, quod ità continet mobilitatem, vt circumſcripta quacumq; ſpecie corporis naturalis, etiam omnibus ſimul, adhuc continet, & ꝑ ſuã definitionem poterit de ipſo demonſtrari, & inferiora ꝑ rationem tantũ corporis naturalis continent mobilitatem in communi; minor eſt clara, quia per rationem corporis naturalis, vt ſic nõ poteſt V. g. mobilitas circularis de Cælo demonſtrari; aliter circularis mobilitas omnibus corporibus conueniret, ergo ſubiectum genericũ, nõ niſi potentialiter paſſiones ſuarum ſpecierum continere poteſt.

*Obiectiones.*

4. Ob. probando, quòd ſubiectum non contineat virtualiter notitiam paſſionum: Eſſe eclypſabile eſt paſſio lunæ, & tamen à luna nõ continetur virtualiter, quia ad cognitionem eclypſis requiritur cognitio terræ, quæ ad Eclypſim cõcurrit vt cauſa, ſed terræ notitia non continetur virtualiter in luna. Tùm etiam quia eſſe beatificale eſt paſſio hominis, & tamen non cognoſcitur ex quidditate hominis, aliter poſſet viribus naturæ ipſe Deus cognoſci, cùm ſit terminus huius paſſionis, non .n. poteſt relatio aliqua cognoſci, niſi cognoſcatur etiam terminus ipſius relationis. ℞. quòd ſicut eclypſabilitàs continetur in luna quoad eſſe realè, ità quo ad eſſe cognitũ; verũ, quia ordinem dicit ad terram, vel ad aliud corpus opacũ in eſſe reali, ità quoque in eſſe cognito ab illo dependet; ex quo tantùm ſequitur, quòd luna non ſit cauſa adæquata

co-

cognitionis eclypſis, ſed requiritur adhuc cognitio terræ, non tamen deducitur, quòd non contineatur virtualiter in luna, vt in ſubiecto, licèt in terra contineatur tamquam in cauſa, non tamquam in ſubiecto. Beatificabilitas cognoſci non poteſt, cognita hominis eſſentia, cùm ordinem dicat ad Deum, vt ad terminũ, & ideo rectè docuit Scot. quol. 14. quòd Deus non continetur ſub obiecto naturalis attingentię intellectus creati, quod ſolùm eſt ens finitum, cuius terminus non eſt Deus.

Ob. 2. Si ex hoc, quòd cauſa virtualiter cõtinens effectũ in eſſe rei, contineret etiam in eſſe cogniro, ſequeretur, quòd ex notitia Solis incomplexa poterit haberi cognitio omnium effectuum à Sole producibilium, ſed hoc eſt falſum, ergo. ℞. negando ſequelam, & ratio eſt, quia tunc ex cognitione cauſæ deuenimus in cognitionem effect⁹ in tali cauſa virtualiter contenti, quando effectus ſe habet vt paſſio cauſæ, quia tunc eſt conuertibilis cum cauſa, à principij ipſius pullulans, neque in altero reperiri poteſt, niſi in ſua cauſa; at ſol non eſt huiuſmodi reſpectu ſuorum effectuum, qui ab eo diſtinguuntur realiter, & ab alijs concauſis producuntur, atque ideo non ſunt cõuertibiles cum ſole.

Ob. 3. euidentia veritatis concluſionis nõ tantùm pendet à ſubiecto, ſed etiam à prædicato, & à præmiſſis, ergo non poteſt primò, & adæquatè in ipſo ſubiecto contineri. ℞. negando conſeq. nos. n. nõ aſſerimus ſubiectum eſſe cauſã totalem cognitionis concl. quia prædicatum, & præmiſſæ etiam vt concauſæ concurrunt, ſed dicimus ſubiectum primò continere veritatem concluſionis, quia non ſolũ eſt cauſa veritatis illius, ſed etiam veritatis principiorum, quatenus omnia vltimatè continet.

Eſt tamen hic valde aduertendum, vt aliqualis æquiuocatio tollatur, quòd apud Scot. virtualis cõtinentia aliquãdo accipitur largè, vt communis ad virtualẽ propriè, & ad potentialem, quæ etiam dicitur virtualis, quatenus ratio generis ſaltem partialiter concurrit ad cognitionem paſſionis ſpeciei; ſæpius tamen loquitur de cõtinentia virtuali, quia obiectum Theologicũ hoc ſolùm modo continet proprias paſſiones, non potentialiter; definitio autem data q. 3. prol. fuit ſubiecti ſpecifici, & de continentia virtuali propria, & ideo appoſui in concluſione: *propriè loquẽdo*. Vel quòd quãdo Doct. loquitur de continentia virtuali ſubiecti generici, hoc intelligit reſpectu propriæ paſſionis, non reſpectu paſſionum ſpecierum, quas continet tantùm potentialiter.

## ARTICVLVS SEXTVS.

*Vnde ſumenda ſit vnitas, & ſpecificatio Scientiæ.*

SCot. qui in arenam Palladiam deſcendens, ſemper victor redijt,

dijt, de hac controuerſia diſertè agit 6. meth. q. 1. & q. 3. prol. & ſæpè alibi. Adnotamus pro reſolutione, duplicem in ſcientia reperiri vnitatem, vnam intrinſecam, quæ tanquam paſſio ſuam ſequitur entitatem; aliam extrinſecam, quæ ex obiecto deriuatur, à quo ſpecificatur, & eſſentialiter dependet, & obiectiua dici ſolet; & quia prima non ità facilè cognoſcitur, per ſecundam nobis innoteſcit, & de hac inquirimus, à quo ſcientia totalis habet, quòd ſit vna ab alijs diſtincta, & quidem rationabiliter, quia videmus idem obiectũ à pluribus ſcientijs conſiderari.

2. Duæ ſunt opiniones, vna Thomiſt. alia Scotiſt. Prima aſſerit diuerſitatem ſcientiarum ſumi ex diuerſitate abſtractionis à materia, & primò notant ſcientiam ſpecificari ab obiecto, non quidem materialiter, & in eſſe rei, ſed formaliter, & in eſſe ſcibili conſiderato, quæ ratio ſcibilitatis dicitur ratio ſub qua, quia ſub ipſa conueniunt res à ſciëntia conſideratæ, & conſiſtit in hac, vel illa abſtractione à materia. Notãt 2. abſtractionem eſſe duplicem, vnam totalẽ, & eſt cùm ſuperius abſtrahitur ab inferiori, & abſtractum hac abſtractione fit potentialius, & minus intelligibile, nam abſtrahitur ab actualitatibus ſpecificis, ſ. differentijs, actus autem notior eſt potentia, & non loquimur de iſta; alia abſtractio è formalis, qua forma abſtrahitur à materia, ſeù quod eſt actu, ab eo, quod eſt potentiale; nam forma eſt actus, & materia eſt potentia; vndè ſequitur, quòd ſic abſtractum ſit magis intelligibile, quia depuratur à materialibus, & potentialibus, quæ intelligibilitatem impediunt; & quia materia eſt triplex. ſ. prima eſt ſingularis, & pertinet ad ſingularitatem rerũ ſenſibilium, vt hæc caro, hic calor &c. Secũda ſenſibilis, & sũt omnes sẽſibiles qualitates, vt color, calor, &c. Tertia intelligibilis, quæ eſt ſubſtantia corporea, ſeù materia prima; vndè triplex genus ſcientię datur, de ſpeculatiuis loquẽdo; Prima ſcientia abſtrahit à materia ſingulari, & ſolùm conſiderat res ſenſibiles, vt ſenſibiles ſunt, nõ in particulari, ſed in vniuerſali, & hæc eſt Philoſophia; Secunda, quæ abſtrahit à materia ſingulari, & ſenſibili, vt Mathematica, quæ quantitatem conſiderat, non affectam qualitatibus. ſ. albam vel nigram &c. non tamen abſtrahit à materia intelligibili, quia Mathem. non conſiderat quantitatẽ ſine ſubſtantia materiali, cui ineſt, & à qua in eſſe, & cognoſci dependet: Tertia tandèm abſtrahit à materia intelligibili, quæ talis dicitur, quæ ſolo intellectu percipi poteſt, & hæc eſt Methaphyſica, quæ contẽplatur res à materia abſtractas, vt ſunt, quæ vel in materia non ſunt, vt ſubſtãtiæ ſeparatæ, vel eſſe poſſunt ſine materia, vt ratio ſubſtantiæ, actus, potentiæ, qualitatis &c. Hæc igitur immaterialitas eſt radix,

dix, & origo intelligibilitatis, ac propterea diuerſa immaterialitas erit radix diuerſę intelligibilitatis, & quia triplex eſt immaterialitas, triplex quoq; erit intelligibilitas, & triplex genus ſcientiæ ſpeculatiuæ, ità hanc ſententiam explicant Complut. Ioan. de S. Thoma, & Thomiſtæ communiter.

3. Alij hanc abſtractionem ſic declarant: in primo gradu ſunt quædam intelligibilia, nec re, nec ratione abſtracta à materia, vt ſunt res phyſicæ: in ſecundo quædã ſunt abſtracta ratione, non re, vt obiecta Mathematica: in 3. tandem quæ re, & ratione abſtrahunt, de quibus eſt Methaphyſica; & hæc eſt frequentiſſima expoſitio apud Thomiſtas.

4. Ruu. in log. q. 4. proe. alio modo explicat hanc rationem ſcibilitatis, & ſub qua, quòd .ſ. illa eſt vna ſcientia ab alijs diſtincta, q̃ propria habet principia, quibus vtitur ad probandas concluſiones, quæ principia ſe habent vt lumen illuminans concluſionem, & ex diuerſitate luminis, ſeu principiorũ oritur diuerſitas ſcientiarum, quã expoſitionem recipiunt etiam Cõplut. cum Ioan. de S. Thom. & ſolùm addunt, quòd hæc diuerſitas luminis, & principiorum, cùm ſit quædam intelligibilitas, tantùm ab immaterialitate obiecti prouenire poteſt, & conſequenter tota ratio ſpecificationis erit immaterialitas, & abſtractio.

5. Scot. verò hanc ſpecificationem venatur à diuerſitate obiectorum adæquatorum, & totalium, ità vt illæ ſint diſtinctæ ſcientiæ, quæ diuerſa obiecta reſpiciunt, nullo modo inter ſe connexa; illæ verò, quæ habent obiecta aliquo naturali vinculo colligata quo ad conſiderationem, hæc integrare vnam totalem ſcientiam. Sequuntur Scotiſtæ communiter, & ex Recentioribus Suar. in met. diſp. 44. ſec. 11. Fonſec. 5. meth. cap. 7. q. 5. ſec. 3. Hurtad. diſp. 1. Meth. ſec. 6. & 7. Arriag. diſp. 1. log. ſec. 3. Auerſa q. 27. ſec. 9. Moriſ. Blanc. & alij.

*Concluſio.*

6. *Dicimus, vnitatẽ, & ſpecificationẽ ſcientiæ, non rectè ex illa triplici abſtractione deſumi, ſed potius ex vnitate, vel diſtinctione obiecti formalis*. eſt Scoti, Scotiſt. & Auct. relatorum. Probatur, & primò falſum eſt, quòd ſpecificatio ſcientiæ ſumi debeat ex eo, quòd quædam ſint entia ſenſibilia, quædã imaginabilia, & quædam merè intelligibilia; nam obiecta ſcientiæ nõ cadũt ſub ſenſu, cũ eſſe debeãt vniuerſalia, ergo omnia sũt merè intelligibilia. Tũ qa etiã imaginabilia ſunt ſenſibilia in phãtaſia, cũ adhuc non ſint ſpecies depuratæ ab intellectu agẽte, vt etiã ipſi Thomiſtæ fatentur. Tùm quia vnitas, & diſtinctio ſcientiæ ſumi debet ab eo, quod per ſe pertinet ad ſcientiam, quòd autem obiectũ ſit per ſenſus cognoſcibile, vel nõ, hoc eſt per accidens, nam dato, quòd intellectus à ſenſibus non penderet, adhuc ſcientiæ eſſent in-

ter

ter ſe diſtinctæ, vt patet de intellectu ſeparato.

Secũdò, falſum eſt etiam abſtractionẽ à materia, prout dicit præciſionem, ſciẽtias ſpecificare, nam hæc præciſio, aut dicit actũ intellectus abſtrahentis, & ſic erit mera extrinſeca denominatio, & ens rationis materiale, quod non poterit realiter ſcientias ſpecificare, vt etiam ipſi fatentur; vel dicit abſtrahibilitatem obiectiuam, quatenus obiectum eſt conceptibile, non cõcepta hac, vel illa ratione in ipſo contenta, & neque hæc ſcientias ſpecificare poteſt, ſic .n. formaliter tantùm dicit cõceptum quemdam negatiuum .ſ. negationem aſſociationis alterius rei, vel realitatis in intellectione, hoc .n. propriè ſignificat præſcindere .ſ. intelligere vnum, non intellecto altero, à quo fit præciſio, hæc autem cùm ſit negatio, non poteſt ſciẽtias ſpecificare. Tùm quia illud poni debet ratio formalis ſpecificatiua ſcientiæ, quòd eſt ratio, cur obiectum ſit ſcibile à ſcientia, ſed illa abſtractio non eſt talis, nam illud eſt ratio ſcibilitatis in obiecto, q eſt ratio cur de obiecto demõſtretur paſſio, at talis non eſt præciſio à materia, quia non per hoc, quod homo eſt ab indiuiduis abſtractus, ideò eſt viſibilis, ſed quia eſt rationalis, ergo obiectum, non præciſio erit ratio diſtinguẽdi ſciẽtias.

7. Melius explicat Ruu. quòd per hanc abſtractionem intelligatur ratio formalis poſitiua obiecti quatenus ex ſui natura includit principia, in quibus exprimatur ratio inhærentiæ paſſionis cum ſubiecto, vt etiam Complut. cum Ioan. de S. Thoma admittunt, ſed hæc eſt opinio Scoti, & malè per abſtractionem à materia explicatur à Thomiſtis, quia nõ rectè, nec ſufficienter ſciẽtiæ ſpeculatiuæ totales per has abſtractiones diuidũtur; nam logica abſtrahit ab omni materia, ſicut methaphyſica, & tamen ſunt diuerſæ ſcientiæ: Arithmetica agit de numero in abſtracto, vt communi ad res materiales & ſpirituales, & tamen ſpectat ad Mathematicam: Aſtrologia, Muſica, & Perſpectiua, quia Mathematicæ ſunt pertinent ad ſecundam abſtractionem, & tamen Aſtrologia eſt de Corporibus Cæleſtibus, eorumque aſpectibus, influxibus, & motibus, quæ ſunt accidentia ſenſibilia; Muſica agit de numero ſonoro, qui eſt ſenſibilis; Perſpectiua de linea, vt viſibili; ergo Mathematica etiam materiam ſenſibilem concernit ſicut Phyſica: Tũ quia abſtractio formaliter dicit q non habet res, non quòd habet. Itẽ methaphyſica multa conſiderat, q̃ etiam à phyſica traduntur, nam agit de principijs, de cauſis, de actione, paſſione, & ſimilibus: Phyſica etiam ſi in tota ſua amplitudine conſideretur quia habet pro obiecto adæquato ſubſtantiam finitam, communem etiam Angelis, vt videbim' in quæſ. Proæm. Phyſ. de rebus abſtrahentibus ab omni mate-



Digitized by Google

materia agit. Et quidē ſatis laborant Thomiſtæ, vt videre eſt apud Complut. & Ioan. de S. Thom. vt ſufficientiam huius diuiſionis ſaluent, ſed in vanum laborant, potius voluntaria aſſumentes, quàm aliqua firma ratione ſuam ſententiā ſtabilientes.

8. Melius igitur, & rectius aſſerēdum eſt cum Scoto, quòd vnitas, & diſtinctio ſcientiarum ſumenda ſit ex vnitate, vel diſtinctione obiecti formalis; qui eſt modus dicendi Ariſt. pluribus in locis, & præſertim 1. poſt. vbi docet vnitatem ſcientiæ ex vnitate obiecti inueſtigandam eſſe. Et ratio conuincit, nam à quo res accipit entitatem, ab eo ſumit vnitatem, & ſpecificationem, at Scientia in ſua entitate dependet ab obiecto, non à præciſione; vndè illa erit vna ſcientia, quæ vnicū habebit obiectum formale .ſ. quæ rem aliquàm conſiderat ſub proprio modo contemplādi, quo ab alijs ſcientijs non attingitur, licèt res illa conſideretur ab alijs ſcientijs ſub diuerſo modo cōſiderandi, qui modus conſiderandi cùm ſit medium demonſtrandi paſſiones de ſubiecto, erit ingrediens principale in principijs demōſtrationis, & conſequenter diuerſæ ſcientiæ diuerſa principia, & modos procedendi habebunt ad paſſiones inferēdas. Verùm eſt hic valdè notandum ex Auerſa q. 27. ſec. 8. & 9. quòd non quælibet ratio formalis obiecti debet totales ſcientias multiplicare; ſic .n. magna cōfuſio in intellectu oriretur, quia tot eſſent ſcientiæ, quot naturæ rerum, de quibus poſſent paſſiones demonſtrari; quare, vt certo numero & ordine in ſcientijs procedatur, rationes illæ formales, q̄ aliqua naturali ꝓportione, & vinculo colligatæ reperiuntur, ad eādem ſciētiam totalem ſpectabunt; illæ verò, quæ nullam affinitatem, & proportionem inter ſe habent, ſed diuerſæ, & diſſitæ ſunt, diuerſas, & diſſitas ſcientias conſtituēt; ſic in caſu, quia omnia entia materialia, vt ſunt motui ſubijcibilia, eiuſque motûs principium in ſeipſis includūt, magnam habent inter ſe connexionem, & vinculum naturale, hac occaſione Doctores de his omnibus vnam totalem ſcientiam, ſcilicèt Phyſicam conſtituerunt, & idem de rebus Mathematicis, Methaphyſicis, & practicis dicendum remanet.

*Obiectiones.*

9. Obijciunt Thomiſtæ, & primò quòd noſtra ſententia non ſufficiēter explicet punctum difficultatis, & ratio eſt, quia cùm dicitur, quòd licèt eadem res materialiter cōſiderata poſſit ad plures ſpectare ſcientias, nō autem formaliter, propter modum diuerſum definiēdi in vna ſcientia, ac in alia adhuc explicandum reſtat, in quo hæc diuerſitas definiendi conſiſtat, & ex alio capite prouenire nequit; niſi ex diuerſitate immaterialitatis, & abſtractionis, quatenus .ſ. ex diuerſo modo apprehendendi, ſequitur

tur diuerſus modus definiendi. ℞. ſatis ſufficienter explicari vnitatẽ ſcientię ex ratione formali obiecti, neque abſtractionem aliquid conferre, niſi pro ipſa ratione formali, & modo conſiderandi explicetur. Cæterùm declarare in quo cõſiſtat hic peculiaris definiendi modus cujuſcumque ſcientiæ, attinet ad vnam quamque ſcientiam in particulari; ſic phyſica docet finem eius eſſe conſiderare entia naturalia, vt conueniunt in communi ratione naturalitatis, & habẽdi principium motus, & quietis, ſub qua deinde ratione deſcendit ad inferiora, illa contemplando, vt propriam naturalitatem habent, ſub naturalitate in communi. Muſica docet finem eius eſſe conſiderare numerum vt ſonorum, & in gratiam eius varias affectiones, & ꝓportiones. Mathematica in cõmuni conſiderat quantitatem ſub ratione menſurabilis, Methaphyſica contemplatur omnia entia ſecundum quaſdam rationes generales, Sciẽtia practica conſiderat operationes vt dirigibiles in materia morali, &c. Et falſum eſt huiuſmodi diuerſas rationes formales à diuerſa abſtractione originari; Tùm quia multa vnius abſtractionis cõſiderantur ab alijs ſcientijs, vt ſupra oſtẽdimus; Tùm quia hæc cauſalis non eſt vera, ideò Corpus naturale eſt conſiderabile vt naturale, quia abſtrahit à materia ſingulari; neque iſta, ideò quantitas eſt menſurabilis, quia abſtrahit à materia ſingulari, & ſenſibili, ergo talis abſtractio non erit radix ſcibilitatis obiecti; ſed potius radix erit propria natura cuiuſcumque obiecti, quòd ſi quæres, quare aliqua obiecta habent naturas cõſimiles, & affines, aliqua verò minimè, alia ratio aſſignari non poteſt; niſi illa Doct. quia hoc eſt hoc &c.

Ob. 2. Auct. Ariſt. qui 6. meth. c. 1. diuiſit ſcientiam ſpeculatiuam per triplicem abſtractionem. ℞. Ariſt. aſſignaſſe ſufficientiam ſcientiarũ penès abſtractiones à materia, quatenus abſtractio cum ratione formali obiecti coincidit, in ratione. n. obiecti formalis etiam aliquis abſtractio reperitur, dum in re materiali, quæ pluribus mõdis conſiderari poteſt, ſecundum vnum tã ũm modum conſideratur, cæterùm de abſtractione præcisè ſumpta, falſum eſt per ea ſic ſcientias diſtingui, vt iam demonſtratum eſt.

Ob. 3. probando, quòd abſtractio ſit ratio diſtinctiua: In tantùm res eſt intelligibilis, in quantum eſt à materia ſeparabilis, eo quod intelligibile idem eſt, ac ſpiritua le, & ſpiritualitatis principium eſt à materia denudatio, ergo in tantũ res eſt ſcibilis hoc, vel illo mòdo, in quantum eſt diuerſimodè à materia abſtrahibilis; quare radix ſcibilitatis rei hoc, vel illo modo erit diuerſa immaterialitas. ℞. negando aſſumptum, & ratio eſt, qa etiam ipſa indiuidua materialia ſũt intelligibilia, imò per ipſa pro

ſtatu iſto ſpiritualia intelligimus; & licèt in ſcientijs fieri debeat abſtractio ab indiuiduis, hoc non oritur, quia indiuidua ſunt prorſus in intelligibilia, cum ipſe abſtractionis actus non præſupponat obiectum abſtractum, ſed quia ſcientia eſt tantùm vniuerſalium; hinc talis abſtractio etiam in ſpiritualibus fieri debet, & propriè eſt abſtractio ſuperioris ab inferiori, falſũ quoque eſt intelligibile idē eſſe, ac ſpirituale, quia entia materialia, cùm ſint eſſentialiter talia, nequeunt vt ſpiritualia concipi; vnde ad vberiorem ſatisfactionē notamus, quòd cùm dicitur res materiales non cadere ſub ſcientia, hæc immaterialitas, requiſita vel accipitur ex parte obiecti, vel ex parte intellectus; primo modo eſt falſum, quia res materialis eſt etiã intelligibilis, & quod eſt materiale non poteſt vt immateriale apprehendi; vel ſe tenet ex parte intellectus, quatenus dicit modum, & medium cognoſcendi, nam intellectus nō percipit materialia modo materiali .ſ. per ſpecies materiales, vt ſenſus percipit, ſed immaterialiter .i. per ſpecies immateriales, & in hoc ſenſu illæ propoſitiones .ſ. res materiales non cadunt ſub ſcientia, materialitas impedit intelligibilitatem &c. ſũt veræ; at hoc non ſufficit ad diſtinctionem ſcientiarum, nam potius, vt ſic conueniunt, cùm omnes ſciētiæ ſint per ſpecies intelligibiles, & ideo melius loquitur Scot. qui diſtinctionem ſcientiarum per obiecta formalia diſtinguit, vt etiam ipſi Recentiores aſtipulantur.

10. Hic dubitari ſolet, an ſciētia ſit vna ſimplex qualitas, loquēdo de ſcientia totali, & præcipuè habituali, ſed quia hæc difficultas eſt prorſus Animaſtica, cùm ſit cōmunis omnibus habitibus, & cognitionem præſupponat quomodò fiat intenſio qualitatum, ideo in libris de anima deciſionem remittimus, & ſolùm hic apponimus q̃d de hoc dubio ſenſerint Thomiſtæ, quid verò Scotiſtæ. Thomiſtæ cum D. Thom. p. 2. q. 54. art. 4. aſſerunt ſciētiam eſſe vnum ſimplicem habitum per primam demonſtrationem illius ſcientiæ acquiſitum, facilitantem intellectum, non ſolùm circa illam demonſtrationem, ſed etiam circa omnes, quibus perficitur, per quamdam extenſionem; diſſident tamen Thomiſt. quomodo habitus ille dicatur extendi ad alias concluſiones poſt quam per primam demonſtrationem fuit acquiſitus. Scotiſt. cum Doct. 6. Met. q. 1. & q. 3. Prol. D. & T. & alibi multiplicant habitus ad multiplicationem concluſionum, & demōſtrationum in ſcientia, itaut quot ſint cōcluſiones demonſtratæ, tot ſint habit⁹ generati ſpecie diſtincti, & conſequenter ſcientiam totalem non eſſe vnum ſpecie, & ſimplicem habitum, ſed plures; & ſequuntur tàm Nominales, quàm Recentiores nobilioris notæ, vt Suar. Conimb. Hurt. Arriag. Auerſ. Moriſ.

Blanc. Amic. Tolet. & alij.

11. Probat Scot. ſuam ſententiam duabus rationibus, quibus alij DD. vtuntur, quarũ tantũ primam adducã, quæ eſt hæc: Actus circa illas concluſiones diſtinguũtur ſpecie, ergo & habitus in illas inclinantes, & ab illis actibus producti, erunt ſpecie diſtincti, probatur antecedens, actus illi, qui sũt ſcientiæ actuales partiales, habent diuerſa ſpecie obiecta, ergo ſpecie diſtinguuntur, nam per Ariſt. ex diſtinctione obiectorum valet inferri ſpecifica diſtinctio actuum; ãtecedẽs huius Entimematis probatur: actus ſcientifici vel ſunt de paſſionibus diuerſorum ſubiectorum, vel de paſſionibus eiuſdem ſubiecti; primi differunt quo ad paſſiones, ſubiecta, media, & principia V.g. cùm de Cælo demõſtratur incorruptibilitas ob carentiã materiæ, & contrariorum; & de ſublunaribus oſtenditur corruptibilitas propter compoſitionem ex materia, & contrarijs, in his actib⁹ non videtur quomodo cadere poſſit vnitas ſpecifica actuum, ſi obiecta, & principia, quibus illæ paſſiones demonſtrantur, genere differunt: Secundi ſi demonſtrant paſſiones illas eodem medio .ſ. definitione ſubiecti, adhuc obiecta proxima, quæ ſunt præmiſſæ, ſeù principia differunt ſpecie, cùm ſpeciales habeant veritates euidẽtes, & complexiones, V.g. cum ex rationalitate infertur riſibilitas, & flebilitas, licèt medium ſit idem, præmiſſæ tamen differunt ſpecie, & ſpecie infima erũt etiam obiecta diuerſa, & conſequenter, concluſiones; & tantò magis hoc aſſerendum erit, ſi medium erit diuerſũ; conſequentia princ. arg. prob. nam idem eſt obiectum actus, & habitus ab illo producti, ſed obiecta diſtinguuntur ſpecie, ergo ſimiliter & actus, & habitus.

12. Suppoſito igitur diuerſas dari totales ſcientias, quæ non ſint vnus ſimplex habitus, ſed plures, quot ſunt concluſiones in vna totali demonſtratæ, adhuc inquirendum remanet, quomodo illi partiales habitus vnam ſcientiam totalem conſtituant. Sententia Nominalium eſt, quòd habitus partiales vnam ſcientiam totalem cõſtituant ſolùm vnitate aggregationis, ſicut plures lapides vnum cumulum conſtituunt. hanc opinionem ſequi vidẽtur Hurt. 1. Meth. diſp. 190. vbi aſſerit, in ſcientia totali dari tot habitus diſparatos, quot ſunt ſpecies ſpecialiſſimę in ipſa conſideratæ, quòd omnes iſti habitus conſtituant ſcientiam totalem per aggregationem, Scot. verò 6. Meth. q. 1. docet ſcientiam quamlibet totalem eſſe vnam, non aggregatione, neq; vnione per ſe phyſica, ſed artificiali, non vnitate ſpecifica, ſed vnitate generica.

Et quod nõ dicatur vna per aggregationem, inde patet, quia tunc non daretur ratio, cur V.g. Methaphyſica, & Theologia poſt cæteras ſcientias addiſcãtur, & nõ

potius primò; cur, philoſophia ex concluſionibus tantùm naturalib⁹ integretur, & non etiam ex concluſionibus logicalibus, vel ſupernaturalibus, ſicut parum refert, ꝙ cumulus ex his, vel illis lapidibus conſtruatur, & quòd iſte, vel ille lapis primò ponatur &c. Quòd nõ vniantur vnione per ſe phyſica ꝓbatur, quia hæc vnio nõ eſt ex actu & potentia, quod requiritur ad vnionem phyſicam, nam aſſignari non poterit, quinam habitus ſe habeat, vt potentia, quinam verò vt actus; & quando vna concluſio ab alia pendet, non eſt dependentia in genere cauſæ materialis, ſed efficiẽtis ex dictis, ergo idem de illorum habitibus aſſerendum erit. Quòd habeant vnionem per ſe in genere artificialium, patet ex dictis in diſput. 11. art. 9. vbi aſſeruimus prædicamenta rerũ dici quædam opera artificioſa, quia ſe habent vt quædam manſiones, in quibus ſpeciales rerum ſeries ſuo ordine collocantur, non tamen prorſus hominum arbitrio, ſed cũ fundamento in re, & occaſione ex rebus deſumpta, ſic de ſcientijs aſſerendum erit, vna dicitur totalis ſcientia, quia ex pluribus habitib⁹ partialibus conflatur debito ordine, obiectorum naturis diſpoſitis, ſicut domus eſt vnum artificioſum opus, non penitùs hominum arbitrio conſtructum, ſed habita relatione ad naturam, & conditiones partium, ex quibus eſt conflata, vt V. g. grauiora deorſum diſponantur, leuiora ſurſum &c. qua ratione nexu quoddã naturali dicuntur vnita. Non debet tamen hæc vnitas in genere artificialium ſcibilium dici ſpecies infima, ſed generica, nam obiecta partialia in genere ſcibilium non ſe habent vt numero differentia, ergo idem de habitibus aſſerendũ erit, cùm habitus etiam ſuam vnitatem ab obiecto accipiat.

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

*De Eſſentia, & Quidditate Praxis.*

1. SCotus qui vt luminare maius philoſophici curſus veritatem inquirẽtibus in itinere perluſtrat, de hac materia fusè agit 1. Meth. q 7. & q 4. Prol. art. 1. vbi eius expoſitores cõmuniter. Supponimus pro intelligentia huius quæſiti, quòd ſicut in quolibet habitu tria inueniuntur .ſ. habitus ipſe, actus, in quem habitus inclinat, & obiectum actus, circa quod verſatur, ſic in ſcientia tàm ſpeculatiua, quàm practica; in ſcientia .n. ſpeculatiua adeſt habitus ſpeculatiuus, adeſt actus, qui dicitur ſpeculatio, ſeù notitia ſpeculatiua, & eſt obiectum ſpeculabile, à quo tàm actus, quàm habitus denominãtur ſpeculatiui; in Practicis quoque eſt habit⁹ practicus, cognitio practica, & obiectum practicabile, & operabile, quod praxis appellari ſolet, praxis .n. eſt nomen Græcum, & Latinè idem ſonat ac operationem, & eſt nomen abſtractũ, à quo practicum deriuat; hinc non

eodem

eodem modo ſe habent praxis, & practicum, ſpeculatio, & ſpeculabile, ſpeculatio .n. propriè dicitur de actu, nō de obiecto, ſpeculabile verò dicitur de obiecto; at praxis è cōtra dicitur de obiecto, nō de actu, q practicus denominatur à praxi; vnde praxis diſtinguitur à cognitione practica, vt cōmuniter ſentiunt cum Ariſt. 6. Eth. c. 4. vbi actionem, & effectionem ponit obiecta, circa quæ habitus practici verſantur. Et quia tria ſunt actionum genera, quæ nomen praxis ſortiri poſſent .ſ. actiones intellectus, actiones voluntatis, & actiones ſenſuum, hic quæritur quibus actionibus ratio praxis conuenire poſſit, & multæ ſunt opiniones.

2. Prima eſt D. Thom. 1. 2. q. 57. art. 1. ad 1. & 2. 2. q. 179. art. 2. qui docet ſolas actiones externas, & tranſeuntes eſſe praxim, non internas, & immanentes. Communis tamen opinio concedit etiam de actibus internis, & immanentibus, licèt non de omnibus, nam q̄ ſpectat ad actus voluntatis, negant aliqui intentionē finis eſſe praxim, ſed ſolùm electionem mediorum. Sed maior lis eſt de actibus intellectus, qui cū poſſint dupliciter cōſiderari, vel vt ab imperio voluntatis præſcindunt, vel vt à voluntate imperantur, quidam aſſerunt etiam primo modo conſideratos eſſe praxim, ſi ſunt dirigibiles; & citantur Nominales, & Alenſ. 6. Meth. Suar. diſp. 44. Meth. ſec. 13. nu. 20. Vaſq. Hurt. Arriag. Ioan. de S. Thom. Conimbr. Auerſa, Ruu. & alij: Quidam verò abſolutè negant, tales actus intellectus eſſe praxim, ità Scot. q. 4. Prol. art. 1. vbi Lych. Baſſol. Barg. Vig. Tatar. Ant. Andr. 1. meth. q. 11. Rada 1. p. controu. 3. art. 1. Faber in Prol. diſp. 9. & 6. Met. diſ. 1. Vulp. p. p. diſp. 4. art. 1. Zerb. Smiſinch. Cauell. Bell. & Maſtr. & ex Thom. ſequūtur Capre. in log. q. 2. Proem. concl. 4. Sonc. 6 Meth. q. 2. Sot. in Proæm. q 4. Complut. diſp. 1. q. 6. Durand. Maſius, Didacus, & alij. Si autem actus intellectus accipiātur, vt ſunt à voluntate imperati, adhuc eſt diſſidium, an ſint praxes, negāt aliqui Scotiſtæ, vt Antonius Andr. Rada, Tatar. Baſſol. Vulp. & alij; quidam verò aliquo modo admittunt.

*Concluſio Prima.*

3. *Dicimus 1. nullum actum præcedentem voluntatis imperiū eſſe praxim.* Eſt Scoti, & Scotiſt. loc. cit. & patet etiam ex dictis diſput. 1. art. 9. vbi logicam ſcientiam ſpeculatiuā ſtatuimus, licèt ſit operationum Intellectus directiua. Et adhuc ità probatur: habitus ſpecificantur ab actibus, & actus ab obiectis, ſed obiectum intellectus eſt merè ſpeculabile, & cognoſcibile, ergo, & actus, maior eſt communis, & min. patet, nam circa obiectum ſpeculabile cognitio ſpeculatiua denominatur vera, ſi conformis eſt illi, & falſa; ſi difformis, cognitio autē practica non dicitur vera, vel falſa, ſed bona, vel mala, ſi praxis alia-

eſt

Digitized by Google

eſt bona alia mala, ergo omnis cognitio, quæ vera, vel falſa propriè dicitur, potius ad genus ſpeculabilis ſpectat, quàm ad gen' praxis, & talis eſt cogitio directa ab alia cognitione, ſeù à regulis logicalibus, vndè illatio, & conſequentia dicitur vera, vel falſa; & licèt aliquando dicatur bona, vel mala, hoc tamen eſt impropriè, quaten' cum veritate, & falſitate confunduntur, nam bonitas propriè dicta pertinet ad voluntatis obiectũ, non ad obiectum Intellectus.

Tùm quia Cognitio directa, & regulata vt Cognitio eſt, ſpectat ad genus ſpeculationis, cùm ſolum intendat attingẽriam veritatis obiectiuæ, ergo etiam vt directa, ad praxim non attinet, conſequentia eſt clara, nam illa directio eſt inſtrumentum ad veritatem indagãdam ordinatum tamquam ad finẽ, ergo potius ad genus ſui finis reduci debet, quàm ad genus finis oppoſiti, qualis eſt praxis, hinc Ariſt. 6. Eth. c.2. & 3. de an. 46. & 9. Meth. c.1. ſemper ſciẽtiam practicam, ſeu actiuam definiuit in ordine ad voluntatem, ſiuè appetitum rationis.

Deindè probatur de alijs actiobus ſenſuum; praxis.n. ex communi vſu dicitur illa actio, quæ regulabilis eſt, & dirigibilis à cognitione practica, quam pro menſura reſpicit, illamque præſupponit, nõ per accid. ſed perſe, ſicut vniuerſaliter omnis mẽſura prior eſt mẽſurato, ſed quælibet actio ſenſitiua, vt à voluntate præſcindit, non eſt poſterior intellectione, imò perſe prior à Doctore loc. cit. ergo non erit praxis.

*Concluſio Secunda.*

4. *Dicimus 2. omnes actus elicitos voluntatis, & imperatos, cuiuſcumque potentiæ ſint, etiam intellectus eſſe rigoroſè praxim, & quo ad primam partem de actibus elicitis*. Eſt Scot. loc. cit. à quo ità probatur: omnis actus elicitus volũtatis eſt eſſentialiter poſterior cognitione directiua, & eſt in poteſtate cognoſcentis, quæ sũt conditiones praxis, vt infra patebit, ergo &c. Tùm quia, vt ipſemet Doctor arguit contra primam, & ſecundam viam, omnis actus voluntatis etiam circa vltimum finẽ eſt à recta ratione dirigibilis, ergo eſt praxis, conſequentia eſt clara; nam praxis hic ſumitur, vt dicit actum regulabilem, vt poſſit benè, vel male fieri: antecedens patet, quia etiam circa vltimum finẽ cõtingit errare, & licèt non in ordine ad obiectum, ſaltem quoad circumſtantias; hinc plures Theologi affirmant, dilectionem Dei poſſe fieri malam in genere moris, ſi videlicet debito tempore non eliceretur; vt ſi quis V. g. teneretur officio corripere ſubditum labentem in peccato, leuiter tamen putaret in actu dilectionis Dei permanere, illud auxilium omittendo, peccaret, Vndè dici ſolet actus dilectionis Dei circumſtantionabilis ſecũdum quale, non ſecundum quantum, ergo &c.

5. Pro-

5. Probatur etiam quoad actus intellectus imperatos à voluntate, quod eſt contra Scotiſt. cit. quæ pars licèt expreſsè non habeatur à Doct. colligitur tamen ex eius doctrina, nam in 2. d. 6. q. 2. & d. 42. admittit peccatum in cogitatione, ergo aliqua intellectio, vt à voluntate imperata erit dirigibilis in genere moris, vt benè, vel malè fiat, ergo erit praxis; & patet etiam exemplo; nam prudentia dictat de circumſtantijs ſtudij, quo tempore, & loco exerceri debeat, ſicut etiam iudicium credendi articulos fidei eſt practicum, & habet pro obiecto non ſolùm volitionem actus credendi, ſed etiam actum ipſū, vnde meritorius eſt, ergo &c.

Reſpondent Aliqui Scotiſtæ, nō ſequi, ergo actus intellectus imperatus eſt praxis, ſed vel eſt praxis, vel practicus, nā licèt omnis praxis ſit actus elicitus, vel imperatus, non tñ è contra omnis actus imperatus eſt praxis. Sed vana reſponſio, nam actus credendi non eſt practicus, cùm non ſit regula, ſed regulatus, nec ſit prior actu voluntatis, ſed eſſentialiter poſterior, cùm ſit imperatus, ergo ſi omnis actus vel eſt praxis, vel practicus, & actus ille non eſt practicus, erit praxis. Tum quia actus ille eſt formaliter bonus in genere moris, & oppoſitus formaliter malus, ergo eſt formaliter praxis, iſtæ .n. ſunt differentiæ praxis. Tùm quia ſi nō eſſet praxis, actus oppoſitus formaliter malus non poſſet dici peccatum. Tùm tandem, quia ſatis extra ſe tendit intellectus, dum dirigit actum illum, non vt ſic, ſed vt à voluntate imperatum, primò .n. voluntatis actum dirigit. aliæ adduci ſolent reſponſiones, quæ quia nullius ſunt roboris, relinquuntur. Ita Maſtr. & Bell. in log. diſp. 12. q. 5. art. 1. qui inter Scotiſtas Recentiores hanc Cōcluſionem mordicus tuentur.

6. Probatur etiam de actibus aliarum potentiarum; qui actus vel ſunt immanentes, vt ſenſationes, vel tranſeuntes, quæ relinquunt opus poſt ſe, vt ſunt opera artificioſa, & quilibet eſt dirigibilis; immanentes quidem, quia cùm ſint opera virtutum moralium, poſſunt benè, vel malè fieri in genere moris, & ad laudem, vel vituperium imputari, vt à voluntate imperantur; qua ratione ipſis in intellectu correſpondet habitus prudentię, tamquam regula directiua, qui ab Ariſt. 6. Meth. c. 1. actiuus appellatur; actus verò tranſeuntes non ſolum ſunt dirigibiles in genere moris, ſed etiā quo ad perfectionem, vel imperfectionem in genere artis; hinc licèt ſint boni in genere moris, ſi .ſ. fiant tempore, & loco debitis iuxta dictamē prudentiæ, poſſunt tamen eſſe imperfecti in genere artis, ſi iuxta regulas artis non formantur; quæ ars eſt habitus directiuus intellectui correſpondens, & ab Ariſt. factiuus nuncupatur,

7. Ex his deducitur, optimam

fuiſſe definitionem praxis à Scoto traditam q. 4. Prol. .ſ. *Praxis eſt actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter poſterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ, adhoc vt ſit rectus*. in qua definitione tres aſſignantur conditiones; prima eſt, quòd ſit actus alterius potentiæ, quàm Intellectus, & ratio eſt, quia vt intellectus ſit practicus, debet extendi, .i. extra ſe tendere ex 3. de anima 49. quatenus .ſ. ſiſtere nō debet in ſimplici cognitione obiecti, ſed vlterius procedere ad opus, illud regulando, in materia morali, & practicabili, vt excludatur error practicus, actus autem intellectus directus à voluntate, ce͂ſetur extenſus, vt ſic enim diſtinguitur à ſeipſo, vt à voluntate imperatus. Secunda conditio eſt, q̄ ſit naturaliter poſterior intellectione, menſuratum .n. & regulatū, vt eſt praxis, eſt poſteri⁹ me͂ſura, & regula, qualis eſt intellectio practica. 3. Conditio eſt, q̄ ſit cōformis regulæ, Scot. .n. non definiuit quācūq; praxim, ſed rectā, cuius rectitudo ſumitur ex conformitate cū regula rationis; ſicut irrectitudo eſt carentia talis conformitatis.

Ex his colligitur 1. quòd de ratione praxis eſt, vt ſit à principio intrinſeco cognoſcēti ex vi cognitionis regulantis in ipſo exiſtentis, & non vtiq; in eo ſenſu, quo velle videtur Caiet. p. 1. q. 14. art. 16. & & ſequuntur Recentiores, quòd .ſ. operatio exerceri debeat ab illo eodem, qui habet notitiam regulantem, vt reſpectu eius dicatur praxis, quomodo etiā aliqui Scotiſtæ intelligunt Doctorem q. 4. Prol. § *dico igitur* &c. vbi docet praxim debere eſſe à principio intrinſeco cognoſcenti, hoc .n. modo intelligi non debet, nam clarum eſt vnum poſſe actionem alterius dirigere, vt v.g. Prælatus actiones ſubditi, quæ actiones non ſolùm ipſi Prælato præcipienti, & conſulenti imputantur, ſed etiam ſubdito, & conſequenter nō tantùm reſpectu illius, ſed etiam reſpectu iſtius dicitur praxis operatio .n. vniuerſaliter dicitur praxis reſpectu ei⁹, cui aliquo modo poteſt imputari, q̄ verum eſt, non ſolùm quando opus illud poteſt etiā ab ipſo cōſulente produci proximè, vel remotè, vt patet de Architecto manib⁹ trunco, qui conſulendo dirigere poteſt actionem fabrorum in domo ædificanda, quā tamen proximè exercendi facultatem non habet; ſed etiam quando nec remotè eam actionem elicere poteſt, vt patet de Angelo, qui per internas inſpirationes cōſulit hominibus actus temperantiæ, & caſtitatis, quos ipſe nec proximè, nec remotè elicere poteſt; cùm ſenſibus careat; & tamen huiuſmodi actiones Architecto, & Angelo imputantur, vt cauſis in genere moris; quamuis igitur operatio dictata non ab ipſo ſciente exerceatur, ſed ab alio, qa tamen eius voluntas interuenit, vt imperans, & applicans dictamen illi, quem vult mouere ad opus, ideò

ideò opus illud dicitur à principio intrinſeco cognoſcēte procedere, quantum ſufficit, vt etiam reſpectu eius dicatur praxis, & ita intelligi debet Doct. loc. cit.

8. 2. Colligitur ex eodem Doc. q. 4. prol. lit. M. quòd praxis ſit libera, .i. poſſit fieri, & non fieri, quamuis largè loquendo ſufficiet libertas remota, pro cuius intelligentia ſupponims ex libris de anima, quòd voluntas eſt potentia eſſentialiter libera, & non niſi liberè agere poteſt; quæ libertas eſt duplex vel proxima, vt cùm voluntas poteſt expeditè agere, & non agere; vel remota, vt cū voluntas poſſet ex ſe non agere ſed ab extrinſeco determinatur ad vnam contradictionis partem, ſic Beati in Cælo ſunt determinati ad amandum Deum; & Chriſtus ad exequenda præcepta, non habuit voluntatem expeditam etiam ad ſuſpenſionem actuum, ex eo quia Deus cum eo concurſum habebat denegatū ad appoſitos actus, aliter fuiſſet peccabilis; hinc in propoſito ad praxim rigoroſam requiritur libertas proxima, quia illa actio propriè dicitur praxis, quæ imputabilis eſt ad laudem, vel vituperium in genere moris, adhoc autem requiritur libertas proxima, quæ totius imputabilitatis eſt fundamentum, cùm in his, quæ neceſſariò agimus, non laudemur, nec vituperemur. Verum tamen eſt, quòd ſi actio neceſſaria eſt aliquo modo dirigibilis, ſaltèm remotè, tūc minus rigoroſè poſſet dici praxis, quæ etiam poteſt eſſe meritoria, vt patet in Chriſto, cuius actiones neceſſariæ, & tantùm remotè liberæ, fuerunt à Deo acceptatæ ad meritum ex ſpeciali diſpenſatione, vt benè Scot. docuit in 3. diſt. 18. & & ſequitur, & explicat Faber in 3. diſputat. 43.

*Obiectiones.*

9. Ob. Contra ſecundam, nam rationes cōtra primam ſolutæ fuerunt diſp. 1 art. 9. inquirendo an logica ſit ſcientia practica. Et primò contra primam partem Cōcluſionis, probando, quòd actus voluntatis elicitus non ſit praxis; habitus practicus generatur ex actibus ſequentibus electionē, non ex electione, ergo electio nō pōt habere rōnem praxis. Pr. antecedēs, ſi qs .n. nō ſe exerceat canendo, licèt ſepius habeat volitionem addiſcēdi muſicam nūquam habitum muſicæ acquiret, ergo &c. Rt. Doct. quòd in moralibus habitus practicus virtutis immediatè fit ex electionibus, non ex actibus imperatis, vt patet de non habente pecunias, qui ſi nihilominus volitionem ſæpius eliceret dandi eleemoſinam, acquireret habitū liberalitatis, ſine aliquo actu imperato; ſubdit tamen Scot. quòd cum actus imperati ſunt impoſſibiles, non ita frequentèr eliciuntur volitiones, cùm ex D. Aug. 10. de Trinit. c. 1. quòd non creditur alicui poſſibile, aut ipſum non vult, aut tenuitèr vult; indè eſt, quòd non generatur habitus,

tus, qui eſt virtus moralis in volũtate ſine praxibus imperatis. In Artificioſis autem non dantur habitus in voluntate, ſed vel ſolũ in intellectu, quæ erit ars, vel ſaltèm in potentia executiua, & voluntas ex frequentatis actibus tantùm acquirit inclinationem ad imperandum actus externos; & hæc eſt ratio, qua ſæpius non canens, habitu muſicæ caret, ſcilicèt diſpoſitione illa in potentia externa, & inclinatione, quatenꝰ volitiones canendi frequenter non elicit.

Arguitur 2, quòd actus intellectus, vt imperatus non ſit praxis ex Scot. q. 4. Prol. art. 1. vbi data doctrina, quòd omnis praxis ſit actus elicitus, vel imperatus, obijcit cõtra ſe Doctor, quia tunc ſequeretur actum intellectus eſſe praxim, quia aliquis poteſt eſſe imperatus a voluntate, contra primam particulam definitionis praxis, quòd ſit actus alterius potẽtiæ ab Intellectu; & reſpondet nullam intellectionem eſſe praxim, ſumẽdo praxim pro illa operatione ad quam debet extendi intellectus, ſed ſolũ ex hoc ſequi, quòd omnis intellectio imperata vel eſt praxis, vel practica, & negando primum, concedit ſecundum.

Variè Reſpondent Scotiſtæ, qa reuera locus difficilis eſt ad noſtrã concluſionem ſaluandam. Bargius ait, intellectionem, vt imperatam eſſe praxim materialiter, non formaliter, vt Scot. ſe declarauit in 2. d. 42. Cauell. aſſerit, intellectionẽ idcircò negari eſſe praxim, quia vt pluriꝰum non imperatur à voluntate, ſed præcedit; vel quia non dirigitur immediatè, vt actus voluntatis. Faber inquit Doctorem loqui de intellectione, vt intellectio eſt, non vt eſt imperata. Sed nulla ſolutio ſatisfacit. Non prima, quia cùm Doct. in 2. ſent. cit, ait, intellectionem eſſe materialiter peccatum, non formaliter, per ly materialiter intellexit ſecundariò, per ly formaliter primariò; q doctrina eſt communis omnibus actibus imperatis, vt ipſemet Doctor ſe declarat in prol. cit. §. *Contraiſtud*, vbi ait, communiter non generatur habitus practicus, qui eſt virtus, ſine praxibus imperatis ſequentibus electionem, non tamẽ generatur ex illis ſequentibus, ſed ex electionibus, in quibus eſt formaliter bonitas moralis, in praxibus autem imperatis eſt tamùm materialiter. Nec ſecunda ſolutio, placet; Scot. n. ibi expreſsè ait, nullam intellectionem imperatam eſſe praxim, & nõ vt in pluriniũ, & ſi huius ratio eſſet, quia immediatè non dirigitur, hoc etiam vrget de alijs actibus imperatis, & conſequenter negare debebat omnes actus imperatos eſſe praxim.

Nec tandèm tertia ſatisfacit, nã Scot. ibi loquitur de intellectione, vt imperata eſt, de qua, vt ſic ait, ſolùm ſequi eſſe practicã, vel praxim. Quia igitur Scot. in alijs locis apertè concedit intellectionem eſſe vel bonã, vel malam, & ſic peccatum,



Digitized by Google

catum, & conſequenter praxim, debent Scotiſtæ hunc locum explicare, quòd melius fieri nequit, quã expoſitione facta à Lych. q. 4. & 5. Prol. fol mihi 25. col. prima, quòd .ſ. non loquatur Doctor de omni intellectione imperata, ſed de illa, quæ ſimul eſt regulatiua operationum; poteſt .n. voluntas imperare intellectui, vt cogitet, & quærat de medijs requiſitis ad finem, & quòd perſiſtat in tali inquiſitione, & cogitatione, quæ cognitio etiam vt imperata, potius eſt practica, quàm praxis, quia eſt regulatiua, & de his cognitionibus ait Scot. nullam intellectionem eſſe praxim. Et hæc expoſitio colligitur ex ipſo textu, dixit .n. Doct. cũ igitur dicitur intellectio eſt imperata à voluntate, ergo eſt praxis, vel practica, redens rationem ait, ipſa .n. nata eſt denominari quaſi accidẽtaliter à praxi, ad quàm extenſibilis eſt, non autem eſt terminus talis extenſionis. Ecce quomodo loquitur de cognitione, quæ eſt extenſibilis .i. directiua, quæ vt ſic non poteſt eſſe directa; non de illa, quæ non eſt extenſibilis, ſed terminus .ſ. quæ mediatè eſt directa, ita Maſtr. & Bellut. loc. cit. qui ſequũtur expoſitionem Lich.

Sed dices, ex Scot. manifeſtè habetur, quòd praxis eſt actus alteri⁹ potentiæ, quàm intellectus, ſed intellectio etiam vt imperata eſt operatio intellectus, ergo etiam vt ſic non poteſt eſſe praxis. ℞. vt ſupra intellectionem vt imperatam eſſe quaſi alterius potentiæ, quàm intellectus, nam intellectus vt ſic, quaſi diſtinguitur à ſeipſo per illã rationẽ formalem ſuperadditam, quomodo etiam homo poteſt dici diſtinctus à ſeipſo per diuerſas cõſiderationes, nam vt ens, ſpectat ad Meth. vt beatificalis ad Theol. vt rationalis ad philoſophiã; ſic etiam & intellectio vt ens eſt, attinet ad meth. vt operatio eſt intellectus ad Animaſticum, & ad habitum ſpeculatiuũ, vt imperatus eſt ad ſcientiam moralem, cùm bene, vel malè fieri poſſit; ſicuti igitur nõ eſt inconueniens, quòd idem homo ad diuerſas ſpectet ſciẽtias, ſic neque inconueniens erit, quòd idem Intellectus ex diuerſa cõſideratione ſit diſtinctus à ſemetipſo, & vt ſic actus imperatus eſt alterius potentiæ, & fortè hoc etiam innuere voluit Faber loco citato.

Ob. 3. Contra vltimam particulam, probando, quòd actus aliarũ potentiarum à voluntate, vt ſunt tranſeuntes, non ſint praxes, ex Ariſt. 6. Meth. c. 1. vbi ait intellectũ practicum verſari circa agibile .ſ. circa electiones, vt ſe declarat ibi, factiuum verò circa actiones tranſeuntes, ergo quia praxis eſt, quæ denominat intellectum practicũ, ſequitur actus tranſeuntes non eſſe praxim, ſed effectionem. ℞. praxim diuerſimodè accipi, nam aliquãdò ſumitur, vt ſignificat actionem electiuam tãtùm, quæ acceptio nimis rigoroſa eſt, & in hoc sẽſu loquitur Ariſt. loc. cit. quando-

que

Digitized by Google

que verò non accipitur in tanto rigore, ſed vt diſtinguitur à ſpeculatione, in quo ſenſu communis eſt actioni, & effectioni, & in hoc ſenſu nos loquimur, quærimus. n. de obiecto cognitionis practicæ, vt à ſpeculatiua diſtinguitur.

11. Hic dubitari ſolet, an primò dicatur praxis actus elicitus, an verò imperatus. Et ℞. à Scoto q.4. Prol. art.1. & in 2.d.42.lit.B. & quol. 18. actum voluntatis elicitum eſſe primariò praxim, imperatum verò ſecundariò in actu exercito, & quo ad executionem, q; probat ex eo quia fundamentum dirigibilitatis in actu externo, ſiuè tranſeunte eſt libertas ex dictis, ſed hæc primò competit actui voluntatis, deindè actui imperato. Tùm quia Intellectus non dirigit alias potentias, niſi media voluntate, ergo volũtas eſt primò dirigibilis, aliæ verò potentiæ mediante voluntate. Tùm quia ſi externus eſſet impoſſibilis ꝓpter aliquod impedimentum, adhuc internus eſſet praxis, ergo externus dependenter ab interno dicitur praxis, vt benè Doct. probat cit. Prol. ſub B. ſcio Auerſam noſtræ deciſioni ſe opponere, cuius obiectiones, & ſolutiones facilè apud Maſt. & Bel. videri poterunt.

## ARTICVLVS OCTAVVS.

*An ratio practici, & ſpeculatiui ſumenda ſit ex obiecto, vel ex fine.*

1. SCot. cuius doctrina adeò fluit, vt ſecum rapiat auditores, hunc art. reſoluit qu. 4. Prol. art. 3. vbi communiter eius expoſitores. ſupponimus primò cum communi rationem practici dicere ordinabilitatem ad opus, quòd eſt praxis. Doct. verò q.4. prol. art. 2. explicans, quid ſit iſta ordinabilitas, vel extenſio ad opus, in qua conſiſtit ratio practici, ait dicere duplicem relationem aptitudinalẽ prioritatis naturalis, & conformitatis; primum probat ex 6. Eth. c. 3. vbi Ariſt. docet electionem rectam, quæ eſt praxis, neceſſariò requirere rectam rationem, cui conformatur; & patet ex dictis, diximus enim quòd omnis praxis eſt actus elicitus, vel imperatus à voluntate, & vterque actum intellectus præſupponit, quia regula eſt prior naturaliter regulato. Et q; debeat eſſe conformis, probat ex eodem Philoſopho ibidem, vbi ait, quòd veritas conſiderationis practicæ eſt confeſsè ſe habere, .i. cõformiter ſe habens appetitui recto: duplex autem eſt cõformitas, vna paſſiua, quæ conuenit appetitui, & praxi; alia actiua, & hæc eſt propria cognitionis practicæ, eſt enim regula iudicans, & dirigens quomodò aliæ potentiæ in proprijs actionibus ſe gerere debeant. Vndè illa erit propriè notitia practica, cui ex propria natura hæ duæ relationes aptitudinales conueniunt, non actuales, quia per accidẽs eſt, quòd ad rectam rationem ſequatur praxis recta; Voluntas .n. eſt eſſentialiter potentia libera, & ꝓ-

poſito ſibi obiecto à recta ratione practica, poteſt non agere; vel non conformiter agere; non indè tamē ſequitur, quòd cognitio non ſit directiua, & regulatiua; cùm .n. ſit ex ſe talis, in hoc ab effectu, & à poſteriori non pendet.

2. Adnotamus 2. ad Cognitionem practicam non ſufficere quòd verſetur circa rem operabilem; nā hoc conuenit etiam ſpeculatiuæ, nam tam phyloſophia, quàm ſciētia moralis verſantur circa actiones noſtræ voluntatis, quæ ſunt res operabiles, ſed ad huc requiritur, quòd verſetur operabili modo .ſ. quòd dictet modum, & circumſtantias actionis faciendæ; & ideo diximus, quòd cognitio practica debet ex ſua natura eſſe ad praxim extenſibilis, & ad opus ordinabilis, nam talis reſpectus conformitatis actiuæ, cū ſit aptitudinalis, eſt realiter identificatus, vnde ſequitur, quòd non ſit neceſſariò ordinabilis ex intentione ſciētis, vt aliqui autumant, aliter (ait Doct.) ſequeretur, quòd eadem ſciētia modo eſſet practica, ſi ſciēs actu eam ordinaret ad opus, modo ſpeculatiua, ſi actu illam non ordinaret. Ex his deducit Scotus, quid dicat ſpeculatiuum, cùm .n. opponatur practico, dicit carentiam illius ordinationis ad opus, ita quod cognitio ſpeculatiua illa ſit, quæ in contemplatione proprij obiecti ſiſtit, & non procedit vltra; vnde ab Ariſt. 1. Meth. c. 2. ſcientia ſpeculatiua dicitur libera, practica verò gratia alterius, & 2. Meth. 3. finis ſpeculatiuæ eſt veritas, practicæ verò opus, illa enim eſt propter ſe, hæc propter aliud.

3. Sed Contra hæc inſtatur, nā practicum, & ſpeculatiuum ſunt differentiæ diuiſiuæ ſcientiæ in cōmuni, ſed nullus reſpectus, vel priuatio poteſt eſſe differentia alicui abſoluti realis, vti eſt ſciētia, ergo nec practicum dicit illos reſpect9, nec ſpeculatiuum illorum carentiam. R. practicum, & ſpeculatiuū poſſe dupliciter conſiderari, vno modo ſecundum id quod à parte rei dicunt, altero modo ſecundum id, per quod à nobis explicantur: primo modo ſunt differentiæ ſciētiæ eſſentiales: Secundo modo dicunt reſpectus, & carentiam in ſēſu explicato; vnde potius ſunt paſſiones conſequentes, quam eſſentiales differentiæ, quas tamen circumſcribunt.

Notamus 3. quòd notitię, & habitus practici, & ſpeculatiui dicuntur tales formaliter, & intrinſecè per proprias differentias eſſentiales, & de hoc non inquirimus, ſed quæſtio eſt vnde originatiuè, & cauſaliter iſtæ differentiæ in actibus, vel habitibus proueniant; nec illi huic quæſito ſatisfaciunt, reſpondentes, habitus dici practicos, vel ſpeculatiuos, quia ab actibus practicis, vel ſpeculatiuis cauſantur, nam licèt actus ſint cauſæ habituum, actus tamen iſti ſunt etiā practici, & ſpeculatiui, ergo cauſas habent, cur tales differentias

con-

continent, atque ideo tales cauſæ erunt initiatiuè differẽtias illas in actibus cauſantes; & de hoc quærimus, quod nam ſit, & certum eſt talem cauſam non poſſe eſſe intellectum, cùm hic ſit vtriuſque cauſa, tàm practici, quàm ſpeculatiui, ergo non poteſt eſſe cauſa horum diſtinctiua.

4. Duæ ſunt ſententiæ, prima aſſerit ſcientiam dici practicã, vel ſpeculatiuã à fine, nam finis practicæ eſt opus, ſpeculatiuæ verò veritas, & ſcire obiecti, ità Henr. quol. 4. q. 1. Et ſequuntur Greg. Flandra, & ex parte Amic. & ex noſtris Baſſol. q. 7. Prol. art. 3. Secunda ſententia eſt Scoti q. 4. Prol. cit. aſſerentis, has differentias nõ ſumi à fine, ſed ab obiecto, vel ſi obiectum, & finis coincidunt, non ſumi ab illo, vt fine, ſed vt obiecto.

*Concluſio.*

5. *Dicimus, actum, & habitum dici practicum, & ſpeculatiuum non à fine, ſed ab obiecto. Sequuntur omnes Scotiſtæ, & eſt magis communis.* Et ità à Doctore probatur: ratio practici formaliter ſumitur ab aliquo intrinſeco actui, cùm ſit illi eſſentialis ex dicendis, ergo originatiuè erit ab aliqua cauſa extrinſeca priori, & illi actui præſuppoſita, at talis cauſa nõ poteſt eſſe finis, ergo &c. ma. eſt clara, mi. probatur, nam finis, vt finis non eſt cauſa, niſi vt amatus, in tantùm. n. finis cauſat, in quãtũ mouet agens ad operandũ, ſed ratio practici conuenit actui, ſiue finis moueat agens, ſiuè non, & ſiuè ſit actu cauſa, ſiuè non, ſufficit. n. directio aptitudinalis, ergo non cauſatur à fine. Tùm quia, vel finis eſt cauſa, vt eſt productus extra, vel vt conſideratus, vel vt intentus, & amatus; non primum, quia poti' vt ſic eſt poſterior actu practico; & aliquo modo effectus, at quod facit diſtinguere debet eſſe prius; ſi ſecundum, ergo vt ſic non cauſat vt finis, ſed vt obiectũ, quia vt ſic non habet rationem finis, ad quem requiritur, quòd ſit amatus; nec tertium, vt iam ſupra oſtenſum eſt. Tùm quia intentio finis eſt praxis regulabilis, & poteſt benè, vel malè fieri, ergo reſpicit regulam priorem, ergo non præcedit, ſed ſubſequitur notitiam practicam, id autem quod concluditur de actibus, dicitur etiam de habitibus, cũ iſti ex illis generẽtur.

Alia pars, ſ. quòd ratio practici ſumatur ab obiecto, eſt Ariſt. 6. Met. 2. & 6. Eth. c. 2. & ità à Doctore probatur actus ſcientiæ practicæ cauſantur ab intellectu, & pmiſſis; Intellectus non è cauſa diſtinguendi, vt diximus, cùm ſit cõmunis notitiæ practicæ, & ſpeculatiuæ, ergo erunt præmiſſæ, ſcientia. n. debet eſſe ex propriis, non communibus; quia igitur aliæ ſunt præmiſſæ concluſionis practicæ, aliæ concluſionis ſpeculatiuæ, diſtinctio à priori ex præmiſſis ſumi debet: præmiſſæ autem non ſunt cauſæ originariæ huius diſtinctionis, nam ipſæ virtualiter includuntur in aliquo priori, tale autem eſt ſub-

ſubiectum, ergo cauſa diſtinguens practicum, & ſpeculatiuum erit obiectum proprium vniuſcuiuſque. V.g. hæc concluſio practica, Deus eſt ſummè diligibilis, deducitur ex his præmiſſis, ſummum bonum eſt ſummè diligibile, ſed Deus eſt ſūmum bonum, ergo &c. in quibus præmiſſis virtualiter cōtinetur cōcluſio. At præmiſſę immediatè cōtinent concluſionem ratione medij, quòd eſt cauſa connectens extrema, medium autem vltimatè continetur virtualiter in ſubiecto, in quo etiam virtualiter continetur prædicatū, ſcilicèt ſummè diligibile, ergo à primo ad vltimum concluſio practica ſpecificatur, & cauſatur ab obiecto.

6. Quandoque autem medium eſt à ſubiecto diſtinctum, vt eſt Sanitas reſpectu hominis, quæ ponitur finis medicinæ, in quo etiam caſu obiectum eſt, quod virtualiter primò, & vltimatè cōtinet veritatem concluſionis, nō ille finis, in tantum .n. hæc vel illa ſanitas concluditur de homine, quia homo eſt tali, vel tali temperamento conſtitutus. Et in ſcientia morali fælicitas ponitur finis, ſed demonſtratur de homine per propriam rationem, nam ideo talis fælicitas competit homini, quia eſt talem animam habens; quare ſubiectum eſt ſaltem finis remotus ſcientiæ, & ideò ab ipſo ſumi debent principia, licèt non in quantum finis, ſed vt obiectum ita bene Maſt. & Bell. in log. diſp. 12. q. 5. art. 3.

7. Sed quia ratio practici duplicem dicit reſpectum.ſ. prioritatis, & conformitatis actiuæ, docet Scot. quòd primus reſpectus propriè non habetur ab obiecto, ſed ab ordine potentiarum, nam voluntas eſt regulabilis, & poſterior intellectu; ſecundus verò reſpect⁹ ſumitur ab obiecto, ideò .n. intellectus rectè dictat Deum eſſe ſummè diligibilem, quia Deus verè in ſe continet veritatem illius propoſitionis; hinc aduertit duplicem eſſe rectitudinem praxis eliciēdæ, vnam neceſſariam, quando .ſ. independenter à quacumque voluntate obiectum natum eſt terminare aliquam actionem, vt exemplo allato de Deo diligendo patet, & vniuerſaliter in omnibus illis, quæ ſunt intrinſecè bona, vel mala; & ideò præcepta dicuntur, vel prohibita, quia ſunt bona, vel mala; altera rectitudo eſt contingens cū .ſ. obiectum eſt bonū dependenter ab actu alicuius voluntatis, vt ſunt illa, quæ ſunt bona, vel mala, quia præcepta, vel prohibita, vt ſacrificium miſſæ in noua lege eſt bonū, non autem in veteri lege, ex ordinatione voluntatis Diuinæ.

*Obiectiones.*

8. Ob. quòd iſtę differentiæ ſumantur à fine, & primò Auct. Ariſ. 2. Meth. c. 3. vbi ait, finem ſpeculatiuæ eſſe veritatem, practicæ verò opus. Rt. Doct. concedendo habitūm ſpeculatiuum pro fine immediato habere ſpeculationem, quæ dicitur veritas, quia vlterius non

tendit, habitum practicum pro fine immediato habere opus .i. notitiam practicam, quæ dicitur op', quia habitus reſpicit illud regulãdo, vndè Ariſt. aſſignauit differentiam habituum penes actus quos immediatè reſpiciũt; quæ tamẽ diſtinctio nõ eſt prima, & originalis.

Ob. 2. Actus dicitur practicus, quia eſt moraliter bonus, vel malus, ſed bonitas, & malitia conueniunt actui ex circumſtãtijs, inter quas principalior eſt finis, ergo ℞. Scot. quòd bonitas, vel malitia intrinſeca ſumitur ob obiecto, & à fine, vt cum obiecto coincidit ſi verò finis diſtinguitur, numeratur prima circumſtantia inter cæteras à quibus ſumitur bonitas, vel malitia accidentalis. Tũ quia arg. vrget de praxi, non de practica, ꝙ eſt independẽs ab intẽtione finis.

Ob. 3. Obiectum ſi eſt cauſa actus, eſt cauſa effectiua, ergo non eſt prima radix diſtinctionis, probatur conſequentia, nam omne agens agit, quia mouetur à fine, ergo finis eſt prima cauſa, & radix omnis diſtinctionis. ℞. neg. cõſeq. & ad probationem dicimus agens naturale agere inchoatiuè propter finem, à quo tantùm methaphoricè mouetur, quia igitur finis in ſe nihil cauſat reale in agente, non poteſt eſſe prima cauſa diſtinctiua; cùm non ſit vera cauſa realis.

Ob. 4. Sicut ſe habet principiũ in ſpeculabilibus; ità finis in practicis, ergo ſicut ſpeculatiua, ſpecificatur à principijs, ità practica à fine. ℞. valere de fine, vt cognito, quomodo cum obiecto coincidit, non de fine vt amato; quomodo habet rationem finis, vel valet de fine in ordine ad electionem mediorum, non in ordine ad notitiam practicam.

Ob. 5. De eodem obiecto dantur notitiæ practicæ, & ſpeculatiuæ, ergo diſtinctio non ſumitur àb obiecto. ℞. antecedens eſſe verum de eodem obiecto materiali, ſed non ſub eadem ratione formali, à qua ſumitur ſpecificatio. Sic ab homine, vt habente naturam, ſpecificatur phyſica. vt ſanabili medicina, vt beatificabili ſcientia moralis, vel Theologia &c.

## ARTICVLVS NONVS.

*An Practicum, & ſpeculatiuum ſcientiæ conueniant, & quomodo.*

1. SCot. ſupra quam dici queat doctiſſimus, de hoc Articulo diſertè agit q 4. Prologi, vbi doctiſſimè hanc materiam de notitia practica, & ſpeculatiua reſoluit. Et ꝙ huiuſmodi differẽtiæ ſciẽtiæ cõmuni cõueniãt, probat ex Ariſt. 6. Meth. c. 1. vbi ſcientiam diuidit in practicam, & ſpeculatiuam, ꝙ etiam fecit 6. Eth. initio. Et in libr. poſt. Et vbi exactè naturam ſcientiæ explicat, nunquam notitiam practicam à ratione ſciẽtiæ excludit. Et licèt hæc ſit inter Auctores communiſſima ſententia, non defuerunt tamen aliqui, qui oppoſitum docuerunt, aſſerentes differentias practici, & ſpeculatiui ſciẽ-

tiæ

tiæ in communi conuenire non poſſe, ità Sanch. tom. 1. log. q. 12. Valli' 2. poſt. Amic. tract. 27. diſp. 4. q. 2. dub. 6. concl. 3. qui alios antiquos Ariſt. interpretes citat.

Et horum fundamentum eſt, quia Ariſt. 1. Meth. c. 2. docuit de ratione ſcientiæ eſſe, quòd ſit gratia ſui, non gratia alterius, vt eſt notitia practica. Et 6. Eth. c. 1. diuidit facultatem intellectus in facultatem ſciendi, quæ res conſiderat, quarum naturæ aliter ſe habere non poſſunt, & in facultatem ratiocinandi, quæ aliter ſe haberi poſſunt, primam in c. 2. Eth. cit. vocat contemplatiuam, & c. 3. diuidit in ſcientiam, ſapientiam, & intellectum; ſecundam in prudentiam, & artem; ſciētiam diſtinguit, à prudentia, & arte, quia illa eſt circa obiectum neceſſarium, quod aliter haberi non poteſt, iſtæ verſantur circa obiectum contingens, quod aliter eſſe poteſt, nam operabile dicit ordinem ad exiſtentiam, & per conſequens eſt variabile, non æternum; Quia igitur de ratione ſcientiæ eſt habere obiectum neceſſarium, & hæc ad contemplatiuam attinet facultatem, notitia verò practica eſt circa cōtingens, pertinens ad ratiocinatiuam, ſeù actiuam, non poterit notitia practica ſub ſcientia, tamquam ſub genere contineri.

2. At R. faciliter, nam in primo loco Ariſ. ſolùm docere voluit ſcientiam ſpeculatiuam, quia eſt gratia ſui, perfectiorem eſſe practica, quæ eſt gratia alterius, non tamen negare ſcientiam eſſe, ad alium locum ex Eth. R. ex Doct. quòd ſub nomine ſciētiæ comprehendit etiam moralem, ſepè enim diſtinctionem aſſignat ex hoc, quòd ſcientia eſt de re demonſtrabili, non autem prudentia; at habitus vniuerſalium etiam notitiæ practicæ eſt de re demonſtrabili; poſſunt enim de operabilibus conſideratis in vniuerſali fieri propoſitiones neceſſariæ, & tantùm de particularibus fieri non poteſt demonſtratio, de quibus eſt prudentia; nec obiecti contingentia officit, nam actus, qui contingenter elicitur, concluditur neceſſariò eum debere eſſe taliter circumſtantionatum, vt ſit rectus, hinc Scot. docuit, quòd de ipſo cōtingenti poteſt dari ſcientia quantùm ad Concluſionem demonſtratam neceſſariò per aliquod .ſ. neceſſariò conueniens contingenti. Ariſt. autem appellauit hāc facultatem contemplatiuam, non quia ſit propriè ſpeculatiua, ſed quia eſt vniuerſalium, vbi prudentia eſt ſingularium, & eodem modo, quo medicina diuiditur in ſpeculatiuā, quæ eſt vniuerſalium, & practicā, quæ acquiritur ex vſu ſingularium actuum. Et 6. Eth. c. 7. & 8. manifeſtè docuit, prudentiam eſſe particularium.

3. Suppoſito igitur, quòd practicum, & ſpeculatiuum ſint differentiæ diuidentes ſcientiam in cōmuni. quærendum remanet, quomodo illi conueniant, circa quòd

duo inſurgunt dubia; vnum eſt an practicũ, & ſpeculatiuum ſint differẽtię immediatè diuidentes ſciẽtiam in communi, ità vt quælibet ſcientia ſit, vel practica, vel ſpeculatiua, & nulla detur media; alterum eſt, an ſint differentię eſſentiales, an verò accidentales. Et quantùm ad primum dubium, eſt poti⁹ quæſtio de nomine, pendet .n. ex diuerſa acceptione practici, & ſpeculatiui, & nos iam determinauimus, quòd practicum dicat extenſionem ad op⁹, ſpeculatiuum carẽtiam talis extenſionis, inter quæ nullum datur medium, ergo omnis ſcientia vel eſt practica, vel ſpeculatiua ex Doct. q. 4. Prol. cit. art. 1. & §. *Quarta via.* quicquid Ferchius reclamet contra communem ſenſum Scotiſtarum. Vndè ſolùm dubium remanet, an tales differentiæ ſint eſſentiales, vel accidentales, quod idem eſt ac quærere, an ſcientia poſſit ſimul eſſe practica, & ſpeculatiua, & lis agitari poteſt tam de actuali ſcientia, quàm de habituali, ſiuè partiali, ſiuè totali, & multæ ſunt opiniones.

Nominales, quia volunt ſcientiam totalem eſſe vnam aggregatione, affirmāt eſſe poſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, quatenus in ſe continere poteſt diuerſos habitus partiales, quorũ vnus ſit practicus, alter ſpeculatiuus, quòd tamen negant de habitu partiali, vel actu; nullus .n. habitus, vel actus dici poteſt ſimul ſpeculatiuus, & practicus. Aliqui affirmant etiam habitum ſimplicem quandoque eſſe ſimul practicum, & ſpeculatiuum, vel eminenter cum Caiet. vel formaliter cum Recentioribus, ità qui ſuſtinet Theologiam, & logicā dici practicam, & ſpeculatiuam, quòd alij extendunt etiam ad actum, vt Auerſa quæſt. 27. ſec. 2. Amic. tract. 26. diſp. 4. q. 4. dub. 10. Hurt. & Arriag. & alij.

*Concluſio.*

4. *Dicimus, nullum actum, neque habitum ſcientificum, ſiuè partialem, ſiuè totalem poſſe eſſe practicum, & ſpeculatiuum, tam ſimul, quàm ſucceſſiuè, & conſequenter has differentias eſſe quidditatiuas, & eſſentiales*; ità Scot. q. 4. Prol. art. 2. arguendo contra Gotfred. & preter Scotiſt. omnes, plures Thomiſtæ ſequuntur, ſaltẽ loquendo de ſcientijs naturaliter acquiſitis, vt Didac. diſp. 1. q. 6. Complut. ibidem, & alij. Et probatur ex Ariſt. q. 3. de An. 53. & 2. Meth. 3. & 6. Meth. c. 1. & 6. Eth. c. 1. & ſeq. & 1. Magn. mor. c. 32. & 33. quibus in locis ex diuerſitate obiectorum arguit, & diſtinguit ſcientias in practicam, & ſpeculatiuam; & ex hoc, quòd vna non eſt practica, infert eſſe ſpeculatiuam, quòd verum non eſſet, ſi eadem ſciētia ſimul eſſe poſſet ſpeculatiua, & practica.

Probatur etiam ratione, & primò de actu, ratio .n. practica, & ſpeculatiua ſunt differentiæ oppoſitæ, quæ contradictionem inferũt ex Doct. nam Cognitio practica fertur in obiectum, vt operabile,

eſt ex ſe directiua operationis; & reſpicit obiectum in ordine ad exiſtentiam; ſpeculatiua verò ex propria natura reſpicit obiectum in ſe, non in ordine ad opus, nec eſt directiua operis, & præſcindit ab exiſtentia, ergo eidem actui conuenire non poſſunt; antecedẽs patet, quòd .ſ. illa attributa conueniant ex proprijs naturis, nam quę conueniunt actui ratione obiecti formalis, competunt illi eſſentialiter, actus .n. ab obiectis ſpecificantur, iſta verò attributa conueniunt actibus ex obiectis proprijs formalibus, nam eſſe practicabile eſt ratio formalis conſtituens ſcientiam practicam, ſicut ſpeculabile conſtituens ſpeculatiuam, & ſi ab illis auferretur ratio operabilis, vel ſpeculabilis, non amplius remanerent obiecta ſcientiæ practicæ, vel ſpeculatiuæ; conſequentia probatur, quia idem actus tenderet, & non tenderet in opus, dirigeret, & non dirigeret &c.

Reſpondent aliqui, quòd hæ rationes ſolùm probant non poſſe dari actum formaliter practicum, & ſpeculatiuum, non tamen eminenter. Sed hæc euaſio ferè ab omnibus reijcitur, nam quælibet notitia, vel fertur in obiectum in ordine ad opus, & ſic eſt formaliter practica, vel in ordine ad ſe, & ſic eſt formaliter ſpeculatiua; & ſicũt dari nõ poteſt obiectum, quod ſit conſiderabile ab intellectu, ſed nullo ex his modis, ità dari nequit notitia, quæ nõ ſit formaliter ſpeculatiua, vel practica.

5. Ex his probata remanet alia pars de habitibus partialibus, cùm enim actus ſpecie diuerſi generent habitus ſpecie diuerſos, nec idem habitus concurrere poſſit ad actus ſpecie diſtinctos ex dictis, ſequitur, quòd ſicut actus practicus, & ſpeculatiuus ſpecie differunt, ità & habitus illis correſpondentes. Et tandèm probatur de ſciẽtijs totalibus, nam ſcientia totalis dicitur vna ex vnitate habitus alicuius quidditatis includentis vel virtualiter, vel potẽtialiter veritates demonſtrabiles de eo, cuius eſt quidditas, & de inferioribus ſub eo cõtentis, ità quod omnia conſiderata in totali ſcientia conueniant in vna ratione formali conſiderandi, vel generica, vel ſpecifica; ſed dari nõ poteſt vna notitia alicuius quidditatis, quæ reſpiciat illam ſub ratione ſpeculabilis, & practicabilis ſimul vel ſub ratione aliqua præſcindente vt dictum eſt, ergo neq; habitus ſimilis dari poterit, ex cuius vnitate vnitas totalis ſcientiæ ſumatur. Tùm quia vnitas ſcientiæ totalis pẽdet ex vnitate principiorum, ſed dari nõ poſſunt principia communia ſcientiæ ſpeculatiuę, & practicæ, ſunt .n. omnino diuerſa, nam cognitio principiorum ſpeculatiuæ pertinent ad habitus Intellectus, principia verò practicæ ad Synderesim, vt benè loc. cit. Cõplut. aduertunt. Ex his conſequẽter deducitur, quòd nec etiam per potentiam Dei idem actus, vel habitus

bitus

bitus poſſet de ſpeculatiuo fieri practicus, nequit .n. Deus Eſſentias rerum immutare &c.

*Obiectiones.*

6. Ob. 1. Idem Intellectus eſt practicus, & ſpeculatiuus, ergo & idē habitus ſimul eſſe poterit practicus, & ſpeculatiuus. ℞. neg. paritatem, nam idem Intellectus eſt etiam ſcientificus, opinatiuus, & erroneus, & tamen idem habitus, vel actus non poteſt eſſe ſcientia, opinio, & error, nec ſimul, nec ſucceſſiuè, & ratio eſt qa huiuſmodi differentiæ accidētaliter cōueniūt intellectui, & inadęquatè propter ſui illimitationem, habitibus verò, & actibus eſſentialiter, cum ex proprijs obiectis formalibus ſumātur.

Ob. 2. Fides eſt ſimul practica, & ſpeculatiua, quia inclinat ad actus practicos, vt quòd Deus ſit amandus, & ad ſpeculatiuos, vt q̃ ſit vnus, independens &c. quæ ſunt Concluſiones ſpeculatiuæ, & Met. ℞. neg. aſſumptum, & ratio eſt, qa actus non ſpecificantur ex obiectis materialibus, ſed ſolùm ex formalibus; vndè aſſerimus omnes actus fidei eſſe eiuſdem ſpeciei, & conſequenter omnes vel practicos, vel ſpeculatiuos, vnicum enim habent motiuum aſſentiendi, quæ eſt Authoritas Dei reuelantis.

Ob. 3. habitus ſpeculatiuus cōcurrit ad directionem, quæ fit à practico, meth. .n. oſtendit Deum eſſe ſummum bonū, primum ens, Infinitum &c. quæ omnia conducunt ad dirigendam voluntatem in Dei Amorem, ergo practicum, & ſpeculatiuum non ſunt differentiæ oppoſitæ, cùm vnum oppoſitū non concurrat ad conſtitutionem alterius oppoſiti, ℞. neg. conſequ. nam ſolùm ſequitur, quòd habitus ſpeculatiuus poſſit eſſe virtualiter practicus, non formaliter, in quo ſenſu non repugnāt, ſicut aqua calida eſt formaliter calida, & virtualiter frigida, & vinum virtualiter calidum, & formaliter frigidum. Tùm quia ad cōcluſionem practicam requiruntur duæ præmiſſæ, quarum vna eſt oſtenſiua bonitatis obiecti, alia directiua in generali, vt ſummum bonum eſt diligēdum, Deus eſt ſummum bonum, ergo diligendus, maior eſt directiua in generali, & formaliter practica, min. in ſe eſt formaliter ſpeculatiua, ſed in tali Syllogiſmo eſt virtualiter practica.

Ob. oſtendimus ſupra dari poſſe vnam ſcientiam totalem omnium rerum, ergo hęc non erit practica, nec ſpeculatiua, ſed vtrumque formaliter. ℞. aſſumptum eſſe verum de ſcientijs ſpeculatiuis, non de ſcientia in communi; & licèt per præciſionem dari poſſit ſcientia tamquàm genus pręſcindens a differentijs practici. & ſpeculatiui, à parte rei tamen nō datur hæc ſciētia, ſed ſemper eſt in ſuis ſpeciebus incluſa, & ideò vel practica, vel ſpeculatiua.

Ob. pro Hurtad. & Arriaga. Si quis haberet Cognitionem pductionis roſæ, hæc cognitio, vt patet

tet, eſſet ſpeculatiua; Si tamen hoc actu permanente, communicaret illi Deus potentiam productiuam roſæ, in tali caſu illa notitia euaderet practica, quia eſſet de aliquo operabili, ergo idem actus poteſt de ſpeculatiuo fieri practicus ſucceſſiuè, ſaltē p Dei potētiā. ℞. ad minorem, ꝙ poſt communicationem virtutis, adhuc ille actus eſſet ſpeculatiuus, cùm nulla in eo eſſet facta mutatio; vel quòd ſi in caſu obiectum mutaretur de ſpeculabili in operabile, iam mutaretur actus, ad mutationem .n. obiecti, mutatur etiam actus quo ad entitatem, & ità non eſſet idem actus. Multa alia congerūt hic Doctores de hac materia, quæ pro modo relinquimus, tùm breuitatis cauſa; Tùm quia ſatis logicæ limites traſcendunt. Siquis prolixiorem notitiam habere cupit, adeat Maſtr. & Bell. in logic. ſatis amplè, & doctè hanc diſputationem agitantes.

## ARTICVLVS DECIMVS.

*De Subalternatione Scientiarum.*

1. SCot. vir ingenij excellentis, acerrimique iudicij ac humanarum, Diuinarumque literarū longè peritiſſimus, de hoc art. erudìtè differit in 3. d. 24. q. vn. A. & H. & q. 3. Prol. & ſepè alibi. Pro cuius notitia ſupponimus tamquā certum apud omnes, quòd aliquæ ſcientiæ ſunt omnino diſparatæ, nullam ſubordinationem inter ſe habentes: aliæ verò ſunt ad inuicē ſubordinatę, quæ ſubordinatio appelari ſolet ſubalternatio, & illa, ſub qua ponitur alia ſciētia vocatur ſubalternās, illa verò, quæ ſubalternanti ſupponitur, dicitur ſubalternata. Ad hoc autē, vt aliqua ſciētia alteri ſubalternata dici poſſit, tres conditiones requiruntur iuxta communiorem ſententiam; Prima, vt ſubalternata habeat pro obiecto aliquid contentum ſub obiecto ſubalternantis; Secunda, vt ſupra hoc obiectum addat differētiam accidentalem; Tertia, vt ſua principia demonſtrentur in ſcientia ſubalternante; & ſi aliæ conditiones aſſignentur, vel ad iſtas reducuntur, vel non ſunt conditiones neceſſariæ, explicentur modò Conditiones.

2. Prima Conditio eſt, ꝙ obiectū ſubalternatæ contineatùr ſub obiecto ſubalternantis, quæ cōditio aſſignatur ab Ariſt. 1. poſt. 20. & 30 vbi docet obiectū ſubalternantis debere aliquo modo eſſe idem cum obiecto ſubalternatæ; patet etiam ratione, nā omnis cōditio ſcientię pręſertim ortum ducit ab obiecto, ergo ſi vna ſcientia alteri ſubalternatur, & ab ea depēdet, oportet, vt obiecta illarum ſubalternata ad inuicem, & ordinata ſe habeant. Solet hic dubitari, an ſicut obiectum ſubalternæ incomplexū debet aliquo modo eſſe idē cum obiecto ſubalternantis, idem dicendum ſit de obiectis complexis .ſ. de concluſionibus, ità quod tā ſubalternans, quā ſubalternata ſint de eiſdem prorſus Concl. Aliq

Tho-

Thomiſtæ affirmant, aſſerentes, quod ſubalternata, & ſubalternãs in hoc differunt, quòd hæc concl. demonſtrat demõſtratione propter quid, illa verò demonſtratione quia. Sed melius cũ Scoto loc. cit. tenendum eſt, quem ferè omnes ſequuntur, quod .ſ. concluſiones vtriuſq; neceſſariò diuerſæ eſſe debent, quod probat, quia principia ſubalternatę ſumũtur à ſubalternante, quia ab ipſa demonſtrantur, ſicut concluſiones ipſius, & vbi deſinit ſubalternans, ibi incipit ſubalternata, ergo illæ ſcientiæ non poſſunt eſſe de iiſdem concluſionibus. Tũ quia eadẽ ſciẽtia poterit ſuas cõcluſiones vtraq; demonſtratione demonſtrare ex Ariſt. 1. poſt. 30. ergo hęc differẽtia ſcientiã ſubalternantẽ, & ſubalternatam conſtituere non poteſt.

3. Secunda Conditio eſt, vt ſciẽtia ſubalternata ſupra obiectũ ſubalternantis addat differentiã accidentalem. Sed contra hanc conditionem inſurgit Sonc. 4. met. 4. q. 9. contendens, differentiam additam ſupra ſubalternantis obiectum debere eſſe eſſentialem, vel ſaltem paſſionem inſeparabilem, Zabarell. libr. de trib. præcog. c. 12. docet hanc differentiam accidentalem ſuperadditam non habere rationem partis formalis ſubiecti, ſed materialis. Sed neutra opinio admittitur; non prima, quia eſt directè contra Ariſt. loc. cit. vbi docet, quod Obiectũ ſubalternæ debet eſſe alterum, hoc autem eſt accidẽtaliter differre ab obiecto ſubalternantis, nam differentia eſſ
tialis facit aliud, accidentalis f
alterum in cap. de differentia.
quia ſi talis differentia eſſet eſſ
tialis, omnes ſcientiæ deberent
ci ſubalternatæ methaphyſicæ.
quia non eſſet diſtincta ſcientia à
balternante, ſed potius cum illa vnam totalem ſcientiam cõſtitue-ret, ſicut in logica ſcientia de prædicam. de prædicabilibus, de propoſitionibus, & de Syllogiſmo, vnam logicam totalem integrant. Neq; poteſt eſſe paſſio, nã ad eamdem ſcientiam attinet ſubiectum conſiderare, & paſſiones ſubiecti, ergo ſubalternans, ſi conſideraret obiectum, vt ſtat ſub illa paſſione ſuperaddita à ſubalternata, iam non diſtinguerentur ſubalternans, & ſubalternata. Quòd deindè illa differentia ſuperaddita nõ habeat rationem partis materialis, vt Zabarel. aſſerebat, ſed potius rationẽ partis formalis obiecti, benè probat Faber Theor. 12. nam quòd ſe habet vt contrahens, & alteri aduenienſ iam conſtituto, non poteſt eſſe pars materialis, ſed formalis, at differẽtia ſuperaddita ſubalternanti, V. g. ſonorum reſpectu numeri, contrahit numerum ad conſiderationem ſpecialem, vbi Ariſt. numerum in vniuerſali conſiderabat, ergo &c. Tùm quia modus conſiderandi ſe habet vt pars formalis, non materialis, ſed hæc differentia ſe habet vt modus conſiderandi, quia V. g. conſiderat numerum vt ſonorum, ergo &c.

4. Ob.

4. Ob. contra hanc conditionem: Differentia illa accidentalis facit vnum per accidens cum obiecto, at ſupra art. 4. oſtendim⁹ non poſſe dari ſcientiam de ente per acidens, quia præmiſſæ demõſtrationis debent eſſe per ſe, ſed ꝓpoſitiones de ente per accidens nõ ſunt huiuſmodi, ergo &c. Tùm qa obiectum ſubalternantis, & ſubalternatę non niſi accidentaliter differunt, vt homo, & homo albus, ergo ſcientia ſubalternãs, & ſubalternata tantùm accidentaliter differrent, patet conſequentia, quia ſcientia per nos ſumit vnitatem, & ſpecificationem ab obiecto. ℞. ad primum, quod obiectum, & differentia accidentalis ſuperaddita poſſunt conſiderari multipliciter; vel vt vtrumq; in recto, & vt æquè conſtituunt aliquod tertium, & hoc modo non ſpectant ad ſcientiam, quia non faciunt vnum per ſe, vel quia vnum ſit per ſe conſideratum, aliud verò per accidens, & neque vt ſic pertinet ad ſcientiam ſubalternatam, quæ vtrumque per ſe conſiderat, aliter quia quod eſt per ſe, poteſt eſſe ſine eo, quod eſt per accid. poterit dari ſcientia ſubalternata ſine aliquo illorum, ꝙ per accidens conſideratur, Muſica V.g. ſine numero, vel ſine ſonoro, quòd eſt falſum, quia Muſica vtrũque per ſe conſiderat; Tertiò conſiderari poſſunt quatenus vnum eſt de ratione alterius, non in recto, ſed in obliquo, & hoc modo à ſciẽtia conſiderari poſſunt. Et manifeſtatur exemplo, ſonus ſecundum ſe, vt ab harmonia præſcindit, attinet ad phyſic. ſicut numerus ſecũdum ſe ad Arith. at ſi conſideretur ſonus in ordine ad harmoniam, & concentum, ſic dependent à numero, qui ſe habet vt principium, & radix talis concentus, & in hoc sẽſu vtrumque à Muſica cõſideratur, & ità obiectum ſubalternatæ eſt vnum per ſe, quia Muſica in recto cõſiderat ſonum harmonicum, numerum verò in obliquo, vt principium, cauſam, & radicem ſonus harmonici, de quo poſſunt propoſitiones per ſe formari, & paſſiones demonſtrari; Vndè cùm differentia ſuperaddita prædicatur de obiecto ſubalternantis, vt ſonorũ harmonicè de numero, fit propoſitio per ſe ſaltèm in quarto modo, quaten⁹ effectus per ſe prędicatur de ſua cauſa per ſe; vt cùm dicitur voluntas vult, quòd ſufficit ad rationem ſcientiæ, ſaltèm non in ꝓprio rigore, ità Complut. diſp. 19. in log. q. 2. & ſequuntur Bellut. & Maſtr. hic.

Ad ſecundum negatur conſequ. & ratio, eſt, quia nõ eadem diſtinctione differre debent ſcientiæ inter ſe, qua differunt obiecta, nam ſcientia de ſubſtantia, & accid. de Deo, & creatura ſunt eiuſdem generis .ſ. qualitatis, & tamen obiecta differunt pluſquam genere, cui⁹ fundamẽtum eſt, quia ſcientiæ diſtinguuntur in ordine ad obiecta extrinſecè tantùm, non intrinſecè quare licet obiecta illa in eſſe rei di-

diſtinguantur per accidens, attamen in eſſe ſcibilis, ſeù vt per ſe à ſcientia conſiderantur, ſufficiunt ad cauſandas ſcientias ſpecie eſsētiali inter ſe diſtinctas; hinc ſequitur, quòd non quælibet accidentalis differentia ſuperaddita cuicumque obiecto ſufficit ad ſubalternatam ſcientiam conſtituendam, aliter daretur ſcientia de numero colorato, de linea alba &c. Sed tantum illa, quæ per ſe reſpicit obiectum ſubalternantis, vt radicem, & principium alicuius effectus.

Ob. Si differentia illa eſſet pars formalis, ſubalternatio ſcientiarū ab ipſa ſumi deberet, tamquam à principaliori, & quia ſonus continetur ſub re naturali, ſicut etiam viſuale, numerus verò, & linea ſub Arith. ſcientiæ de ipſis potius phyſicæ, quam mathematicæ ſubalternari deberent, ℞. non eſſe penitus contra rationem ſcientiæ illas dici aliquo modo phyſicæ ſubalternari, vndè Ariſt. 2. phyſ. 20. huiuſmodi ſcientias ſubalternatas vocauit naturales, & ponuntur cōmuniter mixti generis inter ſcientias mathematicas, & ſimpliciter naturales; dicuntur tamen potius ſubalternatæ Math. quàm phyſicę, quia eſtò idem obiectum materiale ſit vtriuſque, tám .n. Arith. quā muſica V.g. agit de numero, non ſic tamen obiectum formale muſicæ, ſed vt à ſubiecto materiali tāquam à principio dependet, & vnum conſiderat per ſe, alterum in obliquo, vt diximus, quòd non euenit de ſono reſpectu ob[…] phyſici, quòd in recto ab omni[…] ſuis partibus conſideratur.

5. Tertia conditio eſt, vt p[…]cipia ſubalternatæ demonſtren[…] in ſcientia ſubalternante, quæ ſ[…]tentia eſt communior, licèt ad[…] inter D.D. ſit aliquod diſſidiu[…] nam qui docent, quòd princip[…] ſubalternatæ ſint Concluſiones [...]balternantis, quidam verò put[…] non eſſe neceſſarium, vt princi[…] ſubalternatæ ſint cognita virtu[…] ſubalternantis, ſed ſufficere ſi [...]gnoſcantur experientia, & qu[…] ſubalternata ſciat ſuas concluſ[…]nes reſoluere in principia cogn[…] per ſenſum, ità Durand. cum al[…] Thomiſtæ potiores, vt videre apud Cōplut. & Ioan. de S. Tho[…] affirmant ſufficere, vt habens ſ[…]alternatam, cognoſcat illa prin[…]pia per fidem, & ex Authorita[…] habentis ſubalternantē, qui eui[…]ter illa principia cognoſcit. S[…] tamen in 3. d. 24. §. *ad 1. pro 1.* [...]*pin.* & q. 3. prol. docet, vt hæc pr[…]cipia ſint nota habenti ſubalter[…]tam vi ſubalternantis in eodem [...]tellectu exiſtentis, ità vt ſi ſub[…]ternantem non haberet, nullo m[…]do cognitio concl. ſubalternatæ [...] illo dici poſſet ſciētia ſubaltern[…]ta, ſed poti' opinio. Sequūtur Sc[…]tiſt. communiter & ex exteris A[…]reol. Gregor. Gabr. Dur. Sonc. Vaſqu. Mol. Suar. Conimbr. M[…]riſan. Blanc. Ruu. Amic, Auer[…] & alij.

6. Sumus cum Scoto, & qu[…]

ſubal-

ſubalterna, ſua principia à ſubalternante accipiat, indè patet, quia ſi ſubalternans, & ſubalternata de eiſdem eſſent concluſionibus, ſed à ſubalternāte demōſtratis à priori, à ſubalternata verò tantùm à poſteriori, fruſtra daretur ſcientia ſubalternata, cùm de eadem re haberetur alia perfectior. ſ. ſubalternans, quæ procederet demonſtratione ꝓpter q̄d, & ita omnis Geometra eſſet perfectus perſpectiuus. & oñis arithmeticus perfectè muſicus, quòd eſt falſum. Tùm quia ſubalternata quoad cognitionem à poſteriori non pendet à ſubalternante, ergo ſubordinatio nulla erit. Tùm tandèm quia ſubalternās, & ſubalternata differunt obiectis, ergo & concluſionibus. Quòd deinuē principia ſubalternatæ ſint concluſiones ſubalternantis, & nō prorſus principia vtriuſque, probatur ex illo Doc. dicto, quòd omnes ferè amplectuntur. ſ. vbi deſinit ſubalternans, incipit ſubalternata, at ſcientia quælibet in concl. deſinit, ergo cōcluſiones ſubalternantis ſunt principia ſubalternatæ, patet exemplo, nam Geometer ſolùm demōſtrat partes circuli maximè diſtare, quia caret angulis, ex quo Chirurgus deindè deducit vulnus circulare difficilius curari, quia partes eius maximè diſtant, quæ erat Concluſio Geometrica.

7. Quòd tandèm ſubalternata, & ſubalternās debeant in eodem intellectu reperiri, & continuari, probat Scot. quia de ratione ſcientiæ eſt, quòd ſit certa, & euidens, ex principijs certis, euidentibus, & immediatis cauſata, ſed notitia ſubalternatæ in non habēte ſubalternantem nō eſt huiuſmodi, ergo &c. ma. patet ex dictis art. de ſciētia & eſt Doctrina Ariſt. 1. poſt. c. 2. vbi habet, non eſſe ſcientem illum, qui concluſiones reſoluere neſcit vſque ad principia prima, & immediata; minor probatur: Omnem certitudinem, & euidentiam Concluſio habet à certitudine, & euidentia principiorum, ex quo Ariſt. infert principia eſſe certiora, & notiora concluſione, at principia in nō habente ſubalternantem non habent certitudinem, & euidentiam; cùm non ſint immediata, & ex terminorum apprehenſione cognoſcibilia, ergo nō poſſunt certitudinē, & euidentiā tribuere cōcluſioni, q̄a nemo dat, ꝙ nō habet.

8. Reſpondent Aduerſarij euidentiam non eſſe de ratione ſcientiæ, ſed ſufficere certitudinem, & ratio eſt, quia finis ſcientiæ eſt aſſecutio veri, ſeù firma adhæſio ad verum, quæ per certitudinem habetur; at euidentia, & claritas requiritur, vt obiectum firmiorem cauſet aſſēſum, fides autem humana aliquando talem cauſat certitudinem, vt omnem hæſitationem expellat, quia ſine hæſitatione credimus eſſe Romam, Venetias &c. qua certitudine gaudet ille, qui nō habens Geometriam, principia habet perſpectiuæ ex atteſtatione

Magiſtri, & tantò magis, quia nõ credit Magiſtro, vt homo eſt, ſed vt Geometer, & conſequenter, vt illorum principiorum firmitatem habens, & hoc eſt Achille Aduerſariorum. Sed quam falſum ſit, euidentiam non eſſe conditionem neceſſariam per ſe requiſitã ad ſcientiam, iam ex dictis patet art. 1. huius diſput. & adhuc infra dicemus, claritas .n. in cognitione non ſolũ requiritur propter certitudinem, ſed propter ſe ipſam, cũ ſit intrinſeca perfectio cognitionis, quare intrinſecè perfectior eſt cognitio clara, quàm obſcura, licèt vtraque certa ſit, quod verum non eſſet, ſi eſſet conditio tãtùm accidentalis, quod .n. eſt de per accidens non diſtinguit eſſentialiter, at euidentia facit diſtinguere eſſentialiter ſcientiã à fide. Tùm quia hæc certitudo quantumuis maxima, non excedit limites fidei, ergo non poterit certitudinem ſciẽtificam cauſare, ad quam aliquid plus exigitur. Tùm tandèm, quia totùm hoc de qualibet alia ſcientia dici poterit, ſcil. quòd principia alicuius concl. ſi ſine formidine credantur, cognitio concluſionis erit ſcientifica, ergo hoc non erit peculiare de ſcientia ſubalterna.

5. Ob. 1. probando, ꝙ ſubalternãs, & ſubalternata ſint de eiſdem concluſionibus Auct. Ariſt. 1. poſt. c. 7. tex. 20. vbi ait: muſicũ, & perſpectiuum poſſe demonſtrare, quæ ad geometricam, & arith. ſpectãt, ergo. ℞. Ariſt. ibi non aſſerere mu-

ſicum, & arith. eſſe de eiſdem c
cluſionibus, ſed ſolùm, ꝙ quæ l
ſciẽtia debet ex proprijs proc
re, & ꝙ in ſubalternatis ſcien
ſuperior quaſi deſcendat ad ge
inferioris, & ipſius concluſion
demõſtrat ſaltẽ in vniuerſali pr
ter affinitatẽ quam habẽt inte
biecta, vnde ſcientiæ cognatæ
ſolent, vel quòd ſunt de eadem
materialiter, quatènus concluſ
nes ſubalternantis ſunt principi
ſubalternatæ.

Ob. 2. ex eodem 1. poſt. cap.
tex. 30. vbi docet in hoc differ
ſubalternantem à ſubalternata
illa demonſtrat propter quid, l
verò quia .i. quòd eædẽ concl.
vna demonſtrentur à priori, ab
tera à poſteriori, & via ſẽſus, &
Philoſophus ſe declarat; vnde
demus multos ſine arith. muſic
poſſidere, quia illam acquirun
experientiam. ℞. quòd ibi Ar
loquitur de ſubalternata, non t
tùm vt dicit habitum concluſio
demõſtratarum per principia à
balternante accepta; ſed vt eti
ſignificat habitum cõcl. via ſenſ
& experientia, & in hoc ſenſu di
ſubalternatam demonſtrare, qu
& per ſenſum, nam V. g. muſica
plex eſt, vna experimentalis, & h
haberi poteſt ſine arith. & prop
non ſubalternatur; alia ſcientifi
quæ ſuas probat concluſiones
principia in arith. probata, & h
propriè eſt ſubalterna; quando
tur Ariſt. ait, quòd ſubalterna
monſtrat demonſtrat, quia, & 

ſensũ, locut⁹ fuit de experimẽtali, q̃ vt ſic non eſt ſubalterna reduplicatiuè, ſed tantùm ſpecificatiuè.

Ob. 3. ex hac doctrina ſequeretur, q̃ quilibet Arith. eſſet muſicus, quod eſt falſum patet ſequela, nã ille muſicus dicitur, qui ſcit concluſiones muſicas demonſtrare, ergo ſi arith. demonſtrat propter quid concluſiones muſicæ, purus arith. diceretur etiam muſicus. R. negãdo ſequelã, nã licèt Arith. habeat proprias concluſiones, hæ tamen non ſunt concl. muſicæ, ſed principia, & eſtò principia habeat, requiritur tamen, vt determinentur, & applicentur ſono, qui eſt obiectum muſicæ, vt deinde inferantur Concluſiones, quod ſine muſica fieri non poteſt.

Ob. 4. Ariſt. has ſcientias vocat vniuocas, ergo non differunt inter ſe. R. dici vniuocas propter cognationem, & affinitatẽ, quam habent obiectorum, & principiorum, non propter identitatem inter ſe.

Ob. tandem Thomiſt. quòd nõ requiratur neceſſariò continuatio ſubalternantis cum ſubalternata. Scientia ſubalternata, vt ſic ſupponit, non probat ſua principia, & vt ſic eſt ſcientia, ergo etiam ſeparata à ſubalternante erit quoque ſcientia. R. negando anteced. ſi enim in aliquo hæc principia non ſunt probata, & euidentia, tunc in ipſo ſubalternata non erit ſcientia, ſed eſſet tantũ cõcluſio ſcibilis, habita à poſteriori, & per experientiã, cũ nõ poſſit illã concluſionem in ſua principia reſoluere, quod eſt de ratione ſcientiæ ſecundum Ariſt.

# DISPVTATIO XIX.

## DE DEMONSTRATIONE.

QVIA principia Syllogiſmi, alia ſunt formalia, vt eſſe in modo, & figura, & alia materialia, quales ſunt præmiſſæ ſecundum debitas conditiones .ſ. quod ſint p ſe, immediatæ, priores, &c. hinc libri illi, in quibus forma, & figura declaratur, quia de magis communibus, dicuntur libri reſolutorij Priorũ, iſti verò, in quibus de materia neceſſaria agitur, quæ minus communis eſt, inſcribuntur reſolutorij Poſteriorum, quę pars in tota Ariſt. logica principem obtinet locum, cuius intentum fuit in his libris naturam, & proprietates Demonſtrationis inueſtigare, & conſequenter ſubiectum erit Demonſtratio, non inſtrumentum ſciendi commune Demonſtrationi, & Definitioni; nec ſolum erit Demonſtratio propter quid, vt aliqui autumant, ſed Demonſtratio in communi ad propter quid, & quia, de vtraq; n. Ariſt. agit, vt ex progreſ-

tu operis patet, & vtraq; facit ſcire, vt in ſequentibus oſtendemus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*De Demõſtratione propter quid, & quia.*

SCot. qui indagandam omnes neruos ad veritatem extendit, quæſt. 7. Quol. §. *Tertia Concluſio.* lit. I. docuit tunc demonſtrari concluſionem propter quid, quando per propriam, & immediatam cauſam probatur, ſeu per propoſitionem, quæ nota ſit ex terminis, & ideo diximus in Inſtit. quòd demõſtratio propter quid eſt illa, quæ per cauſam proximam, & adæquatam ad probandam Concluſionẽ procedit, loquendo igitur de Demõſt. propter quid, duas aſſignauit Ariſtot. definitiones 1. Poſt. c. 2.

1. Prima definitio eſt: *Demonſtratio eſt Syllogiſmus ſcientialis, ſeù faciens ſcire.* vbi Ariſt. per ſcientiam intelligit propriiſſimã, & per cauſam, aliter hęc definitio etiam Demonſtrationi Quia conueniret. Circa quam definitionem dubitari ſolet; quomodo demonſtratio dicatur cauſare ſcientiam, cũ demonſtratio nihil aliud ſit, quã diſcurſus ſcientificus, vel ipſa ſcientia? Pro cuius reſolutione ſupponimus, Syllogiſmum dupliciter accipi, ſcilic. idealiter, vel exercitè; ſi cum quibuſdam hic definiatur Demonſtratio idealiter capta, tunc dicetur cauſa inſtrumentalis ſcientiæ, quia vt ſic dicit [illegible] di directiuum ſcientiæ operationis; Si verò [illegible] quod definita fuerit demõſtratio exerc ſeu formaliter; tunc ſi per ſcien intelligatur actualis, quæ eſt gnitio concluſionis, cum dic demonſtratio eſt cauſa ſcient ſumi debet pro præmiſſis tantũ quæ ſunt cauſæ effectiuæ conc ſionis. Si autem intelligatur ſcitia habitualis, ſic demõſtratio finiri poterit, pro ſola cõcluſio

2. Secunda Definitio eſt, qu ſit: *Syllogiſmus conſtans ex veris, p mis, & immediatis, prioribus, notio bus, & cauſis Concluſionis.* Quam ſtinctè quo ad omnes ſuas partic las ſuo loco explicuimus; & ſolù hic addimus, cum aliquibus ha non eſſe veram definitionem d monſtrationis, ſed potius quan numerationem conditionum, qu ad producendam ſcientiam requ runtur; hinc poſtquam Ariſt. def nitiones ſcientiæ, & demonſtratic nis tradidit, incepit condition neceſſarias explicare, ſed non om nes conditiones hic aſſignauit, ſe aliquas declarauit cap. 4. vt quò præmiſſæ ſint neceſſariæ, de omni per ſe, & ſecundum quod ipſum; cum hæ conditiones neceſſariæ debebãt cum alijs enumerari, ſi illa eſſet vera definitio; aliqui tame affirmant, quòd in hac ſecunda definitione adduxit tantum conditiones, quæ per ſe, & explicitè ex definitione ſcientiæ deducuntur, in quibus illæ relatæ cap. 4. virtualiter continentur.

Hæc igitur Demonſtratio propter quid ad oſtendendas concluſ. pro-

cedit

cedit ex cauſis & immediatis, ſeù proximis, & adæquatis demõſtrat .n. non ſolùm prædicatum conuenire ſubiecto in concluſione, ſed etiam reddit cauſam propter quam inſit, & ſubiecto conueniat.

Quàntùm ad Demonſtrationem Quia; eſt ſciendum, quòd hæc demonſtratio non demonſtrat per propriam cauſam, quare ly quia, non accipitur cauſaliter, ſed vt eſt mera conjunctio, nam oſtendit, ꝙ hoc ſit hoc; vndè ſolet etiam nuncupari demonſtratio quod eſt, & multipliciter fieri cõtingit, vt ſuo loco adnotauimus.

3. Hic dubitari ſolet, an Demõſtratio quia ſit vera ſpecies demonſtrationis, & aliqui ex antiquoribus negant, vt Auic. Them. Simplic. &c. & ex Recentioribus Cõplut. diſp. 18. q. 4. Conimbr. q. 1. art. 3. Maſ. & alij. quidam ex oppoſito tres ſpecies demonſtrationis conſtituunt .ſ. Quia, Propter quid, & ſimpliciter, ſeù potiſſima. Media ſententia duas ponit immediatas ſpecies demonſtrat. Quia, & Propter quid, quãuis deindè differant Authores, an ſint ſpecies ſubalternæ, an verò ſpecialiſſimæ.

*Concluſio.*

4. *Dicimus, duas eſſe veras demonſtrationis ſpecies ſubalternas, ſcil. Propter Quid, & Quia*, eſt Scoti quol. 7. lit. A. & 2. poſt. quæſtion. 56. & eſt cõmunior, quàm præter Scotiſtas, ſequuntur etiam Auerſa q. 28. ſec. 2. Ioann. de S. Thom. q. 25. art. 4. Ruu. Didacus, Amic. & Alij. Et ꝙ demonſtratio quia ſit vera demõſtratio, patet claris Ariſt. teſtibus, qui 1. poſt. 30. de ipſa loquitur tãquam diſtincta à propter quid, & tex. 17. & 18. vtramque ait ex neceſſarijs procedere debere. Tùm quia duplex ſcientia aſſignatur ab Ariſt. quia, & propter quid, ergo duplex demonſtratio. Tùm quia fuit origo omnis ſcientiæ propter quid, vt .n. ait Philoſophus primò Meth. c. 1. ex effectuum cognitione homines philoſophari ceperũt. Tùm quia cognitio per hanc demonſtrationem genita eſt certa, euidens, & neceſſaria, ab opinione eſſentialiter diſtincta, ergo eſt ſciẽtifica, licèt non ſit per cauſam.

At Reſpondent Compl. ad ſciẽtiam neceſſariò requiri, quòd ſit per cauſam. non valet nam Ariſt. manifeſtè hanc cognitionem ab effectu ſcientiam appellauit, neque ad rationem ſcientiæ in cõmuni, hæc conditio neceſſaria videtur, ſed ad rationem ſcientiæ rigoroſam.

Secundò, quòd non detur alia ſpecies præter has duas, patet ex Ariſt. qui has duas tantùm demõſtrationis ſpecies aſſignauit loc. cit. Tũ quia omnis bona diuiſio ad bimembrem reduci debet, ergo licet demonſtratio propter quid, & potiſſima ſpecie differrent, quia tamen in hac cõmuni ratione conueniunt, ꝙ demonſtrent per cauſam proximam, & immediatam, debebit vna demonſtrationis ſpecies ſubalterna abſtrahi, in quas

de-

Digitized by Google

demonſtratio in communi imme-diatè deſcendat, ſicut enò demon-ſtratio quia ſit multiplex ſpecie, vna tamen ponitur tamquam im-mediata ſpecies ſubalterna ſub de-monſtratione in communi, quo modo diuiſit Ariſt. tex. 30. per hoc quod eſt demonſtrare per imme-diata; & nõ per immediata, & hãc appellauit demonſtrationem quia, vel quod; illam verò demonſtra-tionem ꝑpter qd, hæc autem ſub-diuiditur, vel .n. demonſtrat per quodcumque genus cauſæ, & di-citur propriè propter qd, vel tãtũ per genus cauſæ formalis, & dici-tur potiſſima, vt infra patebit.

Tertiò, quòd hæ ſint ſpecies ſu-balternæ, indè patet, quia diuerſi-tas principiorum ſpecifica, ſpeci-ficam infert diſtinctionem demon-ſtrationum, at principia, quæ pro-cedunt ab effectu, vel à cauſa re-mota, vel à concomitanti in de-monſtratione quia; & quæ proce-dunt ex diuerſis cauſarum generi-bus in demõſtratione propter qd, ſpecie differunt, vt patet ex dictis, ergo etiam demonſtrationes ab il-lis conſtitutæ, & conſequenter de-monſtr. quia, & propter quid erũt ſpecies ſubalternæ ſub demonſtra-tione in communi contentæ, tam-quam ſub genere vniuoco, licèt cũ aliquali analogia, quæ vniuocatio-nem non tollit.

*Obiectiones.*

5. Ob. quòd demonſtr. quia, non ſit vera demõſtratio, & primò Auth. Diui Gregor. Nanz. orat.
34. vbi ait: Diſcurſum ab effe
non eſſe ſcientiam, ſed coniectu
Secundò, ex Ariſt. pluribus in l
cit. & ꝓcipuè 1. poſt. c. 2. vbi p
definitionem ſcientiæ, & demo
ſtrationis addit: ſi daretur Syllo
ſine illis conditionibus, non eſ
demonſtratio, clarum eſt autem
demonſtr. Quia non habere con
tiones aſſignatas, & conſequen
nec cognitionem per hanc dem
ſtrationem acquiſitam, eſſe ſcie
tiam, cùm non ſit per propriam
cauſam. Et c. 3. probat impoſſib
litatem circuli, quia vna demo
ſtratio eſſet ex poſterioribus, quo
implicat, ſed demonſtratio quia
vt plurimũ eſt à poſteriori. Et te
6. comparat demonſtrationem q
Inductioni, quę nullo pacto dem
ſtratio dici poteſt; ergo &c.

℞. dupliciter de demonſtr. Qui
nos loqui poſſe, vel abſolutè, v
comparatiuè; illa comparando a
demonſtr. ꝓpter quid; primo mo
do eſt demonſtratio ſimpliciter, n
gignit notitiam veram, certam, &
euidentem; ſecundo modo pote
negari eſſe demonſtrationem, ꝓp
ter imperfectionem, quam anne
xam habet, & perfectionem maio
rem, quæ in demonſtratione prop
ter quid reperitur, ſicut acciden
in ſe eſt ſimpliciter ens at ad ſub
ſtantiam relatum, dicitur ens, qa
entis. Et ità D. Nanz. locutus fui
cùm demonſtr. ab effectu conie
cturæ comparauit. Et ſic etiam A
riſt. eſt intelligendus c. 2. & tex. 19
vbi ſolùm de ſciẽtia perfectiſſima,
& de-

Digitized by Google

& demõſtratione propter quid loquebatur, in 3. Cap. loquitur de demonſtratione à priori ; in quo ſenſu admittebatur circulus ab antiquis, Ad illud de inductione, ſimilitudo currit quo admodum ꝓcedendi ex notioribus nobis, in reliquis differunt, nam demonſtratio quia eſt ex vniuerſalibus, inductio ex particularibus.

Ob. 2. ratione, nam de ratione ſcientię eſt, quòd quietet intellectum, at demonſtratio quia non quietat intellectum, ergo &c. ℞. de ratione ſcientiæ eſſe, quòd perfectè quietet intellectum quo ad proprium obiectum, quod attingit, & explicat, non in ordine ad obiectum, quod non attingit, modò obiectum demonſtrationis quia eſt an ſit, circa quod quietatur intellectus, & ſolùm relinqt ipſum dubium circa propter quid, quod nõ explicat, quia non eſt de eius rõne illud attingere, vndè veram ſcientiam generat, cùm verum obiectũ ſcientificè attingat .ſ. verè, certè, & euidenter, ità Ioann. de S. Tho. cum alijs.

Ob. 3. quòd hæ demonſtrationes non ſint eſſentialiter diſtinctæ, nam eamdem ſciẽtiam, tàm actualem, quàm habitualem generant, cùm præmiſſæ vtriuſq; ſint ſub eadem abſtractione ; vel ſi ponantur diuerſæ ſpeciei, cùm ſint cauſæ æquocæ, poterunt eumdem ſpecie aſſenſum ſcientificum cauſare, ſicut ſol, & ignis, eumdem ſpecie calorem producunt. ℞. neg. aſſumptũ, falſum eſt .n. præmiſſas in eſſe ſcibili eſſe eiuſdem ſpeciei, cùm non ſpecificentur ab abſtractione materiæ ex dictis, ſed ab obiectis ; ſicut etiam falſum eſt poſſe eumdẽ aſſensũ producere, & probatio tãtùm valet de cauſis æquiuocis inadæquatis, & illimitatis, vt sũt ſol, & ignis reſpectu caloris, non de adæquatis, & determinatis, vt ſunt præmiſſæ reſpectu concluſionis.

Ob. tandèm, quòd dentur aliæ ſpecies ex 2. poſt. vbi Ariſt. declarat quòd demonſtratio propter qd fiat per cauſas efficientem, finalẽ, & materialem, & nõ meminit formalis, quæ ad potiſſimam ſpectat; ex quibus videtur de mente Ariſt. eſſe quòd demonſtratio propter quid ſit à potiſſima, vt diſtincta ponenda. ℞. ex illa auctoritate ſolùm deduci, quòd ſpecies propter quid, non ſit ſpecies infima.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*De Medio Demonſtrationis propter quid.*

SCot. præclarum totius ſcientię ſpecimen, hunc articulum reſoluit 2. poſt. q. 9. pro cuius intelligentia ſupponimus ex dictis, demonſtrationem propter quid differre à demonſtratione quia, quòd illa procedit per cauſam proximã, & immediatam, non autem iſta; vndè medium demõſtrationis ꝓpter quid erit cauſa adæquata, & proxima inhærentiæ prædicati cũ ſubiecto, ſeù maioris extremitatis cum minori, lis tamen eſt, an quod-

libet genus cauſæ poſſit in hac demonſtratione prò medio inſeruire; & hoc admiſſo, an poſſint plures cauſæ adæquatæ diuerſi generis cōcurrere ad eamdem Concluſionem demonſtrandam.

1. Et quantùm ad primū quæſitum, negant aliqui per finalem cauſam demōſtrationem fieri poſſe; alij excludunt formalem; alij efficientem, & materialem, & ſolùm formalem amplectentes. Scot. autem loc. cit. omnia cauſarum genera admittit. Quantùm verò ad ſecundum dubium, multi aſſerunt, vnius concluſionis vnicam tantùm eſſe cauſam proximam, & adæquatam, qua poſſit oſtendi cōcluſio demōſtratione propter qd, ità Auerr. 2. poſt. comm. 46. & 95. & Zabarel. lib. de ſpecie demonſtr. cap. 2.

*Concluſio.*

2. *Dicimus, omnia cauſarum genera apta eſſe ad demonſtrationem propter quid efficiendam, & plura poſſe eamdem Concluſionem demonſtrare.* Eſt Scot. loc. cit. quoad vtramq; partem, eſtq; magis communis; quando autem dicimus, quòd quodlibet genus cauſæ poteſt eſſe mediū in demonſtratione, non intelligimus vniuerſaliter de quacumque Concluſione, quòd per omnia genera ſit demonſtrabilis, ſed diſiunctim, vt aliquando cauſa efficiens ſit apta, aliquando cauſa formalis &c. nec intelligitur de quaibet cauſa etiam per accidēs ſed de cauſa per ſe, & conuertibili cum effe-

ctu; & probatur primò Auct. Ar
2. phyſ. tex. 27. vbi aſſerit, q̄ ti
ſcimus vnumquodq; cùm cog
ſcimus propter quid, quod euen
cùm accipimus primam cauſa
proximam, & immediatam; &
indè declarās, quot ſint cauſar
genera; concludit text. 68. qu
quatuor ſunt genera cauſarum,
quòd tot numero ipſum prop
quid comprehendit, & 7. Meth.
& 60. docuit quæſtionem prop
quid moueri, & reſolui per om
genera. Et 2. poſt. 1 1. expreſsè h
mouens quæſitum, reſpondit af
matiuè, nam poſtquā quatuor g
nera cauſarū numerauit, addic
omnes iſtæ per medium monſtra
tur, ſcilicèt in demōſtratione ta
quam medium ingredi poſſunt.

3. Pr. deindè ratione, in quo
bet .n. genere poteſt dari cauſa p
ſe, & adæquata alicuius effect
ergo per ipſam poteſt demonſtr
propter quid, antecedens patet
ex non implicantia, quàm indu
tione, vt v.g. in genere cauſæ fo
malis eſſe ſenſitiuum demonſtr
poteſt per animam ſenſitiuam, q
eſt cauſa formalis phyſica; eſſe co
ruptibile de cōpoſito phyſico p
teſt demōſtrari per materiam pr
mam, quæ eſt cauſa materialis
qua; vitalitas de actibus liber
quòd ſit ipſis eſſentialis per cau
efficienterem, ex hoc, quod à pr
cipijs vitalibus producuntur, &
bertas eſſentialis de actu volun
tis, quia à principio libero prou
nit; principium .n. vitale non p

teſt

teſt operari nõ vitaliter, nec principium liberum agere naturaliter; & tandèm patet de cauſa finali; vt deãbulatio fit ꝓpter ſanitatẽ &c.

Ex his probata remanet alia pars, ſi .n. non implicat eiuſdem effectus dari plures cauſas diuerſi generis, à quibus per ſe depẽdeat, nec implicabit per illas omnes demonſtrari; vndè Philoſophus 1. phyſ. ait: *tunc putamus cognoſcere vnumquodque, cùm cauſas primas cognouerimus, & principia prima vſque ad elementa*; ex quo loco aliqui deducunt ad perfectam ſcientiam requiri, quòd per omnes cauſas demonſtret; verum id intelligi debet de ſcientia perfecta ſimpliciter, ad ſcientiam autem in aliquo genere perfectam, ſufficit, quòd demonſtret per aliquam cauſam, vt communiter expoſitores ſup. illud tex. docent, quæ etiam doctrina patere poteſt exemplo ab Auerſa allato, ſcilicèt quòd de creatura rationali Demonſtrari poteſt, quòd ſit elicitiua actuum moralium, & q̃ eſt ad beatitudinem ordinata, & quia eſt agens liberè &c.

*Obiectiones.*

4. Ob. 1. Contra primam partem: ad demonſtrationem requiritur neceſſaria connexio, cùm parere debeat ſciẽtiam; ſed inter cauſam efficientem, & effectum non eſt neceſſaria connexio; poteſt .n. efficiens eſſe ſine effectu, vt patet de ædificatore ſine domo, ergo &c. Tùm quia mediũ debet eſſe intrinſecum, quia demonſtratio procedit ex proprijs, quæ ſunt intrinſeca; at efficiens eſt extrinſecum, ergo. ℞. quòd Concluſio intelligitur de cauſa efficiente in actu, in quo ſenſu neceſſariò coniungitur cum effectu, vel ſi de efficiente in potẽtia loquatur, etiam de effectu in potentia loqui debemus, quomodo cum effectu, neceſſariam habet connexionem. Neque oportet medium eſſe intrinſecum rei, quamuis dicatur eſſe proprium, nam intrinſecum, & proprium non conuertũtur, ideò in propoſito ſufficit quòd tale medium ſit proprium.

Ob. Cauſa finalis non præcedit effectum, niſi intentionaliter, in quo ſenſu non dicitur vera cauſa, nec realiter propriè ab ea effectus dependet, ergo non poſſumus ex fine demonſtrare. ℞. quòd eo modo, quo inter cauſas numeratur, eodem modo poteſt vt medium aſſumi in demonſtratione; quia igitur finis, licèt methaphoricè cauſet, adhuc tamen inter cauſas phyſicas continetur, quatenus radix eſt omnis actionis agentis, quia mouet, & allicit ad operandum, idcircò in hoc ſenſu admitti poterit vt medium ad demonſtrationẽ eliciendam.

Ob. Medium in demonſtratione debet eſſe neceſſarium, ſed materia eſt cauſa coruptibilitatis, & cõtingentiæ, & eſt in potentia contradictionis ad eſſe, & non eſſe, ergo &c. ℞. materiam eſſe cauſam corruptionis, & contingentiæ realis, & incomplexæ, cum quo tamen

ſtat, quòd ſit cauſa neceſſitatis cõplexæ, & propoſitionis ſempiternę veritatis, nam verè per eam demõſtratur corruptibilitas de compoſito &c. de Cauſa formali patebit infra.

Arguitur. Cõtra ſecundam partem 1. poſt. 5. Ariſt. definiuit ſcientiam per cauſam, per quam res eſt, non per cauſas, vt oſtenderet vnius rei vnicam eſſe cauſam propriam. ℞. quòd ibi Ariſt. tantùm aſſignauit quòd eſt ſimpliciter neceſſariũ ad perfectam ſcientiam acquirendam, ſaltèm in aliquo genere, non tñ negauit quin plures dari poſſint eiuſdem Concluſionis.

Ob. ex hac poſitione ſequeretur, quòd medium tũc eſſet quoddam per accidens aggregatum. ℞. neg. ſequ. nam concluſio illa non demonſtraretur vnica demonſtratione per illas cauſas, ſed pluribus demonſtrationibus, loquimur .n. de cõcluſione, non formaliter ſũpta, vt includit ordinem ad principia; ſic .n. diuerſificatur ad diuerſitatem principiorũ, ſed loquimur de cõcluſione materialiter, vti eſt vna propoſitio demonſtrabilis.

## ARTICVLVS TERTIVS.

*De Medio Demonſtrationis potiſſimæ.*

1. SCot. qui in difficilioribus enodandis, ſemper æquatiſſimum inueni, de hac re eggregiè diſcurrit 2. poſt. q. 9. & in 1. ſent. d. 3. q. 6. M. & alibi. Adnotamus primò pro reſolut. quòd demonſtratio potiſſima multipliciter accipi
ſolet; primò pro ſpecie à dem
ſtratione quia, & propter quid
diſtincta, quomodo loquebatur
uetr. quàm acceptionem reieci
ſupra hic art. 1. ſecundò ſumi
prout à demõſtratione qui a ſec
nitur, & vt ſic conuertitur cum
mõſtratione propter quid, ter
prout eſt ſpecies contenta ſub
mõſtratione propter quid, ſimp
citer, & perfectiſſima, & in hoc
ſu ipsã in præſẽti accipimu s; rat
eſt, quia Demonſtratio propter
dicit cognitionem certam, & eu
dentem, habitam per cauſam i
quocumque genere, Cauſæ aute
non æqualem inferunt certitu
nem, neceſſitatem, & euidentia
quia vna eſt intrinſeca, & eſſenti
lis, alia extrinſeca, vna infert ce
titudinem phyſicã, altera meth
phyſicam. ideò per demonſtratio
nem potiſſimam intelligimus, qu
perfectiſſimam parit ſcientiam
in maxima certitudine, & neceſ
tate, & cui præcipuè condition
ab Ariſt. aſſignatæ conueniunt;
quæritur, an quodlibet genus ca
ſæ ſit idoneum medium ad talem
ſcientiam conficiendam.

2. Notamus 2. quòd cauſa eff
ciens alia eſt extrinſeca, quæ ag
actione tranſeunte .ſ. in ſubiectum
diſtinctum, alia intrinſeca, quæ a
git in ſeipſam, & hæc adhuc duple
eſt; nam vel agit actione phyſica,
cum in ſe effectum realiter diſtin
ctum producit, vt cum aqua in ſe
cauſat frigiditatem, vel actione
methaphyſica, vt cum per reſultã

tiam

tiam Methaphyſicam emanat aliquod ſolùm formaliter diſtinctū, vt ſunt paſſiones rerum; quæ cauſa non erit, niſi ęquatiſſima, & q̃dditas ſubiecti; q̃ in ordine ad paſſiones dicitur cauſa efficiens Methaphyſica, in ordine ad ſubiectū dicitur cauſa formalis, quatenus eſt quodquid eſt ipſius; poteſt etiã in ordine ad paſſionem dici cauſa formalis ſecundum aliquos, quatenus eſt prima ratio formalis, qua talis paſſio ſubiecto conuenit; põt inſuper dici cauſa materialis, nam à ſubiecto, in quo paſſio recipitur, nõ eſt diſtincta realiter; & tandem dici poteſt finalis, paſſiones .n. ad complementum, & perfectionem eſſentiæ ſubiecti ordinantur.

3. Notamus 3. quòd de paſſione triplex definitio tradi põt; prima formalis, in qua ponitur genus & differentia, circumſcripta ſiuè per ſubiectum, ſiuè per terminum, vt Eclypſis eſt priuatio luminis in luna a ſole recepti; Secunda cauſalis, in qua ponitur tantùm cauſa propria, & adæquata talis paſſionis, vt Eclypſis eſt interpoſitio terræ, inter ſolem, & Lunam; tertia ex vtraque conſtans, vt Eclypſis eſt priuatio luminis in Luna à ſole recepti, cauſata per interpoſitionem terræ. Et Mirum quidem eſt, quot ſunt Doctorū opiniones circa hanc rem, quidam enim volunt quodlibet genus cauſæ ſufficere p̃ medio Demõſtrationis potiſſimæ, dummodo ſit proximum; alij pro medio aſſignant definitionem formalem paſſionis, alij ex vtraque integratam; aliam cauſalem, nos qui breuitati ſtudemus, relictis aliorum opinionibus.

*Concluſio.*

4. *Dicimus Definitionem cauſalem paſſionis eſſe medium demonſtrationis potiſſimæ, quæ tamen non ex quocumque genere cauſæ conſtitui debet, ſed ſolùm ex cauſa formali ſubiecti, ità quod ſit definitio quidditatiua ſubiecti, & cauſa ipſius paſſionis effectiua methaphyſicè, quæ adhuc ſub vtraque ratione .ſ. vt cauſa paſſionis, & vt definitio ſubiecti concurrit ad rationem medij.* Eſt Scoti loc. cit. & ſequuntur Scotiſtæ paſſim, vt videre eſt apud Tromb. q. 6. Meth. q. 1. Maſtr. & Bellut. diſp. 13. q. 2. art 2. & ex ceteris Soncin. quæſt. 8. Amic. & alij, & quo ad primam partem, ità probatur: illud eſt medium in demonſtratione potiſſima, per quod ſatisfit quæſito propter quid ex 2. poſt. 8. ſed per cauſam paſſionis ſatisfit huic quæſito ex eodem 2. poſt. c. 1. & 2. phyſ. 27. ſcientia .n. quærit cauſã, cur paſſio inſit ſubiecto; quã cognita quieſcit Intellectus, nec vltra quærit, ergo cauſa, ſeù definitio cauſalis paſſionis erit mediũ. explicatur minor, ſi .n. q̃ratur cur homo eſt riſibilis, non benè reſpõderetur per definitionem formalẽ riſibilitatis .ſ. quia habet aptitudinem ad ridendum, nam ſic peteretur principium, æquè .n. quis negabit hominem eſſe riſibilem, ac hominem eſſe aptum ad ridendū, ergo medium non poteſt eſſe definitio

nitio

nitio formalis paſſionis, ſed potius cauſalis.

Pr. quo ad aliam partem, quòd .ſ. alia cauſa à formali ſubiecti nõ poſſit eſſe medium, nam aliæ cauſæ extrinſece non conficiunt propoſitiones vniuerſales, per ſe primo, vel ſecundo modo neceſſarias, & ſecundum quod ipſum, quamuis enim effect⁹ per ſe ſequatur ad cauſam, cauſa tamen non ſemper, vel ſaltèm non neceſſariò conuenit ſubiecto, ergo tales cauſæ non poſſunt inſeruire pro medio demonſtrationis potiſſimæ, conſequentia eſt clara, nam, per hanc intelligimus demonſtrationem illam, quæ perfectiſſima eſt omnium aliarum, ne lis conteſtaretur de ſolo nomine. Tùm quia perfectiſſima ſciẽtia à perfectiſſima demonſtratione cauſata, eſt illa, quæ perfectiſſimã habet neceſſitatem, & certitudinẽ, qualis eſt neceſſitas methaphyſica, ſed quælibet cauſa à formali ſubiecti diuerſa non poteſt hanc certitudinem inferre, ſed tãtùm phyſicam, à qua tamen non ità neceſſariò ſequitur effectus, ſicut à cauſa methaphyſica, ergo &c.

5. Deindè, quòd debeat eſſe definitio ſubiecti quidditatiua, pbat Doctor, nam definitio ſubiecti eſt cauſa prima, & immediata, cur inſint paſſiones ſubiecto, quia ab ipſa emanant tã quam ab adæquato principio, qua poſita, paſſiones ponuntur, & qua ablata, auferuntur, quæ omnia ſunt munera medij huius demõſtrationis, ergo &c. Tùm quia, illud, quo principium, & cauſa aliorũ, q ſint talia, eſt maximè tale e Met. 4. vt V. g. quia ignis eſt c ſa, cur alia ſint calida, ipſe eſt ximè calidus, in cauſis vniuo ſed definitio ſubiecti eſt cauſa, alia ſint media demonſtrandi, q tò .n. magis aliqua accedũt ad finitionem ſubiecti, tantò ma habent rationem demonſtrandi, de paſſionibus eſſentialiter or natis patet, quarum prima mag eſt demonſtratiua, quàm ſecun ex hoc, quia illa magis ad defin tionem ſubiecti accedit; quia ig tur demonſtratio potiſſima max mè demonſtrat, qua ratione pot ſima dicitur, eius medium debe eſſe maximè demonſtratiuũm; conſequẽter tale erit definitio ſu biecti, quod manifeſtè deducitu ex 4. phyſ. 31. & 1. de anim. 1 vbi Ariſt. docuit, quideſt ſubiect eſſe cauſam demonſtrationis om nis paſſionis, & 2. poſt. egit de de finitione, vt medium eſt demon ſtrationis.

Ex his infertur, nullam paſſio nem eſſe poſſe medium huius demonſtrationis, quãuis vna ſit prior altera eſſentialiter, vt Zabarella volebat, & multi ex Recentioribus ſequuntur, docentes in paſſionibus eſſentialiter ordinatis, primã poſſe pro medio aſſumi in demonſtratione potiſſima reſpectu ſecundæ; & ratio eſt, quia talis demonſtratio non eſſet per veram cauſam, nec ex immediatis, quia prima paſ-

paſſio nõ eſt cauſa poſterioris, ſed ſolùm inter ipſos eſt ordo effectuũ ab eadem cauſa, non ordo cauſæ, & effectus. Quòd autem ſpectat ad medium Demonſtrationis quia, nulla eſt difficultas, nam medium in ipſa eſſe poteſt, vel cauſa remota, vel effectus, vel aliquod concomitans, dummodo hæc omnia neceſſariam habeant connexionem cum re demonſtrata.

*Obiectiones.*

6. Ob. 1. contra primam partẽ Concluſionis, probando, quòd definitio formalis paſſionis ſit mediũ in demonſtratione potiſſima: Definitio formalis paſſionis eſt ꝓxima cauſa connexionis paſſionis cum ſubiecto, hæc.n. connexio immediatius prouenit ex natura paſſionis, quã ſubiecti, ergo hæc debet eſſe medium. ℞. neg. aſſumptũ, nam aliud eſt, aliquid eſſe extremũ connexionis, & aliud eſt eſſe cauſã connexionis, paſſio, & eius definitio ſunt extrema connexa cum ſubiecto, ſed cauſa huius connexionis eſt definitio ſubiecti, ſicut eſt etiam cauſa entitatis paſſionis.

Ob. 2. Medium, & extrema debent eſſe eiuſdem generis, ſed paſſio eſt de genere qualitatis, ergo medium erit definitio formalis ipſius. ℞. neg. mi. paſſio .n. non eſt in prædicamento diſtincto à prædicamento ſubiecti, ex dictis, cùm ſit ipſi identificata.

Ob. 3. mediũ in demonſtratione debet eſſe re, & poſitione medium, ità vt ſit prius paſſione, & poſteri⁹ ſubiecto, at ſola definitio paſſionis eſt huiuſmodi, nã eſt prior paſſione, & poſterior ſubiecto, definitio autẽ ſubiecti eſt prior ipſo ſubiecto. ℞. negando ma. nam ad mediũ demonſtrationis ſufficit, vt ſit medium in ratione cognoſcibilitatis .ſ. quòd ſit cauſa, cur cognoſcatur inhærentia prædicati in ſubiecto, aliter nec effect⁹, qui eſt poſterior, poſſet eſſe medium in demonſtratione Quia, ità Tatar. cum alijs.

Ob. 4. Definitio paſſionis eſt notior paſſione, facit propoſitiones neceſſarias de omni, per ſe, ſecundum quod ipſum, & per cauſam, ergo habet omnes cõditiones medij. ℞. adhuc deficere, quia talis definitio non dicit propter quid, & cauſam inhærentiæ in ſubiecto, & ità fieret petitio principij, nã eadẽ eſt quæſtio an homo ſit riſibilis, & an ſit aptus ad ridendum, &c.

Ob. 5. non põt demonſtrari animal rationale eſſe hominis definitionem, niſi per definitionẽ ipſius definitionis, dicendo, omne explicans quidditatem rei, eſt definitio rei, ſed animal rationale eſt huiuſmodi, ergo, &c. imò ſi quæratur cur animal rationale ſit hominis definitio, ℞. quia explicat hominis quidditatem. ℞. cũ Maſtr. & Bell. illam non eſſe demonſtrationem potiſſimam, nã eſſe definitionem formaliter dicit 2. intent. quæ animali rationali non conuenit eſſentialiter, ſed accidentaliter; vel ſi Aduerſarius cõtenderet eſſe quod-



Digitized by Google

dam prædicatum quidditatiuum, adhuc dicimus non eſſe demonſtrationem in rigore, quia non demonſtraretur paſſio de ſubiecto, ſed potius prædicatum ſuperioris de inferiori, vt cum oſtẽditur hominem eſſe animal per eſſe ſenſitiuum, viuens, &c.

Contra ſecundam partẽ arguitur, ꝙ quęlibet cauſa proxima etiã externa poteſt eſſe medium in demonſtratione potiſſima, nam illa dici debet potiſſima demõſtratio, quæ perfectiſſimam parit ſcientiã, ità quod de re nihil amplius quæri poſſit, ſed quælibet cauſa proxima eſt huiuſmodi, tale .n. nata eſt parere ſcientiam; ergo quælibet poteſt eſſe mediũ; mi. patet ex Ariſt. 2. poſt. c. 1. vbi docet per cauſam ſatisfacientem quæſtioni propter quid, ſatisfieri omnibus alijs quæſtionibus. ℞. maiorem eſſe mancã, nam adhuc requiritur, vt quietet intellectum per cauſam proximã, & neceſſariã neceſſitate metaphyſicà, quam ſola cauſa formalis cõtinet, in sẽſu ſupra explicato, ideoque benè multi Doctores negant demõſtrationes efformatas ab Ariſt. 2. poſt. eſſe potiſſimas, ſicut etiam à multis negatur demonſtrationes Mathematicas eſſe potiſſimas, eſtò certiſſimæ ſint, quia non habent omnes requiſitas conditiones.

Arguitur, quòd definitio ſubiecti non ſit medium, tunc .n. committeretur petitio principij, definitio enim nũ diſtinguitur à definito, ergo ſi paſſio oſtẽditur cõ[uenire] ſubiecto definito, quia co[nuenit] definitioni, probaretur ide[m] per idem; vndè Ariſt. 2. prior. [c.] docuit, quòd quando definitu[m] probatur per definitionem, [&] contra, cõmmittitur petitio pr[in]cipij. ℞. neg. ſequ. nã definitio [di]ſtinguitur à definito, vt in prop[rio] loco diximus, & paſſio notius [con]uenit definitioni, quàm definit[o], Ariſt. intelligitur quando defi[ni]tum, & definitio æquè nota ſ[unt] reſpondenti; quomodo aũt de[fi]nitio, & definitum diſtinguunt[ur] an ſcilicet formaliter, vel virtua[li]ter, diximus vtrumque eſſe pr[o]babile.

Ob. ex hac doctrina ſequeret[ur] ꝙ demonſtratio non eſſet ex pr[o]prijs, quòd eſt falſum, patet ſequ[e]la, nam omnes paſſiones ab eade[m] eſſentia fluentes probarentur p[er] eamdem definitionem, & ità n[on] dẽmonſtraretur per cauſam, q[uæ] tamquam propria vnicuiq; con[ve]petat, ſed ex communi. ℞. nega[to] ſequ. nam demonſtrationem eſſe ex proprijs, intelligitur de princ[i]pijs conuertibilibus, & quia ide[m] medium poteſt cum pluribus pa[ſ]ſionibus conuerti, ideò dici pote[ſt] proprium reſpectu illarum.

## ARTICVLVS QVARTVS.

*De Propoſitione per ſe nota.*

1. Scot. ad quem eruditiſſimi v[i]ri velut patronum, & ſpe[m] anchoram confugiunt in 1. ſenten[t.]

d. 2. q. 2. lit. A. ſic eam deſcribit: *propoſitio per ſe nota eſt illa, quæ ex terminis proprijs, quæ ſunt aliquid eius vt ſunt eius; habet euidentem veritatem.* Supponimus primo pro reſolutione, quòd Ariſt. 1. poſt. c. 2. & 4. volens præmiſſas demonſtrationis declarare, quaſdam conditiones aſſignauit, loquendo præcipuè de demonſtratione propter quid, ſcil. vt ſint veræ, primæ, & immediatæ, priores, notiores, cauſæ concluſionis, propriæ, neceſſariæ, de omni, per ſe, de prædicato vniuerſali, & ſecundũ quod ipſum, de quibus aliqua diximus in Inſt. q̃ modò omittuntur, & ſolùm aliquæ inueſtigantur, quæ magis neceſſariæ cenſentur.

Supponimus 2. primitatem, & immediationem non eſſe duas cõditiones præmiſſarum, ſed vnam, & nihil aliud ſignificare, quàm p̃miſſas debere eſſe indemonſtrabiles per aliud medium à priori, & in eodem genere, atque ideò quòd ſeipſis cognoſcantur, quare per ſe notæ dici ſolẽt; vndè magna exorta eſt controuerſia inter antiquos Thomiſtas, Scotiſtas, & Nominales, qđ ſit propoſitio p. ſe nota, lic. à Recentioribus quaſi lis denomine reuera putetur. Lych. in 1. d. 2. q. 2. notat ex Scot. loc. cit. quòd in propoſitione per ſe nota, ly per ſe, non ſumitur, vt diſtinguitur cõtra per accidens, quaſi quòd eſſe notum dicatur de aliqua propoſitione in aliquo modo dicendi per ſe, ſed vt diſtinguitur contra per aliud, ità vt illa ſit propoſitio per ſe nota; quæ non habet euidentiam ab alio, & ideo Scotus dicebat, q̧ ex terminis proprijs habet euidentem veritatem, ex quibus colligitur non excludi cognitionem terminorum; impoſſibile. n. eſt ait Doctor aliquam propoſitionem cognoſci, terminis illius igoratis, cùm prima operatio intellectus ſecundæ præponatur; hinc Ariſt. 1. poſt. 6. inquit, principia cognoſcimus, in quantum terminos cognoſcimus.

Sed dices ex Caiet. cùm prima paſſio prædicatur de definito, licèt illa propoſitio poſſit per definitionem probari, adhuc erit per ſe nota, ſaltèm ſecundum ſe, eſtò non quoad nos, quia definitio, & definitum licèt quoad nos differeant, non tamen ſecundum rem, non valet, nam ſuo loco oſtendimus definitionem, & definitum non differre ſolùm ratione ratiocinante, ſed ex fundamento in re, & conſequẽter cùm paſſio prædicatur de definito, talis propoſitio ſecundum rem non erit per ſe nota, ſed demõſtrabilis demõſtratione potiſſima, quæ eſt per cauſam, & à priori, nõ equidem in cognoſcendo tantùm, ſed etiam in eſſendo, & ità non ſolùm quoad nos erit demonſtrabilis, ſed etiam ſpectata in ſe, ordo . n. cauſæ in eſſendo non ſpectatur ſolùm ſecundum noſtrum concipiẽdi modum, veluti eſt ordo cauſæ in cognoſcendo, qui in demonſtratione à poſteriori reperitur, ſed





Digitized by Google

etiam in rebus ipſis, hinc principia immediata dicuntur indemonſtrabilia ſecundum rem, & à priori, licèt à poſteriori, & quoad nos demonſtrentur.

Vrges, multæ dantur propoſitiones indemonſtrabiles, & per cõſequens per ſe notæ, & tamen non ex apprehenſione terminorum, vt ſunt propoſitiones cognitæ per ſenſum, vt nix eſt alba, ignis eſt calidus; at reſpondetur has propoſitiones propriè nec eſſe indemonſtrabiles, nec per ſe notas, nã verè in niue datur cauſa per ſe albedinis, & in igne cauſa caloris, p quam potuit ſuo modo demõſtratione propter quid demõſtrari calor de igne, & albedo de niue; nec tales propoſitiones ſunt per ſe notæ, quia non ex appprehenſione terminorum cognoſcuntur, ſed cognitione ſenſitiua, & experimentali, & conſequenter per aliud, non per ſe; niſi dicere velimus eſſe per ſe notas, quatenus primò à ſenſibus cognoſcuntur.

Thomiſtæ hãc propoſitionẽ diuidũt in ꝓpoſitionẽ per ſe notã, & ꝑ ſe noſcibilem; vel in propoſitionẽ per ſe notam in ſe, & notam nobis; nota in ſe eſt, quæ nullũ habet medium, quo poſſit probari cõnexio terminorum, à nobis tamen non cognoſcũtur, niſi per aliquod medium extrinſecum; nota nobis eſt, cùm nos apprehẽdimus connexionem illam vi terminorum, quæ adhuc duplex eſt, vel n. eſt nota omnibus tam inſipientibus, quàm ſapientibus, vel ſapientibus tant quo pacto Ariſt. 1. Topic. cap. diuiſit problema.

Sed hę diuiſiones noſtro Doctori non placent; non prima, nam bona diuiſio ex membris omnin diſtinctis conſtare debet, ſed ea propoſitio dici poterit per ſe no cùm actu cognoſcitur, & cùm p ſe eſt cognoſcibilis, cùm cognit actualis accidat propoſitioni; & neque ſecũda, nam propoſitio d cit ordinem ad Intellectum, e go ſi termini ex quibus conſta non ſunt apti ad cauſandum aſſer ſum, non erit per ſe nota in ſe; at ideò omnis propoſitio in ſe nota per ſe, erit etiam nota nobis, ſe poſſibilis à nobis cognoſci, ſi ter mini conciperentur; Si autem co gnitis terminis, nos non cognoſc mus euidenter conexionem, ſign euidens eſt non ſufficere cognitio nem illam, quam habemus de ill terminis, ſed requiri adhuc cogni tionem perfectiorem, quæ erit d ſtincta, illa autem erat confuſa, & per conſequens propoſitionem ill ex ſe non eſſe per ſe notam, cùm ad ſui cognitionem requirat noti tiam alterius propoſitionis, con ſtãtem eſt terminis diſtinctè ſigni ficantibus, nam ſicut terminus cõ fusè ſignificans, diuerſus eſt à ter mino diſtinctè ſignificante eamd rem, ità propoſitiones ex illis cõ poſitæ. Et ad illud Ariſt. ℞. non eſſe eamdem rationem de problematibus, quia iſta non dicunt, niſ probationes probabiles, quæ non

ex terminis immediatè percipiuntur, ſed ex motiuis, & rationibus probabilibus; hinc rectè quædam ſunt nota nobis, quædam ſapientibus tantùm prout magis, vel minus conuincunt rationes; At quia propoſitio per ſe nota dicitur talis ex apprehenſione terminorum, q ſtatim cauſant aſſenſum, hinc ſequitur, quòd omnis propoſitio per ſe nota talis ſit ſapientibus, & inſipientibus.

Neotherici recẽtiores aliter hãc diuiſionem explicant .ſ.quòd propoſitio per ſe nota in ſe, eſt, quæ conſtat terminis notioribus natura, per ſe nota nobis, quæ ex terminis nobis notioribus componitur, & aſſerunt coincidere cum diuiſione illa Ariſt. de notioribus natura, & nobis; tradita 1.poſt. c. 2. & 1.phyſ. cap.1. ſed licèt Ariſtot. rectè diuidat notiora nobis, & natura, quia quædam ordine naturæ prius nata ſunt concipi, quædam verò ordine doctrinę dicuntur notiora nobis, quia facilius percipiũtur, vt ſunt ſenſibiliora, in rigore tamen loquendo propoſitio per ſe nota, non poteſt conſtare ex notioribus nobis, quia vt ſic non sũt apta ad cauſandũ aſsẽſum ex proprijs rationibus, ſed potius intellectus aſſentitur ex cognitione sẽſitiua, & experimentali vt in hac, nix eſt alba. Et hæc ſufficiũt de ꝓpoſitione ꝑ ſe nota, pro qua fuſius videri poterunt Fabr. theor.7.& 1. sẽt.diſp.14.c.1.Maſtr.& Bellut.diſp 13 q.3 art.1.& alij Scotiſtæ.

*R.P. Illuminati à Colliſano Capuc.*

Hic dubitari ſolet, an præmiſſæ demonſtrationis (loquendo de demõſtratione propter quid) debeãt eſſe immediatæ, quæ eſt ſecunda conditio, nam de prima ſatis egimus in inſtit. & vna opinio aſſerit, quòd ambæ præmiſſæ eſſe debeant immediatæ, & indemonſtrabiles, non ſolùm virtualiter, ſed etiam formaliter; demonſtratio verò ex ſolùm virtualiter immediatis, eſt demonſtratio quia; Altera opinio eſt, quòd ad demonſtrationẽ propter quid, ſufficit ex virtualiter immediatis conſtare, dummodo demõſtrans ſciat reſoluere principia virtualiter immediata in formaliter indemonſtrabilia. Et ℞. faciliter, ſi .n. de demonſtratione potiſſima loquamur, conſtare debet ex formaliter immediatis, & per ſe notis, & ratio eſt, quia in hac demonſtratione cõcluditur paſſio de ſubiecto per definitionem ſubiecti, & ideò tàm maior, quàm minor erunt immediatæ, nam in maiori paſſio dicitur de definitione, & in minori definitio de definito, quæ prædicata immediatè proprijs ſubiectis conueniunt, loquendo verò de demonſtratione propter q̄d in communi, vtraque opinio eſt probabilis; prima videtur ad mentem Ariſt. 1.poſt. c. 2. vbi probans hanc conditionem principiorum, ait: *Ex primis autem indemonſtrabilibus, quoniam non ſciet non habens demonſtrationem ipſorum, ſcire .n. quorum demonſtratio eſt, non ſecundum accidens habere demonſtrationem eſt,*

Quibus verbis innuere videtur, principia non per accidẽs ſciri debere .i. non per aliud, ſed ſe ipſis. Secunda verò opinio eſt etiam ſatis prbabilis, & habet quoque ſuũ fundamentum in Ariſt. qui in fine c. 2. docuit aut omnia, aut quædã principia melius cognſci concluſione; quia .ſ. quædam dantur, quę demonſtratione cognoſcuntur, ſicut Concluſio, & talia erunt principia virtualiter immediata.

Tertia Conditio eſt, quòd ſint priores .i. præmiſſæ reſpectu Concluſionis, aliquid autẽ dicitur primum, vel per negationem prioris, quatenus aliud primũ non habet, vel reſpectu poſterioris; hinc aliqua propoſitio dicitur prima, quia non habet aliam priorem, non ob id tamen erit prior reſpectu alicuius concluſionis, ſic omne totũ eſt maius ſua parte, dicitur prima, nõ tamen reſpectu huius cõcluſionis, omnis homo eſt riſibilis; cũ nõ dicat ad illam habitudinẽ, tamquam ad ſuã poſteriorẽ, dicuntur etiam præmiſſæ priores, quia concluſionem præcedunt, cũ ipſam cauſent, quæ conditio ſic explicata conuenit etiã pręmiſſis demonſtrationis Quia, quæ etiã dicuntur cauſæ cõcluſionis in cognoſcendo, licèt Ariſt. intellexerit de prioritate cauſæ etiam in eſſendo, in quo ſenſu ſolũ conueniunt præmiſſis demonſtrationibus propter quid.

Quarta Conditio eſt, ꝙ ſint notiores; hinc dubitari ſolet, an præmiſſæ eſſe debeãt notiores natura, vel nobis? & diſtingui ſolet, q[...] aliquid eſt notius natura, quia [...] ſe eſt perfectius, & independen[...] conſequenter prius; aliquid v[...] eſt notius nobis, quatenus .ſ. fa[...] liter cognoſcitur à nobis, quia [...] ſibus eſt propinquius; eſt tñ [...] aduertẽdũ, quòd licèt Ariſt. 1. po[...] 5. docuerit non eſſe eadẽ nota [...] bis, & natura, hoc aſſeruit, quia plurimùm ita accidit; poteſt ta[...] etiam euenire, vt quod eſt noti[...] natura, ſit etiam notius nobis, tunc eſt quando facilius cognoſ[...] tur cauſa, quam effectus, vt pat[...] de ſole reſpectu influentiarum.

Quinta Cõditio, ꝙ ſit ex cauſi[...] iam explicata eſt in initio, & ſo[...] hic remanet addendum, quòd a[...] demonſtrationem potiſſimam pr[...] mus; & ſecundus modus per ſe t[...] tũ deſeruiunt; demonſtrationi ta[...] men propter quid, & quia, etiam alij modi adaptari poſſunt. Et it[...] intelligẽdus eſt Ariſt. cum 1. poſ[...] 10. negat alios modos præter pr[...] mũ, & ſecundũ eſſe demõſtratiuos[...]

Eſt etiam ſciendũ, ꝙ per quart[...] conditionem, præmiſſæ dicuntu[...] notiores concluſione .ſ. magis, & perfectius notæ, quæ maior perfe[...] ctio tripliciter cõtingere poteſt .ſ[...] vel certitudine, vel euidentia, vel graduum intẽſione; Certitudo eſt firma adhæſio Intellectus, oppoſi[...] ta formidini; Euidentia eſt clari[...] tas in cognitione, oppoſita obſcuritati; intenſio graduum duplex eſt, propria, ſeu gradualis, quæ attẽditur in ordine ad plures gradus

eiuſdem ſpeciei, vt album vt quatuor eſt intenſius albo vt duo; vel eſt impropria, ſeù ſubſtãtialis, quæ accipitur penès plures gradus ſpecificos, quomodo Angelus dicitur immaterialior anima rationali; hinc dubitari ſolet, an præmiſſæ quo ad hæc tria ſint notiores Concluſione? Supponimus tamen cõmuniter, tàm certitudinẽ, quã euidẽtiam ſuſcipere magis, & minus; de certitudine patet, quia cũ dicat firmam adhæſionem intellectus cũ excluſione totali formidinis, poterit intellectus magis, vel minus firmiter adhærere, ſicut magis, vel minꝰ poteſt eſſe immutabilitas obiecti, propter plures, vel pauciores cauſas immutabilitatis; idem etiã patet de euidentia, idem .n. obiectum poteſt magis, vel minus clarè videri. Et relictis aliorum paucorum opinionibus.

*Concluſio.*

*Dicimus, præmiſſas ſimul, ſeù ſeorſim ſumptas, eſſe certiores, euidentiores, & perfectiores in gradu ſpecifico ipſa Concluſione*, eſt Scoti q. 11. & 13. poſt. & ſequuntur communiter, loquimur tamen de Concluſione, quatenus Concluſio eſt, & ad tertiam ſpectat operationem, nõ quatenus propoſitio eſt, Et quod præmiſſæ ſint certiores, probat Ariſt. c. 2. nã certitudo Concluſionis cauſatur, & eſt propter certitudinẽ præmiſſarum, ergo maior eſt certitudo præmiſſarum, conſequentia patet ex illo axiomate, propter ꝙ vnũquodq; tale, & illud magis, quod in inſtit. oſtendimus eſſe verum, aliquibus conditionibus obſeruatis, quæ conditiones in caſu reperiuntur, vt intuenti patere poteſt. Tũ quia quod eſt ex ſe tale, perfectius habet formam, quam quod per aliud eſt tale, quia illud immediatiùs, hoc mediatiùs; quæ ratio de quibuſcumq; præmiſſis concludit, quomodocumq; accipiantur.

Secundò, quòd præmiſſæ ſint euidentiores, patet eiſdem rationibus, nam Concluſio omnem claritatem, & euidentiam à præmiſſis habet. Tũ quia præmiſſæ habent noſcibilitatem immediatam, concluſio mediatam, ergo, &c. Tùm quia illa propoſitio eſt euidentior, quæ vel eſt intuitiua, vel magis ad ad illam accedit, euidentia .n. eſt clara obiecti videntia, & intuitio, vndè clarius cognoſcimus res ſenſibiles, quæ notiores nobis dicuntur, quàm inſenſibiles, quod falsò ab aliquibus negatur; quod inde patet, quia Deum aliqui negarũt, licèt eius exiſtentia ex ſenſibilibus inferatur, qua ratione hæc propoſitio Deus eſt, non dicitur per ſe nota nobis viatoribus; quia igitur principia ſunt per ſe nota, vel ſaltẽ principijs per ſe notis magis accedunt, quàm concluſio, euidentiora concluſione erunt.

Tertiò, quòd præmiſſæ ſint perfectiores perfectione eſſentiali, inde patet, quia præmiſſæ ſunt cauſæ æquiuocę concluſionis, de quarum ratione eſt, quòd ſint perfectiores eſſentialiter effectibꝰ, quos virtualiter

liter continent; Nec vrget, quòd ſint partiales ex concurſu Intellectus, nam præmiſſas, & Concluſiones conſideramus in ordine ad obiecta, quia obiectum præmiſſarũ, quòd eſt vnio medij cũ extremis, eſt cauſa obiecti Concluſionis ſcil. vnionis extremorum, ergo obiectum Concluſionis erit imperfectius obiecto præmiſſarum. Tùm quia quicquid cauſat intellect⁹ in concluſione, fæcundatur premiſſis cauſat, ergo &c.

Tandèm de pfectione graduali patet, quia regulariter cauſa æquiuoca nõ cauſat effectum intenſiorem, quàm ſit ipſa, vt ignis calidus vt tria, non cauſat calorem vt quatuor, ſed potius vt duo, ergo ſi aſſenſus præmiſſarum eſt, vt duo, aſſenſus Concluſionis erit vt vnum; non poteſt tamen negari, quin aliunde aſſenſus concluſionis poſſit intendi .ſ. ex maiori conatu intellectus, ex imperio voluntatis, ſed hoc erit per accidens.

*Obiectiones.*

Ob. quòd præmiſſæ nõ ſint certiores, & euidentiores cõcluſione, nam eodem modo vniuntur extrema cum medio in præmiſſis, ac inter ſe in Concluſione, imò eadem vnione, quia vniuntur inter ſe virtute illius principij, quæ cõueniũt vni tertio, ſunt eadem inter ſe, ſed vbi eſt eadem vnio, & idem obiectum, eſt eadem certitudo, ergo &c. ℞. neg. ma. non enim eodem modo, & eadem vnione vniuntur extrema cum medio, ac inter ſe, vt benè aduertit Amic. tract. 2[illegible] 5. dub. 5. art. 7. quia vnio extre[illegible] rum cum medio eſt immediata independens, inter ipſa extrem[illegible] eſt mediata, & dependens, nec ex illo principio oppoſitum de[illegible] citur, imò quia vnio cum me[illegible] aſſignatur pro cauſa vnionis [illegible] tremorum inter ſe, infertur eſ[illegible] diuerſam vnionem.

Ob. 2. Tàm certum eſt Chri[illegible] eſſe riſibilem, quàm hominem e[illegible] riſibilem, quia illa eſt Conclu[illegible] Theologica, quæ eſt certior pri[illegible] cipio naturali, ergo &c. ℞. qu[illegible] ſi loquamur de iſta propoſitione Chriſtus eſt riſibilis, quatenus e[illegible] quædam Concluſio deducta ex i[illegible] lo principio naturali .ſ. quia h[illegible] mo eſt riſibilis. eſt minimus cert[illegible] ſi autem conſideretur, vt eſt ſi[illegible] plex propoſitio de fide, ſic pote[illegible] rit eſſe certior, at nos loquimur d[illegible] propoſitione, vt Concluſio eſt.

Tertiò, Concluſio ex principij[illegible] fidei deducta non eſt incertior ip[illegible] ſis principijs, aliter non eſſet de fide; de cuius ratione eſt, quòd habeat ſummam certitudinem, ergo idem de concloſione naturali aſſerendum eſt, ℞. ex Doctore in 3. d. 23. D. negãdo paritatem, & ratio eſt, quia miſteria fidei reuelata nõ cognoſcuntur diuerſi actibus ſpecificis, ſed eiuſdem ſpeciei, cùm idem obiectum formale habeant, quòd eſt reuelatio Diuina, Cõcluſiones autem naturales habent diuerſum obiectum formale à principijs, nã intellect⁹ principijs aſſẽ-

tit

tit ex terminorum apprehēſione, Concluſioni verò ex vnione extremorum cum medio, tamquam ex motiuo, & ex ipſa vnione formali extremorū tamquam ratione formali quæ. Tùm quia non implicat habere minorem certitudinem de concluſionibus deductis ex principijs fidei, quàm de ipſis principijs, de iſtis .n. habetur cognitio ꝑ fidē immediatè, de illis habetur cognitio diſcurſiua, & per conſequens a fide mediatè tantùm cauſata, ex vi luminis naturalis intellectus; hinc non ad fidem, ſed ad ſcientiam Theologicam ſpectant.

Quartò, Ariſt. 1.poſt. c. 2. in fine aſſeruit eſſe magis credēdum, aut omnibus principijs, aut quibuſdam, ergo nō omnia principia ſunt certiora. ℞. ibi philoſophum loqui de perfectiori aſſenſu, qui dicitur intellectus, quo ſolùm aſſentimur principijs immediatis, non tamen negauit principia mediata etiam perfectius cognoſci, quàm Concluſio, cùm illa independenter cognoſcātur, hęc dependenter.

Tandèm Axioma illud, propter quod, &c. nō valet in cauſis æquiuocis, at præmiſſæ ſunt cauſæ æquocæ Concluſionis, ergo &c. Rt. Scot. q. 13. poſt. quòd eſtò quo ad proprias, & ſpecificas rationes nō ſint propriè comparabilia principia, & Concluſiones, quia Concluſio eſt ſcientificè ſcita, principia verò per habitum ſuperiorem, attamen vt incommuni cognitione certa, & euidenti conueniunt, ſic poſſunt vniuocè comparari, & de ipſis ſic axioma illud verificatur.

## ARTICVLVS QVINTVS.

### *De Circulo, & Regreſſu Demonſtrationis.*

SCot. qui vt lux ſapientiæ luxit, atque perpetuo ſcientiarum ſplēdore lucerna ſupra montem poſita lucebit, de hoc articulo agit 2. Prior. q 4. & quol. 7. A. & alibi, pro cuius intelligentia ſupponim⁹, Circulum hic accipi latè, in quo ſenſu erit genus ad circulum rigoroſum, & regreſſum, & à Scoto loc. cit. Prior. ita deſcribitur: *Circulus, ſeù Syllogiſmus circularis eſt ex concluſione, & conuerſa vnius præmiſſarum alterius præmiſſæ illatio*. Ex qua deducitur duplicem proceſſum, ſeù Syllogiſmum interuenire, cùm circulariter argumentatur, & Secundus Syllogiſmus eſt, qui circularis dicitur in ordine ad primum, in hoc primo arguitur à pręmiſſis diſpoſitis in modo, & figura, in ſecundo à propoſitione conuertente alterius præmiſſæ, & à Concluſione ad inferendam aliam præmiſsā pro Concluſione in eodem modo, & figura. Aduertit tamen Ariſt. 2. Prior. cap. 5. quòd vt iſte Syllog. ex veris procedere poſſit, & cōcludere, fieri debet ex terminis conuertibilibus; & ratio eſt, quia vna præmiſſarum conuerti debet conuerſione ſimplici, non alia, aliter mutaretur quantitas, vel qualitas propoſitionis, & ità non eſſet in eodem modo: exemplum, omne rationale eſt riſibile, omnis homo

eſt

Digitized by Google

eſt rationalis, ergo omnis homo eſt riſibilis, fit Syllogiſmus Circularis in Barbara hoc modo, omne riſibile eſt rationale, omnis homo eſt riſibilis ergo omnis homo eſt rationalis, in quo concluditur minor per Concluſionem, & conuertentem maioris primi Syllogiſmi; vel omnis homo eſt riſibilis, omne rationale eſt homo, ergo omne rationale eſt riſibile, concluditur maior per concluſionem, & conuertentem minoris primi Syllogiſmi.

Circulus, & regreſſus demonſtratiuus ſunt ſpecies iſtius Syllog. & inter ſe differunt, quia Circulus procedit ſemper in eodem demõſtrandi genere .ſ. à priori, & propter quid, ſeù per cauſam; & hoc poteſt dupliciter contingere, vel in diuerſo genere cauſæ, vt cùm ex cauſa finali oſtendimus cauſam efficientem, & deindè ex cauſa efficienti probamus finẽ, ſiuè cùm ex forma inferimus materiam, & ex materia formam; vel ſecundò euenire poteſt in eodem genere cauſæ, vt cùm ex cauſa materiali infertur effect', deindè aſſumimus effectum pro medio à priori in genere materialis cauſæ, & concludimus cauſam materialẽ, quæ prius erat medium V. g. ex terra madefacta fit vapor, ex vapore nubes, ex nube pluuia, ex pluuia iterum terræ madefactio, quare valet inferre eſt terræ madefactio, ergo erit pluuia, à cauſa ad effectum; & deinde eſt pluuia, ergo terræ madefactio, etiam à cauſa ad effectum; regreſſus autem non procedit in eo genere demonſtrationis, ſed d ſo, nam vnus ſyllogiſmus eſt monſtratio quia, alter demonſ tio propter quid.

Circulum Antiqui admiſeru vt patet ex 1. poſt. c. 3. aſſeren omnium dari ſcientiam, & dem ſtrationem, ità vt idem reſpect iuſdem eſſet cauſa, & effectus, tius, & ignotius. Niphus ex op ſito 1. poſt. com. 31. vt Amic. re tract. 26. diſp. 2. q. 4. dub. 1. om circularem demonſtrationem ſpuit, ſiuè in eodem, ſiuè in diu ſo genere cauſæ. Sententia Co munis concedit in diuerſo gen cauſæ, alij in aliquibus caſibus a mittunt in eodem genere, non men in eiſdem numero rebus.

Regreſſum quãplures reſpui aut ſaltem tamquam inutilem r ijciunt; cõmunis tamen ſentent tã veterum, quã recentiorum co cedit dari regreſſum, & vtilem e in ſcientijs, quamuis ſit inter ill aliquod diſcrimẽ, nã Caiet. Ami Blanc. & alij; tunc dicunt eſſe vti regreſſum, quando demonſtrat quia præcedit, & demõſtratiò p ter quid ſequitur, quidã verò d cent ſemper vtilem eſſe, qualiſci que Demonſtratio præcedat.

*Concluſio.*

*Dicimus, Circulum non poſſe in om nibus admitti, ſed ſolùm in aliquibu tàm in diuerſo genere quàm in eoden non tamen in eiſdem numero rebus; Regreſſum eſſe poſsibilem, & vtilem ſcientijs.* eſt Scoti loc. cit. & magi com-

cõmunis. Et quòd non detur Circulus in omnibus eſt Ariſt. 1.poſt. c.3.& 2.Prior.c.5.ſi.n.de omnibus poſſet dari circulus, iam quælibet præmiſſa eſſet circulariter demonſtrabilis, ꝙ eſt falſum, vt patet pręſertim in Ferio, in quo nulla præmiſſa poteſt circulariter demonſtrari, non maior, quia vniuerſalis non infertur ex particulari, qualis eſt minor, neq; poteſt minor inferri, quia affirmatiua non deducitur ex negatiua, qualis eſt maior; tantũ igitum in Barbara, & cũ termini ſunt conuertibiles poſſunt ambæ præmiſſæ circulariter inferri.

Quod deinde poſſit admitti circulus in diuerſo genere cauſæ, patet ex dictis, oſtendimus.n. poſſe vnam definitionem vnius generis demonſtrari per aliam alterius generis de definito, & è cõtra; & clarò colligitur ex Ariſt. 2. phyſ. 30. vbi ait, quod cauſæ ſunt ſibi inuicẽ cauſæ, vt fuſi⁹ (Deo duce) in phyſ. hanc mutuam cauſalitatem explicabimus, non ſolùm in diuerſo genere cauſarum, ſed etiam in eodẽ, dummodo non ſint eædem numero cauſæ, ſic in genere cauſæ materialis ex pluuia generatur vapor, & ex vapore pluuia, vt Philoſoph⁹ ait 2.poſt.15. Item actus in genere cauſæ efficientis cauſant habitum, qui deinde effectiuè concurrit ad productionem aliarum actuum.

Et tandem, ꝙ regreſſus ſit poſſibilis, & vtilis ſcientijs eſt Scoti loc. cit. & patet ex Ariſt. 1.poſt.10. vbi duplicem aſſignat demonſtrationem, quia, & propter quid: & docuit, ꝙ quando termini ſunt reciproci, poteſt fieri tranſitus de vna ad aliam, & affert exemplum de non ſcintillatione planetarum .ſ. ſtellæ non ſcintillantes ſunt propè nos, planetæ non ſcintillant, ergo ſunt propè nos; hæc eſt demonſtratio à poſteriori, & quia, & fieri poteſt propter quid; maius extremum mutando in medium ſic; quæ ſunt propè nos non ſcintillant, ſed planetæ ſunt propè nos, ergo planetæ non ſcintillant; & 8.phyſ.52. ex motu Æterno probat Æternitatem motoris, & tex. 53. ex Æternitate motoris oſtendit motum Æternum; & 1.de an. docet ex notitia eſſentiæ nos deuenire in Cognitionem accidentium, & ex cognitione accidentium in notitiam eſſentiæ. Tùm quia poſſibile eſt effectus eſſe nobis notiores, quàm ſint propriæ cauſæ, ergo poterunt demonſtratione quia inferre ſuas cauſas; deindè cauſas eſſe notiores natura cognitione diſtincta, & cõſequenter per ipſas poterunt demoſtratione propter quid, effectus concludi. Eſt etiam vtilis, nam hęc via ab effectu ad cauſam eſt nobis innata à natura ex Philoſopho 1. phyſ. c. 1. & 1. Meth. c. 1. & hac ſolùm via ex notioribus nobis ad inuentæ ſcientiæ fuerunt, quòd ſi reuerti à cauſa ad effectum non liceret, nullæ, vel pauciſſimæ darentur ſcientiæ propter quid. Tùm tandèm, quia per regreſſum à cauſa ad effectum, vbi prius erat ef-

fectus nobis confusè notus, & per ſenſum, fit cognitus diſtinctè, & ſcientificè; & alias proprietates de effectu deindè inueſtigantur, quæ prius ignotæ erant.

## ARTICVLVS SEXTVS.

*Quid ſit opinio, & an poſſit eſſe ſimul cum ſcientia de eodem obiecto.*

SCotus, cuius memoria ob ingentem eruditionem in ſuis ſcriptis inſertam nunquam erit apud ſapientes peritura, hunc artic. egregiè reſoluit in 3. d. 24. pro cuius intelligentia ſupponimus ex ſupra dictis, Syllogiſmum in communi ratione materiæ diuidi in 3. ſpecies, ſ. Demonſtratiuum, Topicum, & Elenchum, & de primo iam ſatis egimus per præcedentes articulos, tàm quo ad effectum, quē producit, quæ eſt ſcientia, quàm quoad materiam ex qua conſtat; pro complemento huius diſputationis aliquid de Syllog. Topico, & Elencho remanet agendum, & quātùm ad eorum materiam, ex qua conſiciuntur, ſufficiunt illa, quæ in Inſtitutionibus dedimus, quare ſolùm aliqua de effectibus ſubiungemus.

2. 1. Effect. igitur Syllog. Topici eſt opinio, de qua Ariſ. agit 1. poſt. tex. 44. vbi ſic eam definit: *Opinio eſt exiſtimatio i. aſſenſus immediatæ propoſitionis, & non neceſſariæ.* Pro cuius definitionis notitia, ſciendum eſt ex philoſopho ibidem, quòd ſicut in propoſitionibus neceſſarijs duplex datur habitus, vnus, qui intellectus appellatur, & circa propoſitiones immediatas verſatur; alter, qui verſatur circa mediatas, & dicitur ſcientia, ità etiam in propoſitionibus contingentibus duplex habit⁹ opinionis aſſignari debet; vnus qui verſatur circa propoſitiones immediatas, alter circa mediatas, & fundamentum eſt, quia ſicut datur ſtatus in prædicatis eſſentialibus, ità & in accidētalibus hinc eſt, ò in earum probatione non perueniamus ad propoſitiones neceſſarias, cùm ex neceſſariò non ſequatur contingens, adueniemus ſaltèm ad aliquas cōtingentes primas, & immediatas, quibus aſſentimur ex probabili cōnexione terminorū, vt hæc eſt: Omnis Mater diligit Filium, quæ in ſerie contingentium acceptatur ab omnibus vt vera; hæc tamen definitio eſt opinionis ſine diſcurſu, non de illa, quæ per diſcurſum habetur, quæ adhuc duplex eſt, propter quid, & quia, nā ſicut notitia alicuius neceſſarij accepta per propoſitiones neceſſarias immediatas, dicitur ſcientia propter quid, accepta verò per mediatas dicitur quia, ſic etiam notitia alicuius veri contingentis ſumpta per propoſitiones immediatas, & contingentes dicitur opinio propter quid, ſumpta verò per mediatas dicitur quia.

3. Hinc cōmuniter à Doctorib. ſic ſolet opinio circūſcribi, ſcilicèt, eſt *cognitio, ſeù aſſenſus determinatus alterius partis contradictionis, cùm formidine alterius.* Per cognitionem, vel aſſenſum cōuenit cum ſcientia,

& alijs

Digitized by Google

& alijs notitijs neceſſarijs; per ly determinatus, diſtinguitur à dubio & ſuſpicione, quia dubitās in neutram partem inclinant, ſed anceps manet ex D. Thom 2.2. q. 4. art. 1. ſuſpicans verò quàmuis magis in vnam, quàm in aliam partem perpendeat, quia adhuc tamē leuibus mouetur indicijs & coniecturis, idcircò nō aſſentitur illi determinatè, opinans verò vt magis vrgentibus rationibus innixus, alteri parti determinatè adhæret, quia tamen talis determinatio non eſt ità ſtabilis, & fixa, vt ſit ſine formidine alterius partis, per hoc à ſcientia diſtinguitur, quæ eſt penitus ſine vlla formidine; & ratio eſt, quia tam ex natura obiecti, circa quòd verſatur, quòd eſt neceſſarium, ac impoſſibile aliter ſe habere; quàm ex modo circa quod verſatur, quia nimirum vtitur medio neceſſariò .ſ. cum certitudine, & euidentia, ideò adeſt adhæſio determinata ad alteram partem ſine formidine; at è contra, quia opinio, aut verſatur circa obiectum variabile, vt ſic, & potens aliter ſe habere, aut ſi verſatur circa obiectum neceſſarium non tamen modo neceſſario, cùm vtatur ad illud medio probabili, & dialectico, quod in probatione deficere poteſt, ideò ſemper formidini ſubiecta eſt, vel ex vno, vel alio capite, ità quòd in aſſenſu opinatiuo ſaltē virtualiter inuoluatur iudiciū, quod poteſt in probatione deficere.

3. Hic dubitari ſolet, an de ratione opinionis ſit formido de parte opposita, & ratio dubitandi eſt, quà propoſitionibus immediatis contingentibus aſſentimur prorſus ſine vlla formidine; ſicut aliqui quibuſdam hiſtorijs, imò & opinionibus ſuis ità firmiter adhærent, vt oppoſitas penitùs falſas iudicent, vt inter Thomiſtas, & Scotiſtas euenit. Tùm quia formido auferre videtur determinationem ad alteram partem; ſi ergo talis determinatio eſt de eſſentia opinionis, nō poteſt eſſe cum formidine. Altercantur Doctores, & quidam Scotiſtæ, vt Tatar. & alij aſſerunt formidinem eſſe de eſſentia opinionis; quidam verò negant, affirmantes formidinem per accidens aliquando aliquam opinionem comitari, vel .ſ. ex diſpoſitione recipientis medium, ſic non adhærendo firmiter, vel ex æqualitate rationum ad partes oppoſitas; vel ex aliquo alio accidente; ità Baſſol. Mayr. & alij, quos ſequuntur Recentiores.

4. Verū, ſi iſti Scotiſtæ audeant de ratione opinionis auferre omnē formidinem, tàm actualē, quā aptitudinalem de parte oppoſita, manifeſtè falluntur, ſic .n. abolere videntur diſcrimen, quod inter certitudinem ſcientiæ, & probabilitatem opinionis verſatur, ꝙ equidē alio modo aſſignari non poteſt, niſi dicendo, ꝙ ſcientia eſt cognitio, q̄ ſuaptè natura, & ex parte obiecti, circa quod verſatur, eſt incapax falſitatis, ac conſequenter formidinis de parte oppoſita, opinio verò

cò è contra eſt Cognitio ex genere ſuo, cui poteſt ſubeſſe falsũ, quod etiã de vera opinione verificatur; (nam ſi talis opinio verſatur circa obiectũ contingens) licèt quatenus vera includat cõformitatem cum eo hic, & nunc, quia tamen obiectum eſt in ſe variabile, poterit illa cognitio ex genere ſuo ex parte obiecti eſſe falſa; ſi autem verſatur circa obiectum neceſſarium, procedendo tamen ad illud medio probabili, eſtò adhuc dicat conformitatem cum eo, quia tamen ex modo procedendi poteſt eſſe falſa, cũ medium, cui innititur quamuis ſit probabile, non tamen neceſſariò verũ, ſequitur, quod opinio ex genere ſuo eſt talis cognitio, vt ſi nõ actu habeat ſemper annexam formidinẽ, illã tamen habere põt, quia tã ex obiecto ſuo, quã ex modo procedendi poteſt illi falſitas ſubeſſe.

18 Sed inſtat Baſſol. Syllog. Topic. ex genere ſuo non generat opinionem cũ formidine, ſed cum adhærentia continuo opinatæ, quantum per ipſum fieri poteſt. Non valet, nam adhuc quærimus quanta ſit hæc firmitas adhæſionis, vel n. attingat neceſſitatem, vel non; ſi primum, ergo non differt à ſciẽtia; ſi ſecundum, ergo abſolutè ex genere ſuo poteſt illi ſubeſſe falſitas, & idcirco Syllog. Topicus generat opinionem cum actuali, vel ſaltem cũ aptitudinali formidine.

19 Ex his omnib. inferimus formidinem aptitudinalẽ eſſe paſſionẽ opinionis, quæ ex natura aſſẽſ opinatiui procedit, qui ex ſuo g nere talis eſt, vt nunquam atting certitudinem, & firmitatem act ſcientifici, per quã ſolũ omnis fo mido tollitur; nõ tamen negam hanc aptitudinem interdum imp diri poſſe ne exeat in actum, quo præcipuè ex duplici capite ori poteſt; primò quia eſtò fundam tum aſſenſus ſit ex ſua condition incertum, & fallibile, quia tamen multis experientijs comprobatu ac in plurimum, vt verum, ideo ne formidine acceptatur, quã ra tione ſine vlla ſuſpicione de oppo ſito aſſentimur propoſitionibus cõ tingentibus immediatis, vt quò mater diligit filium, ac etiam ant quis hiſtorijs; & quamuis human teſtimonium ſit reuera fallax m dium ad aſſentiendum, eſſe tame poteſt tot hominum auctoritate firmatum, vt pariat in nobis cert tudinem quamdam moralem; hin D. Aug. 15. de Trin. à Doct. relat quol. 14. §. *de Primo*, ait: Abſit, ſcire nos negemus quæ teſtimoni didicimus aliorũ, alioquin neſc remus eſſe Oceanum, neſciremu eſſe terras, atq; vrbes, quæ celebe rima fama commendat. Secund poteſt hoc etiam aliquando acci dere, vt Tatar. aduertit ex temeri tate, & præſumptione, vndè ſæpiu videmus quoſdam indoctos ſine ſufficienti, ac ſolito fundamẽto it pertinaciter ſuis adhærere opinio nibus, vt non opinari, ſed verè ſc re præſumant, & oppoſitum pro ſus impoſſibile iudicent, quod vt

que

que ex alia cauſa oriri non poteſt, quàm vel ex ignorantia, vel ex voluntatis pertinacia, cuius indoli ſunt hæretici, &c. vndè potius ex tàm pertinaci adhæſione hæretici dicuntur, quàm ex eo, quod in fide hæſitent, qui opinandi modus, nõ tã dici debet opinio, quã temeritas, & præſumptio ex Tatar.

Inſtabis, etiam in probatione conclusionis contingentis eſt aliquis actus, quo Intellectus cõſiderat præcisè propoſitionem eſſe veram, non conſiderando contingentiam, & talis eſt ſine formidine, qa non conſiderat oppoſitũ eſſe poſſibile. R. tantùm probare poſſe opinionẽ reperiri ſine actuali formidine; quod libẽter admittimus, nõ tamẽ ſine radicali, & aptitudinali.

6. Quæres, an opinio poſſit ſimul cũ fide cohærere? Supponimus, fidem eſſe aſſenſum determinatum alterius partis propter Auctoritatem, & teſtimonium dicentis; quia autem teſtimoniũ cui creditur duplex eſſe poteſt, Diuinum .ſ. & humanum, ſeù creatum, vt etiam Angelos complectamur, duplex quoque fides diſtingui ſolet Diuina .ſ. & humana, ſeù alio nomine ſupernaturalis, & naturalis, vel etiam infuſa, & acquiſita, de quib' Doct. loquitur quol. 14. §. cit. vbi licèt inter eas plura aſſignet diſcrimina, hoc tamẽ potiſſimum eſt, quòd cũ Deus ſit teſtis infallibilis, ideò Diuinæ fidei nõ poteſt ſubeſſe falſum, hinc quo ad certitudinem accedit ad ſcientiam, imò ipſam ſupetat, licèt quoad euidentiam, & claritatem deficiat; vndè D. Paul. Hebr. 11. definiuit: Fides eſt ſperãdarũ ſubſtantia rerum argumentũ non apparentium; in ordine igitur ad certitudinem infallibilem fides Diuina diſtinguitur ab opinione, propter obſcuritatem annexam ſecernitur à ſcientia. E contra verò humanum teſtimoniũ falli poteſt, & fallere, ideoq; humanæ fidei poteſt ſubeſſe falſum, & conſequẽter maiorem cum opinione habet affinitatẽ, quã Diuina; vndè Ariſt. fidem hanc humanam (nam Diuinam non agnouit) vocat frequenter opinionem, & vnam cum alia cõfundit, vt patet 4. Topic. loc. 67. vbi inter loca topica, quæ ad opinionem faciunt, recenſet locum ab auctoritate, & idem habet 2. de anima 157. Hoc tamen intereſt inter opinionem, & fidem humanã, quòd licèt vtraq; motiuo probabili innitatur, opinio tamen innititur motiuo intrinſeco, nimirũ cõnexo cũ obiecto, fides verò extrinſeco .ſ. teſtimonio alieno, & hac de cauſa, duo genera conſtituunt, ſeù ſpecies habitus formidoloſi.

7. Quantum igitur ad punctũ principale, an .ſ. ſcientia, & opinio poſſint eſſe ſimul de eodẽ obiecto, multæ ſolent recitari ſentẽtiæ, quæ tamen ad duas celebriores reducũtur. Prima negat tã de actu, quàm de habitu, quæ communis eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas, id .n. apertè eorum Magiſtri docuerunt. D. Thom. q. 14. de veritate art. 9. ad 6.

& 1.

& 1. poſt.ſec.44. & Scot. loc.cit.in 3. & videtur expreſſa Philoſophi ſententia 1.poſt,cap. 26. quã proinde ſequuntur Auerr. com. 201. Themiſt. 1. poſt. cap. 45. Philop. Albert. Ægid. Venet. & alij, cuius fundamentum deſumitur ex ipſa repugnantia inter euidentiam, & ineuidentiam, certitudinem, & incertitudinem circa eamdem veritatem; aſſenſus .n. ſcientificus eſt iudicium, quod res non poteſt aliter ſe habere, opinatiuus verò, ꝙ res poteſt aliter ſe habere, per illũ intellect⁹ perfectè, & planè determinatur, manendo omninò conuictus circa veritatẽ propoſitionis, per hunc verò non conuincitur; ratione illius eſt omnino certus, & firmiter Concluſioni adhæret, ratione iſtius, eſt incertus, & de illa formidat; & tandem alter eſt euidens, & alter inuidens. Et quoniã illi habitus ſunt inuicem repugnãtes, quorum actus repugnant, idcirco ex tali actuum repugnantia, hæc ſententia deducit etiam repugnantiã habituũ, non ſolũ naturaliter, ſed etiam ſupernaturaliter, & de potẽtia Dei abſoluta, vt videri poteſt apud Complut. qui pro hac ſententia citant omnes Thomiſtas.

Secunda ſententia affirmat, per diuerſa media, vnum .ſ. Demõſtratiuum, aliud verò probabile poſſe de eadem Cõcluſione haberi ſimul ſcientiam, & opinionem, ità D. Bonau. in 3.d.24.art.1,q.3. Alenſ. Ricard. & alij veteres cum multis ex Recentioribus, vt Hurtad. diſp.10. de anima ſec.5. Arriag. diſp.6. 6. Amic. & alij, Et ex noſtris Ba
& Mayr. & fundamentum h
ſententiæ eſt ipſa experientia
conſueta praxis probandi Con
ſiones, mos .n. fuit philoſophor
diſcipulos inſtituere per Auct
tates, & dicta aliorum, deinde
rationes probabiles, & tandem
tiones demonſtratiuas addider
Sed numquid, per Demonſtrat
nem deſtruebant fidem, & opin
nem, quam antea diſcipuli com
perant de eodem aſſerto? ait Ma
nequaquam, aliter tunc fruſtra,
in vanum illas adduxiſſent, er
ſcientia, & opinio de eodem ob
cto non ſolum de poſſibili, ſed e
de facto in eodem intellectu ſu
compoſſibiles.

*Concluſio.*

8. *Dicimus tamen actũ opinionis poſſe ſimul haberi cum actu ſcientiæ d eodem obiecto*. Eſt Scoti loc.cit.in
d.24.ad 3.princ. vbi ait: Si aliqu
habet primo opinionẽ de aliqu
& ſuperueniat demonſtratio, co
rumpitur opinio. Et probatur f
ciliter, nam ſi opinio accipiatur
contingentiã habet ex parte obi
cti, omnes fateri tenentur prorſu
implicare, quòd ſimul cum ſcien
tia ſit de eodem obiecto; & rati
eſt clara, quia ſcientia eſt de obie
cto neceſſariò, & inuariabili, erg
cùm ſupponatur opinionem habe
re obiectum contingens, & varia
bile, manifeſtè repugnant in eod
intellectu reſpectu eiuſdẽ obiecti
tunc enim idem obiectum eſſet, 

non

nō eſſet neceſſarium, & intellectus ſimul, & ſemel affirmaret cōtradictoria de eodē, quia per aſſenſum ſcientificum iudicaret prędicatum neceſſariam habere connexionem cum ſubiecto, at per opinatiuum non habere neceſſariam, ſed contingentem connexionem; & hæc eſt ratio, qua Ariſt. 1. poſt. cap. vlt. probat opinionem in hoc ſenſu nō eſſe cum ſcientia comparabilem, quia tunc (ait ipſe) idē Intellectus ſimul exiſtimaret, quòd res aliter ſe habere poteſt, & quod non poteſt aliter ſe habere. Nec reſpondere valet, poſſe intellectum vtrūque affirmare per diuerſa media, & per hoc tolli contradictionem, non valet, & ratio eſt, quia quòd à parte rei prædicatum ſit neceſſariò connexum cū ſubiecto, vel non neceſſariò connexum, non pendet ex medio cognoſcendi, ſed ex modo eſſendi .ſ. ex ipſa intrinſeca cauſa inhærentiæ vnius cum alio, q̃ cū ſit ſemper vna, & eadē, nequit p vnū mediū modo contingētē oſtēdi, modò per aliud neceſſariam. Tum quia de ratione ſcientiæ eſt, vt tollat ab intellectu omnem formidinem, & trepidationem, ergo non poteſt opinio ſimul cū ſciētia conſiſtere cum formidine.

9. At Reſp. Tatar. (eſtò noſtræ ſit opinionis) nullā ex hoc ſeq cōtradictionem, nam per ſcientiam aſſentitur ſine formidine, per opinionem cū formidine, atq; ità non per eumdem actum: non placet, ſi .n. hoc ſufficeret ad ſaluandam cōtradictionem de effectibus repugnantibus in eodem ſubiecto per ſolam formarum pluralitatem, dicere poſſemus non repugnare etiā naturaliter contraria in ſummo in eodem ſubiecto V. g. calorē, & frigus in aqua; aſſenſum, & diſſensū in intellectu; velle, & nolle in voluntate reſpectu eiuſdem obiecti; nam ſi hinc contradictio inferatur ex repugnantia effectuum in eodē ſubiecto ab illis formis procedentibus, ſtatim occurreretur non eſſe contradictionem, illi .n. effectus ſunt à diuerſis formis, nam voluntas V.g. illud obiectum reſpuit per nolitionem, & hoc amplectitur p volitionem, quod falſum apud veros philoſophos cenſetur; qui ex effectibus repugnātibus in eodem ſubiecto, conſueuerunt deducere incōpoſſibilitatem formarum vndè procedunt. Tùm quia nec Auctores ſecundæ ſententiæ hoc admittūt de formidine actuali, & eadem ratione defendi poterit poſſe eſſe ſimul in eodem intellectu aſſenſum ſcientificum, & erroneum eiuſdem concluſionis, quia iam tales aſſenſus ex diuerſis medijs procederent.

10. Si tādèm opinio accipiatur abſolutè .ſ. pro aſsēſu probabili, p̄ciſa actuali formidine, in quo ſenſu loquuntur Auctores ſecūdæ ſententiæ adhuc aſſerimus ſaltèm naturaliter, & regulariter non poſſe ſimul cum ſcientia conſiſtere, & ratio eſt à Scoto deſumpta, cùm .n. inducitur mediū probabile, & demon-

mon-

monſtratiuum ad eamdem Cõcluſionem probandam, ſi benè percipiatur vis medij demõſtratiui, nullum aſſenſum generat medium probabile, & vt ait Doct. mediũ Dialecticum nihil facit impeditum à demonſtratiuo, velut à cauſa fortiori, & longè afficacius ſuadente, & ſequitur Tatar. in fine quæſt. lib. 1. poſt. & Auerſa diſp. 29. log. ſec. 4. Et patet experientia, cùm .n. in cognoſcenda aliqua veritate euidenti ratione conuincimur, negligimus poſtea rationes probabiles, & non conuincẽtes, nec ab eis moueri dignamur, ſicut adueniente lumine ſolis, lumen exiguæ candalæ contemnimus, poteſt quidem Intellectus demonſtratione imbutus cognoſcere qualis, & quanta ſit probabilitas medij Topici ad eamdem concluſionem adducti, non tamen ab ea mouebitur, vndè in tali caſu habebit rationem probabilem pro obiecto præcisè, non pro motiuo.

11. Cæterũ, q͂a vis medij demõſtratiui cùm ſit ſatis abſcondita, & obſcura non ſemper benè percipitur, vt Ariſt. innuit 2. Meth. tex. 15. & ſec. 28. probl. 3. tunc ſatis conducunt ad eius vim percipiendam ſapiẽtium Auctoritates, & rationes probabiles. Et quia hoc vt plurimum accidit, hinc eſt quòd in conſueto modo probandi concluſiones, etiam ſi demonſtratio ſuppetat, adhuc tamen inducuntur rationes probabiles, & Auctoritates veluti viæ ad penetrandam demõſtrationem inſeruientes, & ſolũ hoc probat fundamentum ſecun ſententiæ; at ſemel percepta, & p netrata vi medij demonſtratiui, ſerimus deſtrui fidem, & opinion quàm diſcipulus antea conceper de eadem re, vt expreſsè Doct. d cuit loc. cit. neque hoc eſt inco ueniens, imò neceſſarium, ſecu dum illud adagium. Vbi maio ceſſat minor; ſic in propoſito, a uenĩẽte energia demonſtrationi ceſſat perſuaſio habita prius p m dium probabile; nõ q͂ actu poſit uo eã intellectus reſpuat, & qu ab ea diſſentiat, ſed quia de illa amplius non curat; & in hoc ſen dicitur opinio corrumpi à ſupe ueniente demonſtratione; neque ob id magiſter antea fruſtra lab rauit rationes probabiles induc do, nam per illas benè diſpoſuit i lectum diſcipuli ad vim demõſtr tionis percipiendam, quàm for ab initio nõ ità facilè penetraſſe ſicut nec agens naturale fruſtra d citur laboraſſe, diſpoſitiones in materia ad formam ſubſtantiale inducendam, quamuis in eiuſde formæ aduentu illę corrumpant in Thomiſt. & Scotiſt. ſententia.

12. Ex his remanet ſolutũ q͂ tum de ſimultate ſcientiæ, & op nionis, vt habitus ſunt; ſi enim ſ matur opinio, vt ſpecificatur ab o biecto, quòd eſt contingens, & v riabile, ſic habit' opinionis, & h bitus ſcientiæ directè opponitu & conſequenter non poterunt e ſimul, niſi ad inſtar aliorum hab

tuum cōtrariorum, quatenus .ſ. vnus alium, non illicò, ſed paulatim deſtruit; Si verò opinio accipiatur pro aſſenſu probabili abſolutè, p̄ciſa formidine, ſic habitus opinionis conſiſtere poterit cū actu ſcientiæ, & hoc etiam naturaliter, nam ratio, quæ de actibus ad inuicem prohibet, non æquè de habitib. militat, vt diſcurrenti patere poteſt.

Sed adhuc controuerti ſolet, an ſaltèm de potentia Dei abſoluta, opinio actualis ſumpta pro ſimplici aſsēſu probabili, ſine actuali formidine annexa, poſſit cum ſcientia actuali conſiſtere, cùm eadem Cōcluſio probatur medio topico, & demonſtratiuo. ℞. hoc eſſe ſatis ꝓbabile, & ratio potiſſima eſſe poterit, quia ratio, qua opinio formaliter ſcientiæ opponitur, eſt ipſa actualis formido de oppoſito, & poſitiua incertitudo de propoſito, quæ incertitudo, & formido opponitur directè certitudini, & ſecuritati, quæ per ſcientiam acquiritur, ſed opinio in hoc ſenſu ſumpta, eſt ſine actuali formidine, & ſine poſitiua incertitudine, nam hoc modo eſt ſolùm negatiuè incerta, quatenus intellectui non affert certitudinem, ſed ſolùm probabilitatem, ergo poteſt cum ſcientia ſimul cōpati, maior eſt clara, minor ità explicatur & probatur: Si ad probandum hominem eſſe riſibilem, aſſumeretur medium probabile, poteſt intellectus vti medio ꝓbabili dupliciter, vno modo, vt expreſsè iudicat ex vi talis medij nō eſſe neceſſariam connexionem inter ſubiectum, & prædicatum; altero modo, vt abſolutè iudicet ex vi talis medij benè probari hominem eſſe riſibilem, abſtrahendo à neceſſaria connexione, vel non neceſſaria: primo modo aſſenſus opinatiuus eſt poſitiuè incertus, quia adeſt iudicium expreſſum de variabilitate obiecti, & ſic eſt incompoſſibilis cum aſſenſu ſcientifico, qui oppoſitum formaliter iudicat, .ſ. prædicatum eſſe cum ſubiecto neceſſariò cōnexum: Secundo modo eſt tantùm negatiuè incertus, quatenus iudicat prædicatum eſſe cum ſubiecto connexum, abſtrahēdo à neceſſitate, & contingentia connexionis, & ità eſt cum aſſenſu ſcientifico compoſſibilis: hæc Bellut. & Maſtr. in terminis diſp. 14. q. 2. quos ſequitur Poncius in ſua log. diſp. 22. concl. 6. nu. 48. & fuit ſententia Gregorij de Arimino q. 2. Prol. art. 4. ad tertium, vbi docet, quòd habentes ſcientiā, vel fidem de aliqua concluſione, licèt vtantur rationibus probabilibus, non tamen vtuntur actibus formidoloſis, ſeù actibus aſſentiendi cum formidine, qui ſoli propriè dicuntur actus opinatiui, ſeù opinionis, hæc ille, licèt poſtea nolit propriè vocari opinionem, idem etiam fatetur Tatar. dum concedit poſſe generari habitum quemdam ex actibus probabilius ſine formidine, quamuis etiam ipſe nolit tūc eam notitiam opinionem appellare, quæ lis eſt tantùm de nomine,

& ideò ſatis eſt, quòd nobiſcum conueniant de re.

Ad Scotum autem, qui hoc negare videtur, ex ratione, quam ibi adducit ex contradictorijs de certitudine, & incertitudine, &c. Reſpondent Maſtr. & Bell. cum Poncio loc. cit. ipſum intelligendum eſſe de potentia ordinaria, & naturali, non de extraordinaria, & abſoluta. Et quòd aſſerimus de opinione in ordine ad ſcientiam, pariter de fide humana aſſerendum erit. Quid autem de fide Diuina dicendum eſt, nō eſt præſentis negotij determinare, poſſet tamen ſeruata proportione idem quoque de ipſa fide Diuina dici; Si autem obſcuritas poſitiua ponatur de eſſentia, & ratione fidei iuxta definitionem eius traditam ab Apoſt. 11. ad Hebr. tunc eſſet neganda paritas. Sed de hoc Deo dante in Theologia.

Sed Contra hæc obijci ſolet præcipuè ex Compluten ſibus; per actum ſcientiæ intellectus iudicat prædicatum concluſionis conuenire neceſſariò & per actum opinionis iudicat illud non conuenire neceſſariò, ſed cōtingenter, ſed hæc implicant, ergo &c. ℞. neg. ma. nam in propoſito iudicium factum ex medio probabili idem affirmat, quod factum ex neceſſario, abſtrahendo à neceſſaria, vel non neceſſaria connexione.

Ob. 2. ex hac doctrina ſequeretur, quòd poſſemus habere actum erroneum, & ſcientiam de eodem obiecto, quod falſiſſimum cenſetur. ℞. cum Ponc. negando ſequelam, & ratio eſt, quia actus erroneus oppoſitus actui ſcientiæ debet eſſe aut diſſenſus, ſi actus ſcientiæ ſit aſſenſus; aut aſſenſus, ſi actus ſcientiæ ſit diſſenſus; intellectus autem non poteſt ſimul aſſentiri, & diſſentiri eidem propoſitioni, & ideò habere nequit actum ſcientiæ, & erroris de eadem concluſione, licèt habere poſſet duos aſſenſus, quorum vnus eſſet fides, alter opinio.

Ob. 3. etiam loquendo de opinione pro ſolo aſſenſu probabili, abſtrahendo ab actuali formidine, adhuc eſt ſuaptè natura capax formidinis, ſcientia verò incapax. ergo adhuc in hoc ſenſu repugnant. ℞. neg. conſeq. & affertur ratio, nam V. g. calor eſt cōpoſſibilis cū ſiccitate, humiditas verò incōpoſſibilis, & tamē ſtant ſimul calor, & humiditas, vt patet in aere &c. apprehenſio eſt incapax falſitatis; iudicium capax, & tamen vniuntur in eodem intellectu, & de eodem obiecto; vndè ſolùm ſequitur, quod ſcientia cū opinione cōiuncta impedit formidinē, ne in actū exeat.

Ob. 4. quia adhuc in hoc ſenſu opinio eſt incerta, per quod à ſciētia diſtinguitur; quòd ſi dicas eſſe tantùm incertam negatiuè, ideſt non certam, adhuc habetur intentùm, quia ſcientia eſt certa, opinio non certa, quæ contradictoriè opponuntur. ℞. quòd opinio tertio modo accepta dicitur incerta negati-

gatiuè, quatenus abſtrahit à certitudine, & incertitudine poſitiua, per quod adhuc ſufficienter diſtinguitur à ſcientia, quæ eſt poſitiuè certa, non tamen per hoc infertur talis contradictio, quæ eorũ incompoſſibilitatem arguat, quia etiam quælibet forma diſparata dicit negationem alterius in hoc ſenſu, vt albedo negationem dulcedinis, & dulcedo negationem albedinis, & tamen in eodem lacte reperiuntur.

Ob. 5. ſtante hac opinione, non euitantur Cõtradictoria, quæ prima ſententia inferebat, quia per aſſenſum ſcientificum intellectus manet conuictus, per opinatiuum non conuictus, ergo &c. ℞. negan. aſſumptum, nam conuinci intellectum, & non conuinci pendet ex conditione medij, nullum autem videtur inconueniens aſſere, quòd conuincatur per vnũ mediũ, & nõ per aliud, ſicut inconueniens erat, quòd eſſet certus, & incertus de eadem concluſione, nam illa duo contradictoria enunciantur de intellectu reſpectu diuerſorum, iſta verò reſpectu eiuſdem; abſolutè tñ in tali caſu, intellectus dici debet conuinctus, cùm denominatio ſumi debeat à medio nobiliori, & efficaciori.

Ob. 6. ex hac ſententia ſequerentur duo iudicia repugnantia, vnum ſcil. formale, quòd res neqt aliter ſe habere, alterum ſaltẽ virtuale ex parte opinionis, ꝙ poſſit aliter ſe habere. ℞. ex hoc nullum ſequi inconueniens, ſicut .n. non repugnat in phyſicis vinum eſſe formaliter frigidum, & virtualiter calidum; & in moralibus, qui cum indebita circumſtantia elicit actũ dilectionis Dei, eſt formaliter ad Deum conuerſus, & virtualiter à Deo auerſus, ita non repugnant duo iudicia, quorum vnum dicat formaliter ita ſe habere, & aliud dicat oppoſitum virtualiter tantũ.

Ob. tandem, quia videtur prorſus ſuperfluus actus opinionis, vbi eſt actus ſcientiæ, ſicuti vbi eſt lumen ſolis, fruſtra lumen candelæ adhibetur. ℞. nõ ſuperfluere, quia Cognitio demonſtratiua eſt alterius rationis ab opinatiua, & ſaltẽ oſtendit rem diuerſo modo; ſic in Beatis admittũtur ſimul cognitio matutina, & veſpertina de eadem re, & Doctor in 2. d. 3. q. 8. ponit notitiam intuitiuam, & abſtractiuam in Angelo reſpectu ſuipſius, licèt per matutinam, & intuitiuam res clarius oſtendatur, quàm per veſpertinam, & abſtractiuam; & quando etiam eſſet fruſtatoria, nõ habent intentum de potentia abſoluta Dei. ita Bell. & Maſtr.

*Dubium de Syllogiſmo Elencho.*

Supponimus fallaciam in præſenti ſumi pro loco ſophiſtico, ſeù pro illa propoſitione, in qua fundantur Syllogiſmi deceptorij, & conſequentiæ falſæ, vt veræ oſtenduntur; nam ſicut dantur loca Topica, quæ maxima, & differentia maximæ dicuntur, à quibus accipiuntur probationes ad con-

concluſionem probabilem inferẽdam, vt ſunt locus à ſubſtantia, locus à definitione, &c. vt habuimus tract. 5. de Syllog. Topico. ſic dantur loca ſophiſtica, & maximæ ſophiſticæ denominantur, è quibus deducũtur Syllogiſmi falſi ad falſitatem inferendam; vndè dicitur fallacia æquiuocationis, fallacia amphybologiæ, fallacia compoſitionis, &c. Et in qualibet iſtarum datur cauſa apparentiæ, quæ mouet ad credẽdum id, quod non eſt, & cauſa deceptionis, quæ facit creditum eſſe falſum, & in cauſa apparentiæ latebat; vndè ſic deſcribi ſolet: *fallacia eſt ratio pugnans, fallax, & apparens, probans eſſe quod non eſt, & non eſſe quod eſt.*

Sicut igitur effectus Syllog. Demonſtratiui eſt ſcientia, & Syllogiſmi Topici eſt opinio, ità Syllogiſmi Elenchi, ſeù apparentis eſt error; nam error ex oppoſito contrariatur Sciẽtiæ, ſicut opinio mediat inter ſcientiam, & errorem; hinc quæri ſolet quid ſit error, & quomodo à ſcientia, & ab opinione differt, & deſcribitur, quòd *ſit cognitio falſa, rem explicans aliter ac in ſe eſt*; & ſi eſt ſimplex iudicium, erit ſecunda intellectus operatio falſa, & correſpondebit habitui principiorũ in Syllogiſmo Demonſtratiuo, vel Topico; ſi verò erit aſſenſus falſus alicuius propoſitionis ex vi alterius cauſat', erit diſcurſus falſus, & effectus Syllogiſmi falſi, opinioni, & ſciẽtiæ oppoſitus, ſpectãs ad tertiam Intellectus operationẽ.

Hinc adnotam' pro maiori notitia, non ſufficere ad errorem, ſi quis ſolùm proferret propoſitionẽ falſam, niſi quoque ità iudicet, & per intellectum aſſentiat ità eſſe, ſicut per talem propoſitionem enunciatur; vndè talis aſſenſus poteſt quandoque eſſe cum formidine, aliquando cum firmitate, & certitudine, quod patet experientia, nam aliqui ita tenaciter falſis dogmatibus adhærent, vt mortem ſubire non timeant: Cuius ratio eſt, quia radix erroris in intellectu ex eo procedit, quòd illud, quòd in ſe non eſt verum, apparet tamen intellectui verum, quæ veritas apparens, & ità exiſtimata, duplex eſt .ſ. vel probabilis apparens, vel neceſſaria, ſi .n. quod non eſt probabile, poteſt apparere probabile, ità etiam quod eſt probabile, apparere poteſt neceſſarium, nam minus hæc, quàm illa diſtant. Si veritas eſt apparens probabilis, cauſat aſſenſum falſum cum formidine; ſi eſt apparens neceſſaria, cauſat aſſenſum falſum cum firmitate; intellectus enim tàm errare poteſt, ſi quod non eſt probabile, iudicat vt probabile, quàm ſi iudicat neceſſarium, quod in ſe eſt probabile, vel falſum; quæ veritas apparens neceſſariò requiritur, nam intellectus ad aſſenſum ſolùm à vero mouetur, non à falſo; hinc Ariſt. 1. Elench. cap. 1. definiuit Syllog. captioſum, quod ſit Syllogiſmus apparens, & non exiſtens.

Addimus, quòd aliquando opinio

nio eſt de re apparenter vera, & in ſe falſa, nō ob id tamē talis opinio error dici debet, ſed vera, & probabilis; ratio eſt, quia non quælibet veritas apparens cauſat errorem, ſed tantùm veritas illa quæ probabilis apparens, in ſe tamen improbabilis, & falſa iudicatur à ſapientibus, & tamen hoc non obſtante, intellectus vt probabilem eam amplectitur; vndè Ariſt. ait, probabile illud dici, quod creditur ab omnibus ſapientibus, aut plurimis, aut quibuſdam in ſcientijs excellentibus; improbabile eſt, quod à ſapientibus falſum exiſtimatur, eſtò rudibus verū appareat; quod igitur verum cenſetur, aut ab omnibus, aut aliquibus ſapientibus, licèt non ità res ſe habeat à parte rei, aſſenſus circa illud non dicitur erroneus, ſed probabilis, & opinatiuus; quando autem apud ſapientes cenſetur falſum, & ſolùm rudibus videtur verum, tunc aſſenſus erit error, quod enim eſt improbabile, probabile apparet.

Id, quod de errore dicimus circa propoſitionem, aſſerimus etiam de errore in diſcurſu, tunc .n. proprie diſcurſus dicitur erroneus quando conſequens non rectè infertur ex antecedenti, licèt in ſe verum ſit. Dupliciter autem poteſt Concluſio malè deduci .ſ. vel ob defectum in forma Syllogiſtica, de quo egimus in Inſtit. dum regulas bonæ argumentationis aſſignauimus, vel propter defectum in materia, quando .ſ. concluſio, vt probabilis, vel neceſſaria deducitur ex motiuo improbabili, vel nō neceſſario. Ex his clarè patet diſtinctio inter ſcientiam, opinionē, & errorem; nam ſcientia eſt cognitio vera veritate neceſſaria, cui nequit ſubeſſe falſum, certa, & euidens; huic accedit opinio, quæ eſt cognitio vera, veritate probabiliter apparente, & aliqualem habet euidentiam ſaltem probabilem, cui tamen poteſt ſubeſſe falſum; Error autem, tamquam aliud extremum, eſt cognitio omnino falſa, quia nec neceſſario, nec probabiliter apparet vera. Vndè autem oriatur deceptio intellectus noſtri pro ſtatu iſto, ſpectat ad lib. de anima, pro modo ſufficit dicere, quòd aliquando proueniat à cauſis extrinſecis, & occurrentibus impedimentis .ſ. ex indebita obiectorum diſtantia, vel ex defectu noſtrorum ſenſuum, quibus ſæpè repræſentantur res, aliter quàm ſint. Scot. 2. meth. q. 2. totam rationem difficultatis ad veritatem percipiendam, redigit in imperfectionē intellectus noſtri, qui pro ſtatu iſto in cognoſcendo dependet à ſenſibus, & per ſpecies à ſenſibus mendicatas, quæ dependentia (ait Doct. quol. 14. ex D. Aug. 15. de Trinit. c, 27.) oritur præcipuè, non ex natura potentiæ, ſed ratione ſtatus, qui non eſt naturalis, ſed pænalis, ob peccatum originale à primo parente inductum. Et hæc pro noſtro inſtituto ſint ſatis. Quæ omnia in laudem,

dem, & gloriam ſummæ, Primæque veritatis, quæ omni aduerſãtur falſitati referãtur; & ſi quid inaduertenter dixerim, quod Chriſtianæ Religioni aduerſari videatur, certò ab omnibus ſciatur, in his, & omnibus alijs meis dictis, & ſcriptis, ſemper S. Romanæ Eccleſiæ, Doctorumq; Piorum iudicio, & cenſuræ me ſubmittere. Amen.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

# INDEX
## RERVM NOTABILIVM.

Numerus paginam ſignificat, A, Priorem Columnam, B, poſteriorem.


A

Abſtractio aliter fit in ſubſtantijs, aliter in accidentibus abſolutis, aliter in relatiuis fol. 738. A. & ſeq. vbi etiã quid ſit vltimatè abſtractũ. Abſtractum, & concretum quadrupliciter combinari poſſunt. 740. B. Abſtracta in diuinis dicuntur de cõcretis tantum identicè propter infinitatem 745. B. Abſtractum genericum nõ poteſt prædicari de abſtracto differentiali nec è contra, ibidem; Nulla propoſitio, in qua vltimatè abſtractum prædicatur de altero vltimatè abſtracto, vel de ſuis immediatis inferioribus in creatis eſt vera 746. A.

Accidens definitur fol. 14. A. poteſt accipi realiter, & logicaliter, quæ definitio etiam accidenti inſeparabili cõuenit, ibidem; Non eſt quintum Vniuerſale reſpectu ſuorum inferiorum, ſic .n. potius eſt genus, ſed eſt tale reſpectu ſubiectorum, 15. A. eſt verè, & propriè vniuerſale 404. A. eius definitio accipi debet ſecundò intentioaaliter 407. A. eius vniuerſalitas fundari poteſt ſuper quodcumq; prædicatum contingenter alteri conueniẽs, ſiuè illud prædicatum ſit ſubſtantiale, ſiuè accidentale, 410. B. habet à ſubiecto vnitatem tantum extrinſecam 641. A. habet propriam definitionem accidentalem, licet non purè quidditatiuam, & ideo poni poteſt pro obiecto ſcientiæ 776. A. de ente per accidens in actu ſignato datur ſcientia ibidem B.

Actio diuiditur in inmanentẽ, & tranſeuntẽ, & explicatur, 27. A. eius affectiones recẽſentur, ibidẽ, Nõ eſt productiua termini, ſed potius tranſmutatiua ſubiecti, 687. B. ad Prædicam. actionis nõ ſolum ſpectat actio tranſiens, ſed etiam inmanens 688. A. quomodo intelligitur, quod potentia actiua ſit principium tranſmutandi aliud, in quantum aliud, ibidem B. tam actio ſucceſſiua, quam inſtantanea, tam accidentalis, quam ſubſtantialis, ad hoc ſpectat prædicam. 689. B. Actus triplex, ſ. rectus, reflexus, & iterum reflexus; ens rationis fit per actum ſecundum; 196. A.

Aequipollentia quid ſit, 50. A. & ſeq.

Aequiuoca definiuntur, 470. A. & ſeq. potius dici debẽt vnum nomen, quam multiplex, 474. B. æquiuocatio eſt in voce, non in conceptu, 475. A. quæ & quot ſunt eius ſpecies ibidem B.

Analoga deſcribuntur 480. A. Quot ſunt eius ſpecies 481. & ſeq. dupliciter poteſt Analogia contingere 483. A. Sola traſcendentia non ſuffitit ad indu-


Digitized by Google

inducēdam Analogiam 488.B. Analogum materialiter cum vniuoco,vel æquiuoco coincidit, formaliter verò inter vtrumque mediat 495.A.

Anima in communi reſpectu rationalis, ſenſitiuæ,& vegetatiuæ, habet rationem generis 318. B.

Argumentatio quid ſit; 57. B. vna recta, altera vitioſa, 58. Argumentatio bona duplex eſt materialis,& formalis 59.A.eius ſpecies recenſentur, ibidem B. Inductio enthimema, & exemplum non ſunt verè ſpecies argumentationis 60.B.regulæ communes argumētationis aſsignantur, 61. A. quando licèt argumentari ex ſuppoſitione impoſsibili 62. B.

B

Bonum triplex. .ſ.verum, Apparēs, & præſtitutum, 212. A. Bona,& mala alia sūt intrinſecè talia,& ideo præcepta,vel prohibita; alia contingenter, & ideo ſunt bona, vel mala, quia præcepta, vel prohibita, 101. B,

C

Cauſa quotuplex ſit, 112. A. à quibus plures maximæ ſumuntur, ibidem,& ſeq.

Cauſa meth. poteſt dici efficiens, formalis, materialis,& finalis. 821. A.

Certitudo quid ſit,& quod modis accipitur 763. B. & ſeq.

Conſequens diſtinguitur à conſequentia, 58.A.mala conſequentia, nō eſt conſequentia, 59. A.

Chriſtus, quo ſenſu dici poteſt in prædicamento, 540. A.

Cognitio duplex .ſ. practica, quæ efficitur ons rationis, & ſpeculatiua, quæ cognoſcitur factum, 197. A. Cognitio cum alia reflexa cognitione cognoſcitur, habet rationem obiecti, & cognoſcitur vt quòd, 633. B.

Concretum quid principalius ſignificat, 505.B. Vnde ſumenda eſt vnitas ſeu pluralitas Concreti. 507. B. & ſeq. vbi etiam plures propoſitiones Theologicæ declarantur. Ad multiplicationem concretorum requiritur multiplicatio formarum, & ſuppoſitorū, 641.B. quomodo concreta prædicari poſſunt, tam de concretis, quam de abſtractis 741. A. de vltimatè Abſtractis ſolum illa concreta poſſunt prædicari, quę in primo modo conueniunt, 742. B. concreta adiectiua tantum formaliter nata ſunt prædicari 743. A.

Continentia alia eſſentialis, alia potentialis, alia virtualis. 780. A.

Compoſitio ex genere,& differentia,quæ Methaphyſica appellatur eſt realis, à realitate generis, & realitate differētiæ formaliter diſtinctis, 374. A.

Connotatiuus terminus quid ſit. 6. B.

D

Deſinitio,& definitum quōmodo diſtinguuntur 421. B. & ſeq. explicantur conditiones eorum, quæ definiri debent 424.B. & ſeq. quæ non habent cōceptum niſi ſimpliciter ſimplicem non poſſunt rigoroſè definiri. 426. A. quomodo Deus, & ſumma genera definiuntur ibidem B.

Demonſtratio propter quid definitur, & eius conditiones explicantur 98. B. explicatur illa maxima propter quod vnumquodque tale, & illud magis 100. A.

Demon-

Digitized by Google

Digitized by Google